This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



Unus enim recentiorum fuit Muretus, cujus oratio proxime ad optimorum Veterum, maxime Ciceronianam formam accederet, qui de tenui argumento ornate, de obscuro dilucide, de gravi magnifice, de omni pure, emendate, suaviter scriberet. Cumque vulgo nostra aetate, qui de Veterum interpretes ferunt, nullam magnopere bene scribendi vel rationem vel facultatem haberent, cumque turpissimum sit iis, qui Veterum elegantias aliis enarrent, ipsos uti sermone barbaro et titubante, Ruhnkenius hunc extraordinarium celebrandi Mureti laborem suscepit, ut haberent exemplum, in quod intuentes, de rebus diva antiquis, sive novis, antique scribere discerent.
Daniel. Wyttenbach. in Vita Dav. Ruhnkenii. —
Confer. Vicarm. Mémoir. t. 27, pag. 103. — Bibl. Wyttenb. Biblioth. Critica Vol. 3. Part. 2. —

M. ANTONII MURETI

OPERA OMNIA,

Ex MSS. *aucta & emendata, cum brevi annotatione*

DAVIDIS RUHNKENII,

Cujus Praefatio praepofita eft Tomo IV.

TOMUS I.

LUGDUNI BATAVORUM,
apud SAMUEL. ET JOHANNEM LUCHTMANS,
MDCCLXXXXIX.

CONTINENTUR

VOLUMINE I.

Orationum Vol. I. 1——210.

——— Vol. II. 213——359.

Opuscula Varia. 363——376.

Epistolae ad Lambinum. 379——402.

—— tribus libris distinctae. 405 ——659.

Juvenilia. 655——752.

Poëmata Varia. 735——830.

JACOBI THOMASII

PRAEFATIO.

Quae hic denuo, in usum praecipue Scholarum, prodeunt Mureti disertissimi Orationes, Epistolae, Poëmata, Lector benevole, toties ea jam typographorum operas fatigaverunt, ut nesciam, paremne ullum ea in re Auctor hic e sui similibus habeat; superiorem certe, quod resciscere licuerit mihi, nactus est neminem. Neque iis tantum in locis cupidos expertus est librarios, quae cum ipso eandem profiterentur religionem, ut Coloniae, ut Moguntiae, ut Ingolstadii: sed in his etiam regionibus nostris, qui per Dei gratiam a B. Luthero meliora docti puriorem Euangelii vocem complectimur. Nempe didicimus etiam eam, quae in hoste conspicua est, virtutem venerari: neque unquam nobis barbarus ille & ab omni humanitate alienissimus placuit mos Jesuitarum, qui, si quid est a nostris hominibus profectum, quod ipsi nec improbare queant, &, si animi sententiam eloqui jubeantur, vel eximia laude dignum censeant: tamen aut plane aditum illi ad suas officinas intercludunt, aut non nisi dissimulato au-

 cto-

latus litteris (*b*) fuerat, indignum tamen habet ſo-
lius religionis nomine, cui reſponderet (*c*). Sed
ea quidem atrocitas odii nos, qui etiam inimicos
diligere juſſi ſumus, offendere nequaquam debet.
Itaque ignoſcimus illi, neque patimur, nos in eum
ſimili furore accendi, aut iſtius vitii contemplatione
oblitterari veras hominis virtutes, quae hactenus
ipſum nobis commendavere. Neque tamen illa du-
rities penitus hoc loco diſſimulanda fuit, ne inſul-
tent nobis adverſarii, quaſi vel juſtitiam tantae ira-
cundiae tacite agnoſcentibus, vel ſentiendi facultate
omni deſtitutis. Sed fuerit in nos Muretus, qualem
formaverint illi (ſcilicet) manſuetudinis Chriſtianae
magiſtri: in arte profecto dicendi, cujus maximam
gratia carus ipſe nobis eſt, eximium confitemur,
non quod hic plane nihil habuerit naevi, (non enim
ubique abſtinet ab ethnicis jurandi formulis, ac ne-
ſcio an non in Orationibus quandoque periodos plu-
aequo prolixiores accuſare liceat,) ſed quod non
reperias temere, quem illi, ſi virtutes eloquentiae
congregatas ſpectes, quae ſane ſunt multae, ante
ponas. Perſpicuus ipſi ſermo fluit & purus, & cor-
cinnis verborum ſuavibusque numeris aptatus. Por-
ro quam elegans ubique dictio eſt! quae venuſtas i-
tropis! quae in figuris deliciae! quod robur in ſen-
tentiis! Neque rerum ubertatem deſideres, quotie
ea, quod in orationibus poſtulatur maxime, opu
foret. Jam in carmine pangendo quanta felicitas

S

(*b*) *Quae leguntur lib. I. (quem ipſe Muretus edidit) E*
30. p. 499.

(*c*) *Vid. lib. eod. Epiſt. 91. p. 555. Sed cur non & indigna*
habuit, cujus epiſtolam ipſe primus vulgaret? Nempe quia laeta
bat Muretum. Verum hoc tranſeat. Acerbitatis indicia ſimi
capere licebit e lib. I. Epiſt. 14. p. 442. ubi de Petro agitu
ut interpretamur, Carneſeca; & lib. III. Epiſt. 77. p. 729.

sive enim Elegiam scriberet, sive Epos, sive Oden, sive Epigramma, sive scenae aliquid accommodum: optimi cujusque in quolibet genere magistri (*d*) naturam indolem agnoscas. Accuratior tamen exprimendo Comicorum socco fuit habitus, quam Tragicorum cothurno. Itaque cum *versiculos* aliquos, ab se conscriptos, *Trabeae affinxisset*, Comico veteri: tam gemellus ille suppositicius partus apparuit vero, ut acerrimo etiam talium censori, Josepho Scaligero fraus illa fuerit persuasa (*e*). Sed vicissim evitare non potuit, quin ipsum, cum *Julium Caesarem* efformaret *Tragoediam*, docti viri (*f*) pedem in socco habuisse, & ad comicam dictionem subsedisse censerent: quanquam hoc aetati, qua Tragoediam illam juvenis admodum scripsit (*g*), merito ignoscas. Sit hoc interim positum, non ab uno eum scriptore, cujus vestigia sequeretur, pependisse. Nempe ut multorum in se virtutes ipse unus colligeret, quicunque prisci Latinae facundiae laude *florerent*, in his, quod haberet pretiosissimum quisque, id sibi putavit pro viribus imitandum. Nec enim uni Ciceroni, (ut de Orationis soluto genere loqui pergam,) mancipare se, (quanquam huic quidem praecipue similis esse laboravit,) sed ex aliorum quoque lectione proficere voluit, qui post Ciceronem ora in se atque studia hominum convertissent. Sane servile illorum, ridiculeque superstitiosum scribendi genus, qui cane pejus & angue fugiunt non omne modo vocabulum, sed omnem quoque lo-

(*d*) *Multum operae se jam inde ab adolescentia posuisse in Tibulli & Propertii virtutibus imitandis, fatetur ipse lib. II. Epist. 12. p. 692.*

(*e*) *Vide lib. I. Poëm. n. 60. p. 49. 50.*

(*f*) *Heinsius de Const. Tragoed. p. 235. quem & vide p. 206. Vos. lib. II. Inst. Poët. c. 14. p. 72.*

(*g*) *Vide locum Scaligeri, quem dabimus infra lit. at.*

loquendi formulam, cujus auctorem laudare Tullium, aut illi forte quendam aequalem, non posſint, Mureto, cum ſapere coepisſet, neutiquam ſe approbavit. Cujus rei non luculentior nobis teſtis esſe quam ipſe, poteſt Sic autem ſcribit in Variis (*h*): *Diu & ipſe in eo errore verſatus ſum, ut, niſi qui aut Ciceronis aetate, aut paullo ante vixisſent, aut certe illi aetati ſuppares fuisſent, non ſatis digno esſe arbitrarer, quorum exemplo, qui Latine aut ſcribere, aut loqui vellent, niterentur. Sed poſtea, re tota mecum accuratius conſiderata, viſus ipſe mihi ſum nimio plus mihi ſumere, qui de Seneca, Livio, Valerio, Celſo, Quintiliano, Columella, utroque Plinio, Tacito, Suetonio, Vellejo, Q. Curtio, Lactantio aliisque ejusmodi ſcriptoribus, quos & ab iis ipſis temporibus, quibus Latina lingua floruisſe diceretur, propius afuisſe, & ſuo quemque ſaeculo diſertisſimos habitos esſe conſtaret, temere pronunciare auderem. Certe enim neque quisquam unquam veterum eos male Latine locutos esſe dixit, neque nos, tam longo intervallo, valde boni ejus rei exiſtimatores ſumus. At multa ſimplicia vocabula, multa etiam loquendi genera in eorum libris leguntur, quae apud Ciceronem & ejus aequales nusquam reperias.* Quid autem vetat, quo minus lepidam quoque rem, quam paulo poſt (*i*) narrat Muretus, ex eodem hic cognoſcamus? *Ut magis* inquit, *intelligas, totam hoc e ſtulta quadam opinione pendere; ſcito multos ex iſtis inepte faſtidioſis, quibus qui quid dicunt, quod Ciceronis non ſit, meros lapides loqui videntur; quibus, ut olim athletis in arenam deſcendentibus, circumdandae esſent amphotides, quoties in publicum prodeunt, ne delicatae ipſorum aures vocum nouis Ciceronianarum ictibus contunderentur, ſaepe esſe a molli-*

(*h*) *Lib. XV. c. 1. p. 390.*
(*i*) *P. 391. 392.*

magna cum voluptate delusos. Nam cum voces quasdam observassem, Ciceronis quidem illas, sed minus contritas, neque a Nizolio in illum praeclarum Indicem, qui ipsorum obrussa est, relatas: admiscebam eas de industria orationi meae, cum ad me audiendum amici quidam hoc, de quo loquor, morbo laborantes venissent. Illi ut earum quamque audierant, cervicem contorquere, humeros attollere, frontem contrahere; alius alii in aurem insusurrare, excuti sibi cerebrum, perire aures, cum talibus vocibus verberarentur. Quin etiam, coetu dimisso, cum me, ut fit, officii caussa domum reducerent, male se a me habitos atque acceptos esse conquerebantur. Ego aliquandiu eos ambiguo sermone frustratus, tandem sponsione lacessebam, ni illae ipsae voces, quibus auditis caput sibi condoluisse dicerent, ipsissimae Ciceronis essent. Quid quaeris? cum id ita esse pervicissem, jam voces illae omnem duritiam atque asperitatem deposuerant; jam lenes, suaves, jucundae factae erant, &, ut lupini aqua macerati, omnem amaritiem exuerant, simulatque eas Ciceronis esse constiterat. Contra hoc hominum genus ubi plura noster declamavisset, haec porro subnectit (*k*): *Quid tu igitur? inquies. Ex omnibus antiquis scriptoribus nullo discrimine verba, quibus utare, depromes? Imo vero, adhibebo judicium, habebo delectum*: &, *cum ex iis potissimum, qui antiquitatis quoque ipsi principes visi sunt, Cicerone, Caesare, Terentio, aliis quam plurima sumsero; cum orationis meae genus ad eorum exemplar, quam maxime potuero, conformaro: ex aliis quoque bellissimum quodque carpam*, &, *quo quisque maxime excelluisse videbitur, id imitari atque exprimere conabor; neque in iis modo, quos paullo ante nominavi, sed in Tertulliano, Arnobio, Hieronymo, Augustino, Ambrosio*, &, *quod magis mireris, Appulejo, Cassiodo-*

(*k*) *Pag.* 394.

doro, Martiano etiam & Sidonio Apollinari, multa reperiam, quibus ſuo loco poſitis, oratio uberior & ornatior fiat. Tibi quoque, Dari, (cum Dario enim Bernardo quod intercesſerat ſibi colloquium narrat,) *auctor ſum, ut idem facias, inprimisque ut ne eorum ſtultitiam imiteris, qui usque eo antiquitatis ſtudioſi ſunt, ut voces quoque Chriſtianae religionis proprias refugiant, & in earum locum alias ſubſtituant, quarum nonnullae etiam impietatem olent; qui non* fidem, *ſed* perſuaſionem; *non* ſacramentum corporis Dominici, *ſed* ſanctificum cruſtulum; *non* excommunicare, *ſed* diris devovere; *non* Angelos, *ſed* Genios; *non* baptizare, *ſed* abluere *dicunt, aliaque eodem modo depravant; qui, ut opinor, niſi ſibi metuerent, etiam pro* Chriſto Jovem Optimum Maximum *dicerent: eſt enim magis Ciceronianum.* Satis haec nobis de ſtilo ſententiam declarant Mureti. Et perſuadere tamen Gaſpar Scioppius (*l*) audet nobis, *nihil minus de imitatione ſtatuiſſe Muretum, quam quod verbis praeſe ferre ſuit ſolitus,* puta cum (*m*) *ſtultitiae, temeritatis & arrogantiae minime ferendae eos condemnat, quibus verba loquendique genera ab iſtius,* (cujus Fabius fuit Quintilianus,) *aetatis auctoribus uſurpata, quoniam apud Ciceronem & aequales ejus non exſtent, ei qui diligenter Latine loqui velit aut ſcribere, imitanda non videntur.* Sed unde fidem, obſecro, Scioppius nobis facit, aliud iſta ſcribenti Mureto in mente fuiſſe, quam quod profiteretur calamo? *Manifeſtum enim eſt,* inquit, *omnibus, qui libros ejus legunt, nihil eum magis caviſſe, quam ne a Ciceronis & aequalium*

(*l*) *Judic. de ſtilo hiſtorico p.* 64.

(*m*) *Quod paulo ante praecedit apud Scioppium, & vix alibunde depromptum videtur, quam ex illo Mureti, e quo bacſenus deſcripſimus, capite Variarum, licet ipſe Scioppius nullum certum deſignet Mureti locum.*

lium ejus imitatione, non modo quoad contextum verborum ſive compoſitionem, ſed etiam, quod ad ipſa verba loquendique genera attinet, vel tantillum diſcederet. Fatentur etiam omnes, tam feliciter & ex ſententia ſuum ei ſtudium illud proceſſiſſe, ut non modo poſteriorum, ſed ne illorum quidem ullus, qui Ciceronis aetati ſuppares ac finitimi fuerunt, puritate & elegantia eum vicerit. Sed verebatur ſcilicet, ne quid aliquando ſibi exsideret, quod Tulliana puritate minus dignum foret, ipſeque nonnullam ex eo exiſtimationis apud Italos jacturam faceret. Cumque cauſſam tale quid metuendi non unam fuiſſe Mureto, Tranſalpino videlicet homini, magna cum verborum profuſione docere conatus fuiſſet Scioppius, ſic denique ſententiam ſuam concludit (*n*): *Cum igitur haud fugeret Muretum, ſi quid excidiſſet ſibi, quod in Tullio, ceterisque primae claſſis Auctoribus non exſtaret, aut ſaltem limatiſſimo hominum Italorum judicio ab Auctorum illorum puritate deſciſcere videretur, magno ſe fore* (in) *periculo partam eloquentiae laudem amittendi: hoc modo prudenter ſibi cavere viſus eſt, ſi quorum ſententiam opera ipſa probabat, ab iis ſaltem verbo diſſentiret: ſic enim paratam ſibi ſemper excuſationem fore, ſe verbis, quae minus locupletes Auctores habere videantur, non errore, ſed judicio ac ſcientem uti. Grammaticus enim, ut ait Seneca, non erubeſcit, ſoloecismum ſi ſciens faciat; erubeſcit, ſi neſciens.* Hoc vero non eſt rem, quam vocare velis in dubium, firmo aliquo argumento probare, ſed ſomnium aliquod ſuum narrare. Cui facile ſit nobis, ſi ſomniando confici res debeat, ſimile, ſed quod a vero fortaſſe propius abſit, ſomnium opponere. Dicemus enim, doluiſſe Scioppio, cum videret, illam Tullianam ſervitutem, quam ipſe tantopere exoſcularetur, omnibusque pro facundiae Latinae apice perſuaſam cuperet, adeo contemptim haberi a Mu-

re-

(*n*) *Pag. 75. 76.*

ridendi ſtuporis notam ſi recuſet Muretus, concludemus, eam Scioppio, cui tanta iſta defenſionis abſurditas prudens cautio eſt, jure meritisſimo deberi. Nos vero ſomnium hominis omittamus tandem, & ad vigilias noſtras veniamus.

Cum ad novam Orationum, Epiſtolarum, Poëmatum Mureti editionem conferre aliquid rogaremur, unde prioribus eam & emendatiorem eſſe & auctiorem vere liceret pronunciare: ante omnia proſpeximus nobis de *Ingolſtadienſi* editione. Hanc enim & Lipſienſis olim noſtra, ſemel jam iterumque repetita, expreſſit, & ceteris, quas quidem videre nobis contigit, emaculatiorem eſſe, viſi ſumus ipſi, dum inter ſe multas conferimus, non rariſsime deprehendere. Sane *M. Joannes Croeſelius, Vilſeccenſis*, cujus ad Lectorem anno 1592. ſcripta Ingolſtadii praefatio legitur (*p*), *ſtudio ac diligentia non parva emendatum ab ſe & locupletatum utrumque Mureti Tomum* profitetur. Nec alibi prius, quod pervidere licuerit nobis, quam Ingolſtadii, *Adamo Sartorio* excudente, Orationum, Epiſtolarum, Poëmatum Mureti ea prodiit copia, quae hactenus cenſeri meruit locupletisſima: ut hac in re matrem editionum ſequentium plerarumque appellare poſſis Ingolſtadianam. Ejusdem officina *Sartorii* anno hujus ſeculi ſecundo, menſibus vero, ſi tempus dedicatoriis adſcriptum epiſtolis ſequimur, partim Aprili, partim Octobri varios dedit in Ariſtotelem, Platonem, Xenophontem, Ciceronem, cum quibusdam e Graeco interpretationibus, *Commentarios Mureti*. Apparet autem e dedicatoriis, tum duabus, quas modo diximus, tum illa, quam utraque priorem Sar-

(*p*) *Praefixa Tomo I. Orationum &c. Mureti, quae poſtea & in edit. Ingolſt. anni 1599. conſervata fuit.*

Sartorius idem (*q*) ſecundo Orationum, Epiſtolarum, Poëmatum volumini praefixit, in his Mureti ſcriptis univerſis tum conquirendis diligentiam, tum communicandis benignitatem ſingularem *Marci Velſeri*, Reip. Auguſtanae Duumviri, alicubi & *Andreae Schotti*, enituiſſe. Atque ut hi viri ne per nos priventur debita ſuis virtutibus laude, verba ipſa in hanc rem Sartorii adſcribemus. E dedicatoria voluminis II. ad ipſum Velſerum: *Abundant his* (orationis luminibus & ornamentis) *Mureti, quae poſteritati reliquit, volumina. E quibus alterum Orationum jam* (A. 1600.) *in lucem ſe tertium effert cum praeclaro variorum opuſculorum, prius aut nunquam, aut in Germania certe quidem non viſorum, comitatu. Quorum editio, & qui inde in amoeniorum ſtudioſos litterarum manabit fructus tibi*, Marce Velſere, *Duumvir Amplisſime, debet magnam partem in acceptis referri: quippe qui tanti viri reliquias partim a te ſtudioſe collectas, partim ab amicis acceptas, magnaque cura conſervatas non tuas eſſe ſolius voluiſti, ſed, quae vis benitatis eſt atque naturae, communes omnium, qui earum deſiderio tenerentur & amore devincti.* — *Debentur tibi & Publii Syri Mimi emendati, recogniti, aucti & locupletati poſt omnium editiones ut quam maxime & diligentisſime ope Codicis Friſingenſis calamo exarati, qui beneficio tuo ad nos pervenit. Reddimus igitur, quod debemus.* E dedicatoria (*r*) Commentariorum in Ariſtotelis Nicomachea, & quae annectuntur: *Haec ipſa elegantisſima opuſcula, quae hic typis*

(*q*) *Soli quidem dedicationi Commentariorum Mureti in Ariſtotelis Nicomachea &c. diſerte ſubſcriptum eſt Sartorii nomen: ſed quia idem & ceteras duas, quarum altera Commentariis Mureti in Rhetoricos Ariſtotelis libros &c. altera Orationum &c. voluminis II. eſt praefixa, curaverit, nulla dubitandi eſt cauſſa.*

(*r*) *Ad Matthiam Fuggerum Baronem in Kirchberg.*

typis excusa damus, perierant, nisi illa Andreas Schottus Societatis Jesu, Mureti admirator, ex sparsis schediasmatis, quorum multa ipsius Mureti manu exarata erant, collegisset, thesaurique loco conservasset. — Quae bono publico litterario hic damus si non emendatissime, ut voluimus, caussa est, quod sparsa folia Sibyllae fuerint, male habita, lacera, exesa, uno verbo, jamjam interitura, nisi, de quo dixi, Schottus, & nobilis amplissimusque Dominus Marcus Velserus, Duumvir Augustanus, illa ab interitu vindicassent. Quibus tanto majores gratias habemus, quanto majore amore omnes docti omnia Mureti amplectuntur, maxime ea, quae lucem nusquam unquam viderunt: inter quae propediem etiam quae supersunt, — dabo: ut sunt Commentarii in primum & secundum Rhetoricorum Aristotelis, in Ciceronis libros quinque de Finibus, in primum Tusculanarum, in Orationem pro Deiotaro, in Officia Ciceronis. Atque haec in ipsorum declaratione (s) vocat posthuma Mureti, quae [illegible] Bibliotheca Velseri. Quorum pars, inquit ibi porro, [illegible] primum lucem aspicit, a mortis limine revocata; pars in Germania, nisi fallor, nunc primum in lucem [illegible] exit. Atque ex his ipsis Mureti Commentariis licuit nobis Orationum quidem secundum volumen, (t) Epistolarum vero librum tertium (u) in hac nova editione nostra locupletare. Accesserunt enim inde, praeter duarum Orationum appendiculas, Orationes quinque; Epistolae autem duae. Hic mirari veniebat in mentem, cur non idem ante nos jam olim tentaverit *Sartorius*, cui hoc certe ex propria, ut ita loquar, penu facere, saltem per eruditum aliquem curare, inte-

(r) *Ad Berchtoldum Liberum Baronem a Welchenstein.*
(t) *Quaere ipsa lit. ba.*
(u) *Perge quaerere lit. da.*

tegrum fuit: cum in manu sit nobis etiam anno 1603. officinam ejus egressa secundi voluminis editio, quam ita necesse est Commentariis, a quibus adjuti nos sumus, esse posteriorem anno scilicet ante (x) vulgatis. Sed constitit illi fortasse ratio sui facti. Nobis caussa non fuit, cur non adderemus, quidquid Epistolarum Mureti, quidquid Orationum, ceteris, quae jam erant vulgatae, similium, aut cum iis justa ratione cohaerentium, daret se nobis in manum, praesertim cum isti commentarii jam dudum librarias tabernas deseruerint. Interea satis, opinor, sic declaratum est, cur editionem novam molientibus nobis carus esse debuerit Ingolstadiensis codex. Cum vero in eadem illa urbe jam seorsim Epistolae Mureti, jam Orationes, jam credo & Poëmata, jam horum omnium quasi corpus integrum, idque repetitis aliquoties vicibus, prela sit expertum: nos eam, quam chalcographis utendam exhibere commode possemus, nacti editionem sumus, quae anno 1599. ejus, quod diximus, Corporis volumen primum, sequente alterum publicae luci expositit: sic satis probam & illam quidem, talem tamen, ut subinde & oculos ea poscerét nostros, qui alios, quorum esset copia, codices consulerent, & manus, quae alibi mendas extergerent, alibi bis excusa (y) semel delerent, alicubi & omissa (z) accerserent aliunde. Quodsi praestitam a me in emendando haud perfunctorie diligentiam non ubivis accurate satis imitatae sint operae, & mihi ex-

cu-

(x) *Regredere ad ea, quae paulo post litteram* p. *dicta sunt:* Ejusdem officina.

(y) *Non ea tantum in Poëmatis, de quibus paulo post, sed & in Epistolis lib. II. duas Epistolas* 79. *&* 90. *quae ibi redeunt* num. 92. *&* 91.

(z) *Ultima Poëmata voluminis primi.*

cuſationem ab aequo Lectore promitto, & his veniam exoratam (ſpero enim intra modum peccavisſe,) cupio. Ceterum dum varias, quas hinc inde conquirere datum ſuit, editiones inter ſe comparo, quidque deſiderari poſſit in ſingulis, obſervo, ſaepe, fateor, optavi univerſis aliqua prodiisſet curatior. Nam ut de ſolis Ingolſtadienſibus (*aa*) dicam, quae ceteris videntur hoc in genere minus negligenter habitae, negari utique, (alia nunc mitto,) haud poteſt, *Pſalmi quinquageſimi primi* paraphraſin lyricam, Carmen item heroicum, quod ad filium fratris a Mureto ſcriptum *puerilem inſtitutionem* complectitur, bis in illis inveniri, ſemel Poëmatum volumine primo, iterum ſecundo (*ab*). Quod futurum non erat, ſi juſta fuisſet adhibita circumſpectio. Proſerpſit haec labes in Lipſienſes quoque noſtras, & a prima eſt propagata in ceteras, haud dubium quin ex opinione, ſed ea falſa, quam de ſe excitaverant Ingolſtadienſes jam aliquoties recuſae, tanquam talium naevorum ſuſpectas illas habere nefas foret. Factum enim inde reor, ut illa rem omnem examinandi cura nemini imponeretur: ne quis forte accuſandum hic putet laudatisſimae, dum viveret, induſtriae virum, *Joannem Friderichum*, cujus ad Lectorem compellatio in Lipſienſibus primis exhibetur. Nec enim aliud illi, quod ſciam, datum negotium fuit, quam teſtandi, dum Pontificius ſcriptor in his etiam regionibus excuditur, non ſimul ejus in religione approbari errores. Ergo curationem eorum, quae hactenus vitium fecisſent, paſſi ſumus imponi nobis. De univerſo autem opere affirmare hoc valemus, nihil eorum, quae in prima Lipſienſi comparent, (neque ſequentes addiderunt quic-

(*aa*) *Etiam ea, quam prima Lipſienſis ſecuta eſt.*
(*ab*) *Clarius haec intelligentur e dicendis lit. de.*

quicquam,) fuisse a nobis praetermissum, si compellationem, de qua modo dictum, Friderichi (*ac*), si item Ingolstadiensis Typographi (*ad*) praefationem excipias; addita vero, quae id mereri sunt visa; ordinem denique nonnullibi justis ex causis fuisse immutatum. Sed haec magis intelligentur ex iis, quae jam ad singula dicentur.

Oculiferium toti operi non videbatur nobilius proponi posse, quam ipsius *Auctoris effigies*. Eam sumus & nunc, uti haud ita pridem (*ae*) in Manutianis Epistolis factum, e Museo Historico Joannis Imperialis (*af*) mutuati. Qui & distichon ministravit (*ag*), imagini subscribendum, incerti quidem illud Auctoris, sed breve & commodum.

Quod ab hac praefatione nostra proximum legeretur, esse non immerito debuit *Vita Mureti*. Minus bene rejecta haec alias erat in voluminis demum secundi principium (*ah*). Retinuimus autem, qualem ex Oratione funebri *Francisci Bencii* collegit *Andreas Schottus*. Nam hoc satius videbatur, quam totam, quod Colonienſis Orationum editio (*ai*) facit, & alia item Lugdunensis (*ak*), Orationem Bencianam (*al*) transcribere. Jam & alii occurrebant quidem, a quibus Vita Mureti relata esse in lit-

(*ac*) *Hanc etiam ante nos omisit editio Lipsiensis anni* 1660. *Nos id magis licuit, qui summam ejus jam supra dederimus lit.* a.

(*ad*) *Adami Sartorii, praefixam Volum. II. Respice ad lit.* q.

(*ae*) *A.* 1669.

(*af*) *P.* 110.

(*ag*) *P.* 112.

(*ah*) *Puta in Ingolstadiensibus & Lipsiensibus. Nam Moguntina anni* 1615 *Orationum Voluminis primo recte praemittit.*

(*ai*) *Anni* 1601. *in* 8. *Volum II. p.* 165.

(*ak*) *Anni* 1613. *in* 12. *p.* 564.

(*al*) *Initium ejus:* Triste sane atque acerbum.

* *

cusationem ab aequo Lectore promitto, & his veniam exoratam (spero enim intra modum peccavisse,) cupio. Ceterum dum varias, quas hinc inde conquirere datum fuit, editiones inter se comparo, quidque desiderari possit in singulis, observo, saepe, fateor, optavi universis aliqua prodiisset curatior. Nam ut de solis Ingolstadiensibus (*aa*) dicam, quae ceteris videntur hoc in genere minus negligenter habitae, negari utique, (alia nunc mitto,) haud potest, *Psalmi quinquagesimi primi* paraphrasin lyricam, Carmen item heroicum, quod ad filium fratris a Mureto scriptum *puerilem institutionem* complectitur, bis in illis inveniri, semel Poëmatum volumine primo, iterum secundo (*ab*). Quod futurum non erat, si justa fuisset adhibita circumspectio. Proserpsit haec labes in Lipsienses quoque nostras, & a prima est propagata in ceteras, haud dubium quin ex opinione, sed ea falsa, quam de se excitaverant Ingolstadienses jam aliquoties recusae, tanquam talium naevorum suspectas illas habere nefas foret. Factum enim inde reor, ut illa rem omnem examinandi cura nemini imponeretur: ne quis forte accusandum hic putet laudatissimae, dum viveret, industriae virum, *Joannem Friderichum*, cujus ad Lectorem compellatio in Lipsiensibus primis exhibetur. Nec enim aliud illi, quod sciam, datum negotium fuit, quam testandi, dum Pontificius scriptor in his etiam regionibus excuditur, non simul ejus in religione approbari errores. Ergo curationem eorum, quae hactenus vitium fecissent, passi sumus imponi nobis. De universo autem opere affirmare hoc valemus, nihil eorum, quae in prima Lipsiensi comparent, (neque sequentes addiderunt quic-

(*aa*) *Etiam ea, quam prima Lipsiensis secuta est.*
(*ab*) *Clarius haec intelligentur e dicendis lit. de.*

quicquam,) fuisse a nobis praetermissum, si compellationem, de qua modo dictum, Friderichi (*ac*), si item Ingolstadiensis Typographi (*ad*) praefationem excipias; addita vero, quae id mereri sunt visa; ordinem denique nonnullibi justis ex causis fuisse immutatum. Sed haec magis intelligentur ex iis, quae jam ad singula dicentur.

Oculiferium toti operi non videbatur nobilius proponi posse, quam ipsius *Auctoris effigies*. Eam sumus & nunc, uti haud ita pridem (*ae*) in Manutianis Epistolis factum, e Museo Historico Joannis Imperialis (*af*) mutuati. Qui & distichon ministravit (*ag*), imagini subscribendum, incerti quidem illud Auctoris, sed breve & commodum.

Quod ab hac praefatione nostra proximum legeretur, esse non immerito debuit *Vita Mureti*. Minus bene rejecta haec alias erat in voluminis demum secundi principium (*ah*). Retinuimus autem, qualem ex Oratione funebri *Francisci Bencii* collegit *Andreas Schottus*. Nam hoc satius videbatur, quam totam, quod Colonienſis Orationum editio (*ai*) facit, & alia item Lugdunensis (*ak*), Orationem Bencianam (*al*) transcribere. Jam & alii occurrebant quidem, a quibus Vita Mureti relata esse in lit-

(*ac*) *Hanc etiam ante nos omisit editio Lipsiensis anni 1660. Nobis id magis licuit, qui summam ejus jam supra dederimus lit. a.*

(*ad*) *Adami Sartorii, praefixam Volum. II. Respice ad lit. q.*

(*ae*) *A.* 1669.

(*af*) *P.* 110.

(*ag*) *P.* 112.

(*ah*) *Puta in Ingolstadiensibus & Lipsiensibus. Nam Moguntina anni* 1615 *Orationum Voluminis primo recte praemittit.*

(*ai*) *Anni* 1601. *in* 8. *Volum II. p.* 165.

(*ak*) *Anni* 1613. *in* 12. *p.* 564.

(*al*) *Initium ejus:* Triste sane atque acerbum.

* *

litteras, ut *Jonnes Imperialis* (*am*), quem paullo ante nominavi, & *Janus Nicius Erythraeus* (*an*). Sed ab his Bencianam narrationem fede moveri, cui ſua ipſi bonam partem deberent, aequum non putavi. Laudibus tamen, quibus hi Muretum affeciſſent, inter elogia reliqui locum. Poterant, fateor, vel ex Epiſtolis Mureti congeri plura, quae ad ejus vitam pertinerent: ſed nec ea magnopere neceſſaria erant, &, ſi qui minutias hoc in genere amant, his non erit difficillimum deſiderio ſuo, ubi alias perluſtrabunt eas epiſtolas, vel aliud agendo mederi. Id vero nequaquam reticendum hic nobis, non ſtudio labefactandi aliena, ſed amore verum eruendi compulſis, Benciana quaedam refelli in fabulae Burdonianae confutatione a Joſepho Scaligero (*ao*). Occaſio haec fuit: Caſpar Scioppius, ut Joſephum Scaligerum, Patri ſuo, cum Aginnum veniſſet, neminem fuiſſe, quocum ſermonem de litteris ſereret, perhibentem, falſi convinceret, ad Bencium provocaverat, qui Muretum ibi habuiſſe, miſiſſet in litteras (*ap*). Hanc a ſe criminationem ſic amolitur Joſephus (*aq*), (libet enim locum integrum deſcribere:) *Quam vera autem de Mureto dixerit, idque Bencii teſtimonio confirmare conetur, eum tunc Aginni degiſſe, argumento fuerit annus is, quo Oratio* (Julii Caeſaris Scaligeri Patris,) *in Erasmum,*

(*am*) *D. l. p.* 211.

(*an*) *Part. I. Pinacoth. p.* 11.

(*ao*) *Hic enim Confutationis illius, cui alias nominis alieni* I. R. Batavi, Juris Studioſi, (*videlicet ut* Janus Rutgerſius *intelligeretur,*) *notas praefixerat, verus auctor eſt: quem ſe ipſe Joſephus confitetur cum alibi, tum clariſſime Epiſt.* 433. *quae Grutero inſcripta eſt, p.* 793.

(*ap*) *Quaere in Vita Mureti litteram* d.

(*aq*) *Confut. Fab. Burdon. p.* 450. *ſeqq. ed. Lugd.* 4. 1617. *cum aliis.*

mum, una cum ea Epiſtola, (qua queritur, in illa litterarum vaſtitate, neminem habere ſe, quicum caput conferat,) *edita fuit. Qui quum eſſet Chriſti MDXXXI. Muretus tunc erat tantum annorum quinque, & in Lemovicibus agebat. Bencius autem, vir doctus, & amoeni ingenii, qui ſi viveret, neque Amphitheatro* (Scioppii) *Tartareo, neque ejus ſtructoribus ſociis ſuis favisſet, multa per conjecturam de Mureto dixit, tam incredibilia, quam a vero remota. Cujusmodi illud,* Muretum adoleſcentulum Aginni docuiſe (*ar*). *Res ita habet. M. Antonius Muretus, annos natus XVIII. Aginnum venit Julii ſalutandi causſa: unde digreſſus, ad Auſcios Novempopulaniae ſeſe contulit. Ubi in Collegio Archiepiſcopali Ciceronem & Terentium docere coepit, quo tempore* Eclogas in laudem Cardinalis Armeniaci (*as*), & Tragoediam ſuam Julium Caeſarem (*at*) *in illa urbe edidit. Hinc profectus in oppidum Nitiobrigum, cui nomen Villanova, ditisſimi Mercatoris de Brevant liberis praefectus, in ſchola publica illius oppidi auctores Latinos interpretabatur. Anno autem aetatis ſuae XX. cum illis pueris, diſcipulis ſuis, Aginnum ſecundo venit, Julium ſalutandi causſa, ſemel antea viſum, ſed ſatis notum litterario commercio: eosque pueros cum Mureto Joſephus* (*au*) *meminit domi vidisſe ſe annos natum ſex. Bis aut ter poſtea exceptus hoſpitio a Julio, idque diem unum aut biduum tantum, ingenii ſui praeſtantiam, cujus ſpecimen per litteras duntaxat dederat, colloquio familiari comprobavit. Ex illo, quia eum noſſe propius con-*

(*ar*) *Iterum in Vit. Muret. lit.* c.
(*as*) *De his infra lit.* dr.
(*at*) *De qua ſupra lit.* g.
(*au*) *Loquitur de ſe Joſephus Scaliger in tertia perſona, tanquam de alio, quia noluit haberi Auctor illius ſcripti. Recurre ad lit.* zo.

contigerat, Julius amare eum coepit, & ejus dotes animi Senatoribus Burdegalenſis curiae per litteras commendare, ut non aliter eum, quam filii nomine appellaret, quum Burdegalam, relicta ſchola Villanovana, profectus, ibi in una clasſium Gymnaſii Aquitanici doceret circiter annum Chriſti MDXLVII. Neque ex eo unquam aut Aginnum repetivit, aut Julium poſtea vidit. Quomodo igitur Aginni, aut quando docere potuit, qui in tribus profectionibus vix ſex ſeptem dies ibi ſubſtitit? Burdegala Lutetiam, Lutetia Toloſam petiit, ubi juris inſtitutiones quum exponeret exercendi cauſſa, ut tironibus juris mos eſt, inde abire coactus (*ax*) *Venetias ſe contulit. Quare quae Bencius de eo retulit, quia ex conjectura collegit, ea non ſolum falſa, ſed etiam interdum ridicula ſunt: ut, quod ait,* Regem Henricum & Catharinam Muretum publice docentem audire voluiſſe (*ay*). *Nunquam enim in Athenaeo regio, ſed in gymnaſiis docuit. Neque cauſſa erat, cur diceret,* eum Toloſae juris civilis docendi primum facultatem, deinde etiam poteſtatem accepiſſe (*az*). *Quod quid ſit, non capio. Hoc ſcio, ſi ille, ut putat Bencius, facultatem & poteſtatem juris publice interpretandi Toloſae accepiſſet, non opus illi fuiſſe eam Aſculo petere, ut jus Romae publice profiteretur. Quo tempore enim Ludovicus Rupipozeus Romae ſub Gregorio* XIII. *Chriſtianiſſimi Regis Legatus agebat, Muretum Aſculum clam petiiſſe, & lauream juris conſecutum fuiſſe, tam multis notum, quam mirum eſt, Bencium ignoraſſe, qui eo tempore Romae erat. Reliqua, quae finxit non pauca, libens omitto.* Haec Joſephus Scaliger. A

(*ax*) *Hac de re aliquid Jan. Nic. Erythraeus I. Pinacothec. p.* 13. *non ſatis aperte tamen. Verum eadem & per nos lateat. Pertinent autem huc & ea, quae ad lib. I. Poëm. p.* 50. *notavimus.*

(*ay*) *Quaere in vita Mureti lit. e.*

(*az*) *Ibid. lit. f.*

A vita, &, quod illi proximum eſt, *epitaphio* Mureti non putavimus avelli oportere *funebria duo Carmina*, *Franciſci Bencii* unum, *Philippi Poelarii* alterum. Itaque hunc in locum ea retraximus e volumine Poëmatum primo, cujus ea finem alioquin obſidebant (*ba*).

His adjungi ultro ſe depoſcebant alia, quae *in Mureti laudem* ſcripta eſſent *Carmina:* Toſcani duo, (perperam alias divulſa, cum altero (*bb*) in fronte primi voluminis repoſito, alterum (*bc*) inter Poëmata Mureti voluminis ejusdem (*bd*) eſſet rejectum,) Thevenini tria, Blanci unum, Incerti unum. Atque ut in hoc ultimo codex Moguntinus anni 1615. (*be*) in Blanci Muſeum Joannis Imperialis (*bf*): ſic in Theveninianis unice profuit nobis Ingolſtadienſis editio anni 1585. deſpicabilis ea quidem, ſi cum aliis contendatur, nihil enim Mureti praeter quatuor Orationes (*bg*) complectitur: ſed quae tamen & neglectum aliis omnibus, quarum copia nobis fuit, Pantaleonis Thevenini nomen conſervaverit, & duo ejus diſticha, quae ſola in ceteris comparebant, auxerit tertio.

Sequentibus *Elogiis*, ſoluta ſcriptis oratione, nomen dedimus *Teſtium Eloquentiae Mureti.* Nam & hic, perinde ut in Manutio nuper, non alias Auctori noſtro laudes quaeſivimus, quam oris diſerti.

(*ba*) *P.* 527. & 535. *edit. Lipſ. A.* 1629.

(*bb*) *Cujus initium:* Rhetora te tantum.

(*bc*) *Quod incipit:* Certamen, Murete, novum.

(*bd*) *P. m.* 520.

(*be*) *Poſt Dedicatorias Voluminis II. Orationum. Neque alibi carmen illud oblatum eſt nobis.*

(*bf*) *P.* 112.

(*bg*) *Eae bis apud nos ſunt Voluminis I. prima, penultima, ultima, & Voluminis II. antepenultima.*

ti. Qua in re cum alter alteri palmam reddat ambiguam, non mirabitur Lector, ubi totidem propè verbis ab hoc Muretum, ab illo Manutium videbit alicubi commendari. Neque nos adeo peccabimus, si illustre quoddam *Manutii* encomium, quod post emissas demum (*bh*) ejus viri e Musèo nostro epistolas lucem vidit (*bi*), vel hic tandem, ceu commune utrique, conspici jubeamus. Sic enim vulgata ante biennium prima Scaligerana (*bk* : *Paulus Manutius, vir Romane scribens, si quis alius, hoc nostro seculo, Longolio omnino contrarius. Cum enim hic Ciceronis verbis & phrasi adeo alligatus fuerit, ut Ciceronis sensu, non suo, cogeretur scribere: ille contra suo sensu scribit, Ciceronis, Terentii, & ejusmodi excellentium virorum verbis & stylo utens* (*bl*), *quem suo instituto optime accommodare novit.* A testimoniis eorum, quorum in hoc opere ipsae integrae ad Muretum exhibentur epistolae, ut Nicotii (*bm*), ut Cardaneti (*bn*), similibusque abstinuimus de industria. Quorsum enim attinebat, eadem bis legi eodem in libro? In iis autem, quae dedimus, non pauca referimus accepta amicissimo *Christiano Daumio*, qui congeriem suam pro amicitia, quam annos bene multos constanter colimus, ultro nobis obtulit, viro de bonis litteris jam diu meritissimo.

Quae ad Scipionem Gonzagam ipsius *Mureti Dedicatoria* passim epistola praemittitur, non totius est operis, neque totius primi voluminis, ut ad Epistolas quoque & Poëmata referri debeat, sed solarum quae

(*bb*) *A.* 1669.
(*bi*) *A.* 1670.
(*bk*) *P.* 77
(*bl*) *Haec & in Muretum quadrare, intelliges ex ipso. Quaes supra lit.* h.
(*bm*) *Lib. I. Epist.* 2.
(*bn*) *Ibid. Epist.* 30.

quae in primo volumine legi hactenus solebant, Orationum. Nos quemadmodum utrumque Orationum volumen nullo Epistolarum Poëmatumve interventu connectendum putavimus, sic exemplo Colonienſis cujusdam editionis (*bo*) Dedicatoriae huic Mureti jungere voluimus *Dedicatoriam* similem *Franciſci Benci*, qua Scipioni eidem, mortui jam Mureti tanquam adhuc vivi personam induens, alterum Orationum volumen inscripsit. Repetenda vero ea nobis fuit ex editionibus, quibus poteramus (*bp*). Nam *Sartorius* Ingolstadienſis ipsam nescio cur omiserat, illi *suam ad Velserum*, cui ejusdem voluminis Epistolas quoque & Poëmata, Mimos item Publii nuncupat, substituens. Hanc nos vicissim, licet Lipsienſibus hactenus retentam, sustulimus; non ut vicem Sartorio pro excluſa Benciana rependeremus, (abest enim a nobis inimicus ille affectus, praeſertim qui Sartorianae officinae multa debeamus,) sed quia non necesse videbatur addere, quidquid alienarum praefationum uspiam compareret. Alioqui repetere potuisſemus & Jacobi Roſetti Venetam (*bq*), Ingolstadienſem Joannis Croeſelii (*br*), Jo. Friderichi Lipsienſem (*bs*).

A

(*bo*) *A.* 1661. *in* 12. *quae tamen utriquè Dedicatoriae vitam interponit Mureti.*

(*bp*) *Eae ſunt, duae Colonienſes A.* 1601. 8. *& A.* 1661. 12. *Una Lugdunenſis A.* 1613. 12. *Una Moguntina A.* 1615. 8.

(*bq*) *Ad M. Antonium Romitum Vincentinum, quae perinde ac Benciana, cui & ſtatim ſubnectit editio Moguntina, pertinet ad Orationum Volumen ſecundum. Dabit eandem, ſed in fine Orationum illarum, & Lugdunenſis, item Colonienſis Anni* 1601. *Ubi interim locum aliquem inter teſtes Eloquentiae Mureti aſſignavimus.*

(*br*) *Ad Lectorem Voluminis I. in edit. Ingolſtad. A.* 1599. *Vide ſupra lit.* p.

(*bs*) *Ad Lectorem totius operis. Reſpice ad lit.* a & ac.

A cortice venio ad nucleum. Quem ceterae Lipsienses Sartorianam editionem secutae sic repraesentabant, ut toto corpore in *duo volumina* distributo Orationes, Epistolae, Poëmata voluminis primi sejungerentur ab Orationibus, Epistolis, Poëmatibus secundi. Nobis, ne fororia, ut ita loquar, vincula trium istorum scribendi generum convellerentur, placuit universa *tribus* potius *titulis* distinguere, *Orationum* uno, quas & in aliis editionibus quibusdam (*bt*) copulatas videbamus, *Epistolarum* altero, tertio *Poëmatum*. Ut autem nihilo secius conferri haec editio nostra cum iis, quas alias imitata est, commode posset, Orationum volumina duo, libros Epistolarum tres, (duo enim olim erant in primo volumine, unus in secundo,) Poëmatum duos numeravimus; adhaec Epistolarum ordinem religiosissime conservavimus: quod in Orationum quoque volumine primo praestitum. In secundo & Poëmatibus non perinde. Sed hujus rei causa jam reddetur suis locis.

Enimvero ad *Orationes* quod attinet, nefas quidem non erat, quo jam ante vulgatis numeri pristini praecise conservarentur, novas omnes (*bu*) in extremum locum secundi voluminis conjicere. Verum cum nulla ipsarum esset, cui non cum certa istius voluminis arctior quaedam cognatio intercederet: dandum esse aliquid huic necesitudini sumus arbitrati, & ex ea singularum ordinem constituendum; simul tamen pristinis, quae novarum interjectu seriem mutavissent, duos appingendos numeros, veterem & novum, ut labor hanc nostram editio-

(*bt*) *Ut in Colonienſibus duabus, Lugdunenſi item & Moguntina.*

(*bu*) *Quas una cum duabus appendiculis poſtea memorandis non aliunde, quam e Commentariis Mureti a Sartorio excuſis, petere licebat. Reſpice ad lit. t.*

tionem cum aliis volentium comparare minueretur. Ergo *sextam* Orationem (*bx*), quam habuit Muretus libros Officiorum Ciceronis explanare ingressurus, ex novis ea statim excipit (*by*), quae ad tertium Officiorum, (ad secundum nec Orationem Mureti, nec notas uspiam vidimus,) fuit recitata. Quam sequens, cum olim esset *septima*, facta sic est *octava*, & a nobis utriusque numeri praescriptione donata (*bz*). Secundum haec nullum erit negotium, rem de ceteris intelligere: nisi quod mirari quispiam possit, cur *nonae* & *undecimae* nostrae (*ea*), quarum utraque pro argumento habet Aristotelis Rhetorica, *decimam* interposuerimus (*cb*) eam, quae Ciceronis Orationi pro Rege Dejotaro exponendae fuit praemissa. Sed ubi primam hujus paginam quis legerit, exspirabit confestim admiratio. Cum enim primo secundoque Aristotelis Rhetoricorum libro Ciceronis illam Orationem ipse Muretus interjecerit, exemplum ejus hic imitari & nos aequum judicavimus. Porro quae nunc primum *appendiculae* Orationibus *quartae* & *octavae* accesserunt (*cc*), eas nec omittere voluimus, quod omnino continuarent ea, quae Muretus in praefationibus illis reliqua fecisset, nec numerum tamen peculiarem illis dare, quod qualiumcunque lineamentorum potius, quam Orationis figuram haberent ac modum. Utique conveniebat eas distingui a Continuationum illo ge-

(*bx*) *P.* 273.
(*by*) *P.* 280.
(*bz*) *P.* 282.
(*ea*) *P.* 290. & 303.
(*cb*) *P.* 299.
(*cc*) *P.* 262. & 287. *ubi*, *quod* Prooemia *vocavi*, *factum inde*, *quod hac facie comparerent in Commentariis p.* 615. & 179. *inde descripsi.*

genere, quod justi sermonis pondus impleret, qualis est Oratio nostrae editionis XVII (*cd*), pristinarum XIV. Postulabat vero etiam fortasse appendicem ejusmodi Oratio nostri numeri *decima quarta*, quam habuit Muretus, cum Aeneida Virgilii esset explanaturus. Ac certum est quidem, quae in ea dicturum se promisit (*ce*), horum vix ultra dimidiam partem quicquam apparere, ut merito sub finem ejus, *desiderari cetera*, & olim annotatum fuerit, & a nobis repetitum (*cf*): sed dubium nobis, num ipse Auctor, quod non insolens illi fuisse loci quidam (*cg*) demonstrant, distulerit ea in diem alium, an vero non distulerit. Utrumcunque sit, perierunt nobis sive paginae praefationis illius residuae, sive Oratio altera, quae priorem continuaret, sive denique, si quid e Commentariis Mureti in Virgilium, (nam & hos injuria temporum a nobis prohibuit,) agglutinari pro appendice potuisset. Itaque non voluntas hic nobis, sed fortuna defuit. Ceterum de hoc toto *Praefationum* genere, quod ad studiosos adolescentes sub initia certarum enarrationum habuit Muretus, monendum illud venit, distingui eas oportere ab Orationibus, quas coram Pontifice, Cardinalibus, aut in Auditorio utcunque magis illustri recitavit. Quanquam enim praefanti Mureto nonnunquam una cum discentibus honoris ergo aures praebuit celebrium virorum jam unus aliquis, jam copia quaedam, quibus & ipse peculiares agere gratiti-

(*cd*) *P.* 344.

(*ce*) *P.* 325. *in med.* Dicam enim.

(*cf*) *P.* 332.

(*cg*) *Orat. XIII. p.* 323. Cetera, de quibus dicere instituëram, — in crastinum differentur. *Et Orat. XVI. p.* 343. Quare quae superant, in crastinum differam. *Atque hoc praestat Oratione sequenti XVII. p.* 344.

tias ſub finem Orationis eſt ſolitus (*ck*): tamen, quod ita velut extra ordinem contigit, nequaquam ſuſtuliſſe diſcrimen, quod illa ſermonum duo genera ſeparat, cenſeri debet. Itaque in Praefationibus iſtis, ſi non ſemper, certe nec raro, magis Profeſſorem agnoſcas Muretum, qui doceat, quam Oratorem, qui moveat. Meminerat quippe, ad quos, & cujus rei gratia diceret; addo etiam, quo tempore. Fiebat enim interdum, ut eadem hora ſimul Praefationem ſuam finiret, ſimul Auctoris ipſius interpretationem auſpicaretur (*cl*). Nec pauca reperies in Praefationibus illis, quae ſi a ſolennibus Rhetorum formulis ſepares, a Commentariis non diſtinguas. Qualia ſunt quartae orationis inchoata, eaque per integras tres paginas decurrentia (*cm*), plane gemina commentariis. Neſcio quoque, annon Muretum in ſcribendarum praefationum negotio verſantem, inter extrema tempus aliquando deſtituerit, ut aut abſolvere, quae decreviſſet initio, non poſſet univerſa (*cl*), aut ea non niſi minutis quibusdam, ut ita loquar, punctis, memoriae ſaltem

(*ck*) *Ut Orat. XIII. p.* 324. Non dubito, L. C. V. C. quin, quicunque te huc honoris mei cauſa venisſe vident, *&c. Orat. XIX. p.* 372. Cuperem, Paule Foxi, —— novo quodam & minime vulgari modo tibi — gratias agere. *Orat. IX. p.* 2998. Ac vobis quidem, Adoleſcentes, utcunque ſatisfeciſſe me — confido. His autem magnis ac praeſtantibus viris, —— quam tandem referendae gratiae rationem inibimus?

(*cl*) *Clarum id ex ultimis verbis Orat. XV. p.* 336. Sed ſatis jam verborum factum eſt. Nunc primum exponam argumentum hujus Satyrae, deinde ipſius Poëtae verba recitabo, *&c. Adde & extrema Orationis VII. p.* 281.

(*cm*) *A p.* 259. Quare de ipſo quidem.

(*cn*) *Hoc ipſi dixerim accidiſſe in Oratione XIII. ubi rejicit quaedam in alterum diem, ut ſupra lit.* cg. *patuit.*

tem gratia deſignare in charta neceſſe haberet (*cm*), dilatanda fortaſſe extemporaneo ſermone, ubi ventum eſſet in cathedram, & epilogo, qui plane abeſt, claudenda. Fuit &, cum redimendum ſibi tempus inuſitata Praefationis, qualem hic *ſeptimam* (*cn*) damus, brevitate exiſtimaret Auctor. E dictis reſponderi ſperamus poſſe iis, ſi qui forte negabunt, recte nos Orationibus addidiſſe ſive duas Appendiculas illas, ſive Orationes quinque novas. Fuit enim omnino pretium operae, quae ab ſe relicta Muretus alibi exegiſſet, in eundem conſpectum reponere, maxime in gratiam illorum, qui hoc in opere non verba tantum, ſed res venantur. Neque ulla eſt a nobis addita Oratio, in qua, ſi quid tanquam ab oratorio ſtilo alienum accuſetur, id tueri ſe non queat vel exemplo ſimili jam ante vulgatarum, vel ſermonis minime convellenda ſerie (*co*). Ac praeſtabat quidem forſitan Orationum duo volumina ſic diſſepire, ut in altero ceterae Orationes, in altero ſolae Praefationes extarent, quod & in Majoragianis meminimus factum. Sed ea res diſſimiliorem ceteris editionibus reddidiſſet hanc noſtram, quam conducere alia de cauſſa judicabamus. Et alias facile poterit Lector non penitus indoctus Claſſem ſuam cuilibet Orationi vel a ſolo titulo praeſagire.

Ve-

(*cm*) *Vix dubium, quin hoc illi evenerit fingenti Orationem X.* (*ad quam vide, quae noto p.* 302.) *Quae cum ab initio fatis habeat manifeſtam Rhetoricae dictionis ſpeciem,* (*quo merito ipſam, utut aliis praeterviſam, his Ordinibus inſeruimus,*) *paulatim in procurſu feſtinantis & nihil praeterquam extremas lineas ducentis calami apertiſſima praebet indicia.*

(*cn*) *p.* 280.

(*co*) *Ut cum p.* 383. *Orationi XXI. miſcetur ipſa verborum Ariſtotelis, ad Commentarios alioqui pertinens, interpretatio.*

Venio ad *Epistolas*. His universis ordinem pristinum exactissime conservavi. Tametsi enim optimum est, seriem cuique suam ex tempore, quo nata est, invenire; tamen, id a me ne hic fieret, duae prohibebant caussae. Primum erant, quibus nullus, aliae quibus non suus, quod non inepta prodebat conjectura, esset adscriptus sive dies, sive annus, quae tempora ideo mutanda alicubi sumpsi (*cp*). Neque hic a librariis tantum peccatum, ut cum alius alium annum nominat (*cq*), sed & ab ipsis scriptoribus. Itaque visus est sibi Muretus (*cr*) accipere Manutianas sex aut septem diebus ante, quam scriptae forent. Deinde non plane displicere mihi debuit, quod ipsi placuit Mureto primum librum edenti, qui nullo se ordine aut personarum aut temporum eas in unum volumen scribit (*cs*) congerendas curavisse. Interim quod potui, in iis Epistolis, quas plurimas ad eundem, ut Manutium, ut Sacratum, scripsit Muretus, effeci appositis notulis, ut quae cui responderet, liquido sciretur. Personarum autem ordinem alphabeticum dabit index. Quodsi in Epistolarum illis demonstrandis catenis aberrasse nonnunquam deprehendar, facile feram admoneri. Fuit enim, ubi nec ipse mihi satisfacerem, quod & conjecturae scinderentur in partes, nec ubique legeremus epistolas, quales fuissent primum scriptae, sinceras satis & integras. Detexi hoc ulcus in praefatione ad Manutianas (*ct*): & confirmavit me in sententen-

(*cp*) *Diem, ut in Epist.* 7. *lib. II p.* 579. *Annum, ut Epist.* 16. *&* 35. *lib. III. p.* 652. *&* 677. *Conf. quae notae p.* 568.

(*cq*) *Exemplum pete e lib. III. Ep.* 3. *p.* 571.

(*cr*) *Lib. III. Epist.* 2. *p.* 634.

(*cs*) *Lib. I. Epist.* 1. *p.* 427.

(*ct*) *B.* 1 : 2.

tentia recenſio hujus operis (*cu*). Quod autem hic bene multas *aliorum* quoque legimus *ad Muretum*, ab ipſo Mureto eſt, qui cum primo ſuarum libro, (hunc enim ſolum ab ipſo procuratum fuiſſe apparet,) tales miſcuiſſet, hoc exemplo ſecundi quoque tertiique editores provocavit. An Mureto volente acceſſerint etiam, quae leguntur *aliorum ad alios*, quae quidem non perinde multae ſunt, incertum habeo. Quanquam enim tales quaedam & in primo leguntur libro (*cx*); de iis tamen ipſi Mureto, cum ceteras curante ſe acceſſiſſe non inficietur, altum eſt ſilentium in ejus libri dedicatoria (*cy*): ut ſuſpicer aliorum opera demum adjectas repetitis ejus libri editionibus, quas conſtat (*cz*) prima Mureti copioſiores prodiiſſe. Ego nullam rejeci, quae jam ſemel in illos editionum Lipſienſium tres libros migraviſſet; Libro tertio duas etiam ipſius Mureti, repertas in commentariis officinam Sartorianam egreſſis, appoſui, ultimasque (*da*) eſſe, ne ceteraſ-

(*cu*) *Vide quae noto ad lib. III. Epiſt. I. p.* 631. *Ep.* 11. *p.* 643. *Ep.* 3. *p.* 648. *&* *Ep.* 52. *p* 699.

(*cx*) *Quarum prima eſt Hippolyti Cardinalis ad A. Sorbinum n.* 86. *p.* 550.

(*cy*) *Lib. I. Ep.* 1. *p.* 427. Cum eis, (*Epiſtolis meis*) nonnullas ad me a viris doctrina & auctoritate praeſtantibus ſcriptas in unum volumen congerendas curavi.

(*cz*) *Tum ex eo, quia Colonienſis editio anni* 1580. *ultra Epiſtolam Gilberti Mallocii ad Muretum, quae nobis eſt* 96. *non procedit, nec Ingolſtadienſis anni* 1584. *ultra* 97. *quae eſt Mureti ab Sinibaldum Antoninum, cum hodie legantur centum: tum quia ipſa haec centeſima adſcriptum habet annum* 1584. *cum tamen dedicatoria Mureti exarata ſit a.* 1579. *Hoc addo, in Colonienſi, quam dixi, proxime ante Epiſtolam Lipſii, quae nobis eſt* 57. *legi Graecam ad Muretum Nicolai Nathanaelis, quam nec alibi vidimus, & hic paulo ſerius vidimus.*

(*da*) 91. *&* 92. *Qua ratione ſimul factum, ne noſtra editio vinci videretur ab Ingolſtadienſi anni* 1599. *quae & ipſa totidem Epiſtolas numerat, ſed male duas bis repetit. Reſpice ad lit.* γ.

rarum turbarent ordines, jussi. Poteram ex Ingolstadiensi anni 1584. etiam addere *Roberti Turneri* epistolas octo & viginti. Sed illius Angli stilus nimium recedit a Gallica Mureti venustate, nec in illa tota sartagine ulla est ad Muretum. *Appendicem* ergo dedi potius e Sacrato, scriptore satis eleganti, ut cum ejus ad Muretum in his tribus libris jam diu lectae essent non paucae, nunc ad eundem ceterae omnes, quas habere potuissem (*db*), hic compararent; nec dubito, quin ea re multis ipsius Mureti major lux accesserit. De Manutianis idem eram facturus, nisi harum jam in Bibliopoliis parata esset copia. Clarorum Virorum Epistolae, quas alicubi (*dc*) citavi, Coloniae anno 1582. prodierunt. Annotatiunculas ipsas meas, quas parcas esse volui, spero Lectori non ingratas fore, cumprimis eas, quibus obscura sum conatus illustrare. Cui nec illud, auguror, displicebit, quod in Epistolis philologicis (*dd*) singulas notas numeris marginibus distinxi; quod universas, quae non essent Mureti, alio typorum genere describendas curavi; quod item, quoties ad eundem plures essent ordine non interrupto scriptae, toties cognomen ejus, ad quem spectarent, repetendum censui. Mihi quidem certe solitarium illud, EIDEM, cui intelligendo saepe plusculas replicare paginas oporteret, insigni taedio fuit. Quae molestia ne aliis oboriretur, cavere sic volui.

Sequitur, ut de *Poëmatibus* dicam. Quae haud paulo quidem pauciores, fateor, paginas hic implent, quam in editionibus nostram antegressis: adeo ta-

(*db*) *Ex editione Epistolarum Sacrati Colonienſi anni* 1583.
(*dc*) *Ut p.* 444. 446. 631.
(*dd*) *Qualis eſt, ut alias omittam, primi libri vigeſima quinta, ubi vide p.* 457. *ſeqq.*

tentia recenſio hujus operis (*cu*). Quod autem hic bene multas *aliorum* quoque legimus *ad Muretum*, ab ipſo Mureto eſt, qui cum primo ſuarum libro, (hunc enim ſolum ab ipſo procuratum fuiſſe apparet,) tales miſcuiſſet, hoc exemplo ſecundi quoque tertiique editores provocavit. An Mureto volente acceſſerint etiam, quae leguntur *aliorum ad alios*, quae quidem non perinde multae ſunt, incertum habeo. Quanquam enim tales quaedam & in primo leguntur libro (*cx*); de iis tamen ipſi Mureto, cum ceteras curante ſe acceſſiſſe non inficietur, altum eſt ſilentium in ejus libri dedicatoria (*cy*): ut ſuſpicer aliorum opera demum adjectas repetitis ejus libri editionibus, quas conſtat (*cz*) prima Mureti copioſiores prodiiſſe. Ego nullam rejeci, quae jam ſemel in illos editionum Lipſienſium tres libros migraviſſet; Libro tertio duas etiam ipſius Mureti, repertas in commentariis officinam Sartorianam egreſſis, appoſui, ultimasque (*da*) eſſe, ne ceteraru-

(*cu*) *Vide quae noto ad lib. III. Epiſt. I. p.* 631. *Ep.* 11. *p.* 643. *Ep.* 3. *p.* 648. *&* *Ep.* 52. *p* 699.

(*cx*) *Quarum prima eſt Hippolyti Cardinalis ad A. Sorbinum n.* 86. *p.* 550.

(*cy*) *Lib. I. Ep.* 1. *p.* 427. Cum eis, (*Epiſtolis meis*) nonnullas ad me a viris doctrina & auctoritate praeſtantibus ſcriptas in unum volumen congerendas curavi.

(*cz*) *Tum ex eo, quia Colonienſis editio anni* 1580. *ultra Epiſtolam Gilberti Mallocii ad Muretum, quae nobis eſt* 96. *non procedit, nec Ingolſtadienſis anni* 1584. *ultra* 97. *quae eſt Mureti ab Sinibaldum Antoninum, cum hodie leguntur centum: tum quia ipſa haec centeſima adſcriptum habet annum* 1584. *cum tamen dedicatoria Mureti exarata ſit a.* 1579. *Hoc addo, in Colonienſi, quam dixi, proxime ante Epiſtolam Lipſii, quae nobis eſt* 57. *legi Graecam ad Muretum Nicolai Nathanaelis, quam nec alibi vidimus, &* *hic paulo ſerius vidimus.*

(*da*) 91. *&* 92. *Qua ratione ſimul factum, ne noſtra editio vinci videretur ab Ingolſtadienſi anni* 1599. *quae & ipſa totidem Epiſtolas numerat, ſed male duas bis repetit. Reſpice ad lit.* y.

rum turbarent ordines, jussi. Poteram ex Ingolstadiensi anni 1584. etiam addere *Roberti Turneri* epistolas octo & viginti. Sed illius Angli stilus nimium recedit a Gallica Mureti venustate, nec in illa tota sartagine ulla est ad Muretum. *Appendicem* ergo dedi potius e Sacrato, scriptore satis eleganti, ut cum ejus ad Muretum in his tribus libris jam diu lectae essent non paucae, nunc ad eundem ceterae omnes, quas habere potuissem (*db*), hic comparerent; nec dubito, quin ea re multis ipsius Mureti major lux accesserit. De Manutianis idem eram facturus, nisi harum jam in Bibliopoliis parata esset copia. Clarorum Virorum Epistolae, quas alicubi (*dc*) citavi, Coloniae anno 1582. prodierunt. Annotatiunculas ipsas meas, quas parcas esse volui, spero Lectori non ingratas fore, cumprimis eas, quibus obscura sum conatus illustrare. Cui nec illud, auguror, displicebit, quod in Epistolis philologicis (*dd*) singulas notas numeris marginalibus distinxi; quod universas, quae non essent Mureti, alio typorum genere describendas curavi; quod item, quoties ad eundem plures essent ordine non interrupto scriptae, toties cognomen ejus, ad quem spectarent, repetendum censui. Mihi quidem certe solitarium illud, EIDEM, cui intelligendo saepe plusculas replicare paginas oporteret, insigni taedio fuit. Quae molestia ne aliis oboriretur, cavere sic volui.

Sequitur, ut de *Poëmatibus* dicam. Quae haud paulo quidem pauciores, fateor, paginas hic implent, quam in editionibus nostram antegressis: adeota-

(*db*) *Ex editione Epistolarum Sacrati Colonienſi anni* 1583.
(*dc*) *Ut p.* 444. 446. 631.
(*dd*) *Qualis eſt, ut alias omittam, primi libri vigeſima quinta, ubi vide p.* 457. *ſeqq.*

tamen nullo cum dispendio, ut neque desit hic quidquam, quod istae habeant, adsit vero insuper, quo careant. Nempe quia & bis per incuriam repetita semel expunxi (*de*), & quaecunque carmina non essent Mureti, sed aliorum, solo excepto Bencii lyrico, quo ille ad simile carmen Mureti respondet (*df*), locum commodiorem prospexi inter ea, quae vitam nostri proxime sequuntur (*dg*). Sic ergo necesse fuit ipsis Poëmatum libris non exiguum decrescere numerum paginarum. Neque vero eum restituerunt illi versus, qui e Mureti Poëmatum editione Lutetiana (*dh*) translati nunc primum & hic leguntur (*di*). Octo lineolae sunt. Nec plura eo ex libello transtuli, non quin possem, sed quia nolebam vitam prorogare ἀφροδισίοις illis (*dk*), quae & ipse postea damnasset Muretus, & removenda suasisset Manutius (*dm*). Una cum illis deserui & elegiam ad Duarenum (*dn*) haud dubie juvenilem &

(*de*) *Institutionem puerilem:* Dum tener es, *editiones pristinae, Ingolstadienses juxta cum Lipsiensibus, bis exhibent, semel Vol. I. p.* 517. (*ed. Lipsi. A.* 1629.) *iterum, & quidem distinctis quibusdam auctiorem, & Ant. Constantini notis illustratam Vol. II. p.* 435. *Nos priori expunctam libro soli posteriori reliquimus p.* 124. *seqq. Sic Psalmi LI. paraphrasis non nisi semel apud nos legitur lib. I. p.* 4. *illic bis, Vol. I. p.* 506. *& II.* 359.

(*df*) *Lib. I. Poëm.* 39. *Atque hoc alias frustra quaeres in ipsius Bencii carminibus A.* 1595. *editis Ingolstadii.*

(*dg*) *Regredere ad lit.* ba.

(*db*) *Anni* 1576. *in* 12. *Titulus est:* M. Ant. Mureti hymnorum sacrorum liber. Ejusdem alia quaedam Poëmatia.

(*di*) *Lib. I p.* 50. *n.* 61.

(*dk*) *Quae leguntur ibi p* 23. 23. 24.

(*dl*) *Vitam ejus vide circa lit* h.

(*dm*) *Epist. ad Muret. quam hic habes lib. III. p.* 644.

(*dn*) *Quam illic dare poterat p.* 21. Qui te Romani.

& ipſam, qua & impotentiam ſuae libidinis prop-udioſe confitetur Muretus, & miſcet quaedam, unde ſuperſtitionem diſcas citius, quam pios & honeſtos mores. Quae culpa & Galliambum illum, quem neſcio an alibi quaerendum Commentarius ejus in Catullum (*do*) ſuggerebat, inviſum reddidit mihi. Sapit ethnicismum; tinnit res amatorias: ut videri queat ſtudio compoſitus, qui, ſi res ferret, gentilium alicui Poëtae, quod non inſolens Mureto (*dp*), ſupponeretur. Fragmentum vero illud ex ode quadam ad Anaſtaſium Jusbertum, quod olim in Variis Mureti (*dq*) notaveramus, tanti non erat, ut, qui tota caremus oda, non etiam tribus cum dimidio verſibus carere videremur poſſe. Nam & Eclogis in laudem Cardinalis Armeniaci ſcriptis (*dr*) aequo animo carendum eſt nobis. De cetero ſingulis utriusque libri Carminibus numeros appoſui, qui antea nulli comparebant. Simul autem permiſi mihi ordinem ipſorum pauliſper mutare, in primo praecipue libro. *Hymnis* enim Mureti, piis quidem illis, (& e quibus decem dignos habuerit clariſſimus in noſtris Theologus, *Caſpar Finckius*, quos Oratorio Chriſtianorum (*ds*), diſſimulato licet Auctoris nomine, inſereret,) non tamen nullibi Romanenſi fermen-

(*do*) *P.* 153. *edit. Lugdun. A.* 1559. Hederā comam revinctus. *Carpunt alias in eo Galliambo viri docti, quod ultima ejus primam in* temetum *ſyllabas ab Horatio productas corripuerit.* (p. 154.) *Taubmannum vide diſſert. de Lat. ling. p.* 93. *edit. Vitt. A.* 1602. *& Lexicon Buchneri voce* Temetum.

(*dp*) *Quaere ſupra circa lit.* e.

(*dq*) *Lib. V. c.* 16.

(*dr*) *Recurre ſupra ad lit.* a.

(*ds*) Frommter Chriſten Reis- und Bethbüchlein) Francf. 1621. *in* 12. *ubi invenies L.* 11. *ſeqq. Horum vero decem hymnorum numeri apud nos, libro Poſmatum primo, ſunt;* p. 14. 15. 10. 20. 23. 24. 25. 28.

* * *

mento aſperſis, anteponi ſe jure quodam flagitabant *paraphraſes* quorundam Davidis *pſalmorum*. Ab his igitur librum primum ſumus auſpicati. Qui ſimul hac ratione concinnius quadrabit ſecundo, ut quem ab aliis pſalmis jam ante nos veteres etiam editiones inchoaverint. Sunt & plura quaedam a nobis, quod nec difficile erit animadvertere, & aequum defendere, trajecta in libro primo. Sed in ſecundo nihil, niſi ultima tria poëmata, quae ſunt, γνῶμαι *Graecae*, *Inſtitutio puerilis Latina*, *& Monodia in obitum Tuani*. Quibus hic ſeriem dedi, ſi cum priſtinis Codicibus compares, plane retrogradam (*dt*): eo conſilio, ut & gnomica Mureti, tum Latina, tum Graeca, proxime jungerentur ſimilis argumenti Mimis Publianis, & Antonii Conſtantini notae in duo diſtincta Poëmata, Monodiam & Inſtitutionem puerilem, ne divellerentur.

Sic ergo denique & ad *Mimos Publianos* proceſſit oratio, ultimam totius operis noſtri partem. Quos ab Ingolſtadienſi editione, non quod ad Muretum proprie ſpectarent, ſed quod eidem, cui bona pars ſecundi Voluminis, deberentur, Marco Velſero (*du*), ſemel admiſſos, ita retinuerunt Lipſienſes quoque noſtrae. Quibus hanc renovatam pauperiorem eſſe voluimus, praeſertim cum prodeſſe ſcholis hi Mimi non minus queant, quam quae ſcripſit Muretus. Omnino tamen exiſtimo pretium operae facturum, ſi quis eos ſeparatis emittat chartis, quaeque in iis ſic, ut hactenus factum eſt, recuſa morari docendi pariter ac diſcendi celeritatem poſſunt, aut alias cor-

(*dt*) *Praecedit enim apud nos* Monodia *n.* 58. *p.* 164. *ſequitur* Inſtitutio puerilis *n.* 59. *p.* 124. *Agmen claudunt* gnomae Graecae *n.* 60. *p.* 145.

(*du*) *Reſpice ad ea, quae ſupra paulo ante lit.* r. *e dedicatoria ad Velſerum deſcripſimus.*

corrigi merebuntur, ea in feliciorem induat faciem: Nam nos quidem hic nihil praestitimus, nisi quod e diversorum codicum collatione mendas pro virium facultate sustulimus, & in notis, quod bis positum esset, semel tantum legi jussimus (*dx*); quod luxatum, suae sedi restituimus (*dy*), nonnullibi & uno alterove verbulo sensui lucem intulimus. Quibus autem modis putemus meliorem istum libellum de postero fieri posse, haec sunt fere. Primum juvabit perficere, ut textui notae, saltem in eadem pagina, per partes copulentur; deinde ut emendationes luculentae recipiantur in textum; tum, ut vitium numerorum, quod a versu 406. (qui perperam inde usque a prima Ingolstadiensi 405. numeratur,) ad finem usque proserpit, tollatur, idque non in textu tantum, sed etiam in notis: quod jam nos fecissemus, nisi festinandum fuisset. Imo vero per totum libellum alia numerandi ratio ineunda fuerit, si velis eliminare sententias, quae metro carent, jam diu nota † signatas, vixque dubium quin intrusas ab hominibus ineptis. Verum hic & illud cavendum, ne simul ejicias qui veri sunt versus, ut illum 224. cruce quidem hic signatum, sed nullo suo merito. Est enim trochaicus, & rectissime, ut putamus, ita legetur:

Ex saeva animadversione nulla regi gloria est.

Ac fortasse crux illa sequenti sententiae pedibus solutae destinata in hunc per errorem incurrit: quae tamen ipsa in qualemcunque migrabit jambum, si ita constituas:

Ex

(*dx*) *Ut locum Senecae, sic satis illustrum, qui legebatur ad versum non modo* 165. *sed &* 558.

(*dy*) *Ut quae ad v.* 616. *cum aliis conjungenda legebantur locis ipsius libri.*

Ex ſpe praemI laboris ſit ſolatium.

Vicisſim providendum, ne verſus idem ſub diverſis litteris, cum in alteram ex vitiata lectione hactenus irrepſerit, bis legatur. Quales habeo duos illos ſub literis H. & I.

v. 308. *Honeſta turpitudo eſt pro bona cauſſa mori.* & v. 318. *Ictum tacentem crimen facias acrius.*

Jam enim ante hi legebantur, & quidem emendati ſub E. & F.

v. 200. *Eſt honeſta turpitudo pro bona cauſſa mori.* & v. 233. *Factum tacendo crimen facias acrius.*

Neque deerit eruditis, quod hinc inde porro emendent, aut illuſtrent. Salmaſius (*dz*) certe verſum 265. ita reſcribit:

Frugalitas incerta *eſt rumoris boni.*

ut ſenſus ſit, laudari eam ab his, ab illis culpari, cum alias pro *incerta*, legeretur *inſerta*, aut *miſeria*. Nos quoque verſum 309. ſic tentabamus:

Honeſte parcas improbo, ut parcas *probo.*

Illud utique, *non careas*, pro, *parcas*, verſum vitiat. Congruit autem ſenſus cum v. 436.

Malo etiam parcas, ſi una eſt periturus bonus.

Habebam de hoc genere plura. Sed hoc jam non ago. Et jam diu praefationis abunde eſt. Quare pauſa tandem hic eſto. Nam quod in *Indice* praeſtitimus, qui extremas pagellas occupat, nec adeo multum eſt, & quicquid eſt, ultro docebit collatio cum ceterarum editionum curta ſupellectile. Tu Lector benevole, da veniam improviſae prolixitati & vale. Scrib. d. 12. Sept. 1672.

(*dz*) *P.* 1122. *ad Solin.*

JOAN

JOANNIS CHECCOTII

PRAEFATIO.

Habes, Lector, duas annis paucis, paene conterraneas Editiones Operum M. Antonii Mureti Rhetoricorum; Veronenſem unam; quae vero nunc prodit, alteram. Sit haec editionum continuo ſibimet inſtantium ſucceſſio, & alterius alteri; quaſi lampada tradentium, decidua in poſteros portio nonnulla ejus φιλοξενίας, *hoſpitalitatis*, qua majores noſtros venientem ad ſe olim Virum effuſe proſequutos accepimus. Huic enim contigit, (prout humani ſeſe habent caſus) fluctu quodam caeco, undeunde conflato, patriae telluris finibus ejici; aliasque adeo cogi terras, aliena hoſpitia quaerere, quinimmo perſonam inducere ſibi nihil ab illa diverſam, quam ab Oedipo Sophocleo mutuatum aliquando Graeci ferunt Ariſtippum philoſophum. Qui cum ad Syracuſanorum littora naufragio eſſet illatus, ab iis qui Gymnaſium celebrabant Graecae urbis illius, his e Tragoedia verſibus ſuppetias petebat: Τίς τ' πλανήλην Οἰδίπων καθ' ὑμέρην Τὴν νῦν σπανιζοῖς δέξεται δορήμασι; *O quis! quis, errabundum luce hac Oedipum, Deſiderato proſeque-*

quetur munere? Neque enim profecto Muretus aliter appulsus e Gallia, nostris in terris asylum suae fugae quaesivit. Italia vero mater, quae notam κακοξενίας, *inhospitalem*, multo semper esset perosa magis, quam vetustis Lucaniae populis inimicum id vitium, & legibus coërceri solitum, scriptor suavis narret Aelianus: Quae non antea multo, dispulsas & exsules Graecia Musas, Boeotiorumque sedibus avitis, aperto sinu excepisset; atque illis institutionis antiquae διδασκάλους, *minervas*, promto animo persolvisset; eademque opera, suam in rem Graeciae damna sapienter convertisset: Italia, inquam, sui moris non est erga Muretum oblita; quem & recepit, & suum comiter Civem fecit, & in amoribus ac deliciis habuit, & in arce summa splendoris & gloriae suis ipsa manibus collocavit. Denique fecit ipsa haec Italia, uti Mureto liceret celebrem Themistoclis vocem ad se transferre, qui cum exsularet Athenis, & apud Persas habitus honestissime viveret, tum vero periturum sese fuisse dixit, nisi porro periisset. Verum utri cesserit in hac re palma benemerendi, scilicet Italiaene de Mureto, an potius Mureto de Italia, profecto vertitur in ambiguo. Siquidem invenit apud nos enimvero Muretus, ut paroemia Graecorum habet, μυρμηκίαν ἀγαθῶν, *bonorum cumulum*; at vicissim Italia, cujus illa tunc doctrinarum clarissima lumina, Victorii, Manutii, Sigonii, Amasaei, occasum spectare coeperant, hujus Gallici Camilli virtute, leporis prisci veterem gloriam stitit aliquantisper, donec tandem Attica, & nativa Musa cycneam una cum ipso Mureto, per illa tempora, supremam vocem emitteret. Qua tempestate licuit animadverti, circuitus esse adeo quosdam ac reditus, Dei summi providentia dispositos, rerum humanarum. Cum enim sic acceperimus, primum eloquentiam Romae qui Latine docuerit, fuisse L.

Plo-

Plotium hominem Gallum; ecquisnam exiſtimaſſet umquam, poſtremis etiam temporibus, altrinſecus initio reſpondentibus, adfuturum ex eadem nobili Gallia, qui pro Italiae Palladio, nempe Latinae copiae caſtitate, magna cum gloria, in arce Romuli propugnaret? Ita non ſolum dictum, ſicuti proverbium ajebat vetus, at praeterea factum in rebus humanis eſt nihil, quod factum idem non fuerit prius. Sed haec eo pertinent, ut & majorum cauſa nobis carisſimus debeat eſſe Muretus, veluti comitatis illorum praerogativa fidei noſtrae commiſſus, ac de manu traditus in manum; & ſuaemet virtutis ergo ſit Apollinari laurea donandus Italiae, ac, demum, utilitatis quoque gratia ſaepe habendus in manibus. Profecto enim ingenio fuit natus hic Vir ἐξαιρέτως, *praeter ſolitum*, eleganti, atque ad Gratias prono. Id cum ex omnibus plane conſtat quaecumque ſcripſit, tum ego vel inde argumentarer, quod Euripidem alicubi appellatum ab ipſo memini delicias ſuas. Nam qui Tragico illo Philoſopho, ac dulcisſimae gravitatis parente, Venerisque intaminatae Poëta capi tantopere ſe profiteatur, ſane illius mentem oportet ad quamdam Atticismi normam effictam eſſe. Nemini ergo non, audito Mureti nomine, ſponte quaedam jucunda ſpecies oboritur leporis Romani (quam illi merito laudem attributum ivit Barnabas Briſſonius) judiciique ſimul Attici, & mundarum elegantiarum. Quippe dicas non injuria, conſedisſe in labris, ingenioque Mureti, quin & radices egisſe celebratam illam ab Dionyſio Halicarnaſſenſi Ἀττικὴν μοῦσαν, καὶ ἀρχαίαν, καὶ αὐτόχθονα, *Atticam, & antiquam Muſam, & genuinam:* aut etiam orationem ejusmodi, quam dicere poſſimus cum Pacuvio, *blandam hortatricem.* Ac eadem prope dicendi forma videtur fuisſe Mureti, & quam Graeci ad eloquentiam depingendam, ajunt

ſeſe Praeſidi ejus formam affinxiſe Mercurio, venuſta ſpecie, oculis nigricantibus, obtutu ſuavi, ſimul aliquantulum acri, procul aſcititia pulchritudine. Habet enim ejus orationis character tales ingenii linguaeque mores, quibus inſit vere σύγκρατον αἰδοῦς κράτος, *pudori mixtum decus*, videlicet una cum dulcedine ἀκμή, *vigor*; cum ſublimitate καθαρότης, *caſtitas*, cum ubertate admirabilis διαφάνεια, *nitor diſtinctionis*; cum pulchritudine, ἀφέλεια, *ſimplicitas*. Morata eſt oratio admodum, & modeſta, verſatilis praeterea quocumque vult, ac plena dexteritatis; aliquando torrens, mediocriter aliquando procurrens, *uti rivus* (namque utar Varronis verbis e Satyra Menippea) *qui deorſum rapitur, atque offenſus aliquo a ſcopulo lapidoſo albicatur*, teres etiam & cohibita, quandocumque opus eſt, quam perpetuo comitetur ingenuitas non fucata Latinae dictionis, & numquam fere praelinita. Quodſi Galli hominis eloquentiam, Auſonii, Galli Poëtae, verſibus exponi libeat, de Gallo item Oratore Tiberio Victore Minervio, quem itidem Romae florentisſime docuiſe Hieronymus tradit, haud minus convenient in Muretum hi de illo ſcripti verſus duo: *Dicendi torrens tibi copia: quae tamen aurum, Non etiam luteam volveret illuviem.* Denique is eſt auctor, uno verbo, unde utrumque ſumatur eorum quae duo cenſet elegantisſime Lucianus ab veterum lectione quaerenda, λέγειν τε δύνασθαι, καὶ πράττειν τὰ δέοντα, *& dicere poſſe, ac facere ſimul quae maxime decent*. Erat vero animus, cum haec Sparta nobis οὐκ ἀθεόλογος, *a Theologo non aliena*, praeter ſpem obtigiſſet, morari te, Lector, paullisper, ac de toto Mureti genere fuſius diſſerere; cum praeſertim quaedam ad manus eſſent, ut Dionyſius ille loquitur, non adeo fortaſſe καθημαξόμενα, *pertrita*, quibus haec editio, ſi non commendatior, ſaltem uberior uti-

utique prodiret. Verum ſaepius eſt ut cui ſit opus quod licet velle, quam id ut licere queat, quisque quod vult. Quapropter e medio iſthaec oportuit auferri, & in alium diem, ſi forte, comperendinari, nunc vero agi quod inſtat. Id ergo fac animum advertas, quid ſibi haec Editio velit, & quid egregie praeter ceteras adportet novi. Jam primum omnium, bonum factum viſum eſt, uti repraeſentaretur fere tibi Lipſienſis editio, quam diligenter accuratam habebamus a Jacobo Thomaſio. Scitum enim, ut vetus, arbitramur quod proverbio dicitur, nequaquam licere κινεῖν τὰ καλῶς πεθέντα, *movere loco pulchre quae poſita ſunt.* Praeterea opus qui praeſtandum ſibi redemerit, atque id effectum bona fide praebuerit, eum deturbare facto ac merito ſuo velle, nonne debet incivile admodum exiſtimari? Quapropter cum Thomaſius recte atque ordine provinciam ſuſceptam adminiſtraverit, isque cum Orationes & Epiſtolas Mureti, una cum ejusdem Carminibus, prudenter bonum in ordinem redegerit, conſtituerit; etiam aliunde nonnulla quae diſperſa vagabantur, diligenter advocaverit, accerſiverit; ob haſce res, aequum videtur, iis qui redemturis hujusmodi librorum edendorum inſpiciundis cenſuram agunt, opus probari, darique operam, ne quomodo ei dolo malo queat offici. Nec tamen hac de re cum ita cenſeamus, non erit, Lector, quod huic etiam Editioni potisſimum debeas, vel ei potius a quo habet ſui ut aliqua parte recens appareat; ſcilicet Cl. Antonio Friderico Seghetio. Hujus enim liberalitate quaedam ex ipſo Auctoris autographo, quod apud eum aſervabatur, nunc primum lucem aſpiciunt; quaedam olim edita, ſed mox occultata, modo reviviſcunt, & inſperatas adhuc luminis auras percipiunt. Hoc autem beneficium tanti profecto aeſtimandum eſt, quantum ſum-

morum ingeniorum interire nihil, pertinet ad publicam rem elegantiarum, bonarumque litterarum. Nam ſicut olim ineptiis adjudicatum fuit, exſtitisſe quempiam qui honoris Epicteti philoſophi cauſſa, lychnidium illius emtum a ſe voluerit denariis trecentis; ſic Attalum Regem, conditionibus, ut Poëta inquit, Attalicis, quaslibet Ariſtotelis undecumque vel ſemeſas membranulas conquiſiſſe, valde ſit ineptus qui non argumentum putet magni animi, ac Rege magno digniſſimi. Nec parvae ceſſit gratiae doctiſſimis viris, Andreae Scoto, Marcoque Velſero, quod minutim, vel, ut Plautus ait, *aſſulatim*, colligendis Mureti monumentis bene de poſteritate promeriti ſunt. Quorum praeclarorum hominum, & in litteris *primorum*, *ſignifer*umque diligentiam Seghetius, qua pote, nunc imitatur. Sed priorem locum haec inter additamenta Oratio tenet jamdiu, ſane fatis iniquis, edita; quippe ſtatim ab ortu conſepulta Cimmeriis quibusdam tenebris. De qua multum habeo quod primum querar, adeo latuiſſe nos, neque caput exſeruiſſe tamdiu, tantae facundiae, tantaeque venuſtatis Orationem. Quid enim? Profecto mirum, Lector, neque facile creditu, niſi periculum facias, hanc Orationem quae vis elegantiae poſſideat; quae item illius δεξιότητος, *dexteritatis*, quam virtutem Manutius, in Epiſtolis, Mureto peculiariter atteſtabatur. Et ea quidem adhaeſit illi perpetuo virtus. Sed hic effudere ſeſe prorſus illae copiae τῶ ἰξεργασίας, *ornamentorum*, & Muſarum Iſocraticarum. Neque non ex ipſa re ſit iſthuc vero ſimile. Siquidem eſt Oratio Venetiis habita ſecunda de Studiis Humanitatis, non multo poſt quam Orator in Italiam e Gallia fuiſſet advectus. Porro natura fert ut quo recentior uſpiam eſt quisque, eo ſibi ſtudioſius ab arte ſua commendationem quaerat omnibus nervis. Praecipue autem

Ora-

Oratores idonei. Sicut Athenienſes philoſophi, Carneades, Diogenes, & Critolaus Romam legati cum venisſent, memoriae traditum eſt conſueſſe illos oſtentandi gratia ſaepe diſſertare, quod Graecis παρεπιδείκνυσθαι ſemetipſum dicitur. Atqui ſic ſe Orationis argumentum habet: Mureto, ſtatim ac Venetias appulit, ſuamque virtutem explicare in aperto coepit, obſtitere malevoli, ut verbo Catoniano dicam, vitilitigatores. Ii viro, quaſi Spartam venisſet, quo peregrinos adire non licebat, ita ξενηλασίαν, *peregrinitatis delationem*, quandam intentarunt; ſive hoc vere ſibi vellent, ſive accuſationem hujusmodi ſuſpicionibus occultis obtenderent. Sic ergo cauſſabantur; nihil opus eſſe Venetiis docere hominem peregrinum; &, ni fallor, aliquid etiam aliunde fuliginis interſpergebant. Atque hoc idem periculum Romae, Chriſtophoro quoque Longolio Belgae paucis ante Muretum annis conflatum fuisſe ſcimus. Profecto erant in Italia per illa tempora aegre qui viderentur ferre, ſemotos Alpibus homines, in certamen eloquentiae cum noſtris velle deſcendere. Itaque plus aequo, ſi verum amamus, paſſim eos vulgus deſpuebat. Hinc ergo illae lacrymae! atque indidem querelae frequentes Erasmi, ac Budaei, graviter indignantium, audere ullam gentem litteras mancipio ſibi privatim aſſerere, quae omnibus uſu gentibus communiter datae ſint lege naturae, ac locum eumdem noſter quoque ſtudio perſtrinxit, in quadam ad Paullum Sacratum Epiſtola, οὐκ ἄνευ δεινότητος, *non abſque acritudine quadam*, cujus ab Hermogene traditur idea. Sed Venetiis Muretus gradum tenuit, fautoribus bonis uſus; ſimulque natus occaſionem tuendi ſeſe; artificio ſummo, ſummisque auctoribus commendato, privatam cauſſam deflexit ad communem ex intima philoſophia locum; quo de ſapiente agitur, quem fas non ſinat uſpiam

ad

ad peregrinitatem redigi, cum ſit natura Civis Orbis terrarum univerſi. Hic vero Muretus exſultat pro doctrina ſua, mentesque auditorum atque aures undique collecto quodam antiquitatis liquore permulcet, ac ſibi conciliat. Cum enim tempora minus faverent, neque uti liceret Anacharſidis illa ἐπιμιξίᾳ, *confidentia*, qui Scytha cum eſſet, venisſetque Athenas Atticas, ipſo Solone ſeſe magis Athenienſem, animi magnitudine quadam, auſus eſt affirmare; ſed cum hoc non liceret; qua jucunditate! qua dexteritate! qua ſcientia! quibus Gratiis! ut Graeci loquuntur, οἰκονομεῖ τὴν ὑπόθεσιν? nempe, *argumentum ſuam in rem flectit*, aptiſſimo, & dexterrimo quodam gubernaculo. Scribit ad Atticum Cicero, cum dixiſſet pro Domo ſua: *Acta res eſt accurate a nobis, & ſi unquam in dicendo fuimus aliquid, aut etiam ſi unquam alias fuimus, tum profecto doloris magnitudo vim quamdam nobis dicendi dedit.* Et cauſa, & hujus Orationis praeſtantia ita ſunt eaedem, ut in eam convenire verba Tullii mihi videantur. Semper amoenitatis plenum eſt ingenium Mureti; ſemper ex abdito petit quo ſuſpendat animos, quo alliciat, quo flectat; praeterea Venetae iſtae Orationes comtulae magis etiam aliis apparent aliquanto. Verum hic omnia miſcentur, doctrina, prudentia, gravitas, urbanitas, πάθος, *affectus*, quo concitet, ἦθος, *mos*, quo mitiget. ita ſeſe demittit, numquam ut vileſcat, ita rurſus erigitur, ut arrogantiam vitet. Quibus rebus fit, ut Mureto illam Orationem dictaſſe mihi videatur aliqua Πειθὼ, *perſuadendi dea*. Cum loquitur de ſe, συγκαταβάσει, *modeſtia*, quadam utitur affectu ſuaviſſimo temperata. *Non enim ego*, inquit, *auditores, ex aliqua barbaria ſum editus. Quodſi eſſem*; & quae ſequuntur incredibili referta dulcedine. Deinde non ceſſat, acumine quo pollebat ingenii, Gallorum antiquitates abſtruſas evolvere, unde argu-

gumento ſuo & florem vetuſtatis carperet, & conquireret vires. Nam ex eo quod Galli, ut Cajus Caeſar ait, *deum maxime Mercurium colerent*, ſicuti etiam de Germanis Tacitus affirmat, qui Mercurius deus eſſe fingitur eloquentiae, ex eo, inquam, eleganter colligit, numquam Gallos a melioribus litteris abhorruiſſe; ſicque cum patriam tellurem laudat, tum ſeipſum ex eadem fidelia commendat. Etſi negat Lucianus, Gallos veteres, qui Mercurium, teſte Caeſare, *omnium artium inventorem* ferrent, eumdem quoque, more Graecorum, praeſidem eloquentiae feciſſe. At non eſt exigenda talis ab Oratore ſubtilitas. Laudandum vero ingenium hominis, quidquid ad rem faceret, acutiſſime perſpicientis. Mox affert ex aliis loculis, Herculem, origine quidem, ut credo, Tyrium, ceterum quem Lucianus idem pulchro libello deſcripſit, quomodo eum effingebant Galli. Videlicet ſimulacrum circumfuſam plebem lingua moderabatur, catenulis aureis omnes aptos ex auribus. Hoc eloquentiae demonſtrandae figmentum ingenioſe Lucianus interpretatur. Atque hinc libellum ſuum inſcripſit περσαλαλίαν, quaſi *alloquutionem* dicas; quod neſcio cur in editione Marci Hopperi, (poſteriores non vidi) *Praefatio*, converſum ſit, cum Lucianus hunc titulum ideo fecerit, quod vires *alloquutionis* in concione quantae forent, illo Hercule oſtenderetur. Nam περσαλαλῶν eſt δημηγορῶν Glosſis Philoxeni. Appellabatur autem, ut inquit is, Ὄγμιος, *Ogmius*, Gallorum lingua vernacula. Id nomen quoniam ei dabatur qui turbam populorum regeret, (hoc ut interponam) leviter puto detortum prius a fonte Phoeniciae linguae fuiſſe. Nam ſi diceres הֹעֲמִים *ah — hgamim*, eſſet *populoſus*, quod facile lapſu defluxerit in *Ogmium*, *populoſum* autem, (vel, ad verbum, *eum qui vir populorum eſt*, nam ſecundi caſus linguis Orientis indicant

cant qualitatem) intellige, *populorum caterva ſtipatum*, ſive *in concionem populos aggregantem*, qualis dicitur Graecis ἀγύρτης, vel ὀχλαγωγός, quod exponitur utrumque ab Heſychio ὁ ἀγείρων ὄχλον, *populum congregans*, in coetum ſcilicet, concionemque, vel, Homerice ſi loquendum, ἀγορήνδε. Ita foret Ογμιος, *Ogmius*, ἀγύρτης, *concionator*: vel πρόσλαλών, *alloquens*, ex quo item *alloquutio* bene a Luciano fuerit inſcripta ſimulacri ejus expoſitio; ſubjicientis oculis flexanimam orationis in populos vim, plane quomodo Virgilius obſequentes oratori deſcripſit his verſibus: *Silent, arrectisque auribus adſtant: Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.* Talis orator populi eſt rector, nempe *Ogmius*. Alioqui fert hoc linguarum conſuetudo, ille ut dicatur *eſſe in populo*, qui comitia habet. Sic de Moyſe dicitur in Actis cap. 7. ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, *is qui fuit in Eccleſia*, vel *congregatione*, totius populi ſcilicet, cum illum in eremo ad ſe, divino praecepto, congregaret. Haec mihi magis arridenti, ac propiora cum nomini, tum rei videntur, quam ut Samuelis Bocharti amplectar conjecturam, qui exiſtimavit, *Ogmion* עגמון, *agemion* eſſe, quod barbaros, & peregrinos Arabes ita nominent; fuerit autem Hercules barbarus, id eſt, Phoenix. Nam ab eloquentia demonſtranda, quod maxime voluerunt Galli, nimium haec etymologia *barbari* quantum diſtat. Phoenix vero alioqui certe fuit Hercules; quapropter ſimilem fecit Lucianus γέροντι θαλαττίῳ γῦν, *ſeni cuipiam negotiatori maritimo*, quae maxime germana eſt nota Phoenicum. Sed & ipſum Graecum Herculis nomen Ἡρακλῆς, *Heracles*, ego Phoenicium interpretor, ut ſit, הרעה־אל *Ha-roghe-el*; videlicet *magnus paſtor Dei*. Quippe veteribus Paſtores dicti ſunt Reges ac populorum Duces; & *Dei* appellabatur Hebraeis, quodcumque magnum eſſet ac nobile, uti diligenter Kimkius notavit ad trigeſimum ſex-

festum Psalmum. Sic *cedri Dei*, robustae cedri; sic *montes Dei*, montes excelsi. Porro vocalium diversitas parum in ista comparatione attendenda est, cum illae passim inter haec linguarum commercia, vel negligantur, vel commutentur. Quodsi jungatur utrumque nomen, ita ut simul dicatur *Hercules Ogmius*, nisi ego fallor, exsistet utrimque titulus insignis, quo donavit Homerus Agamemnonem, cum fere illum appellet, ποιμένα λαῶν, *pastorem populorum*, ceu Regem ac Ducem; idque juxta veterum morem. Nec denique videatur insolitum quod, si mea interpretatio stet, ita uti nomen *Ogmius* ex Phoenicia lingua dicatur significare *populorum*, esseque adeo appositum ei simulacro nomen; casus tantummodo secundus, hoc est, generandi, efferatur, una cum articulo, absque autem casu recto, unde pendeat. Dicendum enim fuisse *Pastor populorum*, aut *Rector populorum*, potius quam sic abrupte, *populorum*. At, inquam, id nihil officit; postquam animadvertit docte Bochartus hanc Ellipsin Orientis linguis frequentissimam, in locorum compositis nominibus; prior ut pars compendii causa reticeatur, ac solum generandi casus retineatur. Quod cur non idem in virorum compositis fieri possit, nulla est sane ratio. Cum praesertim adsit articulus, magni apud Hebraeos roboris ad praestandum casum rectum. Ceterum, hunc Ogmium, qui me diutius tenet, Muretus perquam enimvero scite atque industrie suis opportunitatibus accommodavit, sibique jure communi patriae originis advocavit. Sed cum haec ita se habeant, cumque videatur haec Oratio tanti bonis arbitratoribus aestimanda, qui nos ergo factum dicamus, ut ipse auctor, cum ceteras ederet, nullam tamen ejus omnino rationem habuerit? praetermisit enim, ac numero adjecit. abominatus est ne is prolem suam? partumne

ne recusavit, ceu monstrosum aliquid, aut prodigiosum, tollere? Quantum comminisci queo, causas hujus consilii suspicor duas. Quarum hanc unam accipe. Jam aemulorum omnes tumultus, plumbeo, ut dici solet, gladio Muretus, cum volumen primum Orationum emitteret, consopiverat; eo jam gloriae conscenderat, ut albis equis triumphans, & in Capitolium receptus, paene Dictator eloquentiae constituendae, suffragiis Italiae, dictus videretur. atque adeo nedum aliorum judicia reformidaret, jus ei acquisitum fuerat ἀπαρεγκλίντως, *aperta facie*, de cujusvis re sententiam pronunciandi. Quod quidem, si verum amamus, & aliquando, sit verbo venia, τραχύτερον, *asperius*, facit. Velut, exempli causa, (digredior enim hic paullum) cum Agellium, qui Senecae non omnino favisset, propterea, duro convitio, vocat, *somnium hominis, quod sese voluerit attollere, ac nescio quid de Seneca loqui; nulla re autem magis quam contemtu, ac silentio refutandum.* Quid potuit asperius? praesertim contra eum a quo non pauca fueris imitatus? Atqui ego libentius Augustinum sequar, prudentissimum in his quoque litteris virum, cui honeste dicitur Agellius *vir elegantissimi eloquii, & multae, ac facundae scientiae;* magisque Lipsii lenitatem in eadem Senecae causa defendenda probem. Sic alibi Vopiscum, ferreum quantumvis scriptorem, sed scriptorem tamen veritatis amantem, *simium* appellat *Suetonii, verum ab eo longe distantem.* Sed neque Suetonium ipsum, auctorem ut historiae, sic linguae Latinae clarum, urbane satis habet, cui & corrumpere testimonium ab Hieronymo tributum nititur, quod *scripserit Caesarum vitas eadem libertate, qua illi vixerunt.* cum sibi Hieronymus non aliud his verbis voluerit, quam id quod Historiarum scriptori praecipitur a Luciano· ωάλιστα δὲ χ ωερὶ τ πάντων ἐλεύθερος ἔστω τὴν

τὴν γνώμην. *in primis autem, & maxime, sit animo liber.* & paullo post, iisdem prope cum Hieronymo verbis, *unusquisque*, inquit, τοιοῦτος οἷος ἦν διαβήσεται, *talis plane, qualis vixit, ostendetur.* At Muretus accusari Suetonii libertatem Hieronymo vult. Idque facit efferendi Taciti caussa. Propter quem etiam Alciatum illum, illum, inquam, jurisprudentiae vindicem, quod senticeta sibi scripsisset videri Taciti scripta, sic irridet, uti *calicem mulsi afferri jubeat, ut flere pupus hic desinat.* Aequior fuit Alciato Budaeus, ex eadem Gallia; licet ab eo, sibi ut videbatur, lacessitus. Nec adversus hominem invehitur κερτομέοις ἐπέεσσιν, *verbis mordacibus.* Immo vero modeste queritur, ac simul Alciati laudes accumulat, egregiam Epistolam ad Longolium scribens, & prudentiae merito perlegendam. Sed enim ingenium erat Mureti vehemens, & plenum ardoris. De quo notae sunt Petri Victorii conquestiones, doctissimi atque sapientissimi senis, decoris Italiae numquam sine laude commemorandi. Haec autem, praefiscini tacta sint a me juventutis caussa, ne scilicet eximias inter Mureti virtutes, praecipue hac ardentioris acuminis illecebra fortasse capiatur; qua fere solent homines affici. Verum est enim dictum Achillis Homerici: *Contentionem quae ex humano pectore, instar fumi, assurgit, dulcius melle stillare.* Ac Mureto quidem non mediocrem auctoritatem etiam gloria dabat pulchre factis, & dictis parta, ut absque ambagibus loqueretur, & illud ab omnibus cuneis *euge* frequentissimum. Ergo cum hac auctoritate frueretur, (ut redeamus ad rem) cum plausus mirandos auferret undique, sine ulla, ut Cicero ait, fistula pastoricia; maluit, credo, velitationes antiquas consepeliri penitus, & obscurari. Ideoque non tulit molestе, secundam hanc Oratio-

 nem

nem ſuam, memorem illarum, conticeſcere, ne videlicet hujus praeteritae contentiunculae quaſi aliquo ſupercilio, ceterarum tranquillitas inumbraretur. Sunt enim quos parum delectet coactos fuisſe pro ſeſe cauſam dicere; quod tamen Marco Catoni Seni quadragies quater accidisſe traditur. obaudiuntque plerique omnes prudentius Iſocrati praecipienti, omnem vel tenuem ſuſpicionis nubeculam caveri, quippe difficillime quae, ac vix umquam diſſletur. Hoc ergo prudentiae fuerit. Sed & alterum obverſari Mureto potuit; quod exſequar deinceps. Nemo eſt hominum qui multa variaque lectione ſit, cui non in promendis, inter ſcribendum, ex antiqua lectione rebus aut verbis, error ſurrepat aliquando, aliudque alterius loco ponat. At vero tenuis hic error, & facillime praetermittendus; cujus neque immunes fuisſe doctisſimos antiquitatis viros jamdiu ab eruditis eſt cum obſervatur. Quid ergo, ſi nonnihil hujusmodi ἀβλεψίας, *incuriae*, in hac etiam Oratione de qua loquimur, Auctori, ſemel cum edidisſet, occurrerit? & ob hanc rem acrius indignatus ei fuerit? volueritque intermori lente, quam alris recoctam addere? ſicut aliquis *nimium durus pater, praeterque aequum, & bonum.* Id a vero ne multum abesſe credam, ſic ego meum animum induco. Cum exponere vellet, antiquis Gallis quantum eloquentiae ſtudium fuerit, qui certe Galli, ut in ſecundo Originum ajebat Cato, *argute loqui induſtrioſiſſime perſequuti ſunt*; utitur argumento, quod M. ipſe Tullius, eloquentiae magis illud quam hominis nomen, Gallo magiſtro, Plotio ſit uſus. Atqui hoc unde hauſerit, equidem ignoro. Quippe enim ipſe reclamare videtur Cicero, cum ſic ad M. Titinnium ſcripſerit, in Epiſtola, cujus affertur fragmentum a Tranquillo, *De claris Rhetoribus.* Illius haec verba; quorum & prima translata ſunt ab Hieron-

mo in Eusebianum Chronicum suum: *Equidem memoria teneo, pueris nobis primum Latine docere coepisse Lucium Plotium quemdam: ad quem cum fieret concursus, quod studiosissimus quisque apud eum exerceretur; ibebam, mihi idem non licere: Continebar autem doctissimorum hominum auctoritate: qui existimabant, Graecis exercitationibus ali melius ingenia posse.* Quodsi apud Plotium exerceri Tullio non licuit, utique illo non est usus magistro. Auctoritatem vero, qua se ait impeditum fuisse id ne faceret, virorum doctissimorum, ego auctoritatem intelligo L. Crassi, quem Cicero fecit ex omnibus plurimum; cujus edicto, cum Censor esset una cum Cn. Domitio Aenobarbo, anno post Urbem Conditam sexcentesimo sexagesimo secundo, vel uno minus, ut quidam putant, Latini Rhetores qui dicebantur, cludere ludum jussi sunt. Exstat edictum antiqui nitoris, & disciplinae, in Agellii libro quinto decimo, itidemque apud Suetonium. Ac sane puer tunc erat Cicero, quatuordecim annorum circiter; natus quippe, ut ipse de se ait in Bruto, *C. Attilio Serrano, Q. Servilio Caepione Consulibus, quibus legem Serviliam suasit Crassus*; aetate Ciceronis major quatuor fere annis ac triginta. Sed Crassi auctoritatem, Oratoris *in primis Romani nominis*; ut Plinii verbis dicam, quanti fecisset in pueritia Cicero, suis ipse verbis ostendat. Ait enim in libro secundo de Oratore, Quintum fratrem suum compellans; *Cumque nos cum consobrinis nostris Aculeonis filiis & ea disceremus quae Crasso placerent, & ab iis doctoribus quibus ille uteretur, erudiremur.* His ergo verbis, ea quae sunt apud Suetonium ex Epistola ad Trimnium illa, satis explicari dubium haudquaquam videtur. Oderat Latinos Declamatores Crassus; exeriturque apud Ciceronem in tertio de Oratore, quod *eo biennio, Latini, si diis placet*, inquit, *magi-*

ſtri dicendi exſtitisſent, quos ipſe Cenſor edicto ſuſtulerat. Neque igitur Cicero itare in ludum inſtituisſet, de quo Crasſus oſtenderet edicti ſollemnibus verbis ſententiam ſuam; *ſibi non placere;* quoque ſoleret in omni ſermone dicere, *ingenia obtundi, corroborari impudentiam.* Cum praeſertim Cicero quaſi juniorem aliquem Crasſum exiſtimari ſeſe vellet, ſic ejus ingenii fida veſtigia legens paſſim ſuboſtendatur. Non ſecus ac, exempli cauſſa, in Republica, Major Cato Q. Maximum data opera potiſſimum imitatus, attentis obſervatoribus poteſt animadverti. Atque inde inter ſe fere ſimillimi & Cicero, & Crasſus (quantum quidem hunc ab antiquis novimus) cum cetero ingenii ductu, *praeſente* maxime illo *ſemper*, ut de Craſſo Plinius, *& faceto lepore ſollerti*, tum, & ratione ſtudiorum, & in magiſtrorum delectu ambo φιλέλληνες, *amantes Graeciae.* Denique hinc ſcite dictum a Quintiliano: Ciceronem perſonam L. Craſſi quibuſdam ſententiis, in diſputationibus quae ſunt de Oratore, aſſignando, *judicium ſuum cum illius auctoritate conjunxiſſe.* Quodſi aliquem e Gallia magiſtrum Latinum auditum & Ciceroni volumus, fuerit is non alius quam M. Antonius Gnipho; natione Gallus, atque, Suetonio teſte, *magni vir ingenii, memoriae ſingularis, nec minus Graece quam Latine doctus;* etiam Atteii Philologi praeceptor, Grammatici non incelebris. Hic Romae cum Grammaticam doceret, *etiam Rhetoricam* (ait ille) *docuit, ita ut quotidie praecepta eloquentiae traderet, declamaret vero non niſi nundinis.* Eumdem hunc Cicero audiit, ſicut eſt ab Suetonio, & Macrobio traditum; nec tamen audiit adoleſcens neque tyro ſtudiorum eloquentiae, adeoque illius praeceptorum indigens. Verum tum demum audiit poſtquam, peragrata Graecia, Graecisque magiſtris uſus, quos in Bruto ipſe proſequitur, & Graecu

rum ſive doctrinis, ſive ſpoliis onuſtus Romam ſeſe recepiſſet; multum deplorante Apollonio, ſummo doctore, ut ſcribit Plutarchus, ereptam ab homine Romano ſuae genti laudem eloquentiae, ſedes patrias deſeruiſſe. Sicut Ariſtotelis artem Rhetoricam potuit quidem legere Demoſthenes; at non ante quam in omnis memoriae ſummum Oratorem evaſiſſet. Quippe artem illam Demoſthene jam florente, vulgatam Graeci probant. Unde neque Demoſthenem illius Philoſophi diſcipulum jure dici poſſe contendunt. Tum ergo etiam Tullius audivit Antonium Gniphonem. Ejus enim ſcholam frequentaſſe Ciceronem ait, undecumque ſumſerit hoc, Macrobius, *poſt fori laborem;* hoc eſt, ut quisque videt, quo tempore *in principibus*, ut ait ipſe de ſe, *patronis numerabatur, & jam videbatur illud in ſe quidquid eſſet, eſſe perfectum, & habere maturitatem quamdam ſuam.* Suetonius autem paullo aliter, frequentatam a Cicerone ſcholam Antonii ſcribit, *etiam cum Praetura fungeretur*. ſcilicet nullam ei moram faciente ſplendore, ac majeſtate Praeturae. Sic enim id confirmabatur quod ante Suetonius ponit, *ſcholam ejus frequentaſſe claros quoque viros.* Nam ut etiam ante Praeturam dicamus id factum, profecto non ſinit ipſe idem auctor, qui Ciceroni ante hunc honorem Latinas Declamationes, atque Latinas adeo ſcholas abjudicat, his, e prologo de claris Rhetoribus, verbis: *Cicero ad Praeturam usque Graece declamavit: Latine vero ſenior quoque.* Quibus tamen Suetonii verbis cautio nonnulla videtur adhibenda, ut intelligamus, Graece quidem potiſſimum ante Praeturam, ceterum aliquando tunc etiam Latine, licet frequenter minus, Tullium declamaſſe. ne videlicet illa verba his adverſentur e Bruto, quae de adoleſcente ſe Cicero ſcripſit, qualis temporibus Marianis fuerat, cum ageret annum aetatis vi-

geſimum, & fere quartum: *Commentabar declamitans ſaepe cum M. Piſone, & cum Q. Pompejo, aut cum aliquo quotidie: idque faciebam multùm etiam Latine, ſed Graece ſaepius.* Ergo neque ante Praeturam non Latine declamavit, neque vero poſt eam non Graece. Siquidem & hoc Epiſtola teſtatur quarta libri ad Atticum noni, ſcripta ſex omnino ante obitum annis, qua exponit amico *theſes* (declamantium hoc verbum) circa quas exerceretur, *cum Graece*, ait, *tum Latine*. Sed annis prioribus totum ſeſe Graecis, non Latinis, Rhetoribus formandum tradiderat. Sibique Suetonius hoc vult, ſcribens, *Graece Ciceronem ad Praeturam usque declamaſſe.* Quodſi aliter fuiſſet, atque ſub aliquo magiſtro Latino Cicero junior profecisſet, cedo, cur non, ut Piſonis, ac Pompeii meminit in Bruto, quibuscum declamitaret, ſic & hujus Antonii (exempli cauſa) Gniphonis mentionem fecit, in cujus erudiretur ludo? Cum praeſertim officioſiſſimum ſemper in magiſtros praebeat ſe ille vir omnium praeſtantiſſimus Romanorum. Cur nullum ullius, vel Gniphonis, vel Plotii, vel profecto Latini Rhetoris nomen apparet inter illos e Graecia Ciceronis magiſtros, Molonas, Demetrios Syros, Menippos, Dionyſios, Aeſchylos, Xenocleas, commemoratos ab eodem & alibi; & in Bruto maxime, ubi, quidam ut veterum eleganter ait, *ſua initia*, Cicero, *ſuos gradus, ſuae eloquentiae quamdam educationem refert?* Cur ſi L. iſtum Plotium magiſtrum umquam habuiſſet, cum ſcribat ad Titinnium, *ſe puero primum coepiſſe illum docere Latine*, nec ſibi tamen ejus doctrina tunc uti licuiſſe, cur, inquam, non adderet, a ſe autem auditum poſtea? Denique cur & Seneca Pater, libro Controverſiarum ſecundo, iisdem paene Ciceronis verbis hoc tantum ait: *Primus omnium Latinus Rhetor Romae fuit, puero Cicerone, Plotius.* neque ullum

prae-

praeterea verbum. an qui tantulam rem annotavit, qua nempe Ciceronis aetate Plotius docuerit, is, quod maximum erat, praetermiserit, huic illum fuisse discipulum? Nugae! Cicero, si vera dicenda sunt, Latinis Rhetoribus nihil debet; quantusque est, fluxit e Graecorum litteris, & disciplina; nisi si adjutus est aliquantulum etiam Romanorum Oratorum scriptis: quomodo se studiosissimum Catonis prodit, cui deesse queritur amatores; quomodo sibi *a pueritia quasi magistram fuisse*, scribit, *illam in legem Caepionis Orationem Crassi.* Cum istam Orationem sibi magistram dicit a pueritia, & quidem semper, hoc intelligit, credo, Latinam Orationem sese pro Latinis magistris habuisse, nulloque usum eorum, praeter Crassum suum, cui locum apud Romanos, e regione dat Graeci Demosthenis. a quoque, plane divinitus, velut in aliqua eloquentiae λαμπαδηδρομίᾳ, *decursu lampadifero*, facem accepisse visus est. Nam quo anno Crassus occubuit, eodem sumpta virili toga, venit in forum Cicero, eloquentiae Dictaturam in se ab illius morte recipiens, in quo Romanae facundiae vera maturitas sese primum ostendisset. *Crassus*, inquit, *est mortuus; nos in forum venimus.* Quod ego dictum non absque allusione quadam puto. At Plotius haud equidem scio satis, admodum ne praeterea fuerit Ciceroni magister optandus; utpote quem videam, apud Suetonium, a M. Caelio dictum *ordearium Rhetorem*; hoc est, ut idem interpretatur, *inflatum, ac levem, & sordidum.* Cicero autem adeo noluit inflatus esse, ut ad hoc praecipue Molonis opem advocaverit: *Is*, inquid, *dedit operam, ut nimis redundantes nos, & superfluentes, juvenili quadam dicendi impunitate, ac licentia, reprimeret.* Atque illud quidem Caelii dicterium tribui sane posset a nobis oratoriae cuidam acrimoniae, nisi confirmari videretur mihi loco, e

Manio Varronis, urbanisſimo, isque inde vicisſim locus explicari. Affert vero hunc Nonius in verbo *Bubulcitare: Vicinus meus, quod apud Plotium Rhetorem bubulcitaret, alteri in dolore non defuit.* Equidem ex eo quod Plotio *Rhetoris ordearii* vocabulum ſit datum, interpretor quod item a Varrone illius diſcipulus apud eum dicitur *bubulcitasſe*. eſt enim hoc unum & idem plane cum illo. *Ordearius Rhetor* quidem, ruſticus rhetor; *bubulcitare* autem, eſſe ruſtice facundum, vel quod a Craſſo, in tertio de Oratore, tribuitur communiter Latinis dicendi magiſtris: *nihil potuisſe docere diſcipulos niſi ut auderent*, quod eſt vere *bubulci;* unde a Varrone verbum *bubulcitandi* ſcholis illis affricatum. Atque his porro verbis, ut puto, Varro depingebat odioſum, & ineptum Declamatorem, qui caneret in funere, ut dicitur, & ſuam eloquentiam, alieno tempore, in alterius alloquutione vellet oſtentare. Quin, ut dicam quod ſentio, vel integram illam Satyram quae *Manius* inſcribebatur, quantum e fragmentis paucis poteſt fieri, ſuſpicor inſtitutam adverſus fucum artis oratoriae fuisſe, ac reſpondisſe quodammodo Gorgiae Platonis; &, quoniam illos exagitabat qui tenebras veritati facerent, ideo ab auctore ſuo, quo nemo vel doctior, vel elegantior, vel urbanior homo umquam vixit, inſcriptam adverſo tenebris titulo *Manii.* Quippe quod a mane ſit factum, & exordio novae lucis. ait Feſtus: *Manius praenomen dictum eſt ab eo, quod mane quis inito natus ſit.* Igitur, (hoc enim omittamus) quemadmodum eum, cujus memini ſupra, Demoſthenem, cum olim illuſtris quidam e Peripatetica doctrina vir praefetulisſet, Ariſtotelis uſum libris, vel *artibus*, ut Graeci loquuntur, ſummum omnium locum adeptum esſe; inventus eſt Dionyſius Halicarnasſenſis qui nequaquam potuisſe id fieri, neque congruere ſubductis ra-

rationibus temporum, doctisſime ad Ammaeum ſcribens oſtenderit: ſic apparet, paullulum rationem fugiſſe Muretum, virum eximium, quod Plotium Ciceroni magiſtrum, aliquo calami errore, ſcribendo fecit. Neque, nos quidem ſcire quantum poſſumus, ullum e Latinis Rhetoribus alium auditum aſſidue ipſi Tullio, niſi quo tempore magis intererat cujusque doctoris audiri a tanto viro, quam ut is majorem aliquem fructum ab cujusquam diſciplina ſibi capiundum exiſtimaret. De ſtudio autem Ciceronis vel in ſenectute declamandi, legenda eſt Epiſtola decima octava libri noni, ad Papirium Paetum. Ex qua locus elegantisſimus, at, quod equidem viderim, corruptus adhuc & obſcurus, nolo abeat mihi, quin juvare illum adnitar quantum potero. Sunt ergo ſub Epiſtolae finem haec, uti nunc leguntur in emendatisſimis libris impreſſis: *Veni igitur, & diſce jam προλεγομένας, quas quaeris: etſi Sus Minervam. Sed quando, ut video, aeſtimationes tuas vendere non potes, neque ullam denariorum implere, Romam tibi remigrandum eſt.* Optimus ac doctisſimus Victorius depravatam hujus loci partem priorem cenſuit; quapropter & ſcripturam propoſuit lectoribus quam invenerat in veteri Codice Mediceo. Eſt autem haec: *Diſceam προλεγομένας quas quaeris, & ſi Sus Minervam, ſed quomodo video, ſi aeſtimationes tuas.* Ex his mihi videtur primum illud *diſceam*, facile, addita litterula, corrigi *diſce a me*; ſunt enim verba Tullii Paetum invitantis in ludum ſuum. προλεγομένας autem intelligo *cauſſas* quas primo loco diſcipuli declamarent, in quorum comparationem alii deinde ſeſe demitterent. De his loquitur Suetonius in Albutio Silo: *Receptusque in Plauci Oratoris contubernium; cui declamaturo mos erat*, prius aliquem qui ante diceret, *excitare*. Sint ergo προλεγομένας quaſi *ante dictae*, id eſt cauſſae;

causſas enim ait Seneca Ciceronem appellasse quas Declamatores ipso priores dixere *theses*. His positis; reliqua, transpositа modo interpunctione, juvanda sunt, hoc modo: *Veni igitur, & disce a me προλεγομένας: quas, quaeris? Etsi Sus Minervam. Sed quomodo, videro.* Sensus autem: Veni meum in ludum, & disce a me caussas. Quaeris, quas? nempe cum judicia sublata sint, & forum desertum. Respondet Cicero: Sus quidem, ut dicitur, Minervam, si te docere velim, nihilominus videro quomodo, quasque caussas inveniam aptas tempori. Quae sequuntur, *si aestimationes*, ad alium sensum pertinent. Haec de obscurissimo loco mihi videbantur. Praeter hoc autem de Plotio, est etiam in eadem Oratione qua de agimus, aliud ejusdem generis. Nimirum affertur paullo post quidam locus aliquot Graecis verbis, quasi Platonis illa forent. Atqui nomen quidem initio illorum invenitur Platonis, & ex eo brevis adducta sententia. Neque tamen Platonis verba sunt; verumtamen, si aves auctorem cognoscere, Claudii Galeni. Quae invenias licet, quandocumque libuerit, Protreptici, operis doctissimi, & eloquentissimi capite septimo. Iisque verbis Galenus sententiae Platonis, aliam ex Homero sumtam opponit. Ac de hoc sufficiat lectorem admonuisse. Quid ergo de istiusmodi erroribus dicamus? nos vero idem plane quod Gellius, cum simile horum apud Ciceronem erratum adnotasset. ibi tum haec ait: *In libro M. Tullii, qui est secundus de Gloria, manifestus error est, non magnae rei.* Vere nauci est aliquem doctum virum sic errasse, nugatorque dicendus, illis quicumque offenditur. Commonefiat modo Lector, ne incurratur in id quod apud Gellium eodem loco sequitur: *Non tam id mirabamur, errasse in ea re Marcum Tullium, quam non esse animadversum hoc postea.* Quodsi ob hosce naevos, haud enim sane maculas, Orationem adeo

adeo ſuavem, & doctam, ego uti conjiciebam, abſterruit Muretus grege ceterarum; enimvero moroſior aequo fuit erga ſe. Debuit enim meminisſe, verisſime ſcriptum ab eleganti magiſtro Dionyſio Longino, praeſtare, cum aura eloquentiae feraris, ut Poëta dixit, *in altos nubium tractus*, ſecuritate gaudentem offendere quandoque, quam tenuiter culpam diligenterque caventem, interim frigere. Nos quidem gaudemus, rem alienatam jamdiu, nunc demum, ἀγαθῇ τύχῃ, *bona forte*, poſtliminio redire, vel ob hoc, quod hoſpitia poſcentem noſtra Muretum Oratio exhibere videatur, vittasque ξενίας, *hoſpitalis numinis*, illius quaſi praeferentem. Poſt hanc, de qua nimis fortaſſe multa, ſequitur non jam Oratio, ſed Fragmentum Orationis, editum antea numquam, verum ex auctoris autographo depromtum. Principio dubitabatur hoc fruſtum quonam potisſimum pertineret. Sed animadvertas velim in laude verſari totum Familiae Zenae, apud Venetos nobilisſimae. tum deinde misſum, ab adoleſcente recitandum ex eadem familia, quod ediſceretur. Siquidem utrimque conſit hanc esſe partem Epitaphii quod in publica ſollemni parentatione Johannis Baptiſtae Zeni Cardinalis, ab uno ex illius gentilibus habendum esſet. Contigit ergo Mureto, quod non ſemel & veteris Graeciae magiſtris, merces ut ſuas per inſtitorem exponeret. Porro is animus fuit huic Johanni Baptiſtae Zeno Cardinali, ut juſta funebria ſuo ſibi teſtamento caveret Venetiis quotannis procurari, atque id per amplisſimum ejus Reipublicae Senatum. Quae cautio non disſimile quid ab eo ſpectasſe mihi videtur, quod apud illas humanitatis parentes Athenas obſervabatur. Scilicet, ut quotannis Epitaphium diceretur fortibus, qui pro patria viri cecidisſent. eamque celebritatem in Graecia obtinuit appellari, κοινὴν πρὸς πόλιν ἄπασαν,

σαν, ἢ δήμου ἐπιτάφιον λόγον, *in publica urbis & populi concione dictum Epitaphium.* Quodsi etiam Zenus Cardinalis, id Epitaphii voluit ab aliquo suorum dici, profecto non longe abierit ab antiquo Romanorum instituto. Apud hos enim erat mos, ut loquitur Varro, *perquam laudari* viros illustres in funere, pro Rostris, a propinquis suis. Eumque morem Polybius, ut plenum humanitatis, prudentissime dilaudat. Quidquid sit, apparet hoc idem usuvenisse, cum istud Epitaphium scribendum Oratori nostro fuit. Et Zenus quidem haec, Muretus vero nactus argumentum antiqui saporis, nostrisque moribus rarum, quantum ex hisce lineamentis videmus, antiqua item arte ducere opus instituit. Nam profecto videre licet, eum uti maxime voluisse praeceptis quae Graeciae magistri huic generi statuerunt. Cumque doctrina summa esset, ingenio autem acerrimo, & quid maxime quamque rem deceret celerrime perspiciente; (nam haec propria Mureto virtus jure dici potest) ex omni antiquitate, quam habebat in numerato, etiam exemplar elegit operi suo longe omnium accommodatissimum. Hoc enim Orationis initium ita conformatum est, ut appareat, Muretum incredibili facilitate fundentem eam potius, quam lucubrantem, toto animo intentum fuisse Platonis Epitaphio, quo, velut in Eloquentiae campo contermino Philosophiae, Thucydidis Epitaphium alterum Plato creditur provocasse. Nec ulla profecto melior erat norma quam imitaretur, vel argumenti nonnulla similitudine, vel politica, ut Graeci loquuntur, nobilitate sententiarum. Quae tamen a me non ita dicuntur, quasi admodum emineat in his parvis initiis ea de qua nunc loquor imitatio. Posita quippe tantummodo fundamenta sunt, & jacta semina. Sed ego ex fundamentis, opus quo tendat, & ex seminibus, qualis exitura esset ar-

arbor, mihi videor longe prospicere. Profecto Mureti magnum ingenium ubique cernitur, judicium politissimum, eligendi facultas, quae Critice dicitur, examussim optima. Itaque nullum non ejus fragmentum dignum quod Palatino, ut Horatius loquitur, Apollini recipiatur. Praesertim si quod pertineat ad funebre genus. est enim hoc eximiae nobilitatis, & Graecorum exacto politoque illo judicio refertur ad ea quae agunt περὶ τὸ καλὸν, καὶ τῆς ἀρετῆς, *de honesto atque virtute.* Si autem hoc Orationis truncum caput, quominus absolutum est, suoque fini membrisque redditum, eo minoris aestimandum videatur; cogita, etiam Apellem Veneris caput, & summa pectoris, arte politissima perfecisse, reliquam vero partem corporis inchoatam reliquisse; nec tamen ideo Cois tabulam abjectam, quod perfecta non esset, immo thesauri loco asservatam, cui ad praescripta lineamenta perficiendae qui succederet inventus est nemo. Idemque de Fragmento quod nunc editur, esto judicium. Mihi vero, ut fatear, accidit perjucundum, Laudationem Zeni Cardinalis, inchoatam saltem, si non perfectam, a Mureto fuisse. Laetabar enim, Oratorem cum paucis nobilissimum applicuisse facundiam suam ad virtutes ornandas viri, quem Ecclesia Vicentina, Mater haec nostra, inter Patres, & Episcopos numeraret; meritum de se praeterea non mediocriter. Liceat enim hoc officio pietatis, ac testimonio, ex occasione, defungi. Statim a duabus Orationibus, quarum unam haec editio tenebris diuturnis liberavit, alterius Fragmento lumina vitae primum ex autographo cernenti obstetricata est. Post ergo duas Orationes, Epistolae tres consequuntur. Ex iis aberat ordinibus una diu nimium, sic uti in aliam militiam dedisse nomen paene videri posset; non enim edi cum Epistolis Mureti solita est; verum in Syl-

Sylloge quadam Carminum inveniebatur, a Scipione de Montibus procurata. Nunc autem agnita, neque desertoris, at emansoris, habita loco, iterum ad signa recipitur. Reliquas autographum de integro suppeditavit. De quibus Epistolis hoc ego, sine fuco & fallaciis, uno verbo dixerim, elegantissimas vero esse, quinimmo dictione aureas; ut non leve operae pretium existimem eas gemmulas in conspectum hominum vindicari. Scriptae sunt haud multo postquam auctor hospitem Italiae sese professus fuerat, vel incolam potius. Neque inanem istam esse temporis notationem accipe sic. Muretus enim, qua fuit ubertate, τῇ φιλοκαλίᾳ, *studioque pulchritudinis*, cupiit in hoc etiam epistolico pulvere sese ostendere, in quo illustrior quisque cum veterum, tum recentiorum dedit operam, etsi non omnes eodem aeque successu. Sane pars haec eloquentiae jucundissima quidem illa est; nam Epistola coagulum habet aliquod societatis, & sermonis, ad quae homines natura fecit; & mores exigit paullo minus quam Comoedia, vel Dialogus, aut Satyra; & abdita promit animi; unde appellatur a Demetrio, *mentis imago quae mittitur alteri*; nitoris est insuper, ac simplicitatis apprime amans, itemque varietatis. At nescio an ob easdem hasce causas non etiam sit eloquentiae pars fortasse difficillima: qua scilicet neque Demosthenes, *optimus longe Post homines natos Orator qui fuit olim*, creditur numeris prioribus respondisse. Ac de Epistolarum quidem utilitate, simulque difficultate non vulgariter disputavit Muretus, jucunda παρεκβάσει, *digressione*, explicaturus ad Atticum Epistolas Tullii. Sed cum omne genus Epistolas decet varietas, tum inter plures hujus auctoris, quaedam invenitur etiam ab aetate, differitas. Res enim sic habet. Quas prioribus annis dedit, statim ac venerat in Italiam, ita sunt

ad

ad Terentii filum ductae, nihil ut posſit magis. Spirat in iis illa quam Graeci dicunt μετριότητα, Varro *mediocritatem* vertit, cum ejus formae Terentium exemplar faceret; nec male diceretur eadem, *ſobrietas*, atque *modeſtia*. Stillant fluxu liquidiſſimo, quale dixeris nectar Gratiarum favis expreſſum. Iliſque convenit plane quod Plinius de cujusdam ſcribit Epiſtolis, eas cum legeret, exiſtimaſſe Plautum ſe, vel Terentium legere ſolutos metro. Nam ceterae, quas major aetate fecit, non ita ſunt ad eamdem indolem emuſſitatae, vel coaequatae, ut recuſent etiam aliorum, optimorum certe ſcriptorum, habere rationem. Hoc ergo videtur intereſſe priores inter ac poſteriores Epiſtolas viri. Sic ut interdum uſuveniat mihi, nondum inſpecta temporis nota, rationem tamen inire mecum quandonam ſint potiſſimum ſcriptae. Evenit autem hoc idem & Orationibus, quaecumque ad ultimam ejus aetatem vergunt, ut proinde ac ab cujusque auctoris magni lectione recens eſſet, ita, felicitate quadam ingenii flexibilis, maxime ſervent illius impreſſa veſtigia. Senecae, verbi gratia, vel Taciti, atque etiam Agellii; Graecorumve, ac Latinorum etiam poſteriorum; noſtrum ut quandoque Cyprianum, inter alios, poſſis agnoſcere. Ejus ergo quod ajebam prioris Terentiani generis duae ſunt Epiſtolae, quae nunc eduntur, innocentiae Latinae miro lepore ſpectandae; ac, verbo, ejusdem limae cujus illa Catullo quae anteit, digna ſane Catullo, ad Bernardinum Lauretanum Epiſtola; cujus & ipſe ad Catullum Commentarius, dulcedine refertus; cujus, quae ad Terentii Fabulas argumenta Terentianae dedit caſtitatis. Ceterum, Epiſtolae Mureti omnes communiter cultae, omnes affectu ſuavi; inaffectatae, leni lapſu candidae, aliquando pro re nata, magis flexiloquae; ita ſimplices & comes,

ut

ut non obliviſcantur Tullianae gravitatis, ita extra forum, rumoresque negotiorum poſitae, ut in litterario tamen ſeceſſu quaerant undecumque gratiam varietatis. Omni enim varietate ſtuduit aſpergere ſuas Epiſtolas, praeſertim argumento, ſed & ſtylo nonnihil; in quas etiam frequenter aquulam a Philoſophia capit, occultis ductibus. nec erat difficile homini antiquarum diſciplinarum peritiſſimo. Exempli gratia, negotioſi aliquid generis habent Epiſtolae primi libri. admodum eaedem terſae. naturae multum ineſt, & ſuavitatis. Sunt aliae argumenti docti, & litterati, & critici, cujusmodi veteres inſcribebant, *Epiſtolicas quaeſtiones*, aut *confuſas Epiſtolas*; qualesque fuere plurimae, quas ex antiquitatis naufragio equidem redemtas vellem quovis pretio, M. Varronis: quales item priſcorum Jurisconſultorum, Pomponii, Fabii Sabini, Javoleni. Atque iſtius, ut ajebam, argumenti ad Giphanium habentur nonnullae. Tertia quoque ſupra trigeſimam ſecundi libri, agens *de veterum ἀνακολουθοις, non cohaerentibus in re grammatica*. cui tamen & addi quid poſſet, & de quibusdam ibi dictis, eligam adhuc ego parumper *ἐπίχειν, ambigere*. Hae omnes nudae quidem & rectae, adductae, ſubtiles. Nam quae ad Zoppium habetur quinquageſima libri tertii de Tragoedia, nobilis profecto inter paucas Epiſtola. Foeta nimirum ingenii notis in Graeca elegantiarum ſchola detriti. Conferta eſt rebus; excellens prudentia; hiſtoricis *ἐπιτηρήσεσι, obſervationibus*, ſcitiſſime interlita: dictione tereti, & cohibita, & ſimplici; ordine perquam prudenti. Ad Riparium paucae libri ſecundi, ut ad puerum, leniuſculae, nitidae, preſſae, ſuaves; certe multum animadvertendae; ſunt enim artis magnae, plenaeque philoſophici cujusdam lactis. de quibus illud ſuccurrit: *Os tenerum pueri balbumque poëta figu-*

figurat; Orator modo fubſtituatur pro poëta. Pulcherrima ſexageſima & ſeptima Cujacio miſſa. Tullianam ad artem omnino συνεσραμμένη, *convoluta*; inſurgit curſu decentiore, graviſſima ſimul, atque dulciſſima. Ad Sacratum enim ejusdem libri ſecunda & viceſima, Plinii Junioris habet aliquid: cui quidem Plinio non diſſimiles expolitione ſunt nobis Epiſtolae Gregorii Nazianzeni. Feſtivo autem generi adſcribendae ſunt quarta ſupra octogeſimam, omnium urbaniſſima; & quae, de multis ad Paullum Manutium, initio libri quarti reperiuntur ſitae. In his enim videntur Mureti, quam pro more, feſtiviores joci. Sunt iſtae, ut Caeſar ajebat, *ſedatis vocibus*, facetiaque liberali. Porro moratarum ordinem tenent ſecundi libri tertia ultra viceſimam, deinde quinta & quinquageſima; ubi de mortis aeque ac vitae contemtu loquitur graviter. Centeſima Chriſtianae modeſtiae pleniſſima. Septima vero a ſeptuageſima, eſt ad Giphanium. Capior, ita me Deus amet, animum viri perſpiciens a concertationibus adverſus aemuli ſycophantias abhorrentis. Nimirum infert graviter, & veriſime: *Ulciſcentur hominem mores ſui.* Sed & inſertae ipſius Giphanii perplacent litterae, Germanice candidae, doctae, judicii plurimi, aequabiles. Sicuti Lipſii niveae; honeſtae Cornelii Valerii; amabiles & ingenuae Sacrati; Antonii Conſtantini jucundae; apertae Briſſonii, non absque verbis antiqui Juris. Sexageſima vero libri quarti ad Pinceum ſapiens, & vere ſenilis, de colloquiis virorum gravium, de ſenectute bonis occupanda ſtudiis. Ne dicam de ſeptima poſt decimam libri tertii, qua locus tractatur intimae philoſophiae, de fortuna & caſibus egregiorum civium; quae Tacito dicta ſunt *incerta reipublicae*. In quo graviter, & enucleate, ac jucunde utitur hiſtoria veteri Graecorum, & Romanorum. Omnes hae rebus & ver-

* * * * *

bis

bis nobiles, honestae, aptae, hilariter graves. Atque, ut de Mureti Epistolis absolvam, paucis, duplex est genus earum quo alliciar maxime. Unum, quod occupatur circa, ut loquitur Demetrius, φιλικὰς φιλοφρονήσεις, *dulcitudines amicitiae*. his vero excellit; his omnes & mitioris affectus, & moris humani, & orationis castae illiquefacit voluptates, quibus facile praecordia circum admittatur. Quamlibet earum sume. si vis, libri secundi quartam ad Manutium. Quis non in illa videt Epistola, duorum ex omni antiquitate Latina dulcissimorum ejus virtutis auctorum, Terentii, atque Catulli germanam faciem? Etsi quod hujus quidem est laudis, nempe conscribendi amanter Epistolas, ea nemo est hominum quem concedere non oporteat majoribus nostris, veteris Ecclesiae scriptoribus. Cujuslibet mihi, fac, videas. Paulli maxime; sed & Augustini, & ceterorum. Dices alios fingere, vel frigere, hos ex animo amare, vivoque, ut ait Virgilius, amore. Nec mirum; est enim scribendi recte, sapere initium & fons. Verum hoc alias. Alterum genus Epistolarum apud Muretum maxime mihi probatarum est, ut quaeque minus ab labore curaque proficiscitur, magis autem ab aura labitur quadam facili, praesentique mentis incitatione. Utebatur enim divite naturae vena, qua viguit olim tantopere Chrysostomus, larga studiorum confluge locupletata; quae laetius a semetipsa funderet, quam ut imperiosiori curae subesse vellet. Itaque ut plus in Manutio artis agnoscitur, ita naturae plus est Mureto. Si quae vero paucae majori apparatu sunt scriptae, videntur, ut verbo Luciani dicam, plus nimio σφυρήλατοι, *elaboratae malleo*, vel, ut Seneca Latine dixit idem, perquam eleganter, *circumtunsae*; &, si dicere fas, ὀγκωδέστεραι, *distentiores*. Sed ab Epistolis veniamus ad Carmina, quorum foetu fe-

feraciorem habes Editionem; idque propter has causas. Editus in Gallia jam fuerat, ab juvene tum quidem adhuc Mureto, libellus Carminum. Iis Carminibus auctor ipse *Juvenilia* titulum fecit. Sed cum idem, post annos aliquot, in Italia suos versus in lucem efferret, ibi vero illthaec Juvenilia, ceu ingenio essent illiberali, praetermissa, neglecta, exposita sunt. Ac deinde factum, duos ut inter fratres, nempe libellos Carminum editos eodem parente, perpetuo fuerit, prout veteres Jurisconsulti loquuntur, *Ertum citum*. Neque in aliis deinceps editionibus eorum apparet vestigium, aut vola. Nullaque invicem postea communio illis intercesit. Nisi quod prior ille *Juvenilium* libellus quandoque subiit typos, at seorsus; ideoque repertu rarior evasit. Sed huic Editori fuit nunc animus ignoscentior. Itaque hanc prolem exposititiam voluit in unam & eamdem Editionem reconciliare domum. Id est, seligendis quibusdam *Juvenilium*, Lectori gustum praebere Mureti studiorum, sic ut dicam, pubescentium. Nec tamen id adeo, quasi perfecta viderentur quae Auctor in senectute dicitur improbasse. Verumtamen haudquaquam injucundum est, ut stirpes in arboribus, ita magnorum virorum ingenia cognoscere κατὰ τὴν ἀρτιφυῆ βλάστησιν; *in germinibus primis*. Nam & opera Virgilii nemo non admiratur quae composuit senex; at Culicem, nescio quomodo, jucundius etiam legimus, quadam exspectatione laeti venientis, ac velut herbescentis poëtae. Itaque Petrus Bembus eum Virgilii lusum adeo carum habuit, ut illustratum a se voluerit elegantissimo sane libello, in quo etiam eum, qui colloquens inducitur, Pomponium Laetum, singulos Culicis versus memoria tenentem facit. Haec autem Carmina Mureti, si quod est dicere volumus, licet fateri nomini profecto suo respondere, ac jure dici posse *Juvenilia*. Sed

* * * * * ejus

ejus tamen juvenis qui creſceret in virum ſummum. Sunt ingenii plena; ſunt acuta, plus etiam fortaſſe quam ſatis; vivida nitent hilaritate; Latinae linguae peritiam praeferunt non mediocrem; ſpiritus ingentes; excelſum animum. Habebis interim, eadem opera, quam Auctor praeſtruxerat *Juvenilibus*, non pro juvenis aetate, Praefationem. Scilicet earum elegantiarum, & copiae, ut vel ob hanc, non perditum libellum, at omni ope ſervatum oportuerit. Quaerit enim acute, atque jucunde, ornateque de Poëtica, illa mentium altrice non vulgarium; atque in eo diſputat, curnam poëtarum bonorum, ad usque ſua tempora tanta fuerit in Gallia paucitas? Non ſecus ac ſibi propoſuerat, in prooemio primi de Oratore libri, quaerendum Cicero, quid ita? cum tot in omnibus praeclaris artibus exſtitiſſent illuſtres viri, non adeo multi floruiſſe reperirentur oratores boni. Ac de *Juvenilibus* quidem haec. Nam alii ſequuntur Verſus nova nunc editi foetura, non tamen ejusdem cum *Juvenilibus* claſſis, neque porro centuriae. Itaque de iis alia prorſus eſt ratio; multo quippe altius tollunt caput. Sunt omnino tres Elegiae, quae repertae ſunt eadem ipſa ſcriptae Mureti manu: ad quas, credo, licebit pauca παρεπιχρολογεῖν, *interponere*. Enimvero futurus ne Mureto locus fuerit eximios inter poëtas, (quem ipſe tamen ſemper modeſte recuſavit) ubi res ageretur conſidentibus veteribus Criticis ἱερῷ ἐνὶ κύκλῳ, *verendo in concilio*, & ſuffragia τῇ ἀείσῃ, *ex aequo*, ferentibus, vel Romae *judice Tarpa* Horatiano illo, vel in Graecia, in iis, uti loqui ſolebant, τῶν πέντε κριτῶν γόνασι, *quinque Judicum genibus*, quae veteres poëtae ceu quaedam Διὸς γυνατα, *Jovis genua*, reverebantur; exſpectanda ne igitur in tali cenſura eſſet illi ſedes cum primis; an potius res ita putanda ſit: Mureto, cum in pangendis verſibus affuerit de-

doctrina singularis, perfecta utriusque linguae peritia, penus antiquitatis uberrimum, aerarium philosophiae, plurimum judicii simul & ingenii, omnia haec abundanter: eidem nihilominus haud aeque illam aspirasse, quae Platoni dicitur in Phaedro, ἡ τῶν Μουσῶν μανία, *Musarum dementia*, qua sine, poëticae fores nemini pulsandas edixit ille Philosophus: hac de re, quoniam dicendae sententiae mihi jus non est, haud equidem censuerim. Id satis constat, hunc virum diligentissime poëticen coluisse multiplici, ac vario genere Carminum, & Graecorum, & Latinorum, ad senectutem. Atque hoc ipsum, per se, non exiguae ducendum est laudi, cum videamus, habitum fuisse magni, apud Graecos in Solone apud nostros in Gregorio Nazianzeno. Quorum uterque, vel inter publicas res, admodum est poëtice delectatus. Hic autem posterior, ad omnem suorum casuum varietatem semper dulcissimos versus adhibuit. Est enim, est Poëticae studium viris gravibus nonnulla Philosophiae pars; atque magnum indicium excelsi animi, quem indoles quaedam virtutis laetior afflaverit, & exemerit vulgo. At praeterea, etiamsi fortasse Muretus a poëticis laboribus insignem capiti suo coronam petere sive noluerit, sive non potuerit; certe hoc tamen contubernio atque subsidio Musarum adjutus mirum in modum fuit ad eloquentiae palmam percipiendam. Sicuti sententiam accepimus Theophrasti perquam commendantis poëticen oratori. Quapropter mihi videntur ejus Carmina cum a semetipsis non parvum; tum vel majus ab Orationibus pretium ducere. atque has vicissim arbitror posse nonnihil etiam de Carminibus aestimari. Sit enim profecto rusticus qui non sentiat in Orationibus Mureti frequenter clangere grandiorem tubam; utique ab assidua lectione poëtarum utriusque linguae, atque ab inge-

nio pangendis Carminibus multum exercito. Plane ut in ipso Cicerone vestigia licet odorari subinde poëtarum quidem cujusque generis, maxime Tragicorum, sed & mentis imbutae hujuscemodi veluti infecturis. Sed & poëtas vicissim ex oratoribus profecisse cognoscimus; ut Virgilium: hunc enim Platonis maxime trivisse libros, ex amplitudinis & decoris facie consimili conjicio. Hinc ergo praecipue hausit Muretus Orationis majestatem, & amplitudinem, quae dicitur Graecis τὸ καλὸν, *nobile*, vel *pulchrum*. Hinc quam illi γλυκύτητα, nos *dulcedinem* appellamus. Hinc ἀκρίνειαν, *distinctionem*, & λαμπρότητα, *splendorem*; quorum illa ordine lucido constat; haec facundia, & nobilitate dicendi. Hinc miram absque ullo nisu jucunditatem. Hinc habet quod tolli novit lente ac pedetentim, & secum intentum auditorem in sublime rapere; tum deinde obsequentem dictis pro libito, *vel Thebis*, ut ille ait, *ponere*, *vel Athenis*. Hinc est quod saepe fallit avolans a scopo, quae res est in oratione vel difficillima judicio Tullii, mox facili ad metam flexu, celerrime sese recipit in viam. Hinc etiam nonnumquam descendit in illiusmodi concinnitates orationis, & cincinnos, quos appellare consueverat Augustus in Maecenate, μυροβρεχῆς, *unguentis perfusos*. Hinc denique habet inveniendi copiam; numerorum concentum hinc, & varietatem, & similiter cadentes plausus, dictos eleganter a Lucilio, *filios Isocratis*, modo, ita uti videtur mihi, sit Lucilii versus hic e quinto Satyrarum, apud Agellium, corrigendus: *Hoc Nolueris; & Debueris te Si minu' delectat, quod* ἄπχνον, *Isocration est*. Emendavit Scaliger, πχνιον, *Isocration*; quasi *artificiolum* Isocrateum dicenda sint illa cadentia similiter, *Nolueris*, *Debueris*. At mihi sic magis placet: τέχνιον, *Isocraticon est*. ut perurbane *Isocratis filios* dixerit eas figuras, quibus esset Iso-

Isocrates frequenter delectatus. Nam & Varro Marcipore, apud Nonium, appellavit non aliter, *Filium Antipatri Stoici Dilemma*, si cum Victorio legas; si autem cum Mureto, *Lemma unum*, quod fuisset familiare Stoicis id genus. *Cui celer Dilemmatos* (vel) *Di-henos Lemmatos logos, Antipatri Stoici filius, nitro caput dispianat.* Verum isti, de quibus ajebam, floscüli, non magis Isocratis filii, quam poëticorum studiorum sunt. Quorum studiorum celsitudinem Muretus in Orationes, ut eloquentiam inde carperet, concurvavit. Si autem ille umquam a poëtica valuit, ut certe multum valuit, hoc audeo dicere; cum Elegos modo qui eduntur, maxime conderet, auctorem & aetatis & studiorum flore, circa summam poëticae facultatis ἀκμήν, *viriditatem*, constitisse. adeo sunt politi, copiosi, vigentes. Nec eo dico, quo pretium Editioni conciliem; ecquaenam mihi sit enim assentandi causa? Verum ubi primum eos vidi versus, profecto ita me rem habere animum induxi meum. Leges; ac, de meo judicio sententiam ex tuo feres arbitratu: nullius enim hac de re arbitrium defugerim; modo sit aequus, ac praeterea ne sit, ut festiviter ait Aristophanes, ἄπειρος τῶνδε λόγων, ἠδ' τὴν γνώμην μὴ καθαρόν, *harum inexpertus rerum, & illota sententia.* Quin vel ipsum argumentum suadeat, omnes poëticae facundiae nervos intendi ab auctore oportuisse istis in Catminibus. Quidni autem? cum ex iis unum scribatur ad Paullum Manutium, τὸν πάνυ, *celebrem illum:* & scribatur eo tempore quo Muretus, Venetiis advena, se suaque omnia Manutio contulerat in sinum: cum illo paene magistro gloriabatur: cum tantum flagraret eos inter amicitiarum, neutri ut ad explicandos amores verba suppeterent. Quantum ergo talem amicum in amici laudes connisum arbitremur? Erat Mureto Manutius, quod Ciceroni Atticus: *Cui*

res audacter magnas parvasque, jocumque Eloqueretur. Atque id quotidianae illae ad Manutium Epistolae ἡμιρόλογοι scriptae, ut loquitur Cicero, satis innuunt, verbis ne dicam magis, an colore quodam suo, genioque peculiari? Nam cum alioqui Ciceronis Epistolarum varia genera sibi duxisset exprimenda, imitationem earum quae sunt ad Atticum, data opera, mihi videtur in has ad Manutium Epistolas reservasse. Itaque hic, quantum potest, aemulatur illam Ciceronis familiaritatem jucundissimam; concisionem illam Atticam plane, atque omni melle dulciorem; item illam quam significantius est Graece dicere διάθεσιν, id est, animum benevolentia intime affectum. Cumque ad Atticum Epistolas dixerit Cornelius Nepos historiam illorum temporum continere, dedit operam, ut neque his litteris aliqua species deesset historiae, licet multo levioris, rerum scilicet ad litteras pertinentium, sive litterariae περιστάσεως, *rei.* Interspersit etiam Graeca frequentius emblemata, quibus, ex omnibus Ciceronis Epistolis, istae maxime ad Atticum scriptae, quasi tessellis insititiis, ubique vermiculantur. Et quoniam hic saepe scribebat ad Atticum, ut ipse ait, ἐν αἰνιγμοῖς, *per aenigmata*, eo quoque genere lusit adversus Manutium haud inscite Muretus. Sic *interpretem Athenaei* cum dicit, *Natalem de Comitibus* intelligit; sic *Polyphemus* Franciscum Robortellum ei significat. Argute; vel enim, ut interpretor, quod esset grandiori mole corporis, & quasi Polyphemea; nam corpulentiorem videmus imaginem ejus, crasso quodam capite; insuper fuit asper omnibus; qualis Virgilii Polyphemus: *Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.* vel etiam respexerit compositi nominis Graecum etymon, quod a *multa fama* est. Quippe Robortellus irridebatur, quod editis brevibus, & crebris libellis, ambitiosule sibi famam corradere vel-

vellet. Dicitur etiam Achillem Statium designasse, sumpto ex initio Iliadis hemistichio. Quod si est, altius profecto descendit illud acumen. Non aliter ad Atticum Cicero C. Antonium collegam suum in consulatu *Teucridem* nominat, sive *Trojanam*, vel *e Teucris mulierem*; nihil, ut puto, aliud hac voce perstringens, quam ejus, prae se, antiquam a genere gloriam, quo Romanas origines; ac Teucros contingeret; cum tamen, ut nobis illum antiqui describunt, & ipsa res loquitur, animo esset imbelli, parumque constanti. Quemadmodum irridet in Appio Claudio alibi, quam vocat *Appietatem*. Atque etiam Plutarchus narrat, hujus Antonii fratrem M. Antonium, ob splendorem generis, delectari solitum veteri fabula, qua ferebantur Antonii ab Antone progeniti, Herculis filio. Viri autem docti, qui putant, his verbis a Cicerone tantummodo parum virilem tangi animum Antonii, dicunt, ut mihi quidem videtur, aliquid, sed non id quod erat, ni fallor, praecipue animadvertendum. Similiter de Pompejo, cum ab rebus Orientis veniens, primos in Republica cieret motus, ait urbanissime, Epistola primi ad Atticum libri decima septima, ut quidem nunc a viris doctis emendatur: *Turbat, Sampsiceramus*. Quasi tumultum ab Oriente nuntiaret, & ab ejus aliquo Rege barbaro Sampsiceramo, non Pompeji motus. Hic loci est aculeus. Nam *tumultus nunciari*, & *gentes turbare* dicebant Latini, statim ac illae prima belli semina meditarentur. Etsi cum dicatur fuisse scriptum omnibus in libris antiquis: *Turbatur Sampsiceramus*, ut sit vereor haec antiqua lectio retinenda. neque, ut fit, corrigendum, *Turbat*, quasi fuerit illud prius passiva significatione verbum inculcatum a librariis nescientibus, eleganter a Latinis dici *Turbare*, pro *turbas commovere*. Placet, ut ajebam, potius antiqua lectio.

Modo non ita explicetur, uti factum a Corrado, & Manutio est; quasi dixerit Cicero, Pompejum ipsum perturbatum fuisse. Hoc enim Dionysio Lambino dedit mutandi ansam. Magis arridet, ut Cicero Graecarum elegantiarum amator maximus *Turbatur* scripsisse videatur imitatione Graecorum, qui voce passiva efferunt saepe. Θορυβέομαι, *turbor*, pro eo quod est motus excitare. Cujus consuetudinis plura sunt exempla, neque nunc iteranda. Sic ergo soleo ad Atticum Tullius; & sic Tullium imitatus Muretus ad Manutium. primi/ Ad quem vel Epistola ~~secundi~~ libri octava supra decimam adeo est hujus normae tota, ut ipsum ejus initium a Cicerone sit sumtum. Hoc itaque Muretus faciens, & Atticum in Manutium, pro viribus, transferens, ingenium simul praeseferebat argutum, & multiplex, ac simul quo sibi amicus haberetur loco patefaciebat. ex animi sententia datum a se illi confirmans pulcherrimum titulum in quadam Epistola, ubi salutem dicit his jucundissimis verbis: *vale, ἀνερ δοκιμώτατε, καὶ τῷ ὄντι φιλόφιλε ἐν τοῖς μάλιστα, vir honestissime, jureque ac merito, ut qui maxime, amans amicorum.* Quapropter nihil oportet mirari, si versus cum meditaretur ad suum Manutium, quos primum legendos habebis nunc, sic de consilio isto, in alia Epistola eundem alloquitur: *At te scribere aliquid te dignum, mihi hoc crede, gestit animus: & est ὑπόθεσις praeclara, aut innumerabiles potius ὑποθέσεις. Sed ita pridem versus facere destiti, ut valde metuam, ne nihil succedat. Tentabo tamen.* Modeste hoc ille quidem magis quam vere. En ergo habemus aliquando tandem versus tam cupienter a suo poëta factos; non: partus modo existimandos, ut Varro ajebat, poëticos, verum & habendos ut specimen bonae inter bonos amicitiae. Alterum Carmen itidem Elegiacum est poëtae ad maximum poëtam; videlicet ad

Joan-

Joannem Baptistam Amaltheum, quo poëta nihil eloquentius in versu, candidius nihil Solis haec publica lux videt. Quare apud se reputet unusquisque atque argumentetur, qua cura Mureto fuerit incumbendum, ne tantum ad poëtam scribens, virtutes ac laudes ejus diceretur ingenii culpa detrivisse. Tertii porro Carminis regium est, ut si quod umquam esse potest, argumentum. Nimirum laudes Urbis ac Reipublicae Venetorum. Videturque illud scribens in animo habuisse quoddam ἐξαίρετον, *carmen gratiarum actionis*, persolvere, hospitii ergo comiter praebiti, exhibitaeque publicae humanitatis. Olet autem praecipue lucernam Catulli, vel, si malumus, amaracinum. Ecquisnam vero non fateatur, interfuisse gloriae tantae Reipublicae, hanc demum Elegiam tenebris diuturnis absolvi, eripi, liberari, in publicum elici, qua & Urbis Venetorum Majestas, & amplitudo Reipublicae, & Venetorum in hospites doctos bene promerita commendantur cultissimis, & eloquentissimis versibus memoriae hominum sempiternae? commendantur autem ab alumno Gratiarum unico, qui e Galliis esset in isthaec littora, ut novus quidam Arion, cum lyra, & omni Musarum instrumento pervectus. Id esse quanti debeat, duae nos docent urbes Graeciae, quae duobus oppositis invicem factis rem eamdem judicaverunt. Nam Athenae, quod essent uno Pindari versu cum laude commemoratae, poëtam praemiis ingentibus mactaverunt. Ex adverso, Thebani, non id sibi potius datum laudis indignati, propterea suum civem, eumdem Pindarum, graviter multaverunt. Sic utraque urbs ex antiquitus insita Graeciae humanitate, de uno unius poëtae versu, quasi de corona certabat. Quarum altera, liberalitate; altera, multae severitate, albo atrove calculo, poëticae quae vis esset in gloria comparanda

Prin-

Principibus & Rebuſpublicis oſtenderunt. Ac de Mureti quidem rebus hactenus. Sed quoniam huic Editioni Rerum Index accesſit novus, reſtat de hoc, mi Lector, paucis te ut adhuc velim, petamque, rem ut ab initio totam pernoſcas. Indicem quomodo facere potisſimum inſtituas, intereſt. nec enim antiquis viris una ratio fuit ordine annotandi certo res in libris obſervandas, indeque in uſus excerpendas, quod noſtris moribus dicitur, *Indicem componere.* Jam, quantum ſcio, duplex inita hujus rei veteribus via. Et prima quidem ſemina credo jecisſe Platonicos, omnium elegantisſimos philoſophorum, & obſervationi maxime deditos; aut ſaltem ab aliis inventa, ſi forte, hos coluisſe κριτικωτέρως, *magis critice.* Sed eorum Index hujusmodi: notari ſi quid vellent, non, quod facimus nos, in ſyllogen colligebant, libris vel antéponendam, vel poſtponendam. quinimmo librorum oris appingebant pro verbis, ut dicam ſic, vocales quasdam notas, appoſite rem indicantes. & fuit, inquam, haec Indicis prima ratio. Eas notas expoſitas a Laertio videas in Platone, ac plures etiam ab Iſidoro. Notarum erat officium non adeo demonſtrare quamque rem, prout ſuum cuique pretium ad latus ponere, virorumque doctorum judicium de ſingulis deſignare. Vides jam, talem Indicis methodum Grammaticae artis metas egresſam, potius ad Criticen accedere. Inter has enim diſciplinas duas praeclare diſtinxisſe Cratetem Philoſophum, ait Sextus Empiricus, Κρατήτειον λόγον, *Cratetis rationem*, appellans. Itaque nil mirum, doctrinam fuisſe iſtarum notarum, ubi primum prodiere, quaſi theſaurum ingentem, pretio magno ſolitam addiſci, quod apud Laertium docet Antigonus Caryſtius. Nec mirum item, a codicibus Platonis & Homeri, quorum primo fuerunt, in omne cito ſtudiorum genus notas penetrasſe.

se. Nam & majores nostri, non innocentissimae solum animae, sed etiam elegantissimae, Criticum istum apparatum, pro suis usibus, ad Prophetarum libros transtulerunt. Quod apud Epiphanium est videre, initio libri de *Ponderibus & Mensuris*. Denique tanti fiebant, ut Suetonii Tranquilli ferretur olim singularis liber, a Suida memoratus, περὶ τῶν ἐν τοῖς βιβλίοις σημείων, *de librorum signis*. Siquidem hae notae, *signa*, σημεῖα, Graecis dicebantur; quod verbum Hieronymus in Prologo Jobi, videtur voluisse vertere *Distinctiones*. Quodsi quaeratur a me, unde potissimum existimem, Veteres usos esse nomine σημείων, *signorum*, pro notis indicibus, orae librorum appingi solitis, dicam brevi. Licet haec σημεῖα, *signi*, vox, sua quidem vi, cuilibet notarum, aut rerum demonstrantium generi significando sit apta; in hoc tamen usu, arbitror Veteres eam significationem respexisse maxime qua σημεῖα, *signa*, Graecis dicta sunt pro illis lapidibus qui viarum marginibus, ad mensuram itineris, in longum apponi solent. Atque ad hanc rem pulcher est, in *Demetrii de elocutione* libello, his verbis, locus: ἡγεμόσι γὰρ τὰ σημεῖα ἔοικε, *sunt quippe signa vel lapides viarum, idem quod itineris duces*. cum antea his lapidibus, signisve, itineris ducibus comparavisset in oratione distinctiones & pausas; ut rerum cohaerentiam videas. Mox addit: ἡ δὲ ἀσημείωτος καὶ μονοειδὴς, κἂν μικρὰ ᾖ, ἀδηλος δοκεῖ, *Quae autem via caret signis, adeoque uniformis est, ea quantumvis brevis, tamen incerta videtur*. Ut ergo addita sunt σημεῖα, *signa*, secundum vias, iter agentium causa, ut commodius pergerent, sic in oratione appellata σημεῖα, *signa*, quasi lectionis quidam lapides, illae quibus ea regeretur criticae notae, ceu dispositis in seriem, ut Demetrius ait, ἡγεμόσι, *ducibus*. ne fieret lectori per-

pergenti via, vel ἀσημείωτος, *absque signis indicantibus*; vel μονοειδὴς, *semper unius indistinctae formae*; vel ἄδηλος, *certae nullius requietis, vel indicii.* His enim praecipue tribus cavendis universum Indicis boni librorum officium absolvitur. Atque inde, summa cum elegantia, σημείων, *signorum*, nomen invectum in notas indices puto. Quae tamen aliquando notae a marginibus in contextum advocatae sunt, praesertim ab Origene, cum earum quibusdam in suis Hexaplis daret locum. Etsi revereor fastidium Lectoris, & me quoque scribendi jam satias tenet, haud tamen parcam, ut in re non inutili, e medio aliquid carpendo ad meum propositum contendere. Nec tamen id faciam quod alicubi Muretus facete dixit, velle se Τυρνηβίζειν, *Turnebizare*, hoc est, more Turnebi, per saturam plura congerere. Quin erit curae, ne rota feratur extra semitam argumenti, Indicis videlicet illustrandi. Ac dicam primum, videri mihi adhuc exstare nonnullum vestigium antiqui nominis τ. σημείων, *signorum*, prout id nomen quasdam olim, ut ajebam, appositas lectioni notas indicabat; exstare autem, ego ni fallor, in libris Ecclesiasticis, id est, in Lectionibus annuis Passionis Domini; quae quidem solae servaverunt nobis imaginem longinquam, sed maxime simplicem, interlitarum orationis contextui notarum. Ibi ergo triplex nota cernitur, e quarum duabus una creditur esse tertia Latinorum littera, id est C; figuram enim habet apertam ejus litterae. Altera non est dubitandum, quin sit Latinum S. Quaeritur, quid sibi velit utraque? sed ambigitur admodum, nec invenitur quod satisfaciendo esse possit. Equidem arbitror, esse utramque unam & eamdem litteram S. Hoc tamen inter se discrepantes, quod alterius figura Graeca sit, alterius vero Latina. Solebant porro, sicut notum est, Graeci

suum

ſium *ſigma*, S, duplici forma pingere. altera earum haec eſt Σ; altera ſic ducta, ut C Latinum figura ſua, ſit plane Sigma, S, Graecorum. Quae cum ita ſe habeant, utrobique credo indicari litteram priorem vocis σημεῖον, *ſignum*, nihilque ſane praeter hanc vocem iis litteris duabus ſignificari. Latina una, altera Graeca. veluti *ſignum* ibi, hoc eſt nota diſtinctionis collocanda praeſcribatur, ubi S. prima ejus vocis littera jacet. diſtinctionis autem, vel inter colloquentes in hiſtoria ſacra, vel inter lectores illius in conventu ſacro. At hoc factum eleganter, quod cum eadem vox σημεῖον, *ſignum*, diſtinctionis index, eſſet ſaepe neceſſario repetenda, vel innuenda potius, per vocis eamdem litteram primam S; eam litteram placuit e duplici alphabeto variari. Nam alioqui nulla futura erat ab indiſtincta diſtinctionis nota diſtinctio. Atque hinc alterum videmus Graecum, alterum Latinum S. etſi fortaſſe non alienum a vero, ſolitum initio quidem unicum Graecorum Sigma bifariam, diſtinguendi cauſſa, interponi, ſcilicet C, & Σ: at cum tempore, poſteriorem hanc figuram, amiſſa inferiori lineola veniſſe in Latinum S. Verbum addo etiam de tertia illa nota ☩, quae apponitur ſermonibus Chriſti. Hujus origo poteſt eſſe, ab antiquitate, duplex. Solebant enim, ut Epiphanius docet, majores noſtri ſignare in libris Prophetarum hac ratione τὰ περὶ Χριστοῦ, *quae ad Chriſtum pertinerent*. Verum & nota eadem, inclinatior paullo, χ, Criticis antiquis χρησιμαθείαν, *rem animadvertendam*, deſignabat. Enimvero talia maxime ſunt quae ad Chriſtum referuntur, ejusque dicta praecipue. Sed, ut alio pergam; dicebantur ergo notae, σημεῖα, *ſigna*; itemque σημειώσεις, *deſignationes*; nam Epiphanius ὀβελὸν σημείωσιν, *obeli deſignationem*, appellat. Itaque ab hac notarum brevium ſimilitudine, repetendum eſt, quod vox eadem

dem σημείωσις, *deſignatio*, ſignificaret Graecis eas quas in memoriae ſubſidium quisque ſibi annotationes conderet. Quippe non alio ſenſu Auctorem Graecum Vitae Thucydidis vocem adhibuiſſe, Budaeus obſervavit. Et cum Graeci Poëtarum Interpretes, annotationibus ſuis, antiquas Criticas notas judicio vetuſtiorum appoſitas vel imitati ſint, vel explicaverint latius; velim animadvertas, indidem eſſe quod frequenter inculcant, immo annotationum ſaepe initio ponunt hoc verbum σημειώσαι, *ſigna*, vel, *nota*. Nec ſolum Graeci; quandoquidem etiam ad Latinos hoc verbum video ſua cum illa ſignificatione manaſſe. Horatius enim, qui, Muſis faventibus, omnes Graecorum Veneres mutavit in Latium, non eſt aliter loquutus, neque aliter explicandus initio quartae Satyrae libri ſecundi: *Unde, & quo Catius? non eſt mihi tempus aventi Ponere ſigna novis praeceptis. Signa* inquit, id eſt σημειώσεις, Graeco plane loquendi more. Quo loco etiam *ponendi* verbo ſcite admodum utitur; cum τίθεσθαι, *ponere*, ſit Graecis non ſemel, quod *certi principii loco aliquid ſumere*. Torrentius vidit, *Signa ponere*, apud Horatium, non aliter intelligi poſſe, quam ut valeat: *quocumque tandem modo mandare memoriae*. Nec tamen Graecum fontem aperuit. Acutior, & in Graeco pulvere tritior Heinſius. Ergo autumat, Poëtam Graecorum phraſim prae oculis hic habuiſſe qua dicerentur philoſophi ὑποσημειῶν τὰς κυρίας δόξας, *deſignare certa principia, cum opiniones ſuas ſecum ipſi conciperent, & in Commentarios referrent*. Verum ut nil vetet id verbi de quocumque adhiberi ſuas etiam, non alienas modo, cogitationes mandante commentariis; cum tamen apud Horatium agatur de homine, qui non a ſe cogitata, ſed ab alio accepta referre in commentarios meditaretur; ſi omnino velimus, poëtam hoc loco verbum Graecorum ὑποσημειῶν,

μεῖν, *designare*, imitatum esse, opus est verbum a nobis eo sensu potius accipi quo Ammonius Aristotelis interpres ait; Philosophos veteres consuevisse, cum antiquiorum libris incumberent, ex iis ἀποσημειώσεις δόξας, *principia designare*, hoc est, annotatiunculis excerpta comprehendere, quasi *notis*. Atque hunc ipsum verbi sensum Quintilianus Latine reddere voluit libro secundo, cum dixit: *Regereré in commentarios quae aliis declamantibus laudata sunt.* Qui locus Ammonii nescio an obversatus Heinsio non sit illa scribenti, paullo tamen alieniore sensu. Ceterum vides, Horatium dixisse *signa*, quod σημεῖα Graeci, vel σημειώσεις, atque idem esse *ponere signa*, quod *annotatiunculas* colligere breves, & *notarum* similes, quae nova praecepta continerent. Hic a te petam, Lector, ut qua es humanitate, patiaris, me adhuc elicere aliquid ex iis quae hactenus dicta sunt. Nec longa erit mora, & redibunt ad Indicem omnia, cujus caussa instituta isthaec oratio est. Hinc igitur, non aliunde profecto, caussa viris doctis quaerenda fuit, cur Origenes, cum suos in Sacras Litteras labores inscriptione triplici distingueret, eorum duas quidem partes Tomorum inscripserit, atque Homiliarum: tertiae vero parti σημειώσεων, *signorum* vel *notarum* titulum fecerit. Continebantur enim hac operum parte breviores in Divinos Libros annotationes. Hic vero adversatur plane doctissimus & eloquentissimus Huetius. Quippe contendit in suis Origenianis, illud nomen tertium non adeo Scholiis, & brevibus notis datum peculiariter ab Origene, quin pertineat etiam ad alia ejus grandiora volumina, quae dici aeque secundum Huetium possint σημειώσεις, *notae*. Sed, ut verum dicam, ego illi parum in hac re credulus. Quid enim? Hieronymum sequi malo, qui, loco nequaquam eidem Huetio praeterviso, habet

** ** **

haec

dem σημείωσις, *deſignatio*, ſignificaret Graecis eas quas in memoriae ſubſidium quisque ſibi annotationes conderet. Quippe non alio ſenſu Auctorem Graecum Vitae Thucydidis vocem adhibuiſſe, Budaeus obſervavit. Et cum Graeci Poëtarum Interpretes, annotationibus ſuis, antiquas Criticas notas judicio vetuſtiorum appoſitas vel imitati ſint, vel explicaverint latius; velim animadvertas, indidem eſſe quod frequenter inculcant, immo annotationum ſaepe initio ponunt hoc verbum σημειώσαι, *ſigna*, vel, *nota*. Nec ſolum Graeci; quandoquidem etiam ad Latinos hoc verbum video ſua cum illa ſignificatione manaſſe. Horatius enim, qui, Muſis faventibus, omnes Graecorum Veneres mutavit in Latium, non eſt aliter loquutus, neque aliter explicandus initio quartae Satyrae libri ſecundi: *Unde, & quo Catius? non eſt mihi tempus aventi Ponere ſigna novis praeceptis. Signa* inquit, id eſt σημειώσεις, Graeco plane loquendi more. Quo loco etiam *ponendi* verbo ſcite admodum utitur; cum τίθεσθαι, *ponere*, ſit Graecis non ſemel, quod *certi principii loco aliquid ſumere*. Torrentius vidit, *Signa ponere*, apud Horatium, non aliter intelligi poſſe, quam ut valeat: *quocumque tandem modo mandare memoriae*. Nec tamen Graecum fontem aperuit. Acutior, & in Graeco pulvere tritior Heinſius. Ergo autumat, Poëtam Graecorum phraſim prae oculis hic habuiſſe qua dicerentur philoſophi ὑποσημειῶν τὰς κυρίας δόξας, *deſignare certa principia, cum opiniones ſuas ſecum ipſi conciperent, & in Commentarios referrent*. Verum ut nil vetet id verbi de quocumque adhiberi ſuas etiam, non alienas modo, cogitationes mandante commentariis; cum tamen apud Horatium agatur de homine, qui non a ſe cogitata, ſed ab alio accepta referre in commentarios meditaretur; ſi omnino velimus, poëtam hoc loco verbum Graecorum ὑποσημειῶν,

μεῖν, *designare*, imitatum esse, opus est verbum a nobis eo sensu potius accipi quo Ammonius Aristotelis interpres ait; Philosophos veteres consuevisse, cum antiquiorum libris incumberent, ex iis ἀποσημειώσεις δόξας, *principia designare*, hoc est, annotatiunculis excerpta comprehendere, quasi *notis*. Atque hunc ipsum verbi sensum Quintilianus Latine reddere voluit libro secundo, cum dixit: *Regerere in commentarios quae aliis declamantibus laudata sunt.* Qui locus Ammonii nescio an obversatus Heinsio non sit illa scribenti, paullo tamen alieniore sensu. Ceterum vides, Horatium dixisse *signa*, quod σημεῖα Graeci, vel σημειώσεις, atque idem esse *ponere signa*, quod *annotatiunculas* colligere breves, & *notarum* similes, quae nova praecepta continerent. Hic a te petam, Lector, ut qua es humanitate, patiaris, me adhuc elicere aliquid ex iis quae hactenus dicta sunt. Nec longa erit mora, & redibunt ad Indicem omnia, cujus caussa instituta isthaec oratio est. Hinc igitur, non aliunde profecto, caussa viris doctis quaerenda fuit, cur Origenes, cum suos in Sacras Litteras labores inscriptione triplici distingueret, eorum duas quidem partes Tomorum inscripserit, atque Homiliarum: tertiae vero parti σημειώσεων, *signorum* vel *notarum* titulum fecerit. Continebantur enim hac operum parte breviores in Divinos Libros annotationes. Hic vero adversatur plane doctissimus & eloquentissimus Huetius. Quippe contendit in suis Origenianis, illud nomen tertium non adeo Scholiis, & brevibus notis datum peculiariter ab Origene, quin pertineat etiam ad alia ejus grandiora volumina, quae dici aeque secundum Huetium possint σημειώσεις, *notae*. Sed, ut verum dicam, ego illi parum in hac re credulus. Quid enim? Hieronymum sequi malo, qui, loco nequaquam eidem Huetio praetervisо, habet

** ** ** haec

haec de libris iſtis Origenis, *Et σημειώσεις, quae nos excerpta poſſumus dicere.* Ac primum hic vide mihi doctrinam Hieronymi! appellavit enim *excerpta*, breves notas Origenis aptiſſimo nomine. Quibus enim locis reſpondebant in libris veterum illae de quibus loquor notae vel ſigna, dici *excerpta* conſuevisſe, didici ex Caſaubono ad Laertium. Pulcherrime igitur *σημειώσεις*, *ſigna*, Hieronymus tranſtulit *excerpta*. Ego autem ex illa Caſauboniana obſervatione Senecam intelligo, Epiſtola trigeſima tertia ſcribentem: *Non eſt ergo quod exigas excerpta, & repetita: continuum eſt apud noſtros quod apud alios excerpitur.* Quo loco *repetita*, (de hujus enim verbi ſenſu dubitat Lipſius) intelligenda esſe credo lumina orationis & ſententias ex intervallo redeuntes, novumque iterum & inſperatum lectori ſplendorem referentes, quomodo apud Graecos *ἀνακαλέισαι*, *revocare*, *repetere* ſignificat *reſarcire*. Ceterum ſunt in eadem Epiſtola Senecae plura cenſus ejuſdem verba. Nam quae dicta ſunt *excerpta*, rurſus appellat aliter: *ea quae annotantur; quae ſunt notabilia; quae in fronte ſuſpenſa ſunt; id quod excerpitur; ea quae adſcribuntur; ſingulares ſententias, plane a turba ſeparatas*, & ſi quae alia ſunt hujuſmodi. Sed quod Huetium Hieronymo accedere prohibet, hoc eſt. librum habemus inſcriptum *Origenis Philocalia.* Is liber excerpta continet ex Origenis multis voluminibus, curâ duorum Theologorum inſignium, Baſilii Magni, & Gregorii Nazianzeni. Cum igitur ibi ſatis longum excerptum afferatur, ſumtumque dicatur ex Tomis in Exodum, atque id excerptum ipſa prolixitate ſua clamet, ſe ab Scholiorum, quae brevia ſolent esſe, longe diverſum conſuetudine; quinimmo praecedat aliud excerptum ejuſdem plane menſurae; nihilominus hanc epigraphen in *Philocaliae* praefixam habet: *Item ex alio Tomo, ἐν ταῖς αὐταῖς*

aἷς

ἐν τῶν ἐξοδων σημειώσεσι, quae postrema verba sic verterat Johannes Tarinus: *In iisdem ad Exodum Commentariis:* Ego autem ad verbum prorsus malim: *In eisdem ad Exodum signis* vel *notis*. ratio paullo post apparebit. Sed viden', inquit Huetius, in illa epigraphe *Tomos*, & σημειώσεις, *notas* confundi? Quippe dicitur locus idem simul decerptus e *notis*, quae σημειώσεις erant, & simul e *Tomis*. Nil ergo vetat quin istud σημειώσεων nomen ad *Tomos* etiam, & alia majoris molis volumina diffundatur. Non igitur Scholiorum tantummodo proprium fuit. Ecce tibi propugnaculum Huetii. At bene, inquam, isthuc quidem, si nomine σημειώσεων, *notarum*, *signorum*, nihil daretur umquam intelligi praeter Origenis libros ab eo sic inscriptos. ideoque inventum ubicumque, de illis esset necesario semper intelligendum. Sed cum aliter sit, idemque nomen fuerit antiquorum criticorum signorum quae solebant addi libris; videndum ne ludat nos homonymia, atque in illa epigraphe Philocaliae nomen σημειώσεων, *notarum*, sensu prorsus alio sit accipiendum. Ego enim ita rationem ineo: Antiqui loca scriptorum nobiliora, vel in usum commendatiora signabant notis, atque ita *excerpere* se illa dicebant; locaque ipsa vocabantur *excerpta*. Notae vero etiam ad Sacros Libros adscribendos & signandos traductae sunt, ut ex Epiphanio patet. Cum ergo loca notis respondentent, & locis notae; facili fiebat metalepsi, ut dicere, *in iisdem notis*, prorsus esset idem ac si diceretur, *in iisdem locis*; vel *ad eadem loca*. Quippe enim ea loca, ut verbis utar Senecae, *suspensa erant notis*: vel potius ipsae notae suspensae locis. At Seneca Graeca consuetudine locutus est eleganter: prorsus ut Graeci κρεμασθαι verbo uti solent. Sic ergo epigraphen intelligo in Origeniana Philocalia: *Item ex alio Tomo*,

ἐν ταῖς εἰς τὸν ἔξοδον σημειώσεσι; & sic, ut ajebam, verto: *Item ex alio Tomo, in iisdem ad Exodum notis*. hoc est in iisdem locis nota signatis Exodi? Non, ut male Tarinus, *In iisdem ad Exodum Commentariis*. Nam quaenam esset alioqui, quamque inelegans ταυτολογία, *repetitio*, unum atque idem opus Origenis duobus continuo nominibus, *Tomi* ac σημειώσεων, *notarum*, appellari sic: *In eodem Tomo, in iisdem ad Exodum Annotationibus?* Cum praesertim veteres, accuratius modo qui locuti sunt, Origenis Tomos nunquam non ab Annotationibus discreverint. Contra quorum perpetuam diligentiam, & assertionem Hieronymi, una profecto epigraphe Philocaliae utcumque intellecta, parum habet virium. Contra, sic, ut ajebam, vertas, ecce tibi plena lucis omnia, veteremque Criticen amabiliter olentia. Non aliter, ubi Suidas refert, Philoxenum scripsisse librum hoc titulo: Περὶ σημείων τῶν ἐν Ἰλιάδι, *de notis*, aut *signis in Iliade*, puto intelligendum, Philoxenum illum applicuisse animum explicandis insignibus in Iliade locis, nempe iis quibus antiqua Critice notationem apposuisset. atque ita hunc dici agere *de notis in Iliade*, cum annotata loca Iliadis illustraret: quemadmodum Origenes cum ad quaedam certa loca Exodi commentaretur, versari dictus est *in iisdem ad Exodum notationibus*. Atqui jam evanescit, ni fallor, argumentum Huetii. Nam quod etiam significatione adjuvari se nominis credit, vereor ne sit haec fallacia ex illis quae dicuntur ab Aristotele παρὰ τὴν λέξιν, *ex nomine*. Ait enim Huetius: σημειοῦσθαι *est, scriptum aliquod ad aliud adjicere; σημείωσις, quidquid ad aliud scribendo adjicitur, cujusmodi sunt Scholia, & Commentarii, qui ad oram librorum adjici solent*. Unde infert, ex nominis ergo vi etiam Commentariis majoribus, utpote qui adderentur auctis

doribus, eamdem appellationem convenire. Ego vero non pernego, σημειώσεις, *signa*, vel *designationes*, (Gellius vertit *annotamenta*) haud minus dici posse *additiones*, vel *appositiones*. Sit, inquam, hoc, non enim averſor; immo quadamtenus probo, ac non multo ante probavi. modo ſtet, eo verbo non ſignificari *additiones* proprie, exque nominis vi atque etymo. Nam vi ſua nihil oſtendit aliud σημείωσις, praeter *ſignum*, & *deſignationem*; ſicut σημειοῦσθαι, nihil, quam *ſignare*, vel *deſignare*. Sed quoniam ſigna rebus deſignandis apponuntur, inde κατὰ συμβεβηκὸς, *ex accidenti*, ſigna eadem *additiones* quoque dici poſſunt. Non ergo σημεῖα, *ſigna*, proprie dici poſſunt omnes res quaecumque apponuntur: at illa ſigna quae ſic apponuntur vel adjiciuntur, ut ipſa tantummodo appoſitione ſui aliquid compendio ſignent, hinc *appoſitiones*, vel *additiones* etiam dicantur licet. Brevi, non ſigna ſunt eo quod apponuntur, at ideo apponuntur quia ſigna ſunt. quemadmodum ii viarum lapides de quibus initio dicebam. Hoc officio ſignandi fungebantur antiquorum criticae notae libris appoſitae, inde σημειώσεις, *deſignationes* dictae. ad has efformatae ſunt primae in auctores veterum Criticorum annotatiunculae notis item appoſitae. unde non aliud obtinuere nomen quam *deſignationum*. At fuſiores Commentarii, qui deinde a notis nacti occaſionem ſunt, ampliores erant quam ut *ſignorum*, vel *deſignationum* ferre nomen poſſent ex eo tantum quod ſcriptoribus adjiciebantur. Nec probabilius id quod firmandae ſententiae ſuae deinceps addit: hinc illuſtrari locum Euſebii, ex libri quinti capite vigeſimo, ubi de Irenaei libris agens, & adnotatiunculam adducens ab eodem Irenaeo libris additam ſuis, in fine, *praeterque contextum*, ait Huetius; eam appellat χαριεστάτην σημείωσιν, *elegantiſſimam*

adnotationem. Valesius maluit *utilissimam.* Quasi non usurus fuisset Eusebius nomine σημειωσεως, *notationis*, *designationis*, nisi *praeter contextum*, adeoque additionis loco sita reperiretur. Unde conficere vult, σημειώσεις, esse additiones quascumque. Verumtamen Eusebio consuetudinem sequi licebat Graecorum scriptorum, quibus illud nomen, *annotatiunculas* designat quascumque; sine ullo discrimine, sive stent, scribanturque separatim, sive illae scriptoribus aliis apponantur. Nec longe petendum exemplum est. Quandoquidem Auctor, ut paullo ante dixi, Graecus Vitae Thucydidis appellavit σημειώσεις, *designationes*, vel *annotationes*, quas ipse Thucydides, dum exsularet, de rebus Graecorum in chartam conjecerat, juvandae memoriae suae causa. at illae cuinam, quaeso, apponebantur contextui? Erant solitariae, nec aliunde pendebant. Et Horatius, ut vidimus, cum *signa*, id est, σημειώσεις, *ponere* dixit; an intellexit ea *signa*, novis praeceptis constantia, textui cuipiam auctoris addenda fore? nihil minus. Quare neque arctandus utique fuit Eusebii sermo, quasi admonitiunculam Irenaei non aliter σημείωσιν, *designationem*, *annotationem*, appellaturus fuerit, quam si, praeter textum, fini librorum adjecta esset ab auctore. Nihil ergo hinc roboris majoris accedit Huetio. Nam principio σημειώσεις, *signa*, *designationes*, erant potissimum illae notae criticae quae appositae libris veterum, brevissimo compendio aliquid in iis indicabant, sicut exempli gratia, Cicero in Pisonem ait, *Aristarchum apponere solitum notam ad malos versus*. at deinde obtinuisse consuetudinem apparet, sicut observabam antea, ut quaecumque scriptiones brevitate sua rem potius innuerent, quam explicarent, ab illa similitudine celeriter indicandi, σημ. ώσεις, pariter appellarentur, potius quam ab ulla ad ullos auctores appositione. At me si quis inter-

terroget, in istius etiam interpretatione dicti Eusebiani, multo equidem lubentius Hieronymo adhaeream. Qui σημείωσιν, ibi loci, non pro annotatione intellexit apposita libris suis ab Irenaeo, verum interpretatus est *subscriptionem.* Ait enim, Irenaeum illis verbis, *subscripsisse* Sicut porro & Rufinus. is enim quoque eadem Eusebii verba, χαρακτῆρα σημείωσιν. sic vertit: *elegantissimam subscriptionem.* Optime, quantum ego video. Tamen Henrico Valesio, viro doctissimo, utraque displicuit, nempe Hieronymi, ac Rufini conversio; quod nulla esse subscriptio possit absque nomine viri subscribentis; at in verbis allatis ab Eusebio nullum appareat nomen Irenaei; unde neque subscriptio dicenda sint. Verum operae pretium est animadvertere, Hieronymum loci sententiam altius profecto, ac felicius rimatum esse. Dixit enim *subscriptionem*, quasi *subsignationem* quae signo imprimitur, vel sigillo. Nam σημεῖον, Graecis est etiam *sigillum*, ut *signum* Latinis. atque inde σημείωσις, *consignatio*, esse potest. Solebant vero veteres aliquando exemplaribus librorum suorum, quibus auctoritatem esse indubiam studerent, sigillum addere. Sic Vespasianus libris Historiarum Josephi, unde apographa vellet edi, cavit sigillo suo χαράξας ἑαυτῷ χεῖρι, *signans propria manu*, ait ipse Josephus in Vita. Cum autem verba Irenaei quae prae manibus erant Eusebio, gravissimam obtestationem contineant, ne quid quis exemplar a se profectum attentaret; eaque verba σημείωσιν appellet Eusebius, ideo Hieronymus vocem acute vertit *subscriptionem*, quasi scriptione ista, ceu sigillo quodam, suum librum auctor consignasset. unde ab Eusebio apposite dicta videatur, *elegantissima subscriptio*, ut Rufinus transtulit, id est, elegans ratio modusque subscribendi. Nec interest quod nomen

deſit ſubſcribentis. non enim erat nominis, at ipſius libri ſubſcriptio, & conſignatio, elegantis & jucundae novitatis. Quae ſi ſunt hujuſmodi, jam non admodum facit Euſebii locus ad rem Huetii. At neque, credo, alter deinceps allatus ex ipſius Euſebii decimo & ſexto capite libri ſexti. Quem locum, cum ſummae difficultatis eſſet Valeſio judicatus, exiſtimavit Huetius ex iiſdem principiis poſſe clareſcere. Agit Euſebius ibi de Origenis Hexaplis. Hexaplis vero, ut notiſſimum eſt, diſtribuerat Origenes aliquot Sacrorum Librorum verſiones in columellas totidem ſic, ut e regione ſibi invicem eſſent appoſitae; διελών τε, inquit Euſebius, κατὰ κῶλον, *etiam accurans ut membrum membro inter ſeries illas reſponderet*; ſic enim puto vertendum. Columellas vero iſtas Epiphanius dixit σελίδας, eleganter, & commode. Nam Suida teſte σελὶς, *pagina* Rufino, eſt Graecis interſtitium linearum, vel *interordinium*, ut verbo utar Columellae, hoc eſt, ſpatium ordinibus interpoſitum. A qua ſimilitudine diſpoſitionis Hexaplorum, σελίδα, ſeu *interordinium*, dixit Epiphanius. idque ſimillima voce, vel potius eadem, Hieronymus extulit, cum vicinam ſeriem in Hexaplis, appellavit *vicinum tramitem*. Et Latina vox *pagina* eidem ſignificationi aptiſſima eſt. Feſtus ait: *Paginae dictae, quod in libris ſuam quaeque obtineat regionem, ut pagi.* Videas ergo quam bene regiunculae verſionum in Hexaplis dicerentur paginae. Atque haec, non animadverſa fortaſſe Valeſio, fecerunt ut is parum probaret Epiphanii phraſim, eo quod plures columellae una pagina continerentur, unde minus proprie vocentur paginae. Melius quod Huetius verbo monuit, σελίδα poſſe columnam quoque ſignificare. Sed hoc miſſo; narrat Euſebius, Hexapla concinnata fuiſſe μετὰ καὶ αὐτῆς τῆς Ἑβραϊκῆς σημειώσεως, *una cum ipſa Hebraica*

braica designatione. Ad quae Valesius: *Hic locus*, inquit, *non parvam habet difficultatem.* At Huetius ex eo explicat, quod cum priores Hexaplorum a dextris columellae duae repraesentarent Sacras Litteras, Hebraice quidem scriptas earum una, Hebraicis vero vocibus, at Graecis litteris altera, jure nuncuparentur, *quasi dicas*, inquit, *adjunctiones*, *adjectiones*, adeoque σημειώσεις. hunc enim vocis putat sensum isto loco. Mihi videtur Eusebius aliud potius ab hoc ea scribens habuisse prae oculis; nimirum voluisse dicere, prioribus ordinibus binis attributas fuisse puras ac meras, absque enarratione, litteras, vel notas Hebraicas; adeoque nomine σημειώσεως usum, prout elementum litterarium, aut notas litterarias depictas indicat, non autem prout appositionem. Idemque aliis dixisse verbis quod Epiphanius, *de Ponderibus & Mensuris* ait, additam καὶ τὴν Ἑβραϊκὴν γραφὴν, Ἑβραϊκοῖς στοιχείοις, *etiam Hebraicam Scripturam Hebraicis ipsis elementis.* Et enucleatius Haeresi 64. μετὰ παραθέσεως ἑκάστης λέξεως Ἑβραϊκῆς, καὶ αὐτῶν ὁμοῦ τῶν στοιχείων, *cum additione singularum vocum Hebraicarum, puris putis elementis.* Quod *Scripturam Hebraicam Hebraicis elementis*, quod *singulas Hebraicas voces ipsis elementis* Epiphanius dixit, idem, ut puto, dicitur, nihilque aliud Eusebio, *designatio*, id est signorum ipsorum, & elementorum propositio. quae quidem Graecis Lectoribus, rerum Hebraicarum fere nescíis, evadebant mutae quaedam, aspectuque solo usurpandae notae. Petavius ad Epiphanii locum *de Ponderibus*, verterat σημείωσιν, pro *significatione.* Illa vero mirum in modum Valesio displicuit interpretatio. Si Petavius per *significationem* intellexerit, ipsorum signorum, & litterarum diligentem deformationem, quasique *signorum effictionem*; quod sane potuit; non erat cur Valesius eum

carperet, nihil fecisse discriminis inter σημασίαν, *significationem* & σημείωσιν, *designationem*. Quod vero *textum* reddit ipse Valesius, latioris est, credo, sensus quam esset ipsa vox reddenda. Jam discedo ab his, admonens tantum, Origenem propterea quod Scripturam exaratam Hebraice redegisset in Hexapla, dictum ab Eusebio libros prototypos Divinae Scripturae, scriptos Hebraicis litteris κτῆμα ἴδιον ποιησασθαι, id est, *usum iis libris pro suis*. vel *in editos a se libros, eos etiam redegisse*; id est, in Hexapla; sic enim ex eleganti Graecae linguae usu locum intelligo; non, ut fit: Origenem *illos comparasse sibi*. Constat ex his, nisi ego plurimum fallor, observationes Huetii de hac voce σημείωσις, *designatio*, quibus adstruere conatus est, in libris Origenis, non brevium tantummodo notarum eam fuisse titulum, sed & magnae molis Commentariorum, contra quam Hieronymus ostenderat sibi placere, constat, inquam, illas observationes esse, magis, dicere si liceat de viro doctissimo, acutas & elegantes, quam profecto veras. Quibus de rebus commodum incidit mihi sermo exponenti antiquissimum omnium Indicem, constantem σημειώσεσι, *signis & notis*. nam ea *signa* Hieronymus affirmat, *& in Graecorum, Latinorumque poëmatibus inveniri* solita, quemadmodum & Seneca, Epistola 33. *Ejusmodi vocibus* (nempe signo annotandis) *referta sunt carmina, refertae historiae*. At pertinebat, sicut est initio dictum, illiusmodi Index ad Criticem. idque illustrius quo fieret, eo denique rem deduxi, ut ostenderem, ortas inde fuisse primas annotationes Criticas, veluti quasdam explanatrices notarum ac signorum; quae postea sicut in aliquam coloniam longe gentium, ita in diversum a notis Commentariorum genus tandem aliquando deductae sunt. Huic certe methodo, ad quam respi-

c

ſpicere non nihil Indice meo ſum anniſus, ut poſtea dicam, huic certe conveniebat Indicis nomen. Indicat enim vere, is qui certum cuique rei pretium perſolvit. Huic appoſita maxime, inter cetera Indicis Graeca nomina, fuit vox ἔλεγχος, ſive *ſpecimis* dicas, vel *argumenti*, ex quo argumentum capere liceret, ſententiamque de auctoris cujusque ferre facultate. Credo antiquis intellectum praeterea fuiſſe nomine φιλοκαλίας, *Philocaliae*; hunc enim vidimus, Baſilium, & Gregorium excerptis ex Origene ſuis titulum appoſuiſſe. Sed eſt & alterum genus Indicis, natura grammaticum, de quo nunc perquam pauca. Hujus indolem ſi reſpexeris, melius κατάλογον, *recenſionem* dicas, vel etiam πίνακα, *tabulam*. Putant quidam, tali de Indice Tullium intelligendum, cum ad Atticum libri quarti Epiſtola quarta, cupere ſe ait librorum ſuorum bibliothecae fieri *Indices*, *quos*, inquit, *vos Graeci* σιλλύβους *appellatis*. Niſi quod emendabat Graevius, σιμύβους, qui explicantur ab Heſychio pro membranulis inſcriptis auctoris nomine, librorum tergo proſtantibus. Mihi vero non placeat ibi mutari quicquam. Credo enim, Tullii ſenſum exigere ut intelligantur *Indices* illi, vel σίλλυβοι, fuiſſe tabulae, per ſingula quaeque bibliothecae pegmata, vel figendae, vel ſuſpendendae, deſignandis quotquot continerentur thecis item ſingulis libri. κανόνας, aliquando dixere Graeci. Ceterum, Indicis exemplum omnino ſimplicioris, nihilque habentis commune cum arte Critica eſt cujus in Praefatione Hiſtoriae Naturalis meminit Plinius: Valerium Soranum ſuis quibusdam libris addidiſſe quamdam enumerationem omnium quae libris ineſſent ſingulis, quibus de agerent ii libri; auctorum etiam unde ſumſiſſet, nomina. Qui labor cujusnam eſſet modi, licet perſpicere in primo ejusdem Plinii libro; nam eo

ſe

carperet, nihil fecisse discriminis inter σημασίαν, *significationem* & σημείωσιν, *designationem.* Quod vero *textum* reddit ipse Valesius, latioris est, credo, sensus quam esset ipsa vox reddenda. Jam discedo ab his, admonens tantum, Origenem propterea quod Scripturam exaratam Hebraice redegisset in Hexapla, dictum ab Eusebio libros prototypos Divinae Scripturae, scriptos Hebraicis litteris κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι, id est, *usum iis libris pro suis.* vel *in editos a se libros, eos etiam redegisse*; id est, in Hexapla; sic enim ex eleganti Graecae linguae usu locum intelligo; non, ut fit: Origenem *illos comparasse sibi.* Confit ex his, nisi ego plurimum fallor, observationes Huetii de hac voce σημείωσις, *designatio*, quibus adstruere conatus est, in libris Origenis, non brevium tantummodo notarum eam fuisse titulum, sed & magnae molis Commentariorum, contra quam Hieronymus ostenderat sibi placere, confit, inquam, illas observationes esse, magis, dicere si liceat de viro doctissimo, acutas & elegantes, quam profecto veras. Quibus de rebus commodum incidit mihi sermo exponenti antiquissimum omnium Indicem, constantem σημειώσεσι, *signis & notis.* nam ea *signa* Hieronymus affirmat, *& in Graecorum, Latinorumque poëmatibus inveniri* solita, quemadmodum & Seneca, Epistola 33. *Ejusmodi vocibus* (nempe signo annotandis) *referta sunt carmina, refertae historiae.* At pertinebat, sicut est initio dictum, illiusmodi Index ad Criticem. idque illustrius quo fieret, eo denique rem deduxi, ut ostenderem, ortas inde fuisse primas annotationes Criticas, veluti quasdam explanatrices notarum ac signorum; quae postea sicut in aliquam coloniam longe gentium, ita in diversum a notis Commentariorum genus tandem aliquando deductae sunt. Huic certe methodo, ad quam respi-

ſpicere non nihil Indice meo ſum anniſus, ut poſtea dicam, huic certe conveniebat Indicis nomen. Indicat enim vere, is qui certum cuique rei pretium perſolvit. Huic appoſita maxime, inter cetera Indicis Graeca nomina, fuit vox ἔλεγχος, ſive *ſpecimis* dicas, vel *argumenti*, ex quo argumentum capere liceret, ſententiamque de auctoris cujusque ferre facultate. Credo antiquis intellectum praeterea fuiſſe nomine φιλοκαλίας, *Philocaliae*; hunc enim vidimus, Baſilium, & Gregorium excerptis ex Origene ſuis titulum appoſuiſſe. Sed eſt & alterum genus Indicis, natura grammaticum, de quo nunc perquam pauca. Hujus indolem ſi reſpexeris, melius κατάλογον, *recenſionem* dicas, vel etiam πίνακα, *tabulam*. Putant quidam, tali de Indice Tullium intelligendum, cum ad Atticum libri quarti Epiſtola quarta, cupere ſe ait librorum ſuorum bibliothecae fieri *Indices*, *quos*, inquit, *vos Graeci* σιλλύβους *appellatis*. Niſi quod emendabat Graevius, σιλλυβους, qui explicantur ab Heſychio pro membranulis inſcriptis auctoris nomine, librorum tergo proſtantibus. Mihi vero non placeat ibi mutari quicquam. Credo enim, Tullii ſenſum exigere ut intelligantur *Indices* illi, vel σίλλυβοι, fuiſſe tabulae, per ſingula quaeque bibliothecae pegmata, vel figendae, vel ſuſpendendae, deſignandis quotquot continerentur thecis item ſingulis libri. κανόνας aliquando dixere Graeci. Ceterum, Indicis exemplum omnino ſimplicioris, nihilque habentis commune cum arte Critica eſt cujus in Praefatione Hiſtoriae Naturalis meminit Plinius: Valerium Soranum ſuis quibusdam libris addidiſſe quamdam enumerationem omnium quae libris ineſſent ſingulis, quibus de agerent ii libri; auctorum etiam unde ſumſiſſet, nomina. Qui labor cujusnam eſſet modi, licet perſpicere in primo ejusdem Plinii libro; nam eo

ſe

se profitetur Soranum imitari. Libri vero istiusce Sorani ἐποπτίδες inscribebantur. De quorum ambigitur quidem argumento; cum Gaza Graecam vocem *spectacula* verterit. (credo ad verbum futurum fuisse magis *inspectrices* dicere,) ac Turnebus ad Grammaticen pertinuisse Sorani libros existimet. Quid autem si cui veniret in mentem, *epoptidas* ab auctore fuisse dictum Indicem ipsum, aliquot libris, ad omnia sua volumina concinnatum? quasi tabulas appellasset *inspectrices*. eleganti metaphora; per quas nempe librorum mysteria licuerit inspicere parvo labore. Post Plinium videmus aliquot ex antiquis hanc Indicis viam tenuisse, praecipue de nostris. Certe Hieronymus inde imitatur, quod initio Commentariorum suorum in Sacros Libros exponit Auctorum, quibus usus est, nomina. Posteriores vero Indicis pomoeria mirum quantum protulere. Neque enim titulis capitum exponendis, auctorumque nominibus, continuerunt industriam suam; quinimmo per Indices accuratissimos comparavere lectoribus id quod Plinius optandum, his e Praefatione ad Trajanum verbis. pulchre concludit: *ne perlegant*; *sed ut quisque desideraverit aliquid, in tantum quaerat, & sciat quo loco inveniat.* His dictis ad Indicem venio, quo nunc recenti donatus editur Cominianis praelis in lucem hic noster Muretus. De quo haec habe. Qualisnam tibi esset exspectandus Index, quidque in eo componendo maxime quaesitum foret, ut in antecessum cognosceres opera tuamet, aliud agens interim, rebusque, ut puto, non inutilibus immorans, propterea, Lector, de veterum Indicibus adhuc verba tecum, longiore fortasse circuitu, feci. Ego enim arbitror, Indicem qui majoris modo frugis aliquid spondeat, ex utroque isto a me supra exposito genere nonnulla debere decerpere, ac cinnum amborum conficere.

Ne

Ne ſit ille vero ſervilis quaedam res, neu, ſine corde ac mente, aſſiduitatis opus laborioſae. Quin audeat aſſumere ſpiritus antiquos, recordetur elegantiae Criticae, quam nulla non veterum litterula ſpirat; denique mereatur, non Auctoris modo cauſſa cui obſequitur, verum & propter ſemetipſum, inſpici. Praeſertim ſi quando ad ſcriptores inſtituitur quosdam, ut dicam ſic, Attici, vel Polycletei Canonis; de quo numero ne ſit Muretus, nemo, niſi qui ſit inficetus, tergiverſabitur. Niſi ergo vires propoſito defuerint, quod nimis quam fieri potuit, hoc mihi volebam Indice componendo; videbis non tam enumerata diligenter quaecunque cujuscumque tamdem generis habeat Auctor, quam excitata de medio quae velut in concionem produci, & animadverti praeter cetera, ſtudioſis elegantiarum exiſtimabam oportere. Itaque adumbratam curavi tibi, & purpurae modo erexi ſuſpiciendam primum indolem Viri; ſententias ejus; judicii regulam; inſtituta morum; rationem ſtudiorum; caſus vel proſperos, vel adverſos; diverſa diverſis aetatis annis ſtudia; dicta etiam, vel effata ex imo prudentis animi deprompta, quae φάσεις dicuntur a Graecis, & animadverti maxime decet in viris claris; nam etiam ἀναποδείκτοις, *absque demonſtratione prolatis*, ineſſe pondus quavis demonſtratione praeſtantius Ariſtoteles affirmavit. Etiam amicitias duxi attendendas quae illi fuiſſent; continet enim haec res maxime vitam & mores, pertinetque ad verae virtutis ſuavitatem. Earumque amicitiarum indicare ſtudui quaedam, ut medici loquuntur, συμβεβηκότα, *motus & actiones varias*, ut dicam Latine. Jucundum putabamus hoc animis bene natis fore. Neque neglecta ejus, quo vixit ille, temporis attributa hiſtorica; immo, quod ab iis prudentiae pars non exigua pendeat, annotata di-

ligenter: ob eamque caussam ratio habita nominum propriorum; sunt enim haec rerum ac temporum velut Annales clavi. Quemadmodum autem istis, quibus prudentia constat & sapientia, unde scribendi recte dicendique fons manat, Index incubuit; ita non minus dicendi virtutibus & ornamentis intentum digitum habuit. Exempli gratia, saepe sunt apud Auctores eloquentiae, seu prosae, seu versae, praecipue autem in versibus, quaedam ingenio ita circumducta, ut caput abscondant & scopum suum; quae nisi tamen evolvantur, artem & industriam artificis necesse est ignorari, & sollertiam convolvendi. Graeci dicunt ἰσχνηματισμένα; quod verbum doctissime convertitur a Hieronymo, *obliqua*, *& lubrica*, *dum*, inquit, *aliud auctor loquitur*, *aliud agit*. ac de his figuris detegendis duos habemus perelegantes libros Halicarnassensis Dionysii. Cumque plurima hujusmodi reperire sit in Mureti Carminibus, omnium tibi caput ipsum dabit noster Index in manus. Uno verbo Carminum habes omnium argumenta; aut selectum potius ex ornamentorum acervo, quem eorum cuique scopum dicere debeas. Saepe dictis egregie plausum dedimus, & more veterum, quasi apposuimus *asteriscum*, addi solitum laudatis locis. Hancque nobis licentiam plaudendi cum alibi sumsimus, tum in Graeca Institutione Mureti, quae oppido est elegans. nam insigniores quasdam sententias quin versu, plaudentes, & jucunde redderemus continere sane haudquaquam potuimus nos. Consensum cum nostro alicujus Auctoris aliquando etiam placuit addere, saepius facturi ubi per angustias temporis licuisset. συμφωνίας antiqui dicebant. Denique *obelo* etiam, etsi raro, huc aspirare permisimus, nonnunquam tamen, cunctabunde aliquid indicantes nostrae dubitationis. Ne plura. En additum habes lateri, hac in lectione

ne capesſenda, non adeo nomenclatorem attentum, ut ſedulum admonitorem, qui tacite legendi prudentiam adminiculetur, non praecipiendo, verum, ubi ſit opus, parumper modo conſiſtendo. Atque hoc erat praeter propter veterum notarum inſtitutum. Refert autem juventutis, inter legendum, aliquo uti monſtratoris ductu. Ecquis enim lectionis multae fructus, niſi animus quaedam idemtidem ſibi capiat diverſoria? hoc eſt, eligat quibus immorari velit, atque in alienorum operum lectione, probando, & judicium adhibendo, noverit aliquid ſui reperire. Hoc ita fit ab unoquoque, non proinde ut eſt ille quem legit liber, ſed ut varia cuique diverſaque indoles ingenii judiciique attributa eſt. Praeclare enim dixit Auguſtinus, ad Cajum ſcribens: *Nemo enim quod legit, in codice ipſo cernit verum eſſe, aut in eo qui ſcripſerit, ſed in ſeipſo potius; ſi menti ejus quoddam non vulgariter candidum, ſed a fece corporis remotiſſimum lumen veritatis impreſſum eſt.* Ut e converſo, Virgilius mihi videtur ſapienter in Aenea voluiſſe hoc ipſum facere indicium praeſtantis animi, quod inter plura viſendi, ut legendi, oblectationem, fingit eligentem monumenta veterum virorum, quibus, naturae ſuae ductu quodam, pro ceteris caperetur. *Aeneas capiturque locis, & ſingula laetus Miraturque, avidque virum monumenta priorum.* Non ergo animum advertas quot res in hunc Indicem collocatae ſint, ac quaenam; ſicque uſum ejus & ſcopum habes uno verbo, quod quidem attineat priorem illam Indicis curam criticam, judicio inſerviendi magis quam memoriae. Quod autem ad poſteriorem, Grammaticae propriam, & diligentiae, neque huic non diligenter obſequutum eſt. At profecto vellem licuiſſet mihi per anguſtias temporum eſſe in allegandis nominibus & locis omnium auctorum accurati-

riori, e quibus Muretus doctrinam in ſua monumenta derivavit. Scilicet Orationes hujus plurimis, & reconditis, ex omni antiqua doctrina copiis refertae ſunt, atque interſtinctae. Dicique jure de illis poteſt, quod Graeci proverbium uſurpant, Cecropiam eſſe aliquam Εἰρεσιώνην, *Eireſionem*, omnium bonorum πανκαρπίαν, *cumulum*, praeferentes. Adeo confertim ex Philoſophia plurima, tum e Poeſi, ex Oratoribus, ex Hiſtoria omnis aevi pleniſſimo cornu funduntur. Cum autem ſit Oratoris, eloquentiae quidem ſuae comparare undique majeſtatem, nec tamen inepte laudare fontes illa unde creverit; fit ut Mureti divitiae magis lateant, quam & gloriae ipſius, & lectorum eruditioni ſit utile. Avebam igitur, ut dicam ſic, detegere fontium capita ex quibus humectae niterent harum Orationum areolae; promere in apertum loca veterum noſter unde ſumſiſſet. Atqui cum jam ſatis proceſſiſſet hujus compages aedificii, adſtructis locis difficilioribus, ac majoris momenti, jamque ſolummodo parietes reſtarent ſecundis curis repetendi, non tamen ſolido de die demere tantum licuit, quantum oportuiſſet demi, ne adfectum adhuc opus & rude praeberetur. Verumtamen ex eo quod hujus effectum eſt, poteris admirari doctrinam Oratoris noſtri reconditam, ſimulque perſpicere, non e ſummis labris veram eloquentiam, ſed ex abdita ſapientia pectoris fundi. Neque doctrinam videre licebit ſolam, at inſuper in adminiſtranda illa doctrina elegantiam inpromiſcuam. Si enim, ut detur exemplum, Tragoediam quae inſcribitur *Julius Caeſar*, comparare volueris cum excerptis ex illa in Indicem noſtrum, ſtupebis cogitans, omnia quae ab omnibus aut Graecis, aut Latinis Hiſtoriarum ſcriptoribus de illa re, non dicam expoſita, ſed indicata, non tantum in rei geſtae narratione, ſed etiam in po-

politioribus Hiſtoricis reperiuntur, tam eleganti doctrina in poëtin eſſe compacta, nullus ut ex eâ verſus, aut potius verbum, non ex aliqua pendens eruditione veteris doctrinae reperiatur. Ut ſuccurrat illa Lucilii elegans admiratio: *Ut jactare opus eſt tu cognitu' cui ſis!* & quantum infra cothurnos tragicos, & Graeca exemplaria iſtud opus vere ſubſidit, tantumdem elegantiſſimae doctrinae palma ſeſe vindicet. A me quidem, utut a juvene Mureto tentatum potius, quam perfectum, non parvam ſane fert laudem eruditionis, & ingenii perquam expergiti. Adeo ſi vel maxime poëtica perfectione cadat, doctrinae nihilominus gratia ſtet. Nam quod aliqui cenſent, hanc Tragoediam nimis in ſermonem comicum, & ſocci declinare, atque huic potiſſimum eſſe affinem vitio; contra equidem ſtatuo, vitii ſi quid habeat, inde illud, quidquid eſt, oriri, quod, ut Horatius ait, nimis fortia ſectetur, ideoque nervis deficiatur animisque. Comici quidem ſermonis nihil habet omnino, quippe quae unius ad Senecae lucernam ſeſe prodat elucubratam. At Seneca plus etiam aequo diſtat a comico ſermone. Muretum quidem ab dictione tragica in ſermonem comicum declinaſſe, abſum a credendo longiſſime. Nam potius, etiam ubi, cuperet is contento ſtudio veteres Comoediarum poëtas imitari, non videtur omnino tamen deſilire ab ſonitu quodam, ornatuque tragico potuiſſe. In hanc vero ſententiam ducor, quando notiſſimos illos verſus lego quibus exhibuiſſe fucum viro ſummo Joſepho Scaligero, gloriatus eſt. Accepit enim Scaliger, nihil ſuſpicans mali, pro vetuſtis verſibus quos ingenio ſuo Muretus ex uno apud Plutarchum & Stobaeum Philemonis loco, primum tragice, tum, ut quidem voluit, comice conformatos, Romanis poëtis impoſuerat Attio, Trabeaque,

** ** ** *

tiori, e quibus Muretus doctrinam in ſua monumenta derivavit. Scilicet Orationes hujus plurimis, & reconditis, ex omni antiqua doctrina copiis refertae ſunt, atque interſtinctae. Dicique jure de illis poteſt, quod Graeci proverbium uſurpant, Cecropiam eſſe aliquam Εἰρεσιώνην, *Eireſionem*, omnium bonorum παγκαρπίαν, *cumulum*, praeſeferentes. Adeo confertim ex Philoſophia plurima, tum e Poeſi, ex Oratoribus, ex Hiſtoria omnis aevi pleniſſimo cornu funduntur. Cum autem ſit Oratoris, eloquentiae quidem ſuae comparare undique majeſtatem, nec tamen inepte laudare fontes illa unde creverit; fit ut Mureti divitiae magis lateant, quam & gloriae ipſius, & lectorum eruditioni ſit utile. Avebam igitur, ut dicam ſic, detegere fontium capita ex quibus humectae niterent harum Orationum areolae; promere in apertum loca veterum noſter unde ſumſiſſet. Atqui cum jam ſatis proceſſiſſet hujus compages aedificii, adſtructis locis difficilioribus, ac majoris momenti, jamque ſolummodo parietes reſtarent ſecundis curis repetendi, non tamen ſolido de die demere tantum licuit, quantum oportuiſſet demi, ne adfectum adhuc opus & rude praeberetur. Verumtamen ex eo quod hujus effectum eſt, poteris admirari doctrinam Oratoris noſtri reconditam, ſimulque perſpicere, non e ſummis labris veram eloquentiam, ſed ex abdita ſapientia pectoris fundi. Neque doctrinam videre licebit ſolam, at inſuper in adminiſtranda illa doctrina elegantiam inpromiſcuam. Si enim, ut detur exemplum, Tragoediam quae inſcribitur *Julius Caeſar*, comparare volueris cum excerptis ex illa in Indicem noſtrum, ſtupebis cogitans, omnia quae ab omnibus aut Graecis, aut Latinis Hiſtoriarum ſcriptoribus de illa re, non dicam expoſita, ſed indicata, non tantum in rei geſtae narratione, ſed etiam in po-

politioribus Hiſtoricis reperiuntur, tam eleganti doctrina in poëtin eſſe compacta, nullus ut ex ea verſus, aut potius verbum, non ex aliqua pendens eruditione veteris doctrinae reperiatur. Ut ſuccurrat illa Lucilii elegans admiratio: *Ut jactare opus eſt tu cognitu' cui ſis!* & quantum infra cothurnos tragicos, & Graeca exemplaria iſtud opus vere ſubſidit, tantumdem elegantiſſimae doctrinae palma ſeſe vindicet. A me quidem, utut a juvene Mureto tentatum potius, quam perfectum, non parvam ſane fert laudem eruditionis, & ingenii perquam expergiti. Adeo ſi vel maxime poëtica perfectione cadat, doctrinae nihilominus gratia ſtet. Nam quod aliqui cenſent, hanc Tragoediam nimis in ſermonem comicum, & ſocci declinare, atque huic potiſſimum eſſe affinem vitio; contra equidem ſtatuo, vitii ſi quid habeat, inde illud, quidquid eſt, oriri, quod, ut Horatius ait, nimis fortia ſectetur, ideoque nervis deficiatur animisque. Comici quidem ſermonis nihil habet omnino, quippe quae unius ad Senecae lucernam ſeſe prodat elucubratam. At Seneca plus etiam aequo diſtat a comico ſermone. Muretum quidem ab dictione tragica in ſermonem comicum declinaſſe, abſum a credendo longiſſime. Nam potius, etiam ubi cuperet is contento ſtudio veteres Comoediarum poëtas imitari, non videtur omnino tamen deſilire ab ſonitu quodam, ornatuque tragico potuiſſe. In hanc vero ſententiam ducor, quando notiſſimos illos verſus lego quibus exhibuiſſe fucum viro ſummo Joſepho Scaligero, gloriatus eſt. Accepit enim Scaliger, nihil ſuſpicans mali, pro vetuſtis verſibus quos ingenio ſuo Muretus ex uno apud Plutarchum & Stobaeum Philemonis loco, primum tragice, tum, ut quidem voluit, comice conformatos, Romanis poëtis impoſuerat Attio, Trabeaeque,

** ** ** *

que. Jam utrosque versus illos quisque dixerit politos, elegantes, antiquos, vel Attio quos affinxit, vel quos Trabeae. Sed hoc distare, crediderim, quod priores possint existimari quidem Attii; nam tragicum spirant satis, audentque feliciter, ac bene poëtam referunt cui nomen *alti*, ut Horatius ait, & jure, velut ex fragmentis apparet, ab antiquis est datum. At posteriores quanto amplitudini tragicae, ἐν τῇ σεμνότητι, *& grandiloquentiae*, magis appropinquant, longius tanto mihi videntur a comico stilo, Trabeaque discedere. Vel hos initio versus vide duos: *Here, si querelis, ejulatu, fletibus, Medicina fieret miseriis mortalium.* Nonne sunt elati? nonne magnifici? Nonne prior eorum, cum tot asyndetis; *querelis, ejulatu, fletibus*, illi simillimus est ex Attii, prout auguror, *Philoctete*, apud Ciceronem, in quarto de Finibus? *Quod ejulatu, questu, gemitu, fremitibus.* Alter vero, sonore ipso nonne alti ciet aliquid, & sublimis? Compara nunc sis, Philemonis eumdem locum ab Andrea Naugerio conversum, inter ejus opera qui legitur. Hunc videbis comicae tranquillitatis multo compotem magis. *Si quid remedii lacrimae afferrent malis, Minorque semper fieret lugenti dolor.* Sed locus integer cum integro Mureti componi meretur, ut appareat, ad comicum uter propius accesserit. Nam palma, nisi fallor, Naugerium sequetur. Etsi neque is, quantum ego video, Philemonis exactam illam absolutionem est omnino consequutus. cujus poëtae fuere, bene ut L. Apulejus dixit, *jeca non infra soccum, seria non usque ad cothurnum.* Ipsius vero Trabeae dictio quantum ab hac Mureti proclivior esset in pedestrem, si libet, ex iis vide jambis quos habet hujus poëtae Cicero, quarta Tusculanarum: *Lena delinita argento nutum observabit meum;* cum reliquis ibi quae sequuntur. Non pergo nunc omnes istos versus Mureti perpendere.

Ve-

Verum est, etiam in Plauto σεμνότερα, *grandioris*, quid inveniri nonnumquam. Sed videtur hoc ejus peculiare fuisse quodammodo, ab Epicharmi, sicut arbitror, imitatione ductum. Nam existimavi semper, Horatium, ubi de Plauto ait: *Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi*, voluisse hoc inter cetera; Plautum ad imitationem Epicharmi *properantem*, scilicet σπευδοντα, ut Hesiodus ante Horatium dixit, hoc est, incumbentem acriter, etiam sublimitatem philosophicam sententiarum ejus aemulatum esse; quae in illo poëta Siculo quanta fuerit, cognoscere licet ex dictis ab Alcimo apud Laertium, in Platone. Sed alicui succurrat fortasse comminisci, Muretum altiore stilo sectatum esse Comoedias Romanorum praecipue *Togatas*. Has enim, Epistola octava, Seneca dixit: *Habere aliquid severitatis, mediasque inter Comoedias & Tragoedias esse*. Certe hoc apparet undique, hunc virum, in poëticis rebus, aptiorem Tragoediae, quam Comoediae fuisse. Nec tamen cum haec de Mureti accuratione doctissima dicta sint vera, nihil illi, ut fit aliquando, diffusa per omnes libros lectio, ac torrens eloquentiae impetus, in afferendis veterum locis, illusit offecitque. Exempli causa, Mitylenaeos, ait, Oratione secunda, quos populos bello devicerant, nullam eis aliam poenam irrogasse, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Non dubito, quin hoc dicens illud habuerit in animo quod ab Aeliano relatum est in librum septimum Variarum Historiarum, capite quinto decimo. Nec tamen Aelianus id poenae dicit a Mitylenaeis irrogatum universe populis iis quos bello devicerant; quae nimia profecto fuisset barbaries. Verum tantummodo τοῖς ἀφεσταμένοις τῶν συμμάχων, *sociis quicumque defecivisent*. atqui multo est hoc magis humanum. Sic Oratione illa (non succur-

currit numerus nunc) qua viam eloquentisſime ac prudentisſime docet diſciplinarum tradendarum, poſtquam plura dixerat, ſpondet, eam viam quicumque pergere inſtiterit, *antequam annorum illum numerum expleat quem Lycurgus adamasſe dicitur, quique ſolus, poſt ſenarium, intra centum perfectus eſt*, in ſuo genere abſolutum fore. Videtur mihi quidem annum intelligere voluiſſe triceſimum, illum intra quem hanc diſcipulo promittit abſolutionem. ſic enim ratio quaedam rotundi numeri poſcit. De Lycurgo autem, reſpexiſſe Plutarchum in ejus Vita. Ex qua tamen apparet, non triceſimum, at viceſimum octavum numerum Lycurgo fuiſſe illum adamatum, in Republica Lacaedemoniorum ordinanda; eo quod, ait Plutarchus, is numerus τοῖς αὐτῷ μέρεσι ἴσος ὢν, μετὰ τὴν ἑξάδα, τέλειός ἐστι. *aequalis partibus inter ſe ſuis, poſt ſenarium perfectus eſt.* Ac poſſe fieri, addit ipſe Plutarchus, ut hanc numeri perfecti rationem ſequutus Lycurgus, viginti octo Spartae conſtituerit principio ſenatores, ut Sphaerus tradiderat, auctor antiquus, potius quam triginta; quae ſententia fuerat Ariſtotelis. Viceſimus ergo erat & octavus numerus, ut conjectatur Plutarchus, adamatus Lycurgo fortaſſe, propter phyſicas quasdam, & arithmeticas cauſſas. Nec de alio, quod ſciam, numero conſtat, qui Spartano iſti viro fuerit in deliciis. Vereor autem, ne triginta ſenatorum, quot fuere deinde, numerus Mureto ſcribenti ſit obverſatus, pro illo numero quem Plutarchus adamatum in ſenatoribus legendis, Lycurgo ſuſpicatur. Atqui duo iſti numeri non idem profecto ſunt numerus; binario enim inter ſe diſtant. Haec a me tacta ſint magis illuſtrationis duorum locorum, quam ulla reprehenſionis cauſſa ſcriptorum ab eloquentisſimo atque doctisſimo viro. De quo te, Lector, alloqui deſinam, ſi mo-

nu-

nuero prius, Indicem in tres illum quidem esse omnem partes divisum, singulis addendum voluminibus: verum augendi tertii voluminis caussa, ne prioribus nimium evaderet dispar, huic de sociis potissimum tres Indices fuisse commissos. At at! paene fugerat admonere, antepositam huic Editioni Auctoris etiam ipsius Effigiem. sed talem quam omnium quotquot feruntur, verisimam existimari fit par, si modo volumus notum satis fuisse Francisco Bencio Mureti vultum; Bencio, inquam, cum eo fere qui vixit, illius disciplinae alumno fidissimo, praecipuoque amicorum. Ab hoc ergo habes Bencio Mureti faciem. Nam is Romae cum edi curaret Senecam, prolem posthumam sui magistri, statim ab patris obitu, benemerenti dedit, amice faciens, honorem imaginis. Non quidem illius imaginis quae, ut in Hortensio Cicero loquebatur, *plumbo inhaereret;* sed quae pervagaretur in fronte libri quocunque vellet; illarum similis, de cujusmodi, ut ipse ait, *benignissimo invento* laudat Varronem Plinius libri supra trigesimum quinti secundo capite; quod *insertis voluminum suorum faecundi-/t tati, non nominibus tantum septingentorum illustrium, sed & aliquo modo imaginibus, non passus intercidere figuras . . . . . immortalitatem non solum dedit, verumtamen in omnes terras misit, ut praesentes esse ubique, & claudi possent.* Quae tamen verba postrema (nihil enim prohibet hoc addere) quibusdam in exemplaribus antiquis mutata sic reperiuntur: *ut praesentes esse ubique credi possent.* Sed hoc ego modo puto melius iri lectum: *ut praesentes esse ubique, & coli possent.* Etenim statim ante dixerat de Varrone: *inventione muneris etiam diis invidiosus.* qui nempe dii diffusis imaginibus colebantur quocumque terrarum. Ceterum, *au*, cum *o* facillime confunduntur, ob similitudinem pronuntiandi, ut

claudi fiat ex *coli*, transposita *l*, & adjecta *d* ab nescient scriba quid rei esset id quod invenerat, *cauli*. Sed haec; nisi fortasse melius hoc de loco in editionibus recentibus consultum fuerit, quae nunc ad manus non sunt; ac praeterea obiter. Igitur ex illa Romana Bencii, quae jam rarior, expressa in hanc editionem Imago est. Quae cum ego scriberem, simul collaudans ipse mecum officium ejusdem Bencii, simul & Laertium recordatus frequenter afferre Graecos versus, Philosophorum subscriptos imaginibus ab antiquis, aliquando etiam a se compositos, facile patiebar hic excidere calamo currenti distichon, veluti quod Imagini subscriberetur:

Μυρήτω σοφίην νεφρὰν Μῶσαι εἰκόνα θῆκαν,
Εἰκόνα δ' αὖ γραπτὴν πιστὸς ἔθηκε φίλος.

Quod & Latine si vis, en habe utcumque conversum:

Mureto Effigiem posuerunt mente Camoenae:
Impressam Effigiem ponit amica fides.

Licebit ergo qui volet, non ingenio solum viri summi, sed etiam adspectu perfruatur. Est praeterea res cujus a te, Lector, sit venia petenda. Haud mihi quidem, (etsi mihi etiam oppido tua venia est opus) at nunc res Typographi agitur. Itaque adesdum. Typographia Cominiana qua diligentia, quo cultu, qua emendatione libros emittere soleat, neminem profecto latere puto, litteras qui modo inspexerit. Hoc enim promerita de litteris videtur, has ut quicunque norit, ambas, ut dicitur, noverit. Verum ejusdem est diligentiae, rem sedulo gerere, atque, illa sicubi non pro votis om-

omnino ſucceſerit, fateri candide. Neque enim Hippocratis accuratio minus apparet cum ſe in quodam aegroto falſum confitetur, quam ubi plurima, vel potius innumerabilia, ſuae artis edit benefacta. Ne multa; cum Typographus maxime cuperet, Mureti hanc editionem prodire quam emendatiſſimam, dolet, perficere ſeſe non potuiſſe quominus errores committerentur, non dicam enimvero multi, ſed enim omnino plures quam ipſe voluiſſet, accurationeque ſua meritus eſſet. Nam haud eſſe multos, collige hinc ſaltem, quod ipſe de ſe indicio eſt, neque illos reformidat. Praeterea cogitat, eſſe inter Syri Mimos editos a ſe nunc ſententiam, quae paucis detractis, atque tranſpoſitis, jambus ita fieri poſſit: *Eſt proxima innocentiae confeſſio.* Aliquot ergo reperies in Latinis errata; in Graecis aliquanto plura fortaſſe. At fidem appello tuam, Lector! Quaenam illa fuit usquam gentium adeo felix Typographia, cui omnes conatus aeque proceſerint? Henrico Stephano, in Graecis excudendis, puto, non ſimilem facies quempiam. Atque is tamen eſt ubi eamdem huic noſtrae querimoniam canat, ſcilicet, non ſibi ſucceſsiſſe; aegro ferre animo; confidere tamen offenſum lectorem paucis non iri naevis, ubi plura multo niterent. Quod magis nunc te facere par eſt, Lector, aequus ut hinc Editioni ſis; quam quidem audebimus omnium adhuc optimam, & emendatiſſimam dicere; tuaque comitate illis creſcendi facias copiam qui bonorum auctorum utiliter ac jucunde tractandi, magnis impenſis, tibi ſaepe faciunt copiam. Ceterum huic incommodo, tuorum ſtudio commodorum, remedium eſt inventum hujusmodi. Nempe continuo ſubjicietur huic praefationi Erratorum Index. Eo fiet, errorem uti cavere prius poſſis, quam ſentias erratum; neu tibi contingat in legendo, quod in

vita ſtultum eſſe creditur, *dicere Non putabam.* Id etiam alias vidi factum, prima inter Typographicae artis initia. Eſt enim apud me Graeca Zenobii cujusdam Epitome Paroemiarum, haud inelegans; edita Philippi Juntae typis Florentinis, anno ſaeculi decimi quincti nonageſimo; ab cujus libri Prologo ſtatim Erratorum Index occurrit. Factum probavimus, & libuit imitari. Atque hic eſto Praefationis, quae ſub manibus longe crevit ultra propoſitum, finis. Sed iſte finis cur animo infixus meo, ceu durus aculeus, haerere in perpetuum debeat, equidem habeo. Quippe cum eum circa ſatagerem, ac legendis velis incumberem, excuſa repente de manibus penſa ſunt ictu taeterrimo. Videlicet morte Patrui, ſed melius dixerim Patris dulciſſimi, Matthaei Checotii; Juris quidem plurimum & eximie, at Juſtitiae multo magis, omnium judicio, Conſulti. Cujus tam cari capitis deſiderio ne ſit ullus apud me pudor, aut modus, paucis licet intra nonagenarium annis, maxima aetate defuncti, faciunt egregiae, perdiuque cognitae virtutes ejus. In Deum ſumma & incredibilis pietas; aequitas, prudentia, gravitas, comitas adverſus omnes; infinita erga me, meosque merita. Erat plane integer vitae, ſcelerisque purus; cujus effigiem animi ſi velim paucis exhibere, non habeam quomodo aptius, quam illis Philemonis verſibus, de Viro Bono: ἄδολον, γνησίαν τ' ἔχων φύσιν, Εἶναι δίκαιον, κ' ὐ δοκεῖν εἶναι θέλων. *Dolo vacantem nactus, & bonam indolem, Juſtus videri non vult, eſſe vult juſtus.* Itaque doleo, maceror, *triſtitia, atque animi intoleranda anxitudine. Lacrumo, quae poſthac futura eſt vita, quum in mentem venit, Solitudoque.* Sed eſt ἔ παραλῦσαι θεῦ, *alloquutoris Dei*, vulneribus hominum adhibere medicinam; quam ſibi veteres a praeceptis inſtitutisque philoſophiae fruſtra polli-

ce-

cebantur. Quapropter, quod & non ſemel antea fecimus, huic nosmetipſos opitulatori mentium, ejusque Litteris confovendos ex animo committamus. A te autem peto, Lector, ut brevem excurſum pietati condones. Ac ſimul hortor, quoniam in rebus, & curis hominum plurimum eſt inane, uti has etiam ſplendidas & pulcherrimas quidem eloquentiae artes, πήνεας ἐν δαπέδῳ Χριστῦ προπάροιθεν, *prenas in terram ante Chriſti pedes*, ſternere velis, referas, inquam, ad Deum, & in bonum Eccleſiae Chriſti convertas. Hoc enim, ipſis allatis a me verbis, ait, ſibi conſultum fuiſſe, Orator veteribus par, Gregorius Nazianzenus, cum quidem prius dicat, ſe Athenas & Alexandriam perrexiſſe, ac floſculos doctrinarum & eloquentiae undique decerpſiſſe. Sic te Dominus Jeſus partem habere ſecum faciat. Vale.

Subſcribebam Vicentiae Non. April. Die quarta, olim ut ajebant, in Albis Paſchae.

VITA

M. ANTONII MURETI, J. C.

PRESBYTERI, ET CIVIS ROM.

ex ſcriptis ejus, & funebri Oratione Franc. Bencii, Societ. Jeſu Sacerdotis, ab Andrea Schotto, ejusdem Societatis Jeſu ſacerdote, collecta.

Natus eſt M. Antonius Muretus anno poſt Chriſtum natum MDXXVI. menſe Aprili in Gallia Aquitanica in pago ſuburbano Lemovici, cui Mureto nomen, loco honeſtiſſimo, patre Jurisconſulto, genere perantiquo, & nobili: quippe quod & pagum illum antiquitus poſſederit, (unde etiam familiae nomen,) & quadringentis abhinc annis tulerit Stephanum Grandimontenſium ordinis antiſtitem, virum ſanctiſſimum, atque hominem in corporis afflictatione ſingularem: cujus dies feſtus in Idus Februarias incurrit. Ab ipſa vero pueritia Muretus admirabili fuit ingenii magnitudine, vix ut ullam deſideraverit diſciplinam, & paene puer diſcipulos prius habere coeperit, quam magiſtros. Nam ut primum imbutus eſt litteris, quibus informari ad humanitatem aetas puerilis ſolet, Lemovici in patria ſua, deinde vero Aginni, (quae urbs in Aquitania eſt paene princeps) ea docere incepit cum eſſet adoleſcentulus aut paene puer, quae nunc quidem, communi more atque uſitato, ea aetate ſi quis diſceret, in ſumma laude poneremus. Quippe ut ingenio doctrinam, ſic etiam uſu praecurrebat aeta-

aetatem. Aginni vero eodem tempore usus est summo duce & adjutore studiorum Julio Caesare Scaligero, viro in omni eruditionis atque humanitatis genere perfecto ac perpolito. Hunc ille ut parentem colebat, a quo etiam ut filius diligebatur. Admirabatur enim vir omnino admirabilis excellentissimum ingenium adolescentis, eique volens, ac lubens, rectam ac brevem, quae ad rerum scientiam ferret, viam monstrabat, quo sua eum natura ducebat. In qua tamen bonitate naturae, atque ingenii abundantia, tanta utebatur contentione animi atque industria; quanta utendum est homini, qui quo minus ingenio potest, subsidio sibi comparat diligentiam: ut & ingenioſos diligentia vinceret, & ingenio diligentes, & totum illud sibi tempus perire crederet, in quo non aut doceret aliquid, aut disceret. Cum igitur aliquandiu Aginni fuisset, ejusque doctrina atque ingenium omnium fama atque oratione celebraretur, ad doctrinarum domicilium, & orbis terrae Museum Lutetiam profectus est: ubi cum itidem explicaret divitias ingenii, nec latere posset in tanto orbis splendore tam illustre lumen, non magno negotio ad se omnium studia, atque ora convertit. Novus videbatur exortus Demosthenes Christianis Athenis: ita docente Mureto, & quidem adhuc peradolescente, concursus audiendi caussa ex tota urbe fiebant; magna hominum frequentia Gymnasium celebrabatur; loci ipsi in Gymnasio occupabantur; aditus complebantur; ne pes quidem relinquebatur prae maxima audientium multitudine, ubi pedem doctor ipse ponere posset: ita per illorum humeros, quasi per undas gradiebatur ad suggestum. Nihil ferme aliud erat Lutetiae magis eo tempore in hominum sermonibus quam Muretus: quem ipse etiam Rex aliquando & Regina, (ut quod fama, & auditione acce-

pe-

perant, re ipsa experirentur,) audire voluerunt. Pictavienses, Burdigalenses, Auscitani, Toloſani; (hic enim Juris civilis docendi primum quidem facultatem, deinde etiam potestatem accepit) juvenem tam excellentem, omnique laude cumulatum videntes, ejus voce ac doctrina fruebantur, & trajectis litteris, Mercurii filium alii, alii Mercurium audire se putabant. Consequens illud erat ut posteaquam omnem prope Galliam illuminarat, suam quoque lucem diffunderet in Italiam. Itaque Venetias, cum annum ageret duodetrigesimum, venit. Statim praeclara ejus eloquentia, ut Phidiae statua, simul & perspecta & probata est. Hic apud Lauredanos, Bembos, Contarenos, Sorianos, Manutios, caeterosque clarissimos viros tanto in honore, & pretio fuit, ut dulcis quaedam inter eos contentio nasceretur, qui maxime amarent Muretum, aut admirarentur. Paulo post concesſit Patavium, ut in optimam & vetustissimam in Italia ingenuarum artium, & disciplinarum officinam. Neque hic diu versatus est: anno enim aetatis circiter quarto & tricesimo, honestissimis conditionibus invitatus, ad summum illum doctorum Maecenatem, Hippolytum Cardinalem Estensem se contulit: in cujus comitatu cum in Galliam rediisset, mox etiam legatione obita in Italiam revertit. Romae tandem anno MDLXIII. ipsius Cardinalis suasu, atque eorum rogatu, quorum consilio res ibi litteraria regebatur, Aristotelis Ethicen docere publice coepit, tanta hominum frequentia, ut Aristoteles quidem ipse Romae docere, sed Romano ore, & lux quaedam urbi Romae reddita veteris eloquentiae videretur. Unum vero & viginti annos Romae docuit. Quid docuerit, breviter perstringam. Docuit annos quatuor libros Aristotelis de moribus; totidem jus civile, nec vulgari sane via, spinosas illas Jurisconsultorum concertatio-

tiones cum ſermonis nitore conjungens. Ad annum vero aetatis undeſexageſimum, Gregorii XIII. auctoritate ac liberalitate permotus, in eorum librorum, qui non ſolum acuere, ſed alere etiam ingenium ſolent, ut Platonis, Senecae, Horatii, Taciti, Ciceronis explicatione annos reliquos conſumpſit. Quo tempore a Stephano Bathorio, Polonorum Rege, in Poloniam amplisſimis praemiis arcesſitus eſt: moremque geſsisſet optimi Principis voluntati, niſi egisſet idem Gregorius ne diſcederet, cum ſua ſponte, tum magiſtratuum admonitu, qui Mureto ipſi aliquot ante annis ultro Romanae civitatis jus detulisſent. Quo factum eſt, ut tantum ei ſtipendium decerneretur, quantum haud ſcio, an unquam antea nemini. Rem ut geſta eſt, ex ipſius ad Joan. Zamoſcium, regni Poloniae Procancellarium, epiſtola diſcite: *Praeter ſpem & opinionem meam accidit, ut cum me ad iter accingerem, atque iſtic animo, cogitationeque totus eſſem, ſubito oſtenderet Greg. Pont. max. profectionem meam ſibi non placere, meque per viros ſumma auctoritate praeditos monendum curaret, ne ex urbe diſcederem: ſibi curae fore, ut ne in urbe deteriori conditione eſſem, quam quae mihi in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum annuorum ſtipendium, quod mihi jampridem conſtitutum erat, ſtatim ducentos adjici juſſit, mandavitque Datario ſuo, primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei nummi quotannis penderentur. Ea re factum eſt, ut coactus ſim deponere conſilium quod ceperam; a quo, ne vivam, ſi me alia ulla res, quam ſummi Pontificis voluntas, atque auctoritas abducere potuiſſet.* Hactenus ille. Nunc de iis quae ſcripſit dicamus. In quibus ejus ſpirat imago atque ingenium, ſuntque in manibus quaedam, ut variae lectiones, (ut inde potisſimum incipiam,) quibus nil uberius, nil elegantius fingi

poteſt. Sunt & orationes plurimae Venetiis, & Romae in conſeſſu purpuratorum habitae. Poëmata item, quae Romae cum eſſet compoſuit: nam quae adoleſcenti annorum circiter viginti exciderunt, & juvenili quodam calore atque impetu in Gallia profudit, atque convenienti nomine Juvenilia appellavit, ea ſaepe Franciſco Bencio, caeterisque familiaribus dicebat, ſibi adeo non placere, ut ne pro ſuis quidem agnoſceret, tantum abeſt ut probaret. At ſeniles Mureti verſus pii ſunt, eruditi, & jucundi, luſitque Graecis & Latinis verſibus primae aetatis Inſtitutionem in gratiam M. A. Mureti fratris filii. Hymnos quoque ſacros Ducis Mantuae rogatu edidit: & Ferrariae eruditas de jure civili diſputationes in quatuor libri primi Pandectarum titulos: *de origine juris: de legibus & Senatusconſultis: de Conſtitutionibus principum: de officio ejus, cui mandata eſt Jurisdictio;* Epiſtolarum item volumen ad familiares: neque enim alias, quas nimis officioſi amici cum nominis aliqua contumelia ediderant, pro ſuis agnovit. Commentarii item varii ſunt & ſcholia in veteres Poëtas, Terentium, Horatium, Catullum, Tibullum, & Propertium. In M. Tullii item Catilinarias commentarius extat peregregius; caſtigationes item in Philippicas. Nihil unquam (mirum dictu) bis ſcribebat, vix adeo bis legebat id ipſum, quod ſcripſerat, raro interpolabat, non ſaepe mutabat aliquid aut emendabat, tarius demebat, delebatve: ita cum uno quaſi tenore fluerent omnia, nihil niſi aptum & accommodatum ad manum, mentemque veniebat, ut multo meliora fortuito illi exciderent, quam alii, qui eandem aſſidue incudem tundunt, excudant labore. Ad ſummum ſingulis noctibus ſomno quinas horas, quaternas plerunque aut etiam ternas tribuebat. Reſtat, ut in aſpectum proferantur in Ariſtotelis Ethicen, Po-

Politicen, Rhetoricen, & Platonis de Repub. ac de Legibus libros notata, quaeque in Juris civilis Inſtitutiones commentabatur.

Duae de multis in illo virtutes enituere, Benignitas, atque Religio. Illa enim gratus atque acceptus ſummis, mediis, atque infimis vixit: cujus aedes portus quidam, oraculum ac perfugium omnium erant: exteri etiam ab extremis oris ejus viſendi, diſcendique gratia Romam confluebant, qui & ipſi profitebantur, majora ſe omnia re ipſa, quam fama comperiſſe. Docebat quae poterat, id eſt, quae diſcere velles omnia. Religione vero ac pietate in Deum ſingulari fuit: catholicam enim fidem non ſolum ſervavit, ſed & pro virili defendit, cum tamen non deeſſent in Gallia homines ſeditioſi, qui omnibus artibus ad ſuas eum partes traducere conarentur. Novem ipſos annos ſacerdos vixit, quo tempore tam ſancte ſacris operatus eſt, ut inter ſacrificandum & lacrymas effunderet frequenter, & easdem aliis excuteret. Sacras quoque quotidianas precationes diligenter obibat. Saepe de morte ſenex, tanquam de migratione, cum familiaribus diſſerebat, ut ex pedibus aeger jamjam ſibi eſſe migrandum domo, cujus fundamenta labarent, praedicaret. Mortuus eſt ornatus omni inſtrumento, & viatico quod Chriſtiana religio tribuere homini atque impertiri ſolet, quem parat ad mortem. A Xyſto etiam quinto Pontifice max. privatim veniam peccato impetravit, & ad eorum expiationem ejusdem etiam illam publicam adhibuit indulgentiam, qua qui rite uteretur, ei non liberationem ſolum culpae, ſed remiſſionem etiam poenae Chriſti Vicarius benigniſſime concedebat. Triduo ante mortem ſacroſanctum Chriſti corpus ſuſcepturus omnibus qui eo convenerant praeſentibus, atque audientibus ſupplex veniam a familiaribus petiit, lacrymantibus omni-

omnibus, qui aderant. Dum vox aderat, mixtis ſuſpiriis identidem iterabat, o Jeſu, o Deus, ut aliud nihil in mente habuiſſe conſtet. Elatus honorifice Nonis Juniis, anno hujus ſeculi quinto & octogeſimo, laudatusque eſt pro funere a Franciſco Bencio, Societatis Jeſu presbytero, in aede ſacra ſanctae Trinitatis, quae eſt in colle hortulorum ſodalium Minimorum, (ubi ad aram maximam ſepulcrum ejus ſpectatur,) laudatus, inquam, coram Cardinalibus amplisſ. Nicolao de Pelue Senonenſi, & Carolo a Lotharingia de Vaudemont, a grato ſane diſcipulo erga optime de ſe meritum praeceptorem. Qui & ipſe diſcipulo Bencio multum ſe debere teſtatum reliquit, quod humana contemnere, & ad divina pleno gradu properare ſe docuiſſet, facesque ac ſtimulos animo ſuo ad pietatem ſubdere nunquam deſtitiſſet. *Merito igitur te amo*, inquit, *& ut patrem filius, & ut filium pater; his enim nos, quae maxima ſunt, caritatis vinculis bonitas divina colligavit.* Poëtae in ejus laudem epicedia varia conſcripſerunt: unum de multis Julii Roſcii, hominis perfamiliaris, adſcribere placuit:

Hic Marci caros cineres Roma inclyta ſervat,
Quos Patria optaſſet Gallia habere ſinu.
Stat colle Hortorum tumulus: ſtat proximus aſtris,
Quae propius puro contigit ille animo.
Tu ſacros latices lacrimans aſperge, Viator,
Et dic: Heu linguae hic fulmina fracta jacent.

M. A. MU-

M. ANTONII MURETI ORATIONES.

Volumen primum.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

SCIPIONI GONZAGAE,

MARCHIONI ET S. R. I. PRINCIPI.

Offero tibi munus, Scipio Gonzaga, si aut ex sua, aut ex tua dignitate spectetur, perexiguum; si ex viribus meis, mediocre; si ex animo, magnum. Orationes quaedam sunt, variis a me temporibus habitae: quas cum partim dispersae atque errantes vagarentur, partim apud me in adversariis neglectae jacerent, nunc in unum corpus collectas ut edi ac divulgari paterer, amici quidam, multo mei, hac quidem in parte, quam par est, & quam ego ipse vellem, studiosiores, impulerunt. Satis superque fuerat, earum partim in scholastico pulvere, atque in illis eruditorum homi-

num umbraculis, non tantum recto, ut dicitur, ſtetisſe talo, ſed plauſum etiam & ἐπισημασίας tulisſe: partim in illo conſeſſu, quo nullum habet terrarum orbis auguſtiorem, & ſilentio auditas, & principum virorum teſtimonio commendatas fuisſe. Superarat fortuna ſpes meas: quam ſaepius ſine causſa experiri, negant esſe ſapientis. Neque neſcius eram, moroſiora ac difficiliora esſe legentium, quam audientium, judicia: ſaepeque accidere, ut, quae audientes mirabamur, eadem legentes rideamus. Sed quid facerem? Cupienti mihi jam latere, amici obſtiterunt: quibus parendum fuit: ne, ſi in negando pertinax esſem, ſuperbiae denique id potius, quam modeſtiae, adſcriberetur. Cum igitur inibi esſet, ut ederentur, libenter arripui occaſionem diu optatam inſcribendi tibi, ut nunc fit, aliquid depromptum ex ſtudiis meis, eademque opera teſtificandi & judicii de te, & mirifici cujusdam amoris erga te mei. Vere enim hoc dicam, Scipio: cum omnes qui te norunt, ita te ament, ut eorum nemo ſit, qui ſe ſtudio atque obſervantia tui cedere cuiquam putet; ego tamen mihi videor diuturna & accurata notatione & obſervatione earum rerum, quae te usque eo omnibus amabilem reddunt, ſingulare quiddam praeter veteros πεπονθέναι. Quid eſt enim, quod ad conciliandas ac devinciendas hominum voluntates valeat, quin id in te omni ex parte perfectum reperiatur? Nihil hic de ſumma atque antiquiſſima gentis veſtrae aut nobilitate, aut potentia dicam: nihil de toto illo genere bonorum, quod ita tuum eſt, ut & aliorum ſit. Alios & iſta amatores habent. Ego in te nihil amo, niſi te ipſum. Itaque ut iſte Rex potentiſſimus ex amicis ſuis alium dicebat esſe φιλοβασιλέα, alium φιλαλέξανδρον: ita tu, alios esſe, qui & alia in te ament, me plane & ex animo φιλοσκιπίωνα esſe, tibi perſuadeas licet. Ac te ipſum cum dico, ne illam quidem dico & oris & totius corporis dignitatem, quae tibi omnium elegantiorum hominum ani-

animos primo ſtatim adſpectu conciliat, conſtituens, quoad ejus fieri poteſt, ante eorum oculos, & ingenium, & mores tuos. Quamvis enim vere dixit neſcio quis Poëtarum, gratiorem in pulcro corpore eſſe virtutem: ea tamen eſt in te veriorum ac ſolidiorum bonorum copia, quae te his ſecundae, ut ita dixerim, notae bonis cenſeri non ſinat. Ingenium excellens, & in quo, tanquam in pingui ac feraci ſolo, omnes te dignae artes ita facile comprehendant, ut eas non ab aliis accipere, ſed ex te ipſe parere ac proferre videaris. Quo tu uſus ita ut decuit, a Graecae Latinaeque linguae intelligentia, a Poëtarum, Hiſtoricorum, Rhetorum cognitione ad Philoſophiam, & ad eam, quam tibi ab ineunte aetate propoſueras, quaeque tibi nunc in amoribus ac deliciis eſt, Theologiam ea celeritate properaſti, ut, quae honoris ac dignitatis praemia confecto ſtudiorum curriculo tribui ac decerni ſolent, ea tu tunc meritiſſimo conſecutus ſis, cum adhuc maturum videri poterat, de animo ad illas graviores diſciplinas adjiciendo cogitare. Atque ut iſtius generis ingenium nunquam ita eſſe otioſum poteſt, ut omnino nihil agat, quod tibi dabatur a ſeverioribus ſtudiis excepti ac ſubſecivi temporis, eo tu, quaſi ludibundus, eas artes, in quibus ingenui adoleſcentes exerceri olim Athenis ſolebant, ita omnes didiciſti, itaque te in eis exercuiſti, ut in earum qualibet cum ſummis artificibus comparari facile poſſis. Quid nunc ego mores illos tuos plane, ut Poëtae loquuntur, aureos laudem? Potuitne quisquam unquam bonus tecum biduum vivere, tuaeque ſuavitatis partem aliquam guſtare, quin, ut ſibi totam aetatem tecum exigere liceret, optaverit? Ita tu, quod rariſſimi exempli eſt, ſummam integritatem vitae cum ſumma comitate ac facilitate copulaſti. Sed nolo nunc plura de te, ne ipſi tibi moleſtus ſim. Equidem cum de ſcriptis meis non magnopere laborare ſoleam, tamen hunc librum praecipue cupio & celebrari nunc, & ad

posteros pervenire: ut exstet aliquod testimonium judicii de singularibus tuis virtutibus mei. In quo ne forte quis eorum, qui te non norunt, (nam de iis, quibus tu notus es, nihil tale metuo,) assentationi & consuetudini datum esse aliquid suspicetur, Deum immortalem testor, nihil unquam a me verius, magisque ex animi mei sententia scriptum esse, quam ea, quae de tuis laudibus scripsi. A te peto, ut me ames, quo me ipsi mihi efficias cariorem. Vale. Romae. Kal. Maji. 1571.

M.

M. ANTONII MURETI

ORATIO I. (*)

DE

DIGNITATE AC PRAESTANTIA STUDII THEOLOGICI,

habita Lutetiae Parisiorum Non. Febr.
MDLII.

Cum omnes mihi singulari quadam, ac praecipua laude digni videntur, qui in asequenda honestarum artium scientia operam & industriam suam collocant, tum ii praecipue, qui veluti majore quodam numinis afflatu perculsi, (†) ceteris omnibus posthabitis, ad divinarum rerum intelligentiam omnes cogitationes suas, atque omnia studia contulerunt. Nam si eorum omnium, quae in hac immensa rerum universitate cernuntur, unumquodque na-

(*) Haec oratio non est inter eas, quas ipse Muretus edidit Venetiis apud Aldum 1576. sed cum nonnullis aliis ex Editione Ingolstadiensi, de qua vide Jac. Thomasium in Praefat. accessit. Sensit, puto, Muretus, quid orationi, quam juvenis scripserat, ad maturitatem deesset.

(†) Imo, *percussi*. Sed quid discriminis sit inter *percutio* & *percello*, Mureti aetas non satis cognitum habebat. Primus id ostendit R. Bentleyus ad Horat. Epod. 11. 2.

naturali perficiendi ſui deſiderio tenetur: & animus noſter ad ſimilitudinem divinitatis effictus tanto perfectior eſt, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus eſt, exemplar accedit: dubitari profecto non poteſt, quin ea ſit omnium praeſtantiſſima facultas, quae, quoad ejus fieri poteſt, cum humanis divina copulando, mortalitatem noſtram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctiſſima colligatione devincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, (*) demandatum eſt ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non ut eas quidem ſingillatim percenſere omnes, ac flore orationis conveſtire conarer, (quod & imperare iniquum eſſet, & ſuſcipere temerarium) ſed ut ex earum innumerabili copia pauca quaedam ſeligerem, de quibus ex hoc amplisſimo loco, vobis audientibus explicarem. Qua de re cum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem, veritus, ne idem mihi contingeret, quod nobili olim Sophiſtae apud Annibalem de rebus bellicis longa accurataque oratione diſputanti contigiſſe dicitur: ſi homo adoleſcens, & cum a ceteris rebus ſatis tenuiter inſtructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditiſſimos viros, ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod praeclare a Platone ſcriptum noveram, orationi, & iis rebus, quae oratione tractantur, quandam inter ſe cognationem intercedere oportere, ex quo facile intelligebam conſequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus. At iſta quidem, re adhuc integra, fortaſſis majore quadam cautione providenda fuerint: nunc quidem jam ſemel altum ingreſſis, quae nos cumque tempeſtas exceptura eſt, vela nimirum facienda ſunt. Illud modo, antequam ulterius provehar, a vobis ſummopere contendo, ut, quando omne mihi perfugium in veſtra bonitate ac clementia ſitum eſt, tenuitatem meam veſtro favore, & ſilentio ſublevetis, quo mea oratio his veluti ſecundis ſubvecta ventis, quem ſibi propoſuit, portum facilius conſequatur. Atque ut hinc exordiamur, ſi nihil diceremus aliud, niſi eam, quae antiquisſimo vocabulo Theologia dicitur, ſcientiam eſſe quandam, quae di-

(*) Manifeſtum eſt, verbum *dicere* a praecedenti *die* eſſe abſorptum.

divinae sapientiae thesauros hominibus recluderet, tamen illud, ut opinor, liquido constaret, quanto aeterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatem ceteris omnibus anteponendam. Sed quemadmodum qui praeclari alicujus aedificii pulcritudinem pervidere, ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducunt illud uno totum aspectu, contemplari, sed singulas etiam sibi partes accurate perlustrandas, ac seorsum considerandas putant: ita nos, si hujus praestantissimae facultatis partes paulisper excutere voluerimus, tum demum, quanta illius pulcritudo sit, intelligemus. Theologia igitur, viri eruditissimi, ut a majoribus nostris accepimus, duabus praecipuis (*) partibus continetur, quarum una in lege posita est, altera in Euangelio. Est vero ea lex, de qua loquimur, non ab humano profecta consilio, neque similis earum, quae hominum libidine statuuntur, in quibus multa inepte ac ridicule, nonnulla etiam impie ac nefarie sancita reperias, sed primum quidem ab illo hujus universitatis parente, (†) ac opifice Deo in omnium hominum impressa, atque insignita animis, post etiam eiusdem Dei digito in tabulis insculpta lapideis, ne improbis ulla praetendendae facinoribus suis ignorantiae occasio relinqueretur. Cumque eam in duo summa capita tribuere liceat, eorum prius, quae ad cultum numinis, posterius, quae ad tuendam hominum inter se societatem pertinent, omnia summa brevitate complectitur. Atque hinc vel inprimis naturae nostrae imbecillitatem licet agnoscere, quod cum pauca admodum, eaque suapte natura facillima praecepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque unquam stabilem, inoffensumque cursum perpetuo retineamus. Tremefactus itaque comparatione sui cum divinis praeceptis animus, Christo se indigere cognoscit, in cujus sinum confugiat, cujus se viribus provehat, sub cujus bonitate, tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, tutus ab iis, quae lege proposita sunt, suppliciis delitescat, ut rectissime Paulus legem paedagogum, qui nos veluti manu apprehensos ad Christum deduceret, nominasse videatur. Eat nunc Lucianus aliquis: perfricet frontem, & dicat ullam esse legem, quae cum hac lege ulla ex parte comparari que-

(*) Malim, *praecipue*. Et sic a Mureto scriptum puto.
(†) *Ac* nunquam ponitur ante vocalem.

naturali perficiendi sui desiderio tenetur: & animus noster ad similitudinem divinitatis effictus tanto perfectior est, quanto propius ad illud, ex quo ductus & propagatus est, exemplar accedit: dubitari profecto non potest, quin ea sit omnium praestantissima facultas, quae, quoad ejus fieri potest, cum humanis divina copulando, mortalitatem nostram, quantum illius imbecillitas patitur, divinae naturae arctissima colligatione devincit. De illius mihi facultatis laudibus, hodierno die, (*) demandatum est ab iis, quorum & apud me plurimum valet, & apud omnes peraeque valere debet auctoritas, non ut eas quidem singillatim percensere omnes, ac flore orationis convestire conarer, (quod & imperare iniquum esset, & suscipere temerarium) sed ut ex earum innumerabili copia pauca quaedam seligerem, de quibus ex hoc amplissimo loco, vobis audientibus explicarem. Qua de re cum mecum initio ageretur, refugiebam equidem tanti oneris magnitudinem, veritus, ne idem mihi contingeret, quod nobili olim Sophistae apud Annibalem de rebus bellicis longa accurataque oratione disputanti contigisse dicitur: si homo adolescens, & cum a ceteris rebus satis tenuiter instructus, tum in hoc genere penitus rudis, inter tot eruditissimos viros, ad dicendum de rebus divinis aggrederer. Illud etiam me commovebat, quod praeclare a Platone scriptum noveram, orationi, & iis rebus, quae oratione tractantur, quandam inter se cognationem intercedere oportere, ex quo facile intelligebam consequi, ut ad res divinas pro dignitate tractandas divinum quoddam requireretur orationis genus. At ista quidem, re adhuc integra, fortasse majore quadam cautione providenda fuerint: nunc quidem jam semel altum ingressis, quae nos cumque tempestas exceptura est, vela nimirum facienda sunt. Illud modo, antequam ulterius provehar, a vobis summopere contendo, ut, quando omne mihi perfugium in vestra bonitate ac clementia situm est, tenuitatem meam vestro favore, & silentio sublevetis, quo mea oratio his veluti secundis subvecta ventis, quem sibi proposuit, portum facilius consequatur. Atque ut hinc exordiamur, si nihil diceremus aliud, nisi eam, quae antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quae di-

(*) Manifestum est, verbum *dicere* a praecedenti *die* esse absorptum.

divinae sapientiae thesauros hominibus recluderet, tamen illud, ut opinor, liquido constaret, quanto aeterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellunt, tanto esse hanc facultatem ceteris omnibus anteponendam. Sed quemadmodum qui praeclari alicujus aedificii pulcritudinem pervidere, ac penitus cognoscere cupiunt, non satis sibi esse ducunt illud uno totum aspectu, contemplari, sed singulas etiam sibi partes accurate perlustrandas, ac seorsum considerandas putant: ita nos, si hujus praestantissimae facultatis partes paulisper excutere voluerimus, tum demum, quanta illius pulcritudo sit, intelligemus. Theologia igitur, viri eruditissimi, ut a majoribus nostris accepimus, duabus praecipuis (*) partibus continetur, quarum una in lege posita est, altera in Euangelio. Est vero ea lex, de qua loquimur, non ab humano profecta consilio, neque similis earum, quae hominum libidine statuuntur, in quibus multa inepte ac ridicule, nonnulla etiam impie ac nefarie sancita reperias, sed primum quidem ab illo hujus universitatis parente, (†) ac opifice Deo in omnium hominum impressa, atque insignita animis, post etiam eiusdem Dei digito in tabulis insculpta lapideis, ne improbis ulla praerendendae facinoribus suis ignorantiae occasio relinqueretur. Cumque eam in duo summa capita tribuere liceat, eorum prius, quae ad cultum numinis, posterius, quae ad tuendam hominum inter se societatem pertinent, omnia summa brevitate complectitur. Atque hinc vel inprimis naturae nostrae imbecillitatem licet agnoscere, quod cum pauca admodum, eaque suapte natura facillima praecepta sint, semper tamen deficiamus alicubi, neque unquam stabilem, inoffensumque cursum perpetuo retineamus. Tremefactus itaque comparatione sui cum divinis praeceptis animus, Christo se indigere cognoscit, in cujus sinum confugiat, cujus se viribus provehat, sub cujus bonitate, tanquam sub firmissimo aliquo clypeo, tutus ab iis, quae lege proposita sunt, suppliciis delitescat, ut rectissime Paulus legem paedagogum, qui nos veluti manu apprehensos ad Christum deduceret, nominasse videatur. Eat nunc Lucianus aliquis: perfricet frontem, & dicat ullam esse legem, quae cum hac lege ulla ex parte comparari que-

(*) Malim, *praecipue*. Et sic a Mureto scriptum puto.
(†) *Ac* nunquam ponitur ante vocalem.

queat. Quid enim? Quae, Deum immortalem, portenta in omnibus omnium legibus, si ab hac discesseris, reperiuntur? Quarum aliae furta, aliae adulteria, aliae etiam quaedam multo turpiora permittunt, ut nihil pene tam turpe sit, quod non legislator aliquis licere voluerit. Hanc vero sapientissimus ille Moses, non a Jove quodam commentitio, ut Minos; non ab Apolline, ut Lycurgus; non ab Aegeria, ut Numa; sed ab eo, qui solus veri Dei nomine censendus est, sibi per manus traditam accepit, ita numeris omnibus absolutam, ut nihil neque immutari, neque adjici, neque detrahi possit. Sed ea tamen, uti antea dixi, morbum quidem nostrum commonstrare ac detegere nobis potest: depellere eundem, ac sanare non potest. Morbi autem cognitio magnam ea quidem vim maximumque momentum ad vires recuperandas habet, neque tamen tantum, ut in ea posita sint omnia. Quare Evangelio nobis Christus aperitur, qui, modo firma in ipsum fide nitamur, non vana illa quidem, & otiosa, quam multi stulte & inaniter jactant, sed solida, & bonarum actionum perpetuo foecunda, nos, velut humeris suis impositos, tollit in coelum. O rem omni praedicatione majorem! O nuncjum vere jucundum & laetabilem! Cum humana natura primi parentis depressa lapsu pessum tota ferretur, tantam fuisse in filio Dei clementiam, ut delapsus e coelo, humanam formam induere voluerit, ut corporatus, ac carne tectus infinitis sese laboribus, cruciatibus, aerumnis, morti denique deterrimae, (*) atque acerbissimae exposuerit, quo sudore ac sanguine suo ab animis nostris durissimum jugum aeternae depelleret servitutis. Tene, Christe optime, ut nos liberali caussa asfereres manu, omnium dominus cum esses, servi formam assumpsisse? Tene nobis quietem tuis laboribus, libertatem tua servitute, vitam denique tua morte petisse? Admirantur historiae veteres Pythagoreum quendam, qui se pro amico in caussa capitis vadem dare veritus non est: at hoc quanto admirabilius est, Dei Filium, Deumque ipsum, ut nos merito nostro inimicos sibi, aeternis eriperet supplieiis, tot, tam dira, ac vel dictu, vel cogitatu aspera, & horribilia sustinere voluisse? Et quis,

(*) Imo, *teterrimae*. Si Muretus quod vulgatur scripsit, vitiosae veterum Scriptorum Editiones, in quibus hae voces saepe confundantur, ei fraudi fuerunt. Vide Drakenborchium ad Liv. IV. 3.

quisquam est, qui alias omnes, si in unum conferantur, scientias cum hac, qua ista tam pulcra, tam admirabilia, tam divina traduntur, ullo modo comparandas putet? Haec vero una est omni cura, studio, contentione dignissima. Haec una est non tam liberalis vocanda, quam liberatrix. Haec aurea illa catena est, qua cum coelestibus terrestria copulantur. Haec scala illa est, quam olim, per quietem sanctissimus Patriarcha vidit, cujus gradibus in coelum scandere liceat, atque illic Deum intueri, admirari, adorare, demittentem semet ipsum ex augustissimo illo majestatis suae fastigio, seseque accommodantem ad humanae conditionis humilitatem: rursusque eundem defunctum nobili illa servandorum mortalium provincia, spoliatisque inferis (o rem omni humana cogitatione sublimiorem!) in coelum sublimem raptum, vallatumque ac stipatum infinita tum geniorum concinentium, tum hominum de caliginosissimis illis Satanae ergastulis eruto rum multitudine, justo ac pleno triumpho coelum ingredientem, neque disjecta muri parte, sed valvis suo sanguine reclusis, iter eodem nobis omnibus aperientem. Atque haec quidem quamvis ejusmodi sint, ut ad excitandum, inflammandumque quemlibet torpentem animum sufficere posse videantur; tamen ex tam ubere campo alia quaedam, nisi molestum est, proferamus. Vere enim illud affirmare posse videor, eruditissimi viri, quemadmodum Platonici elementorum in corporibus coelestibus quendam veluti florem, in hisce inferioribus quandam veluti fecem esse dicebant: ita rerum omnium cognitione dignarum in Theologia florem, in aliis scientiis fecem contineri. Namque ut hinc nostra se primum efferat oratio, quis nescit, quantopere se in perscrutandis rerum principiis veteres Philosophi torserint, quamque nihil, si res ad verum exigatur, effecerint? Dum alius mundum hunc, & quicquid in eo vel aspectabile, vel tractabile continetur, putat ex temeraria quadam minutissimorum corporum concursione coaluisse: qui si vel unam earum, quas somniabat, atomum cerebri habuisset, nunquam istam stulte, incogitanterque (*) scripsisset: alius aeternum esse eum, neque desiturum unquam, neque exordium du-

(*) *Incogitans* Terentius dixit. Sed *incogitanter* aeque insolens est, ac *cogitanter* pro *cogitate*.

ducentem ab ullo temporis principatu, non animadvertens hac ratione illam, a qua ipse tantopere abhorrebat, infinitatem induci: qui vero optime sensisse creduntur, tamen Deo veluti comitem quandam materiam adjungunt, quasi ut artifex, ita Deus sine materia nihil possit efficere. Quid Theologi? hujus universitatis auctorem esse ac effectorem Deum, qui cum innumerabilibus seculis antecessisset, quo temporis puncto ipsi placuit, mundum hunc, & quae illius ambitu continentur, sine ullis vectibus, sine ullis ferramentis, sine ulla materia, verbo tantum, ac nutu suo ex nihilo architectatus est: eundemque assidue sua bonitate ac prudentia continet, moderatur, fovet, omnes in eo rerum ac temporum varietates, vicissitudines efficit. Quod statos orbium coelestium cursus, quod certas siderum trajectiones, quod constitutis vicibus insignes ac notabiles rerum commutationes intuemur, haec & cetera omnia ad eum modum non fortunae temeritate, aut vi ulla materiae dirigi, sed divina providentia temperari. Contemplemur & alia. Quid de animo humano Philosophi? Alius eum cor ipsum esse dicit, alius cerebrum, alius cordi suffusum sanguinem, alius spiritum innatantem sanguini, alius harmoniam quandam, alius eum ex numeris conficit, alius ex atomis, ut mihi quidem ista considerati certamen aliquod insaniae suscepisse videantur. Ita ex hoc tam confuso, tam vario, tam multiplici tetterrimarum opinionum veluti cinno, nihil fere colligere possumus, nisi semper copiosissimam messem hominum varie insanientium fuisse. Nam nonnulli quidem ea dicunt, ut eos in re tam seria risum captare atque aucupari putes, ut apud Dicaearchum Pherecrates, qui animum nihil omnino esse contendit, veritus, credo, ne quid posset tam absurde aut fatue dici, ut id nemo dixisset Philosophorum. Illa vero, multo etiam apud eos perturbatior, atque implicatior quaestio est, permaneatne animus corporeis solutus vinculis, an qui corporum, idem sit interitus animorum. Epicurus interire eos putat, nefas ratus, cum tam multa sibi cum suibus convenirent, se hoc uno ab eis interesse. Stoici longam eis vitam, ut cornicibus, sed non perpetuam tribuunt. Pythagoras vero jucundus est, qui remanere illos quidem docet, sed ex corporibus in alia corpora migrare, ut idem sit forte hodie gallus gallinaceus, qui tempore belli Tro-

Trojani fuerat Agamemnon. Quid Plato? Quid Aristoteles? de hoc quidem illud Homericum dici potest:

Τυδείδην δ' οὐκ ἂν γνοίης ποτέροισι μαχεῖτο,
Ἠὲ μετὰ Τρώεσσιν ὁμιλέοι, ἢ μετ' Ἀχαιοῖς.

Obscuritate enim se involvens sua, in neutram partem satis aperte propendet, ut pene in legem Solonis incurrere videatur: Ille autem proxime quidem omnium accedit ad veritatem, sed ei tam multa mendacia admiscet, ut non absurde dicant, qui eum dicunt poëtice philosophari. Quid porro de iisdem rebus Theologi? Animum hominis simplicem quandam & individuam esse naturam, ad exemplar divinitatis expressam, licet ortus participem, tamen interitus expertem, quae, corpore soluta, si se pure ac pie gesserit, in coelum evolet, aeternam illic Dei beneficio adeptura felicitatem; sin se malis, iisque inexpiabilibus cupiditatibus corrumpendam dederit, ad inferos nunquam desituris damnanda suppliciis deprimatur. Quod si quae de Deo a balbutientibus Philosophis dicta sunt, cum solida Theologorum doctrina (*) comparare collibuerit, reperiemus hos quidem certa omnia, & explorata, & salutaria tradere: illos vero neque satis, quid dicant intelligere, & credula ingenia perniciosissimarum opinionum laqueis implicare. Itaque quod Homerus de Tiresia, Cato de Scipione dixit, idem de Theologia dici potest, eam videlicet sapere solam, reliquas disciplinas, velut umbras per inane volitantes vagari. Quod si quis eam, quae ex levioribus studiis percipitur, amoenitatem requirit, ne eam quidem in feracissimis Theologiae campis frustra desideraverit. Nam sive poëticis modulationibus aures demulcere meditamur, quis unquam ita in hoc genere excelluit, ut cum Davide comparatus non sordeat? Nisi forte Orpheum, Homerum, Pindarum de levissimis plerumque nugis verba fundentes audire praestat, quam illum Deo acceptissimum regem, nunc Dei laudes plena hilaritatis oratione referentem, nunc

(*) *Solida doctrina* ἄκυρον est, nec Latinis usitatum: ut mirer, elegantissimum librum, quo Philosophiae elementa tradantur, ab Ernesto inscriptum esse *Initia solidioris doctrinae*.

nunc ejusdem auxilium in summis suis difficultatibus implorantem, nunc infectantem improbos, nunc commendantem probos, nunc ea, quae multis postea seculis contigerunt, ita subjicientem oculis, ut nullus ea melius Apelles in tabula expingere potuisset. Sive historiae cognitione ducimur, unde veriores, unde scitu digniores historias, quam ex sacris literis, repetere poterimus? An vero suavius est cognoscere, quid Croeso in Medos, quid Pyrrho in Romanos expeditionem paranti oblique Apollo, quam quid Mosi ad Pharaonem, quid Samueli in Palaestinos proficiscenti, aperte ac perspicue Deus ipse responderit? Quomodo Regulus a Carthaginensibus, quam quomodo Servator & Σωτὴρ humani generis Christus a Judaeis omni crudelissimorum supplitiorum genere divexatus fuerit? Jucundiusne, aut fructuosius arbitramur intelligere, quibus artibus Assyrii, Persae, Romani ceteras nationes devicerint, quam quibus augustissimi illi religionis nostrae principes, aliique deinceps innumerabiles eorum vestigia secuti Christianae ditionis (*) terminos ampliaverint? O hebetes & stupidos, aut, ut verius dicam, miseros & perditos, si qui harum rerum suavitatem, fructumque non sentiunt: Contra vero, o ter & quater beatos illos, quorum ita est affectus animus, ut nusquam suavius, quam in his studiis conquiescat: non eos aut inanium dignitatum, aut fluxarum opum adurit sitis: non eos voluptatum illecebrae molliunt: liberi & pravis omnibus cupiditatibus soluti, ex illo perenni puteo aquam aeternae vitae effectricem hauriunt: ex illis perpetuo virentibus campis flores suavissimos colligunt, ex quibus qui odores afflantur, eorum nunquam est intermoritura suavitas: Deo serviunt, Deo adhaerent, ejus tantum gloriae velificantur, eo fruuntur, quaeque olim plene percepturi sunt gaudia, ea jam nunc mente ac cogitatione praecipiunt. Ergo sive domi, sive

(*) *Ditio* apud veteres nihil est, nisi potestas, imperium. Sed ut *imperium* pro regno vel republica dicitur, sic etiam *ditio*, cadente Latinitate, pro regione vel regno dici coepit. Claudianus de II. Cons. Stilich. 160. *nec terminus unquam Romanae ditionis erit.* Vide Vossium de Vitiis Sermon. VI. p. 322. & Cellar Cur. Poster. p. 337. Hoc igitur Mureto ex inferioris aetatis lectione sorrepsit.

sive foris versentur, cum Deo assidue colloquuntur, sive prosperis rerum utantur successibus, eidem ut prosperitatis suae auctori gratias agunt: sive quid eis adversi accidit (quanquam quid ejusmodi vitis accidere adversi queat?) sed tamen si quid eis accidit earum rerum, quas vulgus adversas vocat, neque indignantur, neque concidunt animis, sed verbo divino sese solantes, quidquid a Deo immittitur, summi beneficii loco habendum esse ducunt. Pro Deum immortalem! quid est, si hoc non est, feliciter vivere, & in terris vitam coe stium imitari? O vitae Theologia dux, o virtutum omnium parens, vitiorum expultrix, animorum liberatrix: Quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse potuisset? tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes, velut de integro interpolasti: (*) tu distractos, dissipatosque variis idolorum cultibus homines in unius verae religionis societatem convocasti: tu magistra morum ac disciplinae fuisti: ac veluti sol exoriens, nubium caliginem dissipat, veluti sidus, quod Castoris & Pollucis dicitur, exortu suo maris rabiem placat, tempestatesque dispellit: ita tu divinitus exorta & tenebras ignorantiae dissipasti, & illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice, aut Cynosura quaepiam es, ad quam universus navigationis, id est, vitae nostrae cursus dirigatur. Tu ignis ille coelestis es, quem verus ille Prometheus, id est, Christus in terras attulit, sine quo vita constare non potest. Tu & vitae tranquillitatem largita nobis es, & mortis terrorem sustulisti. Beatos igitur, qui ad te, tanquam ad portum, confugiunt: beatos, qui se tibi a teneris unguiculis penitus totosque tradunt: miseros contra, qui, ut proci Homerici, ancillarum amoribus irretiti, te, quae omnium artium domina es, negligunt. Tu enim earum rerum scientiam profiteris, quarum plena cognitio aeternam beatitatem, ignoratio aeternum exitium hominibus pollicetur. At vos, viri optimi, quos partim hujus praestantissimae disciplinae verticem consecutos, partim illius sacris imbutos atque initiatos videmus, macti, inquam, macti animis, neque vos aut labor de-

(*) Dura & abhorrens translatio, praesertim cum *interpolare* semper fraudis significationem adjunctam habeat.

deterreat, aut voluptates avocent, quo minus in ſacratiſma illius adyta penetretis. Vobis enim vigiliarum ſudorumque veſtrorum, & magna hic inter homines praemia, & infinitis partibus majora ſunt in coelo divinitus conſtituta. DIXI.

DE

LAUDIBUS LITERARUM

ORATIO II.

habita Venetiis Menſe Octobri Anno

MDLIV.

Quae ſingula hominibus ad dicendum accedentibus timorem facere conſueverunt, patres ampliſſimi, vosque ceteri cives ornatiſſimi, ea mihi ſeſe hodierno die objiciunt univerſa. Sive enim loci amplitudo afferre perturbationis aliquid poteſt, Venetiis dicimus: ſive audientium dignitas, magna lectiſſimorum hominum adſtante frequentia dicimus: ſive ipſa orationis materia, dicendique conditio, ita dicimus, ut ſit nobis eodem tempore de ingenio, de doctrina, de gloria, ornamentisque omnibus in hoc litterarum certamine periclitandum. Venetiis dicere, ſi quisquam eſt, qui parum putet, eum neceſſe eſt in maximarum, earundemque toto orbe notiſſimarum rerum ignoratione verſari. Ecquis enim eſt hodie tam inacceſſus, tam ab omni hominum conſortio remotus in terris locus, quo non hujus praeſtantiſſimae civitatis fama pervaſerit? quis populus, quae gens, quae hominum natio vel tam immanis atque barbara, vel tam exculta diſciplinis atque artibus, quam non jam pridem florentiſſima Venetorum Respublica non gloria modo & ſplendore nominis ſui, verum etiam admiratione compleverit? Haec vero firmamenta Reipublicae, haec ornamenta Italiae, haec virtutum omnium, laudandarumque artium praeclariſſima lumi-

mina intuentem, non commoveri, tantum id quidem eſt, ut, non dicam in meam hanc mediocritatem ingenii, ſed vix in quemquam hominem, qui ceterorum de ſe judicia extimeſcat, cadere poſſe videatur. Etenim ſi eloquentiſſimos olim viros accepimus, cum ad dicendum veniſſent, unius Principis adſpectu ita conturbatos fuiſſe, ut obmuteſcerent: quid mihi tandem animi eſſe oportet, qui neque comparandus cum illis omnino ſum, & apud vos dico, Senatores amplisſimi, ad quos cum oculorum converto aciem, totidem mihi conſeſſum Principum videor intueri? Ac ceteri quidem ſaepe ad eam excuſationem confugiunt, ut ſe, cum tenuitatis ſuae conſcii eſſent, tamen vel neceſſitate, vel officio impulſos, vel amicorum ſive precibus, ſive tempore aliquo adductos, dicendi munus non tam appetiviſſe, quam detrectare non potuiſſe dicant; quam totam rationem nobis hodierno die ipſa rei natura, conditioque praecludit. Non enim detrectantes, ſed ultro nobis depoſcentes hanc dicendi provinciam, ad eam non alienis precibus impulſi, ſed veſtra incredibili benignitate admiſſi ſumus: ut, ſi minus ex aliqua parte noſtra vobis approbata fuerit induſtria, cauſſa nulla ſit, quin omnes accuſandam potius noſtram temeritatem, quam imbecillitatem ſublevandam putent. Equidem cum & ab ineunte aetate, tum domeſticis excitatus exemplis, tum ipſa hortante natura, honeſtarum artium ſtudia coluerim, & ubi primum per aetatem licuit, quae mihi meo ipſe labore pepereram, aliis tradere ingreſſus, novem prope jam annos in hac dicendi, & docendi exercitatione conſumpſerim; tamen ſuperiora illa conſiderans, ita commovebar animo, facile ut hoc potuerim abſtinere conſilio, niſi me huc ſumma de veſtra ſingulari humanitate concepta ſpes, & magna quaedam approbandae vobis, ſi minus eruditionis, at certe voluntatis meae cupiditas impulisſet. Ac mihi quidem, &, cujus rei cauſſa in hunc locum adſcenderim, & ad quos verba facturus ſim, cogitanti, prorſus ita videtur; nullo in argumento meam commodius orationem poſſe verſari, quam ſi, litterarum diſciplina quantum non ornamenti ſolum, verum etiam praeſidii bene temperatis civitatibus afferat, tum adhibitis rationibus, tum etiam exemplis, atque ex veteribus ſaeculis repetita memoria exponam: minime id quidem, quo vos, tales viros, commonefa-

ciam, excellentibus a natura ingeniis praeditos, eruditos a ſtudiis liberalium doctrinarum, a diuturno aſſiduoque magnarum rerum uſu peritos: ſed quia libenter facio, ut, quarum artium percepta ſcientia unumquemque veſtrum vehementer affici conſtat, earum animos veſtros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita ſe habeant; mihique ipſa per ſe delectae ad dicendum materiae dignitas ſatis magnam audientiam factura videatur: tamen magis conſuetudine, quam quod ita neceſſarium judicem, petam a vobis, ut mihi, res pulcerrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis, magnumque momentum poſitum eſt in litteris, viri amplisſimi, ad conſervandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda ſunt, e ſingulorum civium felicitate conſtet: ſingulorum autem felicitas in excolenda, exercendaque virtute praecipue ſita ſit: & ad perfectam virtutem conſequendam, neceſſariam quandam praecurſionem adhibeant literae: illud profecto conſequitur, ut, niſi in qua litterarum cultura vigeat, florere abſolute civitas nulla poſſit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes; omnem publicorum temporum varietatem; omnes inſtituendae vitae rationes & vias animo & cogitatione percurrite: nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut, eas ſi quis ſuſtulerit, ſolem ipſum de mundo ſuſtuliſſe videatur. Eae nos, ubi primum firmius incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipſo prope nutricum acceptos ſinu, titillatione quadam honeſtisſimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis ſaluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonſtrant vias: excitant in animis noſtris igniculos gloriae: quantus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quae qui ſemel bene penitus imbiberint, ii nunquam non poſtea & vitii turpitudinem omni ſtudio refugient, & officii honeſtatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in ſemente poſita ſpes meſis eſt, ita totius reliquae vitae exſpectatio ab educatione pueritiae pendet. Ut vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adoleſcentiae excepit, quae tandem alia res, aut animum praeclararum rerum ſtudio accendere, aut efferentibus ſeſe cupiditatibus,

bus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos injicere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis tropaeo, quiescere volentem, excitari: quanto eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium tropaea non e marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui aetatis suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta si quidem est oblectatio paullatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris taedium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poëtae, cum ceteros omnes Deos Veneris imperio subdidisset, in Minervam modo & in studiorum praesides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Jasonem olim, ceterosque Argonautas, cum eam insulam, quae ab amoenitate, florumque copia nomen invenerat, praetervavigarent, periculumque esset, ne molli, ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse: qui cum assedisset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare coepisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento, (*) quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula juventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, & a recto itinere abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cujus suavitatem qui percipiunt, ii & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum illud iter

(*) Vox *figmentum* non habet idoneum auctorem. Vide Scioppium Infam. Fam. p. XXX. & de Stil. Hist. p. 167.

ciam, excellentibus a natura ingeniis praeditos, eruditos a ſtudiis liberalium doctrinarum, a diuturno aſſiduoque magnarum rerum uſu peritos: ſed quia libenter facio, ut, quarum artium percepta ſcientia unumquemque veſtrum vehementer affici conſtat, earum animos veſtros jucunda commemoratione delectem. Quae cum ita ſe habeant; mihique ipſa per ſe delectae ad dicendum materiae dignitas ſatis magnam audientiam factura videatur: tamen magis conſuetudine, quam quod ita neceſſarium judicem, petam a vobis, ut mihi, res pulcerrimas brevi oratione comprehendere meditanti, exigui temporis attentionem ne denegetis. Magna omnino vis, magnumque momentum poſitum eſt in litteris, viri amplisſimi, ad conſervandas, bonisque cumulandas omnibus civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam humana omnia referenda ſunt, e ſingulorum civium felicitate conſtet: ſingulorum autem felicitas in excolenda, exercendaque virtute praecipue ſita ſit: & ad perfectam virtutem conſequendam, neceſſariam quandam praecurſionem adhibeant literae: illud profecto conſequitur, ut, niſi in qua litterarum cultura vigeat, florere abſolute civitas nulla poſſit. Ponite vobis ante oculos omnes aetatis humanae partes; omnem publicorum temporum varietatem; omnes inſtituendae vitae rationes & vias animo & cogitatione percurrite: nullam omnino reperietis, quae non ita litterarum auxilio indigeat, ut, eas ſi quis ſuſtulerit, ſolem ipſum de mundo ſuſtuliſſe videatur. Eae nos, ubi primum firmius incedere, atque articulatius loqui coepimus, de ipſo prope nutricum acceptos ſinu, titillatione quadam honeſtisſimae voluptatis alliciunt, allectos praeceptis ſaluberrimis complent: non tantum bene dicendi, verum etiam bene vivendi commonſtrant vias: excitant in animis noſtris igniculos gloriae: quantus ſit in virtute ſplendor, quanta in vitiis deformitas, edocent: quae qui ſemel bene penitus imbiberint, ii nunquam non poſtea & vitii turpitudinem omni ſtudio refugient, & officii honeſtatisque rationem rebus aliis omnibus anteponent. Ut autem in ſemente poſita ſpes meſſis eſt, ita totius reliquae vitae exſpectatio ab educatione pueritiae pendet. Ut vero infirmam illam ineuntis aetatulae teneritatem robur adoleſcentiae excepit, quae tandem alia res, aut animum praeclararum rerum ſtudio accendere, aut efferentibus ſeſe cupiditatibus,

bus, quibus ea pars insigniter agitari solet, frenos injicere, praeter litterarum tractationem, potest? Themistoclem olim, cum somnum capere adolescens non posset, dicere solitum tradunt, se Miltiadis tropaco, quiescere volentem, excitari: quanto eos acrius incendi, atque inflammari necesse est, qui quotidie non unius, sed innumerabilium hominum virtute praestantium tropaea non e marmore constituta ad exigui praedicationem temporis, sed ad omnem aeternitatem commendata litteris intuentur? Neque vero pertimescendum est, ne aut labore frangantur, aut voluptatis irretiantur illecebris ii, qui aetatis/ suae florem litterarum studiis dedicandum esse statuerunt. Tanta si quidem est oblectatio paullatim acquirenda cognitione rerum sese pascentis animi, ut, ea qui fruuntur, ab iis neque laboris taedium, neque avocantium voluptatum blanditiae sentiantur. Itaque sapienter poëtae, cum ceteros omnes Deos Veneris imperio subdidisset, in Minervam modo & in studiorum praesides Musas nihil ei, nihil Cupidini juris esse voluerunt. Quin etiam illud ab iisdem memoriae proditum est, Jasonem olim, ceterosque Argonautas, cum eam insulam, quae ab amoenitate, florumque copia nomen invenerat, praetervigarent, periculumque esset, ne molli, ac delicato Sirenum cantu, quae eam insulam incolebant, ad exitium perducerentur; unum in Orpheo perfugium habuisse: qui cum assedisset in puppi, simulque fides blandis impellere digitis, simul vocem illam, qua rupes nemoraque traxerat, explicare coepisset, tanta simul aures animosque audientium voluptate complevit, ut jam Sirenum vocibus nemo navigantium moveretur. Hoc figmento, (*) quid tandem aliud doctissimi homines, nisi id, quod nos volumus, indicarunt? Florida videlicet illa insula juventus est. Eam qui quasi praetervehuntur, magno in periculo sunt, ne Sirenum, id est, voluptatum blanditiis decepti, & a recto itinere abducti, in vada & scopulos deferantur. Quodnam igitur huic tanto periculo comparatum remedium est? Quod, nisi Orphei, optimi ac sapientissimi vatis, lyra? cujus suavitatem qui percipiunt, ii & Acheloidum cantus pro nihilo putant, & tandem institutum illud iter

(*) Vox *figmentum* non habet idoneum suffragium. Vide Scioppium Infam. Fam. p. 222. & de Stil. Hist. p. 167.

iter emensi, vellus aureum, id est, virtutem cum immortali conjunctam gloria consequuntur. Nimirum ut major lux minorem, ita minoris voluptatis sensum perceptio majoris extinguit. Quanto autem voluptas ea, quae discendo sentitur, ceteris omnibus major, sinceriorque sit, vel illud indicio est, quod aliarum, etiam qui eis plurimum tribuunt, satietatem tamen quandam esse, ac taedium, confitentur; hujus ut quisque percepit plurimum, ita eam acrius, atque avidius concupiscit. Quod si cui forte dubium est, prodeat in medium Chrysippus, qui saepe studio intentus tanta voluptate perfruebatur, ut eum tanquam extra se positum cibi potionisque caperet oblivio. Prodeat sollertissimus ille caelestium orbium non perscrutator tantum, sed etiam imitator, Syracusanus Archimedes, qui non modo earum rerum, quas natura fert, prae ea, quam capiebat e studiis, oblectatione memor non erat; sed in illa ipsa Syracusanae urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladii cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostium potestatem venisse sentiret. O rem omnium seculorum admiratione dignissimam. Diripiebatur urbs ea tempestate omnium opulentissima; effusi per vias milites, ut in quemque inciderant, sine ullo sexus, aetatis, ordinis discrimine obvios contrucidabant; undique gladiorum fulgor praestringuebat oculos; undique armorum sonitus, undique cadentium tectorum fragor audiebatur; puerorum ejulatibus, mulierum lamentis, morientium gemitibus, militum clamoribus, privata publicaque omnia circumsonabant; ipsa urbs paene dimota & convulsa sedibus suis, suorum civium in caede ac sanguine natabat; cum unius hominis mens in media civitate, civitatis ipsius casum ac ruinam non sentiebat. Solonem vero accepimus, cum in lectulo, morti proximus, decumberet, inaudisetque assidentes amicos de re quapiam, summisse, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur clatius; sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum e vita jucundiorem fore. O discendi cupiditas; quid non efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Tenebatur homo sapientissimus gravissima vi morbi defixus in lecto: vicinitate jam mortis ab omnibus paene corporis partibus sensus abscesserat: egregius ille animus, mox liber ac solutus fu-

futurus, e corporeis vinculis exsilire cupiebat: cum quidquid supererat virium, eo contulit, ut deficiente lingua, vocibusque interruptis, ac morientibus suum doctrinae, cognitionisque desiderium indicaret. Quid hunc verisimile est firmum ac valentem fecisse; qui ne mori quidem, nisi discendo, voluerit? Merito igitur tam diu floruit Athenienſium Respub. quam diu tam praeclari viri tenuit disciplinam. Sed, ut eo redeamus, unde nos facta praeclarissimorum hominum mentio paullisper abduxit; dici profecto non potest, adolescentes nobilissimi: vos enim, vos mea jam compellabit oratio: dici, inquam, non potest, ea studia, in quae nunc toto pectore incumbitis, quanto olim vobis & ornamento, & auxilio futura sint, cum vos & generis vestri nobilitas, & vestra virtus ad Reipub. gubernacula admoverit. Etenim quibus artibus civitates praecipue conservantur, pietate, justitia, fortitudine, inprimisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina litterarum prodita monumentis. Neque vero haec a me ita disputantur, ut contendam, nisi litteris eruditum, civem patriae utilem esse neminem posse: sed hoc dico; nisi litteris exculti sint ii, qui velut in Reipub. puppi sedentes, clavum tenent, multis eos muneris sui, iisque praecipuis partibus necesſario defuturos. Nam, cum duo publicorum temporum genera sint, unum pacis, alterum belli, quorum alterum semper optabile est, alterum nunquam optabile, nonnunquam necessarium; quomodo, ut hanc partem priore loco attingamus, in pace, civibus jura describere, quantum cuique tribuendum sit, intelligere, civium inter se disſidia componere, verba publice facere, legationes cum laude gerere, praeterita tenere, futura prospicere, quid in omnibus rebus factu optimum sit, videre, & ex aliis alia colligere poterit, nisi qui haec sibi de litterarum fontibus hauriendа omnia existimaverit? Nisi vero eorum recipienda sententia est, qui fieri putant posse, ut qui Reipub. praeest, quamvis litterarum sit expers, tamen ad eas res, quas modo enumeravimus, aliena opera non incommode utatur. An vero T. Manlium Torquatum, memoriae proditum est, cum consul declaratus fuisset, excusasse valetudinem oculorum, & summum imperium detrectasse; quod indignum duceret, ei capita ac fortunas ceterorum committi, qui alienis oculis omnia gerere cogeretur?

tur: qui alieno ingenio, alienaque lingua ad omnia uti necesse habebunt, ii satis ad gubernandos ceteros idonei videbuntur? At oculorum quidem lumine carentes, nihil prohibet acie ingenii etiam futura cernere, optimeque consulere: quales in fabulis Tiresiam, in historiis Appium legimus: cujus vero doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praeclarum potest? Sed sunt quidam homines, qui cum litterarum tractationem tranquillis pacatisque temporibus & honestam inprimis & utilem esse fateantur: iidem tamen, cum occupata bello aliquo civitas est, latere eas, quasi perterritas metu, & inter tubarum lituorumque clangorem, nullum sui amplius praebere usum arbitrantur. Quorum nobis hac in parte coarguendus error est, & quantum vel in medio bellorum tumultu litterae valeant, aperiendum. Etenim si corporis tantum, non etiam animi, viribus bella gererentur, tum isti fortasse aliquid dicerent: nunc quis est, qui cum mihi & maximum esse in bellis consilio ac prudentiae locum, & eas virtutes bona ex parte litterarum studio comparari, certe quidem insigniter augeri, confirmarique concesserit, idem tamen earum scientiam in bello inutilem esse contendat? An ignoramus celebre illud regum regis Agamemnonis votum, qui ut Troja facilius potiretur, non Achillis, aut Ajacis, sed Nestoris decem similes optabat sibi? Neque temporis nobis ad vivendum a natura praescripti ea longitudo est, neque ita fert humanarum rerum ratio, ut multis admodum bellis interfuisse unus idemque possit? Itaque qui unum alterumve spectarunt, multum sibi militaris prudentiae collegisse existimantur. Quid eos judicabimus, qui hoc sibi diuturna librorum evolutione peperterunt, ut omnibus, quotquot post hominum memoriam gesta sunt, bellis interfuisse videantur? Quod si quis ita bella aliquot spectare posset, ut utriusque partis consilia teneret, rerum administrandarum viam, rationemque cognosceret, eventus animo cerneret, quid non ei postea in rebus bellicis omnium consensu tribueretur? At haec omnia, qui versantur in litteris, aliaque plurima, ac pulcerrima otiosi ac sedentes consequuntur. Taceo, quam multa expressa sint eruditissimorum hominum scriptis de virtute, de gloria, de caritate patriae, de animorum aeternitate, de praemiis, quae post mortem manent eos, qui

qui se pro patria animose ac fortiter gesserint: quae tantam vim habent, ut neque qui ea ignorent, verae laudis habere gustum, neque qui tractant, verae ac solidae gloriae ullam omnino rem anteferre possint. Quid illud, an non quantivis est, quod saepe labantes jam ac deficientes exercitus eloquentium hominum voce legimus fuisse revocatos? Citetur testis Lacedaemoniorum civitas, cujus exercitus Tyrtaei poëtae versibus inflammatus, pulcerrimam illam de Messeniis victoriam reportavit. Dies me deficiet, si aut eruditos homines, qui bellicis laudibus praestiterunt, aut fortissimos imperatores, qui eruditionis & doctrinae gloria excelluerunt, enumerare instituam. Nam & Archytam (*) Tarentinum sexies exercitum duxisse comperimus, & Melissum navalibus aliquot victoriis insignem fuisse, & ter stipendia fecisse Socratem, & Platonem, & Xenophontem egregiam in bello civibus suis operam praestitisse. Quid illa propugnacula Graeciae, Periclem, Themistoclem, Epaminondam loquar? Quid illa Romani imperii columina, Scipiones, Lucullos, Fabios, Marcellos, aliosque innumerabiles proferam? quos omnes cum bellicis laudibus claros, tum praestantes doctrinae studiis fuisse, historiae loquuntur. Nam Julium Caesarem, quis nescit, utra laude praestaret, ambiguum posteris reliquisse? Brutus autem, quanto litterarum ardore flagraverit, vel ex eo colligi potest, quod ea ipsa nocte, quae mortem ipsius antecesserit, Platonis dialogum de animorum immortalitate legisse aliquoties, dicitur. Atque hoc praeclare olim intellexisse videntur Mitylenaei, praecipuam esse in Repub. vim litterarum, qui, quos populos bello devicerant, (†) nullam eis aliam poenam irrogabant, nisi, ut ne liberos suos litteras edocerent. Sciebant videlicet, eas tantum civitates florere posse, in quibus litterarum studia colerentur. Cujus rei cur tandem aliunde exempla repetamus? An vero, Cives, quod viget hodie vestra Respub. quod floret, quod beata est, quod cum ceterae orbis universi par-

(*) Haec exempla sumta sunt ex Aeliano V. H. VII. 14.

(†) Aelianus V. H. VII. 15. unde haec ducta sunt, non hostibus devictis hanc poenam constitutam dicit, sed τοῖς ἐπιτηδείοις τῶν συμβάντων. Mureti errorem notavit Jo. Checcotius in Praef. Mureti Operum ex Edit. Patavina p. 69.

partes gravissimis bellorum tempestatibus agitentur, una haec (quod ei Deus opt. max. proprium ac perpetuum faxit) in pace atque in otio conquiescit, aliunde id fieri creditis, quam quod ei & praesunt homines cum ceteris omnibus, tum hac eruditionis & sapientiae laude clarissimi, & semper eorum simillimi praefuerunt? O divine Plato, tua sunt omnia & dicta & cogitata praeclare. Tu dicere solebas, tunc demum Respub. beatas fore, cum eas aut Philosophi coepissent regere, aut qui regerent, philosophari. Tuum hoc sapientissimum oraculum perpetua jam mille amplius annorum felicitate Venetorum Respub. comprobavit. Equidem quo longius in altum invehor (*), Patres amplissimi, eo mihi amplior & patentior (†) orationis quasi cursus ostenditur. Sed & temporis me ratio, & vestra singularis sapientia, ut vela contraham, portumque tandem aliquando respiciam, monet. Neque enim credibile est, posse aut me, aut quemquam de litterarum praestantia, fructibusque, qui ex earum tractatione capiuntur, vobiscum melius, aut copiosius, quam unumquemque vestrum secum loqui; & mihi non tam orationis conquirenda copia est, quam vestra satietas refugienda. Itaque finem dicendi faciam, si vos prius etiam atque etiam rogavero, ut, si forte minus a me ornate ac copiose dictum est, quam & hujus loci amplitudo, & summa audientium dignitas postulabat, meum tamen iccirco placendi vobis studium ne improbetis. Ego quidem si non indignus a vobis, qui saepius audiar, judicer, erit, quod mihi magnopere gratuler; sin forte: sed reprimam me, neque committam, ut meis ipse votis videar male ominari; qui tamen a tot, tam praeclaris viris, tanta benignitate auditus fuerim, magnum mihi non hujus modo laboris, sed totius anteactae vitae fructum hodierno die vestro singulari beneficio videor consecutus. DIXI.

(*) Ingolstadienses bene correxerunt, *evehor*. Sic enim veteres loquebantur. Exempla sunt apud Drakenborch. ad Liv. XXXVII. 23.

(†) Pro *patentior cursus* exspectabam *patentior campus*. Sed quoniam metaphora ab itinere maritimo ducta est, *cursus* pro *campus* dicere maluit, imitatus Ciceronem pro Planc. 7. *Plancium non obrepsisse ad honorem, sed eo venisse cursu, qui semper patuerit hominibus hoc nostro equestri loco*. Cujus tamen loci dispar ratio est.

DE

DE

UTILITATE AC PRAESTANTIA LITTERARUM HUMANIORUM ADVERSUS QUOSDAM EARUM VITUPERATORES.

ORATIO III.

habita Venetiis postridie Non. Octob. Anno

MDLV.

Permultos esse intelligo, qui de his litteris, quae humaniores vocantur, eam animo imbibere sententiam, ut earum tractationem leve quiddam esse, ac nugatorium existiment: neque aut magnos admodum labores ab iis suscipi, qui eas juventuti tradant; aut eorum magnopere fructuosam esse Reipub. industriam: in eis denique non exquisitam ullam, ac reconditam, sed circumforaneam quandam, haustamque de triviis ac circulis requiri doctrinam putent. A quibus ego quoniam ita dissentio, ut ex omnibus, qui se aliquid docere profitentur, horum vel gravissimum munus esse contendam: neque ullos esse, qui aut laborum plus perferant, aut majores in Repub. pariant fructus: doctrinae denique a nullo hominum genere majorem aut copiam requiri, aut varietatem arbitrer: constitui hodierno die, Patres amplissimi, vosque ceteri viri ornatissimi, eam mihi ad dicendum materiam sumere, & nobilissimam studiorum partem, quantum id quidem in me positum erit, a contemptu, atque ab intolerabili eruditorum (*) hominum insolentia vindicare. Et vero quid aut huic tempori, aut omnino meo muneri facere convenientius possum, quam ut, quae mihi studia celebritatis aliquid cum aliis in locis, tum hac ipsa in civitate pepererunt; a quorum ego veluti fontibus ad hanc quantulamcunque profluxi hominum famam; iis quoque vicissim oratione mea splendoris ac claritatis afferre aliquid coner? praesertim cum, qui hoc litterarum ge-

(*) Sic Aldina, cui ipse Muretus praefuit. Ingolstadienses & reliquae, *ineruditorum*, contra Murei mentem, qui Philosophos, non homines ineruditos, refellit.

genus aſpernantur, facere nullo modo poſſint, quin de veſtra, Patres amplisſimi, ſingulari, ſpectataque in omnibus rebus, ac paene divina ſapientia nonnihil eadem ſuperbia detrahant. Etenim ſi haec tota res tam levis eſt, quam iſti eam videri volunt: quae vos tandem cauſa commovit, ut proximo ſuperiore anno, propoſitis publice libellis, ſtudioſorum hominum animos ad nobilem illam ingenii doctrinaeque contentionem excitaretis; utque iis, qui vobis in eo certamine probati eſſent, honeſtisſimum poſtea praemium ex aerario decerneretis? Quae certe una res ad coërcendam iſtorum temeritatem ſatis ponderis habere debebat: ut ſi hebetiores eos natura, ſtolidioresque finxiſſet, quam ut pervidere harum rerum praeſtantiam poſſent; quod tamen veſtro, talium virorum judicio probatum foret, magnum eſſe aliquid, ac praeclarum ſuſpicarentur. Sed quoniam cum iis, qui auctoritate non moventur, rationibus agendum eſt: adeſte animis; mihique breviter oſtendenti, quam varia, quamque multiplex eruditio requiratur in iis, qui litteras humaniores docent; eademque opera, quantos ex eorum navitate atque induſtria Respub. percipiat fructus; non aures modo, ſed mentes quoque attentas, quaeſo, paulliſper adhibete. Atque adeo, ut haec tota controverſia melius dijudicetur, operae pretium eſt, initio, quaenam ſit iſtorum contemptorum humanitatis oratio, cognoſcere. Qui quoniam eos, qui haſce litteras tractant, ad nullum fere majoris momenti negotium adhiberi vident, non ad judicandas lites, non ad agendas cauſas, non ad dicendam de rebus gravioribus ſententiam: facile in eam opinionem prolabuntur, ut ab eis, praeter poëticas quasdam fabulas ad pueriles animos hilarandos compoſitas, & aliquot levia comendae, ac poliendae orationis praecepta, nihil omnino teneri putent. Quid autem magni negotii eſt, inquiunt, in puerorum conſeſſu de ejusmodi figmentis commemorare, ac modo de Thebano, modo de Trojano bello, modo de Ulixis, aut Aeneae erroribus, molli, & ad inanem oblectationem compoſito ſermonis genere diſſerere; identidemque velut e quibusdam arculis accommodata colorandae orationi pigmenta depromere? Ecquae autem magna eruditio eſt, ſcire, quot navibus Graeci ad oppugnandum Ilium accesſerint; quot filios habuerit Priamus; Helenam rapuerit Alexander, ut Homerus, an Helenae ſimulacrum, ut Euripides prodidit? quod

quod emolumentum ex istorum omnium scientia; quod detrimentum ex ignoratione percipi potest? Nam ceterarum quidem artium professores quantum utilitatis afferant, perfacile est ad intelligendum Sive enim Dialecticos spectes; ab iis certa quaedam veri falsique in rebus omnibus cognoscendi ratio traditur: ii se, quid cuique consentaneum sit, quid repugnans, quid ex quoque efficiatur; quae sit dividendi, quae finiendi, quae argumentandi ratio, & tenere, & alios docere prae se ferunt. Quid Physici? qui rerum principia causasque tractant; qui, quomodo quidque gignatur, quoque modo intereat, edisserunt; qui nimborum, fulminum, tempestatumque causas; qui corporum caelestium magnitudines, intervalla, cursus, progressiones, institiones: qui animi naturam, qui rationem sensuum, qui animantium omnium ortus, victus, figuras: qui stirpium, qui omnium fere rerum, quae gignuntur e terra, naturas ita persequuntur, nulla ut pars ab eis caelo, mari, terra, ut poëtae loquuntur, praetermissa sit; haec cum tractant, mediocriterne Reipub. prosunt? Nam, si ad eos te convertas, qui eam susceperunt Philosophiae partem, in qua de rebus expetendis fugiendisque disseritur; il vero sunt, quorum industriae nulla unquam poterunt praemia satis ampla reperiri. Quibus enim, quamque praeclaris in rebus eorum disputationes consumi videmus? Qui hoc primum docent, qui sit finis, quid extremum, quid ultimum bonorum omnium: quod unum intueri, quo omnes actiones, omnes cogitationes, omnia consilia referri oporteat: quot sint virtutum, quotque vitiorum genera; quibusque modis illas asequi, ab his declinare possimus; quo modo, exsultanti, jactantique se, & detrectanti rationis imperium, frenos injicere oporteat cupiditati: tum quo modo quisque se in re familiari gubernanda gerere debeat; postremo, quo nihil pulcrius, nihil praeclarius, nihil denique divinius ne votis quidem conceptis optari potest: quibus moribus, institutis, legibus temperandae sint civitates: quibus illae modis fundari atque institui; quibus augeri, atque amplificari, quibus denique copiosissimae, locupletissimae, uno verbo, beatissimae effici possint. O res praeclaras, & ardentissimo studio, summaque corporis atque animi contentione dignissimas. O vitae Philosophia gubernatrix, o virtutum omnium parens, vitiorum

rum omnium expultrix. Tuum eſt falſarum opinionum temeritatem diripere (*): tuum eſt omnem inanitatem & errorem amputare, ac circumcidere: tuum eſt vitiorum fibras evellere, ſtirpes elidere, ſemina exſtinguere. Merito divinus Plato nihil te praeſtantius hominum generi a Diis immortalibus dari potuiſſe dicebat. Eant nunc iſti verborum magiſtri, fabularum interpretes, nugarum architecti: perfricent frontem, ſi quam habent, & ſe ullâ ex parte cum Philoſophiae doctoribus conferendos eſſe praedicent. Qui ſi aliquod forte paulo abſtruſius loquendi genus, aut aliquam voculam non ita pervulgatam, aut quampiam paullo reconditiorem fabulam reperire potuerunt, dignos ſe inaurata ſtatua putant; nonnunquam etiam de ejusmodi tricis ita inter ſe digladiantur, ut pro aris & focis certamen ſuſcepiſſe videantur. Haec fere eſt, Patres amplisſimi, eorum, qui ſtudia laboresque noſtros deprimere conantur, oratio: qui quod Philoſophiam laudant, libentibus id nobis, atque approbantibus faciunt: nunquam enim cuiquam concedemus, ut eam plus amet, plurisve faciat: quod autem nullum cenſent ſtudiis atque artibus noſtris cum ea eſſe commercium; in eo quantopere fallantur, facile ex iis, quae dicturus ſum, intelligetur. Nam primum omnium, ſi hoc ipſis concederemus, nihil aliud a nobis, quam poëticas fabulas, & exornandae orationis praecepta tradi: non ex eo tamen efficeretur, quod iſti volunt, inanem quandam, & ludicram noſtram omnem eſſe doctrinam, neque alio, quam ad puerorum animos vana quadam oblectatione demulcendos, referri. Etenim poëtarum fabulae, quas iſti tantopere exagitant, & inſectantur, non levia quaedam, & frugis expertia otioſorum hominum commenta ſunt: immo vero ſub eis, velut involucris, atque integumentis, omnis doctrina elegans, omnis ingenuo homine digna cognitio, omnis denique ſapientia continetur. Eratoſthenem (†) quendam fuiſſe ajunt, qui

(*) Sic ſcripſit, mendoſas Ciceronis Editiones ſecutus, de Finib. I. 13. *omnium falſarum opinionum temeritate directa.* Sed optime Davisius e MSS revocavit veram lectionem, *temeritate dempta.*

(†) Nullo modo credibile eſt, Eratoſthenem, excellentis doctrinae virum, & eundem, quod inprimis ad rem pertinet, poëtam talem, ut Longinus Π. Υ. §. 33. ejus Erigonem πανμάκαιραν καὶ πανίδρυτον ἐμφύλιον ap-

qui poëticen ita contemneret, ut Homerum ineptae loquacitatis magistrum nominaret. At certe Plato, at Aristoteles, quorum non paullo major est, quam nescio cujus Eratosthenis, auctoritas, ita saepe repetitis ex eo testimoniis utuntur ad confirmanda ea, quae tradunt, ut eum non tantum studiosissime legisse, sed vix unquam de manibus depositisse videantur. Itaque mirari soleo, cum quidam, qui se Philosophos videri cupiunt, & quidem ejusmodi Philosophos, ut, tanquam Atlante caelum, ita Philosophiam supercilio suo niti putent, ita despicatui ducunt poëtas, ut eorum scripta adspicere se dignari negent. Qui quidem cujusmodi Philosophi sint, ipsi viderint, cum eos contemnant, quos Philosophorum coryphaeus, Plato, modo sapientiae patres ac duces, modo Deorum interpretes, modo Deorum filios vocat. Aristoteles autem, cujus isti se germanos esse interpretes gloriantur, non tantum, ut ante dixi, in omnibus scriptis suis identidem poëtarum testimoniis utitur, verum etiam libro primo de sapientia, Philosophum omnem, fabularum amatorem esse confirmat. Quod igitur Aristoteleos esse se ajunt; fortasse verius, sine dubio quidem verisimilius dicerent, si se ab Epicuro esse affirmarent: hunc enim ex omni memoria unum fuisse Philosophum accepimus, qui cum omnem elegantiam doctrinae, tum poëtarum praecipue scripta contemneret. Quod quidem se, neglegendis poëtis, ex Aristotelis disciplina ac familia censeri volunt; in eo, meo quidem judicio, faciunt & impudenter, & imperite. At enim id mihi hoc tempore propositum non est, ut de poëtarum laude dicam: quod si esset, facile ostenderem, omnia praecepta vitae, omnia virtutum officia nihilo ab eis deterius, quam a Philosophis ipsis, doceri. Non igitur, cum poëtarum libros interpretamur, inanibus fabellis, nutricum more, animos ducimus; sed sementem quandam virtutis atque doctrinae facimus: non in levibus, minimeque frugiferis rebus operam sumimus; sed praecepta sapientiae, quo facilius in animos influant, in-

appellet, aut poëtis, aut Homerum contemsisse. Ego vix dubitem, quin haec Muretî criminatio fluxerit ex male intellecto loco Strabonis I. p. 32. 35. 45. seqq. ubi Eratósthenes Homerum reprehendit, non loquacitatis nomine, sed quod, omnia ad legentium voluptatem referens, non pauca finxerit Geographiae & Historiae repugnantia.

insatiabili quadam admirabilium rerum varietate condimus. Quid, cum ornate ac copiose loquendi praecepta tradimus, ludere videmur, an ea docere, quae semper principem locum in omni bene instituta civitate tenuerunt? An nescimus, eloquentiam a gravissimis auctoribus rerum omnium reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitratu suo flectit audientium animos, eosque pulcritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habenis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur moerentes, afflictos excitat, jacentes erigit; quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores, & nefarie in patriam inita consilia dissipavit: hac togatus superavit armatos: ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis majorem adeptus lauream diceretur. Hac instructi qui sunt, majus omnibus tyrannis imperium in homines obtinent. Si quidem tyranni possunt illi quidem corpora constringere; animis nullam adhibere vim possunt; hi vero dominantur in animis, quaeque ipsis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt: illi invitis imperant; hi volentibus; illi & oderunt omnes, & odiosi sunt omnibus; hos in omne hominum genus beneficos, perpetua omnium benevolentia comitatur. Neque vero non qui eloquentiam contemnere se simulant, illius praestantiam intelligunt: sed quod assequi non queunt, invidiose vituperare malunt, quam ingenue de imbecillitate suarum virium confiteri. Orationis igitur meae summa eo redit denique: etiam si nihil aliud a nobis requireretur, quam ut explicaremus poëtarum fabulas, & juventuti quasi vias, quibus ad dicendi facultatem pervenire posset, indicaremus: tamen neque mediocriter Reipub. prodesse nos, neque parvis in rebus contemnendisque versari. Nunc tantum abest, ut ea solum requirantur a nobis, ut nulla sit ars digna hominis liberaliter educati studio, cujus non aliqua cognitione oporteat tinctum esse eum, qui munus hoc cum laude sustinere meditetur. Itaque hoc inter nos & alios interest, quod alii eos tractant scriptores, quorum uno alliquo de genere tota disputatio est. Non enim fere in libris Dialecticorum, Physicorumve, aut in iis, quibus medicinae, jurisve civilis scientia continetur, quidquam re-

reperias, cujus intelligentiam non ex illis ipsis, de quibus inscripti sunt, artibus repetere possis: at nobis ii quotidie sunt explicandi libri, qui cum scripti sint a viris omni scientia excultis, ipsi quoque innumerabiles locos ex omni disciplinarum genere depromptos habent. Itaque ceteri, etiamsi eam unam artem teneant, quam docent, aliarum omnium sint omnino rudes, tamen sufficere posse suo muneri existimantur; neque unquam aut medico turpe habitum est, nescire leges; aut jurisperito vel medicinam, vel astrorum scientiam non tenere. Nos uni sumus, quibus omnis illa liberalium artium varietas non pertractanda quidem, ac pernoscenda penitus, sed degustanda tamen, & delibanda necessario est. Non longe abierimus. Superiore anno Ciceronis orationes in Verrem interpretati sumus. Quam multa ibi nos explicare meminerunt, qui tum aderant, in quibus alios propemodum omnes juris civilis ignoratio fefellerat? Libros ejusdem de finibus nunc ipsum interpretandos suscipimus. Quam multa nobis ex omnibus Philosophiae partibus depromenda erunt, quibus ignoratis, hos quoque libros ignorari necesse est? Quid astrorum ratio? Quid terrarum situs? nisi qui haec utraque utcumque teneat, satisne se quisquam idoneum poëtarum interpretem profiteri potest? Et tamen usque eo alienis laboribus iniqui homines reperientur, qui ludere nos, ac jocari, & nihil in docendo aliud, quam puerilem voluptatem, aucupari putent? Nam illud quoque minime praetermittendum est, quod a graviorum artium doctoribus neque ornata, neque elegans, neque, multis quidem in locis, Latina oratio postulatur. Itaque ruant licet in dicendo, & impure, improprie, barbare loquantur: suo id eis quodam jure licere creditur. At nobis dicentibus, sunt, qui quosdam quasi laqueos tendant; ut, si quid exciderit param expolitum, diem nobis continuo dicant violatae Latinitatis. Quodque postremae iniquitatis est, peccare non patent, nisi in iis etiam, quae subito fundimus, plurimi illigati sint & verborum & sententiarum lepores. Quae cum ita sint, quis est, qui non intelligat, si hominum exspectationi hujus professionis satisfacere cupiemus, infinitos esse nobis labores exhauriendos? Desinant igitur, desinant isti alienae industriae contemptores, gloriae obtrectatores: comprimant vocem stultitiae atque invidentiae

tiae indicem. Vos vero, Patres amplisſimi, pergite, ut facitis, benignitate veſtra labores noſtros fovere: ut haec florentisſima, & bonarum artium ſtudiis deditisſima juventus, exercitationibus hiſce noſtris ad virtutem praeparata atque praeculta, veſtram olim in hac felicisſima Repub. gubernanda ſapientiam facilius imitari queat. DIXI.

DE

PHILOSOPHIAE ET ELOQUENTIAE CONJUNCTIONE.

ORATIO IV.

habita Venetiis Menſe Octobri Anno

MDLVII.

Si quis forte veſtrum eſt, Auditores, cui admirabile videatur, quod cum ceteri ordinis mei homines in orationis fere alicujus, aut poëmatis explicatione verſari ſoleant, eos ſibi libros, quibus abditarum retruſarumque rerum ex uberrimis illis hauſta Philoſophiae fontibus tractatio continetur, interpretandi quidem cauſa, vix eſſe attingendos putent: ego contra & altero abhinc anno quinque Ciceronis libros, quibus de ſummo bono in contrarias partes copioſisſime disputatur, explicaverim, & hoc tempore Tuſculanas mihi potisſimum disputationes, in quibus hujus anni curriculum conficerem, elegerim: is, ſi mei conſilii atque inſtituti cauſam rationemque cognoverit, ſimul & id, quod facio, probabit, & me, ſi aliter fecisſem, juſtam doctorum & intelligentium reprehenſionem nullo pacto effugere potuiſſe exiſtimabit. Ego enim, Auditores, ſemper in ea fui ſententia, praeclaram illam minime communium contritarumque rerum ſcientiam, quam Philoſophi & tenere ſe, & aliis tradere profiterentur, ita eſſe cum facultate ornate copioſeque dicendi con-

conjunctam atque copulatam; ut eas qui distrahere ac divellere conarentur, & vel rerum cognitionem sine ullo factae ac politae orationis instrumento consectari se dicerent, vel verborum flosculis contenti, ne adspirarent quidem ad reconditos sapientiae fructus, pessime utrosque tum suis, tum alienis studiis consulere, & exitiale quasi corporis & animi dissidium (*) inducere arbitrarer. Igitur & ab ipso aetatis meae principio ita studiorum meorum rationem comparavi, ut exornandae orationis curam cum rerum investigatione conjungerem: & postea omnibus, qui se in disciplinam mihi dederunt, auctor fui, ut eandem illam viam, quam praestantissimorum omnis memoriae hominum signatam atque impressam vestigiis viderent, ipsi quoque toto pectore, omnique animi contentione sequerentur. Animadverteram enim, & eos, quorum omnis in concinnitate vocum, & in verbis tanquam ad normam dirigendis, quadrandis, componendis consumeretur industria, ab iis, quibus cor, ut ajunt, saperet, ut leves futilesque contemni: & eos, qui se ita penitus rerum indagationi tradidissent, ut de comparanda lautae orationis supellectile non laborassent, quasi agrestes ac barbaros quosdam ab omnibus elegantiorum hominum coetibus repudiari. Ergo simul atque mihi publice munus illud adsignatum est, ut iter vobis ad ea studia praeirem, quibus exculti, reipub. aliquando usum aliquem afferre possetis: statim id consilium cepi, ut alternis annis modo Ciceronis orationes, modo ejusdem ad Philosophiam pertinentes libros interpretarer. Itaque primus, ut meministis, annus in aliquot Verrinae accusationis librorum explicatione consumptus est. Secundo dissidentes veterum de summo bono sententias quinque libris expositas accurate persecuti sumus. Tertium Catilinarias sibi orationes vindicarunt. Hoc autem quarto, quem nunc felicibus ingredimur auspiciis, quas vobis, Auditores, quam exquisitas, quamque praeclaras avidarum doctrinae mentium epulas apparavi? Decrevi enim animos vestros ipsa sui cognitione pascere, eorumque vim ab omnibus rebus externis avocatam, totam in se ipsam colligere, & ad naturae suae contemplationem traducere, vos denique ip-

(*) Potius, *dissidium*. Sed hoc discrimen ignorabatur ante Grevium ad Liv. XXV. 22.

ipſos vobis oſtendere, & illam divinae aurae particulam, quae in nobis omnibus latet, conſiderandam, cognoſcendamque proponere Excutiendae nobis erunt omnes veterum Philoſophorum bibliothecae: perluſtranda omnis antiquitas: replicanda omnium veterum hiſtoriarum, monumentorumque memoria: ut ſciamus, quid homines ſapientiſſimi de humanis animis ſenſerint, quibus rationibus & argumentis adducti divinos eſſe eos, & interitus expertes cum ſibi, tum aliis perſuaſerint: exagitanda & coarguenda eorum caecitas, amentia, immanitas, qui alia in opinione fuerint: confirmandus ac muniendus animus adverſus mortis metum; proferenda exempla eorum, qui mortem partim adventantem deſpicatui habuerint, ac pro nihilo putaverint, partim etiam cunctantem cupide accerſierint. Stulte illi quidem: ſed tamen ut aperte oſtenderent, ſe nullo modo de animorum immortalitate dubitare: ut corporeis vinculis exuti ac liberi, in illas ſedes, in quibus puros a ſcelerum contagione animos poſt obitum verſari aoceperint, evolarent. O praeclaram diſputationem, & veſtro omnium concurſu, ſtudio, attentione digniſſimam! Etenim ſi vere ſcripſit Ariſtoteles, magis expetendam eſſe quantulamcunque praeſtantium rerum, & remotarum a captu vulgi cognitionem & intelligentiam, quam communium & pervagatarum quamlibet exquiſitam tractationem: quis eſt, qui non videat, quantulamcunque cognitionem animi, quo nihil eſt divinae naturae propius aut ſimilius, quamlibet accuratae aliarum rerum cognitioni multis eſſe partibus anteponendam? Et ſi nemo eſt, quem non vel nitido concepta ſpeculo, vel periti artificis expreſſa manu corporis ſui figura delectet: quanto jucundius quantoque ſuavius eſſe debet, expreſſam doctiſſimorum hominum ingeniis animi ſui quaſi quandam imaginem contueri? Quid illud? quanti tandem faciendum putatis, quod cum vitam nihil magis conturbet, quam mortis metus, eas nos rationes, quibus ille pellatur, allaturos eſſe profitemur? Non ſine magnis haec meis laboribus, ſudoribus, vigiliis fient; ſed mihi cum rerum ipſarum pulcritudo, tum flagrantiſſima cupiditas ſtudia veſtra modis omnibus adjuvandi, omnem laborem non modo facilem ac tolerabilem, verum etiam dulcem jucundumque reddit. Alios vulgaria atque obſoleta delectent: vos mecum, Auditores, ad haec recondita & ab-

abſtruſa contendite. Illos humilia, nos ſublimia; illos proclivia, nos ardua; illos in promptu poſita, nos a vulgarium oculis remota delectent; illos deterreat & exanimet difficultas, nos exacuat & exſtimulet; illos frangat ac debilitet, nos confirmet ac reficiat labor; illi nihil ſibi proponant, quod non quilibet unus e multis conſequi poſſit; nos quidquid ignavi vel ſperare audeant, noſtro indignum ſtudio eſſe ducamus. Sed quoniam nonnulli reperiuntur, qui, quod vel erroris caligine occaecati, haec Philoſophiae cum eloquentia conjunctio quam ſit fructuoſa, non vident; vel invidiae veneno ſuffuſi, ad quae aſpirare ipſi non queunt, ea praeſtare alios indignantur: vel denique, quod, ſi omnia aliorum conſilia atque inſtituta reprehendant, ita ſe demum ſibi aliquam judicii famam confecturos eſſe confidunt: qua in re nobis laus ac commendatio debetur, ea in ipſa reprehendere nos atque accuſare non verentur: clamantque regendos eſſe profeſſionum fines, ſuisque quamque limitibus ac terminis coërcendam: neque patiendum, ut aut Philoſophi, quae ſunt eloquentium uſurpent, aut diſerti philoſophica attingant: ejusque rei rationes quasdam afferunt, non admodum validas illas quidem, ſed quae tamen aliquem minus peritum in fraudem inducere poſſe videantur: ſtatui hodierno die, Auditores, vobis diſceptatoribus atque arbitris, adverſus eos diſſerere, & quidem ea lege diſſerere, ut, niſi eos non dicam ego, ſed ipſa Philoſophia eloquentiae armis inſtructa fregerit atque abjecerit, cauſam nullam dicam, quin illi praeclare ſentire, nos deſipere; illi conſiderate ac ſapienter loqui, nos vaticinari atque inſanire; illi ſtudiis adoleſcentum optime conſulere, nos iisdem vehementiſſime officere judicemur. Intelligitis autem, eſſe mihi cum duplici hominum genere negotium: quorum alii levem & ineruditam loquacitatem, alii ornatam & ineruditam Philoſophiam colunt. Adverſus quos utrosque dum diſſero, peto a vobis per eas ipſas artes, de quibus dicere inſtitui, quarum utramque vobis maximopere cordi eſſe novi, ut ſtudium meum attentione veſtra excitetis, attentionem ſilentio indicetis. Primum autem congrediamur cum delicatis illis & mollibus, quos perinde ac parvos puerulos, ſevera & torva quodam modo Philoſophiae facies ita deterret, ut ad eam propius accedere

non audeant Efficiemus enim de duobus alterum: ut aut fusi ac fugati, molesti nobis esse desinant, aut, quod malim, confirmati, ac bene sperare jussi, socios se nobis honestissimi laboris adjungant. Vos igitur alloquor, quicumque vocum illecebris tamquam aliqua dulcedine cantuum capti, ad eas, tanquam ad Sirenios scopulos, adhaerescendum putatis. Ecquid intelligitis, omnem orationem ex rebus constare & ex verbis; rerum autem copiam & ubertatem non aliunde, quam a Philosophis peti posse; iccircoque esse Philosophiae cognitionem eloquenti futuro necessariam? Non enim ut tuscíniis canendi, sic hominibus loquendi facultatem oblectationis causa natura concesit: nec tantum munus suum, tamque praeclarum ad aures modo demulcendas voluit adhiberi: sed cum eos ita fabricata esset, ut eis rationis societatem cum Diis immortalibus intercedere voluisset, aptosque eos fecisset ad rerum praestantissimarum cognitionem adhibito studio consequendam: instrumentum etiam largita est, quo de illis rebus inter se disserere, easque alii cum aliis communicare possent. Placet autem hoc loco hujus disputationis principia paullo altius repetere, & ex ipsis Philosophorum libris causae nostrae firmamenta desumere, atque istis Philosophiae contemptoribus, earum rerum, quas contemnunt, specimen aliquod exhibere. Interjectum quodam modo & intermedium est hominum genus inter animantes consilii expertes, & inter purissimas illas mentes ab omni corporis societate secretas: ita ut illis quidem superius perfectiusque sit, his autem inferius, minusque perfectum. Nam illae quidem sensibus tantum degentes, nulla prorsus ratione ad intelligentiam & cognitionem progredi queunt; hae vero sine ullo sensuum adminiculo ac ministerio, simplicissimis notionibus, quaecunque ipsis ad intelligendum objecta sunt, apprehendunt. Homines autem possunt illi quidem ad rerum intelligentiam provehi, eoque sunt mutis animantibus superiores: sed, quoniam immortalis ipsorum, & simplex, & caelestis animus, mortalis, & concreti, & terrestris domicilio corporis hebetatur, eo fit, ut ad cognitionem & scientiam sine sensuum ministerio pervenire non possit. Itaque recte Plato mentis internuncios, quasque satellites sensus nominavit, eosdemque duces ad veritatem esse dixit. Ejus

autem auditor Aristoteles pronunciavit, nihil intelligi, nisi prius aliquid sensu perceptum fuisset, quod quasi viam, stravisset ad illud intelligendum. Idemque alio loco statuit, si cui sensum aliquem a primo ortu natura denegaverit, eidem necessario aliquam esse scientiam defuturam. Cum autem duobus tanquam itineribus ad scientiam pervenire liceat: quod alia reperimus ipsi per nos, quasique parimus, alia vero ab aliis accipimus: quorum illam inventionem, hanc disciplinam vocant: necesse erat, ad earum utramque sensum aliquem accommodari. Sed cum ceteri ad eam rem minus apti forent, oculorum quidem sensus ad rerum praestantissimarum indagationem, aurium vero ad earundem, cum ab alio traderentur, perceptionem ab ipsa natura constitutus est. Instrumentum autem communicandarum participandarumque animi notionum eadem natura orationem esse voluit: cumque ceteris animantibus sonos modo quosdam dedisset, quibus voluptatem, dolorem, desideria naturae, affectus denique indicarent; distinctam, hominibus, articulatamque tribuit vocem, unde eos Homerus μιξοβαρβάρους nominavit: quam cum ipsi arbitratu suo flexissent atque variassent, quasique compacto statuissent, quam cuique voci vim esse vellent, tum eo instrumento ad ea, quae animo concepissent, patefacienda uterentur. Sic fit, ut res quidem ipsae singulares percipiantur sensibus: qua ex perceptione existunt in animis rerum universarum notiones: ad eas vero evolvendas & in medium proferendas adhiberi debeat oratio: cujus usus cum ad eos tantum qui eodem tempore, iisdemque in locis viverent pertineret, hoc amplius machinata est hominum solertia, litteras, quae, ut voces notionum, sic hae vocum ipsarum essent notae; efficerentque, ut & absentes cum absentibus, & ii, qui multis ante saeculis floruissent, cum omni posteritate quasi colloqui possent. Ex hisce liquido constare arbitror id, quod in hujus sermonis ingressione posueram: orationem non oblectandarum aurium causa nobis esse a natura tributam: sed ut animus, cum se rerum cognitione saturasset, haberet, quo modo alios ad earum communicationem vocare posset. Quo modo autem poterunt aut quidquam communicare cum aliis, qui nihil ipsi, nisi loqui didicerint; aut quidquam egregium discere, nisi qui Philosophorum monumenta contriverint? Etenim qui sunt tandem

scriptores illi, qui distincte ordinateque (*) dicendi praecepta tradunt? Philosophi. Qui rerum admirabilium, quae in terris, mundoque fiunt, causas aperiunt? Philosophi. Qui herbarum, qui stirpium, qui animantium, ortus, progressus, naturas, vires, utilitates prosequuntur (†)? Philosophi. Qui de officio, qui de virtute, qui de ratione instituendae vitae, qui de moderandis affectibus disputant? Philosophi. A Philosophis omnis doctrina liberalis, a Philosophis omnis historia, a Philosophis omnis artium varietas sumi potest: ab his oratores, ab his imperatores, ab his rerum publicarum rectores exstiterunt: neque quisquam unquam aut in dicendo, aut in rebus gerendis excelluit, qui non prius in Philosophorum officina politus ac limatus fuisset. Ac mihi quidem saepenumero permirum videri solet, reperiri nonnullos usque eo excordes, ut oratoris munus ab homine Philosophiae ignaro sustineri posse credant. Nam cum illi ipsi fateantur, tria esse, quae orator dicendo efficere debeat, ut fidem faciat iis, qui audiunt; ut eos suavitate perfundat; & ut eorum animos aptis & accommodatis ad obtinendum id quod vult affectibus concitet: nullum est horum, quod mihi sine Philosophiae auxilio perfici posse videatur. An vero faciendae fidei erit idoneus, qui non illos a Philosophis propositos fontes animo & memoria contineat, ex quibus ad omnem disputationem incredibilis argumentorum copia emanat? Ratiocinationes autem contexere, & id, quod probandum susceperis, acute circumscripta conclusione conficere, tum ea, quae ab adversariis allata sint, subtiliter dissolvere, quorum tandem est, nisi Philosophorum? Neque vero video, quo modo delectare, nisi forte pueros, aut homines puerorum simillimos, queat inanis & nullo librata sententiarum pondere oratio. Quid ita? nempe quod, ut praeclare docet Aristoteles, is demum motus efficit voluptatem, qui perducit id, quod movetur, ad statum naturae ipsius accommodatum & congruentem. Itaque corpora cum aut exinanita sunt, aut redundant, tum perceptione cibi ac potio-

(*) Hoc habet ab Auctore ad Herenn. IV. 56. ubi tamen alii libri praebent *ornate*. Cicero dixisset, *ordine*.

(†) Moretus in margine Aldinae, teste Editore Veneto, bene correxit, *persequuntur*.

tionis, tum depulsione & ejectione superfluentium rerum laetantur; & in animis idem usu venire credendum est. Quid est autem, quod natura duce concupiscat animus, ad quod feratur, cujus perpetua quasi fame sitique teneatur? Doctrina nimirum atque cognitio: hic illi cibus, hic potus proprius ac naturalis est: eo alitur ac reficitur, eo saturatur ac glisci. Ergo illi tantum concionis animos insatiabili oblectatione devinciunt, quorum omnis sermo cum urbanitatis sale perspersus est, tum distinctus & illuminatus doctrinae notis, quorum ex ore, tanquam ex perenni quodam fonte, nunquam intermittente, nusquam insistente fluxu, novarum usque & admirabilium rerum copia incredibilis profluit: ii demum modo clamores faciunt, modo auditores admiratione percussos silere, & uno in obtutu defixos haerere cogunt. Illud vero, quod in oratoris officio tertium ponitur, concutere audientes omni genere affectuum, eorumque pertractare intimos sensus, & quocumque collibuit flectere, quis unquam nisi Philosophia munitus consequetur? An vero vel accendere, vel restinguere iracundiam, vel incutere, vel excutere timorem, vel conflare invidiam, vel levare, vel ad misericordiam adducere, vel a misericordia abducere audientes, & eos quasi gubernaculo quodam linguae impellere arbitratu suo poterit is, qui non horum omnium affectuum causas rationesque pernoverit? Sed increbuit (*) sermo quidam hominum imperitorum, qui ita distitant, ut ne inspiciantur quidem Philosophorum libri, satis magnam tamen earum omnium rerum uberemque notitiam ex ipsis Rhetorum scriptis posse desumi. Quod si ita est, quid, quaeso, commovit veteres illos, qui dicendi laude ceteris antecelluisse perhibentur, ut tantam curam, tantumque studium in audiendis Philosophis & in perscrutandis penitusque cognoscendis eorum praeceptis consumerent? Quid Periclem illum, cujus in labris persuadendi Deam sessitavisse dictum est, quem fulgurare, quem tonare, quem permiscere Graeciam Comici veteres tradiderunt? Quid igitur illum impulit, ut Anaxagorae se Physico erudiendum daret, eumque assectaretur, si ad illam, ad quam adspirabat, eloquentiae laudem, nihil in illius

(*) Scribe, *inrebruit*. Vide Oudendorp. ad Sueton. Caes. 79.

ſus doctrina intellexerat eſſe momenti? Quid Demoſthenem, quid M. Tullium commemorem? tantam in utroque dicendi copiam fuiſſe (*) cenſemus, niſi ille Platonem, hic Philonem, Diodotum, Poſidonium, alioſque permultos nobiles Philoſophos ſtudioſe ac diligenter audiſſet? Qui ſi ea, quae ab illis accipiebant, a dicendi magiſtris accipere potuiſſent, non ab alienis illa mutuari & corrogare potius, quam domo & a ſuis petere maluiſſent. At queruntur, aſperam quodam modo & ſalebroſam eſſe Philoſophiam, inamoenumque illius ſtudium, quodque nulla dulcitudine aut allicere aut allectos detinere animos poſſit. O molles ac voluptarios homines! Vos igitur in tanta rerum praeſtantia ac dignitate etiam delicias quaeritis? & quo vobis itinere ad ſapientiam aditus patet, ſuſcipere illud abnuitis, niſi viam videatis tum molliſſimam & planiſſimam, tum roſis & violis conſtratam, quamque viridantes omni ex parte opacent patularum arborum comae? At etiam ſi perpetuo per Athonis & Caucaſi nives, ſi per ferventes Libyae arenas gradiendum foret, tamen, ſi viri eſſetis, omnem laborem omnemque difficultatem contemneretis. Sed non patiar vos diutius in errore verſari. Scitote enim, hoc ſtudium, quod vos aſperum & inamoenum putatis, ita eſſe dulce, itaque jucundum, ut nihil ſuavius, aut jucundius, ne votis quidem conceptis, expeti poſſit. Cui rei vel illud argumento ſit, quod, qui ſe illi ſemel penitus tradiderunt, ii poſtea neque rei familiaris cura, neque honorum cupiditate, neque corporearum voluptatum blandimentis ab eo evocari queunt. Poſſem hoc loco evagari latius, & id, quod dixi, tum repetitis e vetere memoria, tum vivis ac ſpirantibus exemplis confirmare, niſi me temporis ratio brevem eſſe admoneret. Nunc igitur, quam poterimus breviſſime, eorum refutemus errorem, qui ſe ita Philoſophiae ſtudio contentos eſſe ajunt, ut omnem orationis cultum penitus negligant. Quorum non unum genus eſt. Quidam enim nihil aliud dicunt, niſi verborum elegantiam Philoſopho minime neceſſariam eſſe. Quidam etiam indecoram eſſe contendunt. Sunt, qui, cum eam non indecoram eſſe fateantur, fieri tamen negant (†) poſſe, ut unus

(*) Muretus in margine Aldinae correxit, *copiam futuram fuiſſe.*
(†) Imo, *negent.*

unus idemque in utroque excellat; & tum rerum scientia polleat, tum dicendi facultate praestet: iccircoque nolle se in sequendo eo, quod assequi nunquam possint, operam perdere. Cum primis illis non multum nobis negotii est. Nam ne nos quidem dicimus ita necessariam esse Philosopho eloquentiam, ut, ea si careat, nomen suum tueri ac retinere non possit. Sed profecto sordida hominum, planeque misera vita sit, si studia nostra necessitate tantum, non etiam commoditate & ornatu dirigantur. Casis contectis stramine & angustis tuguriis, ac gurgustiis, opertis etiam plaustris, ut Scythae, aut, ut Cynici, doliis cacli defendere injurias possumus: idque ad necessitatem satis est. Num iccirco aedificandi artem repudiemus? In vestitu cultuque corporis, si nihil spectemus aliud, nisi ut imbres, ut nives, ut ventos, ut solem, ut frigus arceamus: satis fuerit, vel pellibus animalium corpus amicire: an quisquam propterea honestion civilem ea in re consuetudinem negligit? Sic & in hoc genere studiorum non in iis modo, quibus nullo modo carere, verum etiam in iis, quibus satis commode carere non possumus, elaborandum: neque tantum necessitas, verum etiam dignitas, & pulcritudo spectanda est: praecipue cum omnibus propemodum in rebus decorem & elegantiam cum summa utilitate natura ipsa copularit. Hos igitur sine ulla contumelia dimittamus: tantum moneamus, ut, si in omnibus vitae partibus ornatus rationem habendam esse ducunt, in studiis quoque eam omittendam non esse (*) fateantur. Isti nobis acrius insectandi sunt, vehementiusque repellendi, qui dedita opera barbariem in loquendo diligunt; & non aliter se Philosophos visum iri putant, quam si dictione inquinatissima utantur, &, ut sues in luto ac coeno, sic ipsi in orationis sordibus volutentur. Antiquis temporibus quoddam stultorum genus fuisse proditum est, qui pedore ac squalore horridi, pannis obsiti, semper illoti, semper intonsi, semper impexi, illo ipso incultu ac neglectu corporis Philosophorum nomen in vulgus assequebantur. Non valde dissimilis est eorum amentia, qui orationem nullo studio excultam, nulla diligentia expolitam, nullo artificio elaboratam, Philosophiae professoribus convenire

(*) In Ingolstad. eamque secutis Editionibus hic locus sic interpolatus est: *omittendam non esse, facile refellendi fateantur.*

nire ajunt. Atque illi tamen eo tolerabiliores, quod corporis colendi curam multi, ornandae orationis ſtudium nemo olim, qui aliquo inter Philoſophos loco haberetur, neglexit. Niſi forte quis Epicurum & eos, qui ab eo ſunt, objiciat: quos ego vix in hominum, in Philoſophorum quidem numero, nullo modo habendos eſſe cenſeo. Eſt autem operae pretium audire, quo modo hanc ſuam tam praepoſteram, tamque abſurdam opinionem confirment. Gravis alicujus & ſeverae matronae Philoſophiam ſimilem eſſe ajunt, quam omnis fucus dedeceat; quae nativa pulcritudine contenta, augere eam pigmentis & lenociniis non laboret. Ut incultos & horrentes ſolitariosque lucos plus habere majeſtatis ac venerationis, quam nitidas & viridicatas, & digeſtis in quincuncem arboribus conſitas ſylvas; ſic ſqualentem, &, ut ita dixerim, impexam, neſcio quo modo auguſtiorem & majeſtatis pleniorem videri, quam comptam, & quaſi unguentis delibutam orationem. Quibus nos ita reſponſum volumus: non ſi calamiſtro intortus capillus, & baccae minio ac cerusſa fluentes, & vulſa ſupercilia, & quaeſitus arte dentium candor matronam dedecent: continuo illuviem & ſitum, ac ſordes decere. Eſt & ſuus non modo matrifamilias, verum etiam viro cultus. Et, ut reprehendendus ſit, ſi quis quotidie radatur ad ſpeculum, quod tamen Africanum feciſſe accepimus, & facie feminibusque laevatis in publicum prodeat: ſic ſi quis Patroclem illum imitari velit, quem cavillans Ariſtophanes, nunquam in vita laviſſe dicit, ita ut nunquam os, nunquam manus abluat, nunquam ſudorem detergeat, nemo ſit, qui non foedum illius adſpectum, & tetrum ac virulentum, qui ex eo afflabitur, odorem abominetur. Neque vero nos a Philoſopho exigimus, ut verborum paritatem ac ſimilitudinem aucupetur, neque ut in rotundandis periodis occupetur: neque, ſi agreſtem eſſe illius & inconcinnam locutionem nolumus, effeminatam & canticorum ſimilem volumus: neque tam ut rerum praeſtantiam verborum ſplendore illuminet, quam ut ne illam orationis impuritate contaminet, poſtulamus. Tu mihi, cum de rebus cognitu digniſſimis dicere ingreſſus ſis, ea verborum portenta evomas, ut, qui aderunt, non hominem loqui, ſed aſinum rudere exiſtiment; & tamen ea fatuitate atque impudentia ſis, ut homines polite dicendi cupidos deſpi-

ci-

cias, & istud, quod tu facis, voces philosophice loqui? Nam quod in eo maiestatem quandam, & quasi religionem inesse vis: vide ne potius impium sit, ut vasa Deo dicata impuris manibus, ita Philosophiam impuro sermone tractare. Enimvero, si ea demum sacra ac religiosa sunt, quae ornatu carent: removeatur aurum a templis: gemmae, signa, tabulae, donaria denique omnis generis removeantur. Sin hoc vel cogitari nefarium est: fateamur id, quod ratio quodam modo ipsa praescribit, neque opes usquam melius, quam in Dei cultu, neque dicendi copiam praeclarius, quam in excolenda exornandaque Philosophia collocari. Superest, ut iis satisfaciamus, qui negant Philosophiam cum eloquentia posse conjungi: necessarioque qui alteram ex animo colat, ei esse alteram dejerendam: qui ad utramque animum adjecerit, ne utraque excidat, periculum esse. Qui cum haec dicunt, si de sui tantum ingenii imbecillitate loquerentur, ferendi essent: nunc, cum ex se ipsis alios metiantur, &, quod se praestare posse diffidunt, id universe ac generatim fieri non posse pronuncient, in eo quam vehementer errent, admonendi videntur. Usque eo ne rerum veterum, & ejus ipsius, quam profitemini, Philosophiae imperiti estis, ut summam in Philosophis veteribus extitisse dicendi vim ac copiam nescitis? Ecquis unquam Platonem, aut Philosophiae scientia, aut dicendi facultate superavit? de quo Cicero, bonus inprimis aestimator (*) eloquentiae, ita magnifice sentiebat, Jovem ut ipsum, si Graece loqui vellet, non alio quam Platonis sermone usurum esse diceret. Quid Aristoteles? non & ipse dicendi praecepta unus omnium optime tradidit, & ea dicendi copia fuit, ut eum idem Cicero auro fluentem fluvium nominarit? non Xenophontis, summi Philosophi, ore Musas quasi locutas ferunt? non Theophrastus a loquendi divinitate nomen invenit? non posterioribus saeculis eam in Carneade vim fuisse proditum est, nullam ut unquam rem confirmandam susceperit, quam non proba-

ve-

(*) Rectius *existimator* scripsisset. Sed nondum Gronovius ad Liv. XXXIV. 2. & ad Gell. I. 3. horum verborum discrimen constituerat. *Existimator* est judex: *aestimator*, qui pretium constituit, res inter se componit, ut, quid praeferendum, quid posthabendum sit, intelligat.

verit; nullam impugnandam, quam non everterit? Sed quid vetera & externa exempla conquirimus, cum recentium & domesticorum copia suppetat? Haec civitas quam multos & olim protulit, & quotidie profert, qui ut nemini, quin utraque laude praestiterint, ita omnibus, utra potius praestiterint, ambiguum relinquunt? Quorum vos adolescentes, per Deum immortalem, exemplum imitamini, neque committite, ut Veneta civitas, quae semper toto orbe terrarum habita est fecundissima virorum omni virtutis & doctrinae laude praestantium parens, per vestram ignaviam, atque desidiam ista tam praeclara laude spolietur. An vero vos, illis orti majoribus, qui nihil unquam sibi dulce praeter virtutem, & eruditionem putarunt, quidquam virtuti, quidquam eruditioni anteponendum esse ducetis? At exterae nationes, non alio potius, quam Venetorum hominum exemplo, ad eas colendas excitari atque inflammari solent. Hic sedem virtutis, hic domicilium litterarum, hic seminarium quoddam praestantium virorum esse, omnes uno consensu gentes exterae confitentur. Hanc vos tam praeclaram, tamque magnificam laudem, quae ad hunc usque diem, semper & crevit & floruit, vestra culpa decrescere ac deflorescere patiemini? Non per illos Contarenos, Barbaros, Bembos, Donatos, ceterosque heroas, consecrata ad omnem posteritatis memoriam nomina, qui nunquam in caelum hominum praedicatione conscendissent, nisi; quamdiu vixere, illam, ad quam mea vos cohortatur oratio, Philosophiae cum eloquentia conjunctionem, posthabita omni alia cogitatione, coluissent. Hos spectate adolescentes, hos intuemini, horum de gloria dies noctesque cogitate, & ad eam vestra industria exaequandam contendite. Habetis in hac civitate publice constitutos homines eruditissimos, qui vobis in illo itinere duces optimi esse possint. Quorum me in societatem, licet valde ipsis omnibus imparem, quando ipsa Respublica vocavit, & eo me collocavit in gradu, unde possem in ipsius civitatis oculis voluntatis erga vos meae quotidianas significationes dare: equidem non parcam labori: abjectisque aliis omnibus curis, quantum conniti atque efficere potero, tantum conferam ad ingenia vestra omni genere disciplinarum liberalium, quantum quidem in me fuerit, excolenda. DIXI.

PRO

PRO

FRANCISCO II. GALLIARUM REGE
AD PIUM IV. PONT. MAX.

ORATIO V.

habita Romae postridie Kal. Maj. anno
MDLX.

Omnes quidem Christianos Principes, Pie Pontifex maxime, credibile est, accepto delati tuis maximis virtutibus honoris amplissimi nuncio, admirabili quadam laetitia perfusos esse: nec eorum fuisse quenquam, quin, sublatis in caelum manibus, omnium rerum moderatori Deo singularibus verbis gratias egerit, quod sacrosancto Cardinalium Collegio eam mentem dedisset, ut te potissimum deligerent, quem in ista dignitatis sede celsissima concordibus suffragiis collocarent. Sed quanto nostri Reges observantia erga Romanam Ecclesiam, & insigni atque assiduo defendendae ornandaeque illius studio ceteros ex omni antiquitate superarunt: tanto Francisci II. Regis, te Pontifice declarato, majus quam pro virili parte gaudium fuit. Quare, etsi non dubitabat, quin tu de clarissimo viro, Episcopo Engolismensi, Oratore apud te suo, cujus fidem & integritatem tibi plane perspectam esse novit, animum suum erga te, & erga hanc orbis terrarum principem Ecclesiam, & optime, & libentissime cognituras esses: tamen ut illustriorem etiam, & expressiorem significationem voluntatis suae omnibus hominibus daret, judicavit, sibi faciendum esse, ut ad te de suis eo proprie nomine ejusmodi quempiam mitteret, in quo & dignitas inesset ea, quae ad tantum munus obeundum requiritur, & aliae praeterea causae, propter quas eum tibi unum ex omnibus gratissimum atque acceptissimum fore confideret. Misit igitur clarissimum, & nobilissimum equitem, Joannem Baronem a Burdaesia, ejus quem modo no-

nominavi Episcopi fratrem, arcanorum regni, & regiorum omnium consiliorum participem, cujus in maximis rebus gerendis virtutem, & fidem exploratam habet, quique praeterea pietate, & observantia erga hanc Sedem neque fratri, neque cuiquam mortalium cedit. Quorum ego amborum permissu, regiae voluntatis hodierno die apud te constitutus interpres, gratulor non tam equidem tibi, Beatissime Pater, quam universae Christianae Reipub. quae pristinum illum splendorem suum, qui magno bonorum omnium moerore, apud plerasque gentes, pravis opinionibus corruptas, magis ac magis in singulos dies obsolescebat, brevi se, tuo ductu atque auspiciis recuperaturam, non dubitanter sibi de tua praestanti bonitate ac sapientia pollicetur. Summa plane omnia, ac prope divina in eo requiruntur, qui clavum in Ecclesiae navi teneat: cujus a nutu pendeant leges: cujus ad pedes Reges ipsi supppliciter se abjiciant: cujus arbitrio pandatur coelum: qui denique supra omne humanae dignitatis fastigium evectus, Dei personam inter homines sustineat. Nam si divinae litterae a quolibet Episcopo tantam integritatem ac virtutis perfectionem exigi volunt, nullus ut in omni ejus vita reprehensioni pateat locus; neque gravitatem ejus muneris digne a quoquam sustineri posse tradunt, nisi quem pietas, prudentia, justitia, uno verbo, virtus suis omnibus numeris absoluta commendet: quid in eo, qui omni tempore cum summo imperio tractare gubernacula Ecclesiae debeat, cujus vita ceteris omnibus pro exemplo, voluntas pro lege, vox pro oraculo futura sit, quanto haec omnia requiri majora, & divinitati propiora censemus? Itaque, ut alia, sic hoc quoque sancte ac sapienter institutum est a majoribus, ut quoties de summo Pontifice in demortui locum eligendo ageretur, interea dum ea de re amplissimus Cardinalium ordo deliberaret, nullus intermitteretur dies, quo non omnes, & privatim & publice precarentur a Deo, ut eum ipse gregi suo praeficeret, quem dignissimum, quem ad publicam concordiam, & tranquillitatem aut constituendam, aut conservandam aptissimum, quem denique, quantum humana conditio fert, sui simillimum judicaret. Quod si ejusmodi Pontificem ulla unquam tempora desiderarunt, nostrorum certe is status est, ut nunquam magis ex istius Sedis auctoritate universi orbis salus pependisse videatur. Non enim

Petri

Petri navis, ut ſolebat, placido mari, ſecundis conſpirantium ventorum flatibus impulſa fertur. Horribiles eam procellae, & turbinum vis, vel exercitatiſſimis metuenda rectoribus, agitat: ut, quanquam a naufragio quidem nullum periculum eſt, non mediocris tamen animos teneat metus, ne tam ſaeva tempeſtas multos mortales, novarum opinionum fluctibus involutos, in ea brevia praecipites abripiat, unde poſtea nec enatare ipſi, nec evadere atque emergere alieno auxilio poſſint. Quo nos omnes divinae bonitati majores agere gratias convenit, quae, depoſitis prope jam rebus, certe quidem in ſummum diſcrimen adductis, & extrema ſpe pendentibus, eum gubernatorem dedit, quo meliorem, & ad haec omnia in melius convertenda accommodatiorem, non dicam reperire, ſed ne optare quidem, aut etiam cogitando informare poteramus. Jam nunc igitur praecipimus mentibus ejus diei laetitiam, quo gentes illae, quae tum fallacibus improborum hominum ſermonibus in laqueos erroris inductae, tum fortaſſis etiam, quorumdam e noſtris licentiori, & diſſolutiori vivendi genere offenſae, abſciderunt ſe ipſas a corpore Eccleſiae, & adverſus eam impium ac nefarium bellum ſuſceperunt, mutato conſilio, ad ſanitatem redeant, & erroris ſui veniam petentes, depoſita omni contumacia, ſanctiſſimis pedibus tuis oſculum figant. O praeclarum illum triumphum, & cum omnibus, tum iis praecipue, de quibus agetur, optabilem! Non enim tu illos opprimere, ſed oppreſſos erigere; non in ſervitutem abducere, ſed a teterrima ſervitute in veram libertatem aſſerere; non perdere, ſed ſervare vis; non eorum ſanguinem fundere, ſed, ne ſanguis Jeſu Chriſti fruſtra pro eis fuſus ſit, efficere; non retortis poſt tergum manibus, collo catenis gravato, ante currum ducere, ſed iis ipſis vinculis, quibus impediti tenentur, exſolvere meditaris. Quibus igitur ipſis, niſi in eo ut vincantur, nulla ſpes ſalutis eſt: credimus usque eo praefractos ac pervicaces fore, ut ad extremum perire, per obſtinationem animi malint, quam cedendo, & obſequendo ſervari? Immo vero certa ſpes eſt, ceſſuram tandem aliquando rationi temeritatem, luci tenebras, mendacium veritati. Quantam ille dies non tertis modo, ſed caelo ipſi hilaritatem allaturus eſt? Nam ſi, cum unus aliquis, qui a recto vivendi tramite deflexerit, in viam redit, in-

innumerabiles illas legiones Angelorum exsultare ac gestire gaudio credimus: quid tandem facturas esse auguramur, cum tot hominum miserabiliter nunc in suam perniciem ruentium millia respuerint, & unde Satanae instigatione discesserant, eo se Sancti Spiritus afflatu instincta receperint? Age igitur, optime maxime Pontifex: praecipe posteris tuis hanc gloriam: &, quod aliquando fieri necesse est, id ut te potissimum Pontifice fiat, enitere. Addatur decus hoc annalibus nostris, ut in eis olim legatur, pestilentissimas opiniones, quae, quasi contagione quadam paullatim serpentes, per omnes propemodum Christiani nominis provincias pervaserant, auctoritate tua disjectas, dissipatas, exstinctas, exterminatas fuisse. Damnentur votorum suorum per te omnes verae pietatis studiosi, qui multos jam annos nihil ardentius a Deo, quam concordiam, & harum dissensionum finem efflagitant. Signetur hoc praecipue titulo Pontificatus tuus: ut, si quis quondam non expresso nomine Pium quartum intelligi velit, eum Pontificem dicat, qui affectis, & aegrotis Ecclesiae membris tam salubrem medicinam adhibuerit, ut etiam ea, quae desperata videbantur, integra, & incolumia conservarit. O nos beatos, cum illa, ut speramus, evenerint! O te Pontificem modis omnibus maximum ac beatissimum! Quae futura est tam barbara, aut tam longinqua natio, quo non, tam divini beneficii, a te in totum hominum genus collati, fama perveniat? Quae tam ingratae litterae, quae de tuis laudibus conticescant? Quae tam surda posteritas, quae clamores nostros, admiratione virtutis ac felicitatis tuae excitatos, non exaudiat? Magnam vero tam praeclarae rei & suscipiendae occasionem, & ex animi sententia conficiendae spem tibi offerre tempus ipsum videtur. Nam superioribus annis, cum duo Christianorum maximi potentissimique Reges gravi, & diuturno bello inter se contenderent; ceterorum autem Principum non fere quisquam esset, qui non ad alterutram partem aut suapte voluntate inclinaret, aut aliqua officii ratione adduceretur, aut etiam necessitate traheretur; cum undique armorum fulgor, strepitus, terror, omnium oculos, aures, animos, praestringueret, obtunderet, consternaret; cum quibusdam locis, pauciores jam reperirentur, qui fructus ex agris perciperent, quam qui agros ipsos aut sua, aut aliena caede

caede quotidie cruentando pinguiores efficerent: eveniebat, ut in illa rerum omnium perturbatione & improbi ac conscelerati homines opinionum suarum venena per omnes populos fidentius atque impunius spargerent, & principes, aliis cogitationibus occupati, ad coërcendam illorum audaciam animum convertere non satis commode posſent. Habet in se bellum cum alia mala plurima, tum illud inprimis, quod & male animatis hominibus affert peccandi facultatem, & plerumque principibus connivendi necessitatem. At nunc, cum, divino numine, atroces illi bellorum impetus resederint: cum illa tam diu exoptata pax, caelo demissa, eorum animos, qui odiis, ut videbantur, implacabilibus disſidebant, aeterno, ut speramus, foedere conjunxerit: quis non intelligit fore, ut principes, aliis curis soluti, ad purgandas provincias suas, & ad omnes impiorum dogmatum fibras elidendas, omnes radices evellendas, atque excidendas toto pectore incumbant? Quod quidem Franciscus, rex Christianissimus, & jam nunc diligentissime facit, & diligentius atque animosius in dies facturum se esse profitetur. Meminit enim, eis se majoribus editum, qui, ut sectas religioni nostrae inimicas exstirparent, ut Christiani nominis fines quam longissime propagarent, ut Apostolicae Sedis auctoritatem sanctam atque inviolatam praestarent, nullam sibi unquam difficultatem pertimescendam, nullum periculum detrectandum, nullam dimicationem refugiendam putarunt. An ille, cum vetera illa Christianae pietatis columina, Childebertos, Martellos, Pipinos, Carlomannos, aliosque innumerabiles heroas, haeresium exstinctores, verae fidei asſertores, Pontificiae dignitatis vindices ac propugnatores memoria repetat; eorumque se sanguinem ac progeniem esse cogitet, quorum pro Christi doctrina expeditionibus, bellis, victoriis totus terrarum orbis nobilitatus est (*); &, ut vetera taceantur, cum se Francisco primo prognatum, Errico secundo natum recordetur, duobus post hominum memoriam praestantissimis regibus, quorum utriusque tanta tamque insignia exstiterunt in Ecclesiam promerita: maximo animo majo-

(*) Locus aliquis, ante obscurus, victoria nobilitatur, ut apud Cicer. Partit. 16. *Sed obscuri, an rerum gestarum vestigiis nobilitati.* Sed quis ferat, *victoriis orbis terrarum nobilitatus?*

jorum ſuorum veſtigia non perſequatur? Ille vero faciet; nec adaequare modo eorum gloriam, verum etiam, ſi fieri poſſit, ſuperare conabitur; quique ſe principem inter Eccleſiae filios locum obtinere intelligat, ut illo ſe honore dignisſimum praeſtet, omni ſtudio elaborabit. Tu modo, Pater beatisſime, pro tua ſingulari, & eximia ſapientia, quid ad compeſcendos tumultus, & ad ſtatum Eccleſiae componendum utiliſſimum ſit, ſtatuito. Notum eſt, maximas ſaepe, & pernicioſisſimas in Eccleſia diſſenſiones rite convocato ex omnibus Chriſtianae ditionis partibus Epiſcoporum Concilio ſedatas fuiſſe. Eodem remedio ſi tibi nunc quoque aegrotis exulceratisque rebus ſubveniendum eſſe videatur: nihil eſt, quod regi gratius, aut optatius poſſit accidere: neque tibi dubium eſſe debet, quin ipſe omnes vires ſuas eo collaturus ſit, ut quaecunque ab ejusmodi Concilio decreta fuerint, pie inviolateque ſervéntur. Omnino autem, beatisſime Pater, quaecunque obedientia ab optimo, & obſequentisſimo filio praeſtari poteſt, eam tibi rex ſumma fide, ſummaque conſtantia praeſtiturus eſt, idque ſe ſemper facturum eſſe, per hos clarisſimos & ornatisſimos viros, oratores ſuos, ſanctisſime pollicetur. Tu vicisſim perge, ut facis, & regem ipſum, & univerſum Galliae regnum paterna caritate complecti. Multae ſunt cauſſae, quae te, ut id facias, excitare debent. Primum ipſa muneris amplisſimi, quod te Deus in terris ſuſtinere voluit, ratio. Deinde ardentisſimum illud ſtudium, quod ſemper usque a Clodovaeo viguit in regibus noſtris, adjuvandi Romanam Eccleſiam: ut, quoties ita tempora tulerunt, ſe, regnumque ſuum in apertum diſcrimen objicere maluerint, quam Eccleſiae laboranti deeſſe. Quâ ex re illud aſſecuti ſunt, ut, & ipſis, & eorum poſteris primus inter Eccleſiae filios locus, nemine diſſentiente, tribuatur. Valere etiam apud te debet illa nominis ſanguinisque conjunctio, quae inter te, & lectisſimam, omnique laude ac praedicatione dignisſimam feminam, Catharinam, regis matrem, intercedit. Nam cum ei, neque quidquam unquam optatius fuerit, ut tu ipſe omnium optime noſti, quam ut te tertium e gente ſua ſummum Pontificem videret: neque majorem laetitiam attulerit, quam cum intellexit, ſe id, quod tantopere optaverat, conſecutam: aequum eſt, tanto illius erga te ſtudio parem a te voluntatem referri. Poſſe-

semus & alia eodem pertinentia proferre, nisi ea jam mutuae inter te, & regem voluntatis testimonia utrinque data essent, quae neminem dubitare patiuntur, quin & ipse tibi dicto audiens futurus sit, & tu eum paterna benevolentia prosecuturus.

Haec habuimus, beatissime Pater, quae tibi Francisci II. Christianissimi regis nomine exponeremus. Nunc, cum idem Scotiae regnum obtineat, una ipse cum Maria uxore, a qua illud dotis nomine accepit, omnes tibi ejus, & opes, & copias deferunt, seque omnibus in rebus auctoritati tuae libentissime obtemperaturos, omnemque tibi, quae a filiis debetur, obedientiam praestituros pollicentur. Nos, ne rursus orationem a capite accersere necesse sit, quaecunque de Galliae regno diximus, eadem, ut de Scotiae quoque regno dicta esse existimes, obsecramus. DIXI.

PRO

ANTONIO REGE NAVARRAE AD PIUM IV. PONT. MAX.

ORATIO VI.

habita Romae postridie Id. Decemb. anno

MDLX.

Quo tempore Joanna missis ad summum Pontificem literis sua manu subscriptis se & Catholicam esse profitebatur, & se nunquam (*) a S. R. E. obedientia desciturum pollicebatur.

Si quantum laetitiae Pontificatus tuus Antonio regi Navarrae, & Joannae ipsius uxori attulit; beatissime Pater, tantum eis commoditatis ad eam laetitiam, nulla interjecta mora, tibi significandam tempora tribuissent: nihil

(*) Muretus in margine Aldinae hoc *se* expungit.

nihil omnino habuisſent antiquius, quam ut ad te ſtatim mitterent, qui tibi ſummum honorem, huic amplisſimo Cardinalium collegio ſummam prudentiae ac judicii laudem, univerſae Chriſtianae reipub. magnam & prope exploratam antiquae dignitatis recuperandae ſpem ſuo nomine gratularetur. Sed quoniam, quantum ex optimi, & ad ſedandas horum temporum diſcordias aptisſimi Pontificis creatione gaudium caperent, in ipſorum probitate, ac fide poſitum fuit; quam vacuum tempus, & ad legationem ejus rei cauſſa ſubito decernendam idoneum haberent, non fuit, judicarunt, ſi temporibus ſuis parerent, & quod recenti re facere, cum magnopere cuperent, non ſatis commode poterant, id in diem differrent, nihilo minus ea cauſſa teſtificationem voluntatis ſuae aut ſibi honorificam, aut tibi jucundam, atque acceptam fore. Et vero, beatisſime Pater, ſi apud te, & apud hoc ſanctisſimum, auguſtisſimumque concilium non ex vulgi opinionibus, ſed ex veritate unaquaeque res penditur: gratulatio paulo ſerius facta, non tam propter tarditatem aliquid de illa novitatis ſuavitate, ac dulcedine deperdere, quam propter maturitatem aliquid auctoritatis, ac fidei acquirere videtur. Etenim qui tibi, cum primum ad iſtum caelo proximum in terris locum divino conſilio ſublatus es, gratulabantur, eam tantum gaudii ſui cauſſam afferre poterant, quod certo ſperarent fore, ut qui te per totam vitam omnibus maximis honoribus digniſſimum praebuiſſes, cum conſecutus, quo nullus amplior exoptari poteſt, tantam dignitatis amplificationem pari virtutis acceſſione cumulares. Magna prorſus illis, & illuſtria ſuppeditabant argumenta, cur ita crederent: neque non firmisſimis fundamentis nitebatur incredibilis illa ſpes, quam de futura Pontificatus tui felicitate conceperant. Sed quantum intereſt inter ea quae futura creduntur, & ea quae jam ſunt; quanto experta jam & explorata, quam ſperata, & exſpectata, majorem laetitiam in animis hominum commovent; quanto certius & verius homines praeterita, & praeſentia commendare, quam de futuris affirmate pronunciare poſſunt: tanto plus ponderis ac fidei habere debet ea gratulatio, quae tibi fit, annum prope jam integrum ex iſta ſanctisſima ſede univerſum orbem ſapientisſime gubernanti, quam illae, quae tum fiebant, cum homines, qualem eſſe te plus plusque

in

in dies experiuntur, talem futurum esse prospicerent, quasique augurarentur. Neque vero haec in eam sententiam ideirco a me disputantur, quod non libentissime facturi fuerint Antonius rex & Joanna regina Navarrae, ut quemadmodum nulli Christianorum principum concedebant, qui majus ex tua dignitate gaudium percepisset: ita nemini, quantum per locorum intervalla licuisset, concederent, qui tibi citius de illius adeptione gratularetur: si quam solutae ipsis & liberae voluntates, tam soluta etiam, & nullis impedita difficultatibus tempora fuissent. Sed ita cogitarunt: si rerum suarum incommodo maturarent id facere: ipsi tibi, cui maxime probare studium suum cuperent, pro tua in se paterna caritate, ubi rem cognosses, insuavem fore celeritatem sine ulla necessitate cum ipsorum incommodatione (*) susceptam. Nunc autem miserunt ad te, clarissimum, & spectatissimum virum, Petrum Albretium, propinquum suum, qui genibus tuis suppliciter advolutus, tibi, vero Jesu Christi in terris vicario, certissimo Petri Apostolorum principis successori, communi totius Ecclesiae Christianae pastori, ac gubernatori, debitam obedientiam suo amborum nomine praestaret, atque exhiberet: tibique atque huic sacrosancto collegio confirmaret, Antonium regem, & Joannam reginam Navarrae, uti veros Ecclesiae filios decet, tibi semper dicto audientes futuros: neque ullam evenire posse rem tantam, quae ipsos ab hujus sanctae & Apostolicae Sedis observantia, & ab ea, quam sibi per manus a majoribus traditam, summa firmitate ac constantia perpetuo retinuerunt, persuasione divellat. Hic ego, beatissime Pater, si orationis vela pandere, & quasi aperto invectus mari, per eorum principum laudes, quorum nomine apud te verba facio, decurrere instituam, vereor, ne, cum dicendi principium vel facillime reperero, exitum reperire non possim. Nam quae tandem nominari potest ullo in genere virtus, quae non in eorum utroque ita emineat, ut ad quamcunque se quis animo & cogitatione converterit, ea demum excellere ac praestare videantur? Sed quoniam & ipsi nos hoc tempore suae modo voluntatis interpretes, non etiam suarum laudum explicato-

(*) Haec vox Mureto haesit ex corruptis libris Ciceronis ad Att. I. 17. Nunc recte editum est *incommoditate*.

nihil omnino habuisſent antiquius, quam ut ad te ſtatim mitterent, qui tibi ſummum honorem, huic amplisſimo Cardinalium collegio ſummam prudentiae ac judicii laudem, univerſae Chriſtianae reipub. magnam & prope exploratam antiquae dignitatis recuperandae ſpem ſuo nomine gratularetur. Sed quoniam, quantum ex optimi, & ad ſedandas horum temporum diſcordias aptisſimi Pontificis creatione gaudium caperent, in ipſorum probitate, ac fide poſitum fuit; quam vacuum tempus, & ad legationem ejus rei cauſſa ſubito decernendam idoneum haberent, non fuit, judicarunt, ſi temporibus ſuis parerent, & quod recenti re facere, cum magnopere cuperent, non ſatis commode poterant, id in diem differrent, nihilo minus ea cauſſa teſtificationem voluntatis ſuae aut ſibi honorificam, aut tibi jucundam, atque acceptam fore. Et vero, beatisſime Pater, ſi apud te, & apud hoc ſanctisſimum, auguſtisſimumque concilium non ex vulgi opinionibus, ſed ex veritate unaquaeque res penditur: gratulatio paulo ſerius facta, non tam propter tarditatem aliquid de illa novitatis ſuavitate, ac dulcedine deperdere, quam propter maturitatem aliquid auctoritatis, ac fidei acquirere videtur. Etenim qui tibi, cum primum ad iſtum caelo proximum in terris locum divino conſilio ſublatus es, gratulabantur, eam tantum gaudii ſui cauſſam afferre poterant, quod certo ſperarent fore, ut qui te per totam vitam omnibus maximis honoribus dignisſimum praebuisſes, eum conſecutus, quo nullus amplior exoptari poteſt, tantam dignitatis amplificationem pari virtutis acceſſione cumulares. Magna prorſus illis, & illuſtria ſuppeditabant argumenta, cur ita crederent: neque non firmisſimis fundamentis nitebatur incredibilis illa ſpes, quam de futura Pontificatus tui felicitate conceperant. Sed quantum intereſt inter ea quae futura creduntur, & ea quae jam ſunt; quanto experta jam & explorata, quam ſperata, & exſpectata, majorem laetitiam in animis hominum commovent; quanto certius & verius homines praeterita, & praeſentia commendare, quam de futuris affirmate pronunciare poſſunt: tanto plus ponderis ac fidei habere debet ea gratulatio, quae tibi fit, annum prope jam integrum ex iſta ſanctisſima ſede univerſum orbem ſapientisſime gubernanti, quam illae, quae tum fiebant, cum homines, qualem eſſe te plus plusque

in

in dies experiuntur, talem futurum esse prospicerent, qualisque augurarentur. Neque vero haec in eam sententiam ictirco a me disputantur, quod non libentissime facturi fuerint Antonius rex & Joanna regina Navarrae, ut quemadmodum nulli Christianorum principum concedebant, qui majus ex tua dignitate gaudium percepisset: ita nemini, quantum per locorum intervalla licuisset, concederent, qui tibi citius de illius adeptione gratularetur: si quam solutae ipsis & liberae voluntates, tam soluta etiam, & nullis impedita difficultatibus tempora fuissent. Sed ita cogitarunt: si rerum suarum incommodo maturarent id facere: ipsi tibi, cui maxime probare studium suum cuperent, pro tua in se paterna caritate, ubi rem cognosses, insuavem fore celeritatem sine ulla necessitate cum ipsorum incommodatione (*) susceptam. Nunc autem miserunt ad te, clarissimum, & spectatissimum virum, Petrum Albretium, propinquum suum, qui genibus tuis suppliciter advolutus, tibi, vero Jesu Christi in terris vicario, certissimo Petri Apostolorum principis successori, communi totius Ecclesiae Christianae pastori, ac gubernatori, debitam obedientiam suo amborum nomine praestaret, atque exhiberet: tibique atque huic sacrosancto collegio confirmaret, Antonium regem, & Joannam reginam Navarrae, uti veros Ecclesiae filios decet, tibi semper dicto audientes futuros: neque ullam evenire posse rem tantam, quae ipsos ab hujus sanctae & Apostolicae Sedis observantia, & ab ea, quam sibi per manus a majoribus traditam, summa firmitate ac constantia perpetuo retinuerunt, persuasione divellat. Hic ego, beatissime Pater, si orationis vela pandere, & quasi aperto invectus mari, per eorum principum laudes, quorum nomine apud te verba facio, decurrere instituam, vereor, ne, cum dicendi principium vel facillime reperero, exitum reperire non possim. Nam quae tandem nominari potest ullo in genere virtus, quae non in eorum utroque ita emineat, ut ad quamcunque se quis animo & cogitatione converterit, ea demum excellere ac praestare videantur? Sed quoniam & ipsi nos hoc tempore suae modo voluntatis interpretes, non etiam suarum laudum explicato-

(*) Haec vox Mureto haesit ex corruptis libris Ciceronis ad Att. I. 17. Nunc recte editum est *incommoditate*.

tores esse voluerunt, & eorum virtus excelso atque illustri sita loco, satis ipsa per se nullo adhibito alienae praedicationis lumine in oculos omnium incurrit: laudandis ipsis, quod verissime ac copiosissime facere possem, sù persedebo: tantum ex veteribus historiis nonnulla proferam, ex quibus intelligatur, & ab iis illos ortos esse majoribus, & in eorum opes atque imperia successisse, qui sibi posterisque suis amplissimam gloriam nulla re magis, quam frangendis, ac domandis nostrae religionis hostibus, defendendaque Apostolicae Sedis dignitate pepererunt. Quis est enim ita veteris memoriae ignarus, ita in superiorum temporum historiis peregrinus atque hospes, qui non Divi Ludovici Gallorum regis optimi ac sanctissimi res pro Ecclesia fortiter gestas, si minus e scriptorum monumentis cognoverit, at auditione certe aliqua acceperit? Cujus viri per omnem vitam domi forisque spectata virtus, & vivum maxima laude cumulavit, & confecto hujus vitae curriculo in caelestium concilio collocatum ad Divorum religionem & sanctimoniam consecravit. Ab eo igitur, & Antonius rex, & Joanna regina Navarrae, duobus quasi rivis ex eodem capite manantibus originem ducunt: ut non sine divino consilio sancti regis soboles in plures familias sparsa atque diducta, post trecentos propemodum annos matrimonii foedere copulata, in unam eandemque domum denuo coaluisse videatur. Etenim & tanti herois progeniem quam latissime fundi ac propagari oportebat, ut a stirpe generis, ac seminis quam plurimis populorum rectoribus integra illa & incorrupta religio, quae in eo fuerat, ingeneraretur; & aequum erat, ex ea profectos tandem aliquando rursum inter se conjungi, ut existarent, qui utraque stirpe possent Divo Ludovico generis sui auctore ac principe gloriari. Quod si mihi fas est, beatissime Pater, audiente te, in hoc augustissimo religionis antistitum consessu res divinas attingere, & de Divorum sensibus, ac cogitationibus aliquid dicere: credo equidem, Divum Ludovicum, pro caritate illa, quae beatos ne tum quidem deserit, cum spes, & fides finem suum consecutae deficiunt, credo, inquam, eum e caelo in suos intuentem, horum de quibus loquimur principum conjunctione laetari, & assiduis hoc a Deo precibus exorare, ut a se orti per sua vestigia gradiantur, utque in vero Dei cultu non tantum ipsi se, populosque suos contineant, verum etiam

etiam illius propagationem primam sibi omnium rerum putent. Inde fit igitur, ut & Galliarum reges ejus gloriae, quae conservanda, & propugnanda religione paritur, principatum sibi praeter ceteros appetant: & qui eis genere proximi sint (arctiori autem eos, quam Navarrae rex, & regina, necessitudine attingit nemo) nulla in re magis elaborent, quam ut se perpetuo ejusdem laudis societate dignissimos praestent. Nam quid ego nunc Ludovicum, Philippi & re & cognomine Animosi, Galliarum regis filium, D. Ludovici nepotem, Eburovicum comitem, regem Navarrae, a quo per multos gradus nunquam interrupto successionis ordine, hereditas regni ad Joannam reginam pervenit, cum igitur eur mihi pluribus verbis commendandum putem? Quid ejus Philippum filium? Qui non tantum regni, verum etiam patritae atque avitae virtutis heres, pro Christianae pietatis defensione cum Granatae rege, acerrimo per id tempus Christianorum hoste, magnum & diuturnum bellum, summa & fortitudine & prudentia administravit. Theobaldi vero Campaniae comitis, qui & ipse Navarris regio imperio praefuit, virtutem quis se unquam satis pro dignitate laudare posse confidat? qui cum totam prope aetatem in oppugnandis Christi adversariis consumpsisset, ejusque rei causa, usque in Africam invictum exercitum duxisset, multa praelia commisisset, multas victorias reportasset, tandem e sacro bello, ad quod D. Ludovicum comitatus fuerat, rediens, paucis post eum diebus ad superos evolavit. Fuit, fuit illa semper, & adhuc est, in Navarrorum regibus virtus, ut religionis defensioni alia omnia postha berent: pro ea, quoties ita res ferret, non fortunas modo suas, verum etiam sua capita sine ulla cunctatione in quodlibet periculum offerrent. Neque vero ita eos animatos esse mirabitur quisquam, qui cognoverit, nunquam eos ipsa regni sui insignia adspicere posse, quin recordentur antiquae majorum suorum virtutis, & laborum, quos illi pro religione nostra maximos maximeque memorabiles pertulerunt. Ita enim memoriae proditum est, Castellae regnum in Hispania quondam a triginta barbarorum regibus, duce atque imperatore Smaragdo, occupatum fuisse. Unde cum illi magnum omnibus Christianis terrorem injicerent, brevique se tota reliqua Hispania, quae Christianorum erat, potituros esse confi-

tores esse voluerunt, & eorum virtus excelso atque illustri sita loco, satis ipsa per se nullo adhibito alienae praedicationis lumine in oculos omnium incurrit: laudandis ipsis, quod verissime ac copiosissime facere possem, si persedebo: tantum ex veteribus historiis nonnulla proferam, ex quibus intelligatur, & ab iis illos ortos esse majoribus, & in eorum opes atque imperia successisse, qui sibi posterisque suis amplissimam gloriam nulla re magis, quam frangendis, ac domandis nostrae religionis hostibus, defendendaque Apostolicae Sedis dignitate pepererunt. Quis est enim ita veteris memoriae ignarus, ita in superiorum temporum historiis peregrinus atque hospes, qui non Divi Ludovici Gallorum regis optimi ac sanctissimi res pro Ecclesia fortiter gestas, si minus e scriptorum monumentis cognoverit, at auditione certe aliqua acceperit? Cujus viri per omnem vitam domi forisque spectata virtus, & vivum maxima laude cumulavit, & confecto hujus vitae curriculo in caelestium concilio collocatum ad Divorum religionem & sanctimoniam consecravit. Ab eo igitur, & Antonius rex, & Joanna regina Navarrae, duobus quasi rivis ex eodem capite manantibus originem ducunt: ut non sine divino consilio sancti regis soboles in plures familias sparsa atque diducta, post trecentos propemodum annos matrimonii foedere copulata, in unam eandemque domum denuo coaluisse videatur. Etenim & tanti herois progeniem quam latissime fundi ac propagari oportebat, ut a stirpe generis, ac seminis quam plurimis populorum rectoribus integra illa & incorrupta religio, quae in eo fuerat, ingeneraretur; & aequum erat, ex ea profectos tandem aliquando rursum inter se conjungi, ut exstarent, qui utraque stirpe possent Divo Ludovico generis sui auctore ac principe gloriari. Quod si mihi fas est, beatissime Pater, audiente te, in hoc augustissimo religionis antistitum consessu res divinas attingere, & de Divorum sensibus, ac cogitationibus aliquid dicere: credo equidem, Divum Ludovicum, pro caritate illa, quae beatos ne tum quidem deserit, cum spes, & fides finem suum consecutae deficiunt, credo, inquam, eum e caelo in suos intuentem, horum de quibus loquimur principum conjunctione laetari, & assiduis hoc a Deo precibus exorare, ut a se orti per sua vestigia gradiantur, utque in vero Dei cultu non tantum ipsi se, populosque suos contineant, verum etiam

etiam illius propagationem primam sibi omnium rerum putent. Inde fit igitur, ut & Galliarum reges ejus gloriae, quae conservanda, & propugnanda religione paritur, principatum sibi praeter ceteros appetant: & qui eis genere proximi sint (arctiori autem eos, quam Navarrae rex, & regina, necessitudine attingit nemo) nulla in re magis elaborent, quam ut se perpetuo ejusdem laudis societate dignissimos praestent. Nam quid ego nunc Ludovicum, Philippi & re & cognomine Animosi, Galliarum regis filium, D. Ludovici nepotem, Eboro vicum comitem, regem Navarrae, a quo per multos gradus nunquam interrupto successionis ordine, hereditas regni ad Joannam reginam pervenit, cum igitur cur mihi pluribus verbis commendandum putem? Quid ejus Philippum filium? Qui non tantum regni, verum etiam patriae atque avitae virtutis heres, pro Christianae pietatis defensione cum Granatae rege, acerrime per id tempus Christianorum hoste, magnum & diuturnum bellum, summa & fortitudine & prudentia administravit. Theobaldi vero Campaniae comitis, qui & ipse Navarris regio imperio praefuit, virtutem quis se unquam satis pro dignitate laudare posse confidat? qui cum totam prope aetatem in oppugnandis Christi adversariis consumpsisset, ejusque rei causa, usque in Africam invictum exercitum duxisset, multa praelia commisisset, multas victorias reportasset, tandem e sacro bello, ad quod D. Ludovicum comitatus fuerat, rediens, paucis post eum diebus ad superos evolavit. Fuit, fuit illa semper, & adhuc est, in Navarrorum regibus virtus, ut religionis defensioni alia omnia postha-berent: pro ea, quoties ita res ferret, non fortunas modo suas, verum etiam sua capita sine ulla cunctatione in quodlibet periculum offerrent. Neque vero ita eos animatos esse mirabitur quisquam, qui cognoverit, nunquam eos ipsa regni sui insignia adspicere posse, quin recordentur antiquae majorum suorum virtutis, & laborum, quos illi pro religione nostra maximos maximeque memorabiles pertulerunt. Ita enim memoriae proditum est, Castellae regnum in Hispania quondam a triginta barbarorum regibus, duce atque imperatore Smaragdo, occupatum fuisse. Unde cum illi magnum omnibus Christianis terrorem injicerent, brevique se tota reliqua Hispania, quae Christianorum erat, potituros esse confi-

derent: Sanctium Navarrorum regem, collecto forti magis quam numeroso exercitu, adversus eos profectum esse, cum prius pulcerrimum clarissimumque jusjurandum jurasset, nunquam se ex eo bello, nisi parta victoria, reversurum. Excogitaverant barbari cum alia multa ad prohibendas nostrorum incursiones aptissima, tum catenas quasdam ferreas, quibus ita vias omnes occluserant, ut equitatui, quo plurimum valebant nostri, omnis adempta spes faciendae in hostem irruptionis videretur. Sed nihil virium habent adversus prudentiam subdola, & astuta consilia; debiles sunt omnes adversus constantiam machinae; imbecilla & inutilis adversus fortitudinem multitudo. Deo duce per medios hostes sibi & suis viam ferro faciens Sanctius non prius destitit, quam barbaros fusos, fugatos, castris exsutos docuit, victoriam non in munitionibus operibusque bellicis, sed in causae bonitate positam esse; qui pro Christi nomine dimicarent, eorum impetum non posse ne collatis quidem in unum aliorum omnium viribus sustineri. Superatis igitur, & in potestatem redactis hostibus, omnium nostrorum & imperatorum & militum incredibilis concursus ad Sanctium factus est: alius amplexari cum, alius ad genua accidere, alius fortem illam dexteram barbarorum domitricem, Hispaniarum liberatricem, victoriae confectricem, exosculari; qui propter multitudinem propius accedere non poterant, vultu, oculis, manibus, corpore, quascunque poterant, animi sui significationes dabant; una omnes voce, & bellatorem fortissimum, & imperatorem invictissimum consalutabant. Inde cum de dividenda praeda agi coeptum esset: quae tanta erat, quantam triginta potentissimorum regum collatae unum in locum opes coacervare potuerant: nemo erat in universo exercitu, qui non ita sentiret, itaque praedicaret, quantamcunque sibi partem ex ea vel deposceret, vel etiam suo jure sumeret Sanctius, nunquam tantum ad eum perventurum esse, ut non multo plus ipsius virtuti praeclarisque factis deberetur. Erat in castris barbarorum auri, argenti facti, infectique permagna vis; gemmarum maximi pretii admirabilis multitudo; multum tapetium, multum conchyliatae vestis, multum peristromatum, ut est illa etiam in bellis luxuriosa gens: armorum omnis generis optimorum & exquisitissimo artificio fabricatorum infinitus prope numerus: equi prae-

praestantes permulti phalerarum, ephippiorum, ceterorumque ornamentorum equestrium incredibilis copia: captivi longe plurimi: ex quibus ingens pecunia confici posset: quibus omnibus ex rebus, Sanctium, ut quantum vellet sibi ipse sumeret, summo omnes consensu obsecrabant. Ille, alacri vultu, cum gratam sibi esse illam exercitus voluntatem significasset: Non me, inquit, barbaricarum opum cupiditas, ut in hoc bellum ingrederer, aut in prima acie stans corpus meum telis hostium objicerem, induxit. Christianae mihi pietatis ardor, & hujus pulcerrimae regionis ab injusto immanium belluarum dominatu vindicandae studium, faces ad eam rem, & stimulos subdiderunt. Nunc, cum id, quod volui, divino beneficio, & vestra milites virtute consecutus sum: non committam, ut majori animo videar armatorum & stantium copias, quam inermium & jacentium spolia contempsisse. Ornamento sint ista primum immortalis Dei nostri Divorumque templis ac delubris: ut partim in sacrariis reposita, partim e tholis pendentia, propagent in omne tempus memoriam nostri: posterosque nostros ad suscipiendam semper magno animo religionis nostrae defensionem excitent. Ditent cetera egenos & exhaustos, pro suis quemque meritis, milites: ut, cum juventutis suae firmitatem in periculis & laboribus consumpserint, habeant olim, quo senectutis infirmitatem in tranquillitate atque in otio sustentare possint. Ego quidem, quod ad me attinet, praeter has catenas, quas spectantibus adjuvantibusque vobis perfregi atque perrupi; & praeter illam gemmam, illam, quam meis manibus dejectam, illic jacentem videtis (haec autem dicens, ostendebat illis prostratum, & in sanguine suo involutum exanimem Smaragdum,) nullam omnino mihi mercedem, nullum praemium, aut postulo, aut appeto. Ergo ad conservandam tam nobilis victoriae memoriam, simulque ad incitandos successorum suorum animos, & ipse postea catenas pro insignibus gestavit; & instituit, ut iisdem insignibus ceteri post se reges uterentur. Ac quoniam eo in praelio praecipuum quem diti barbarorum ductorem Smaragdum sua ipse manu obtruncaverat: ejusdem nominis gemmam medio illarum catenarum complexu voluit contineri. Quin etiam propter hanc aliasque similes victorias, regibus

Navarrae honoris ergo tributum est, ut inungantur, coronentur, consecrentur. O beatum illud saeculum, cum Christiani & principes, & populi sine ullis discordiis, sine ulla opinionum varietate ac discrepantia, summo consensu, omnes vires suas ad proferendos Christianae ditionis terminos conferebant. Nostra aetas & Christianos principes alios aliorum viribus collisos attritosque vidit, & in populis, ne quid abesset miseriis nostris, gravissimas pestilentissimasque seditiones ab improbis hominibus, qui cupiditatibus suis falso religionis nomen praetexerent, concitatas. Quibus malis finem per te impositum iri, Pie, Pontifex optime & sanctissime, omnes ita confidunt, ut, si haec spes fefellerit, omnia, quae possunt evenire, miserrima maximeque detestanda vereantur. Erexisti animos omnium, indicto, quod tanto opere optabatur, universali Concilio. Injecisti spem, fore, ut, haeresium peste sublata, sacrosanctum Jesu Christi nomen eodem animo, eadem voce, iisdem ritibus ab omnibus invocetur. Agedum, beatissime Pater, ita te Deus ille, cujus tu personam in terris sustines, quam diutissime, & quam felicissime Ecclesiae suae praeesse velit, urge constanter, ut facis, illud propositum: omnemque diligentiam adhibe, ad prohibendum, ne tam tetri mali contagio latius serpat. Memento, te nostrum omnium communem patrem, & pastorem esse: nostram omnium salutem ab eo tibi commissam, ac creditam, qui cum Deus esset, humana natura assumpta, quin sanguine suo viam nobis in caelum panderet, non recusavit. Omnia speramus a te excitatum iri, quae jacere sentis, tantis tamque diuturnis dissensionibus perculsa atque prostrata. Videre jam videmur illud tempus, cum per te constituatur ecclesiastici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, pravae opiniones aboleantur, concordia, ne unquam postea dissolvi possit, severis legibus vinciatur. Multa perdidit ecclesiasticus ordo & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae: quae nisi per te recipiat, a nemine sibi restitui posse constat. Ad ea autem recuperanda cum ceteros principes Christianos tibi affuturos esse credimus; tum Antonius rex, & Joanna regina Navarrae, se, regnumque suum, & Bearniam, & quascunque denique summo cum imperio obti-

tinent provincias in tua potestate semper fore, sequo, ut par est, obsequentissimos Eccle ac filios, auctoritati tuae nunquam non libentissime obtemperaturos esse, sanctissime pollicentur. DIXI.

DE MORALIS PHILOSOPHIAE LAUDIBUS,

CUM EAM DOCERE INCIPERET,

ORATIO VII.

habita Romae XVI. *Kal. Decemb. anno* MDLXIII.

Veteri consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se tradituros esse profitentur, artis laude conjungant, eoque quidquid habent in dicendo virium conferant, ut in ea cum utilitatis & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis longe plurimum inesse confirment. Quae consuetudo etsi minime reprehendenda mihi quidem videtur: quod omnia laudanda sunt, quae ad amplificandam honestarum artium dignitatem, & ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent: tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscue iisdem fere afficiuntur laudibus, ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur: fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas; & ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorifice ac splendide dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque susceperit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda & exaggeranda esset. Ergo, ut qui comoedias aut tragoedias spectant, cum

Navarrae honoris ergo tributum est, ut inungantur, coronentur, consecrentur. O beatum illud saeculum, cum Christiani & principes, & populi sine ullis discordiis, sine ulla opinionum varietate ac discrepantia, summo consensu, omnes vires suas ad proferendos Christianae ditionis terminos conferebant. Nostra aetas & Christianos principes alios aliorum viribus collisos attritosque vidit, & in populis, ne quid abesset miseriis nostris, gravissimas pestilentissimasque seditiones ab improbis hominibus, qui cupiditatibus suis falso religionis nomen praetexerent, concitatas. Quibus malis finem per te impositum iri, Pie, Pontifex optime & sanctissime, omnes ita confidunt, ut, si haec spes fefellerit, omnia, quae possunt evenire, miserrima maximeque detestanda vereantur. Erexisti animos omnium, indicto, quod tanto opere optabatur, universali Concilio. Injecisti spem, fore, ut, haeresium peste sublata, sacrosanctum Jesu Christi nomen eodem animo, eadem voce, iisdem ritibus ab omnibus invocetur. Agedum, beatissime Pater, ita te Deus ille, cujus tu personam in terris sustines, quam diutissime, & quam felicissime Ecclesiae suae praeesse velit, urge constanter, ut facis, illud propositum: omnemque diligentiam adhibe, ad prohibendum, ne tam tetri mali contagio latius serpat. Memento, te nostrum omnium communem patrem, & pastorem esse: nostram omnium salutem ab eo tibi commissam, ac creditam, qui cum Deus esset, humana natura assumpta, quin sanguine suo viam nobis in caelum panderet, non recusavit. Omnia speramus a te excitatum iri, quae jacere sentis, tantis tamque diuturnis dissensionibus perculsa atque prostrata. Videre jam videmur illud tempus, cum per te constituatur ecclesiastici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, pravae opiniones aboleantur, concordia, ne unquam postea dissolvi possit, severis legibus vinciatur. Multa perdidit ecclesiasticus ordo & ornamenta dignitatis, & praesidia stabilitatis suae: quae nisi per te recipiat, a nemine sibi restitui posse censet. Ad ea autem recuperanda cum ceteros principes Christianos tibi affuturos esse credimus; tum Antonius rex, & Joanna regina Navarrae, se, regnumque suum, & Bearniam, & quascunque denique summa cum imperio obti-

tinent provincias in tua potestate semper fore, sequo, ut par est, obsequentissimos Eccle ac filios, auctoritati tuae nunquam non libentissime obtemperaturos esse, sanctissime pollicentur. DIXI.

DE MORALIS PHILOSOPHIAE LAUDIBUS,

CUM EAM DOCERE INCIPERET,

ORATIO VII.

habita Romae XVI. *Kal. Decemb. anno* MDLXIII.

Veteri consuetudine receptum est, ut omnes, qui artem aliquam publice docendam suscipiunt, eam primam habeant concionem, qua rationem instituti sui cum ejus, quam se tradituros esse profitentur, artis laude conjungant, eoque quidquid habent in dicendo virium conferant, ut in ea cum utilitatis & emolumenti, tum dignitatis & amplitudinis longe plurimum inesse confirment. Quae consuetudo etsi minime reprehendenda mihi quidem videtur: quod omnia laudanda sunt, quae ad amplificandam honestarum artium dignitatem, & ad excitandum in hominum animis earum studium pertinent: tamen illud habet incommodi, quod, dum omnes promiscue iisdem fere afficiuntur laudibus, ejusdemque rei gloriam diversarum artium homines ad suam quisque traducere ac transferre conantur: fit, ut in vulgus elevetur omnium auctoritas; & ut, quoties aliquis de quacunque arte quippiam honorifice ac splendide dicere ingressus est, circumfusa multitudo ita eum loqui opinetur, non quod ita sit, sed quod eam tunc artem ornandam celebrandamque suscepcrit, idem de alia dicturus, si alia sibi extollenda & exaggeranda esset. Ergo, ut qui comoedias aut tragoedias spectant, cum

cum hiſtrionem aliquem in proſcenio auro ac purpura fulgentem viderint, facile intelligunt, illa ornamenta ipſius propria non eſſe: ſed futurum, ut aeque illis indueretur quilibet alius e grege, qui ad tempus eam perſonam ſuſtineret: ita, qui ejusmodi orationes audiunt, cum hanc aut illam artem magnificis & exquiſitis exornatam laudibus vident, ſtatim judicant, nihilo magis eas in hanc, quam in illam, convenire: futurumque, ut eadem de qualibet alia dicerentur, cui orator, tanquam choragus, eas quaſi partes mandare atque imponere voluiſſet. Quae cum mihi de principio in mentem venirent, propemodum in eam me ſententiam adduxerant, ut eam Philoſophiae partem, quae ad confirmandos (*) mores, inſtituendaeque vitae rationem pertinet, quotidianis diſputationibus, quantum meae vires ferent, illuſtraturus, nihil initio, quo dignitatem ipſius vobis commendarem, dicendum arbitrarer; verentem, ne cum ſuis eam modo ac propriis laudibus extuliſſem, communes tamen illae nonnullis ac tralaticiae viderentur. Simul autem illud cogitabam, ſi qui nondum pervidiſſent, aſſidua, & diligens harum praeceptionum tractatio quantum momenti habeat ad bene beateque vivendum, fore, ut brevi eis pro me res ipſa loqueretur: ex qua multo id eos melius, multoque perfectius, quam aut ex mea, aut ex cujusquam oratione cognituros. Sed ab ea me ſententia abduxit amicorum aliter ſentientium auctoritas, qui cum alia multa, tum hoc argumentum attulerunt: cum haec ipſa Philoſophia praecipiat, non eſſe cuiquam temere a publica conſuetudine diſcedendum, minime convenire, qui eam ſe traditurum profiteretur, eum in ipſo quaſi veſtibulo illius praecepta migrare. Quocirca dicam hodierno die breviter & modice de moralis Philoſophiae laudibus, deque fructibus, quos illa ſuis cultoribus pollicetur: ſed philoſophico magis, quam oratorio more; non ut ei quidquam alieni affingam, aut quae ipſius propria ſunt, amplificandi cauſſa in majus extollam: quorum alterutrum ſi coner, ipſa mihi Philoſophia, ut eſt veritatis amans, tanquam Achilli Homerica Pallas, manum injiciat: ſed ut nudo ac ſimplici orationis genere, quale veritatis proprium eſſe ait Euripides, ea, quae ad rem facere videbuntur, exponam. pri-

(*) Maretus in margine Aldinae bene correxit *conformandos*.

Primum igitur non artium modo, ſed omnium omnino humanarum rerum dignitatem atque praeſtantiam ex fine, ad quem earum quaeque dirigitur, quemque ſibi proponit, pendi ac ſpectari arbitror oportere: ut, quanto cujusque finis praeſtantior ac divinior eſt, tanto ipſa ceteris excellere judicetur. Quo poſito: eſt enim ita perſpicuum, ut probationis non indigeat: quis unquam reperietur tanta vi praeditus ingenii, tanta eloquentiae copia inſtructus, qui ſe de Philoſophia, pro ipſius dignitate, verba facere poſſe confidat? Non enim illa ſibi opes ac copias, quae & ſaepe poſſeſſoribus ſuis exitio ſunt, & tam multis caſibus eripi poſſunt: non honores & imperia, quae, quod concupiverint, multi; quod aſpernatus ſit, nemo unquam vituperatus eſt; non quidquam denique proponit ejuſmodi, quo & carere ſine probro, & abundare ſine gloria liceat: ſed eam, ad quam omnes adſpirant, quam ſibi votis omnibus expetunt, ad quam omnes ſuas actiones, omniaque conſilia referunt, felicitatem. Quanto igitur ceteris omnibus bonis anteſtat felicitas, tanto Philoſophia ceteris artibus antecellit. Quod ſi tanto ſtudio coluntur artes quaedam, quae nihil ſibi aliud, quam lucrum, & rei familiaris amplificationem tum incertam, tum laboris ac periculi plenam proponunt: quanto haec ſtudio digna eſt, qua parantur verae illae opes animi, quae non furto eripi, non incendio abſumi, non naufragio abſorberi poſſunt: quaeque certam rectamque viam commonſtrant ad perſequendum id bonum, quo cetera omnia continentur? Si tanto in honore medicina eſt, quod habere levationem morborum, quibus tentatur corpus, bonaeque valetudinis ac firmitatis tum effectrix eſſe, tum conſervatrix creditur: qui tandem honores excogitari poterunt ea arte digni, quae ſe in animis idem effecturam eſſe profitetur? Nam & praeſtantior corpore animus eſt; & hujus, quam illius, multo plures morbi, multoque periculoſiores. Quod ſi cui forte dubium eſt, excutiat ille paulliſper intelligentiam ſuam, ſecumque reputet, quam ſaepe unius hominis ambitio, avaritia, libido integras funditus everterit civitates. His autem & ſimilibus morbis medetur Philoſophia, eamque in ſuis efficit animi firmitudinem, quam non voluptatum illecebrae, non dolorum faces, non divitiarum ſplendor, non obſcura & contempta paupertas, non honorum ſitis, non ignominiae metus, non vitae cupiditas, non mortis terror convellere

ac

ac labefactare possit. Ut enim Olympi cacumen poëtae semper quietum esse ajunt: propterea quod altius sit, quam ut eo vis ventorum tempestatumque perveniat: sic Philosophorum animus sublimior & excelsior est, quam ut illos fluctus sentiat furentium, & de rebus abjectissimis inter se humi dimicantium cupiditatum. Stat ille, ut in medio mari edita & altissimis defixa radicibus rupes: cujus summa fluctus ne attingunt quidem; infima sic verberant, non ut eam commoveant, sed ut ipsi frangantur. Novit Philosophus vulgarium voluptatum blanditias partim puerilium oblectamentorum similes esse, indignas non modo quas consectentur, sed quas respiciant viri; partim cum dedecore ac turpitudine conjunctas, ut satius sit, quovis dolore lacerari, quam venenata ac pestifera earum suavitate mulceri. Habet alias ex sese proprias ac perpetuas voluptates, easdemque sincerissimas, nullaque ne minima quidem permistione molestiae contaminatas, quas ex ipsa virtute, & ex honestis actionibus carpit: iis fruitur, iis mentem pascit, iis se oblectat, eas solas caras ac jucundas habet. Nam ut in beatorum insulis dicuntur esse arbores quaedam adspectu jucundissimae, quarum in ramis toto anni tempore cernere est (*) alios fructus mites jam, & ad maturitatem perductos, alios matureſcentes, alios pubentes adhuc, & in primum se florem induentes: sic in eorum, qui vere ac serio philosophantur, animis toto vitae tempore aliae actiones honestae ac laudabiles confectae jam sunt, & absolutae, aliae in eo sunt ut absolvantur, aliae inchoantur adhuc & informantur, primisque, ut ita dixerim, lineis designantur. Itaque aliarum recordatione ac conscientia, aliarum tractatione ac praesentia, aliarum meditatione & prospicientia sic afficiuntur, nihil ut sibi praeterea jucundum aut amabile existiment. Immensa etiam illa & inexplebilis accumulandarum opum aviditas, quam, incertum est, copia an inopia magis incendat, radices agere in animo Philosophiae praeceptis confito & exculto non potest. Quid ita? Nimirum quia haec id vel praecipue in suorum animis inserit, naturales opes & terminatas esse, & facile parabiles; eas qui adeptus sit, nihil ei amplius appetendum; non qui plurimum habeat, sed qui minimum desideret, ditissi-

(*) Hic Graecismus poëtis proprius est, non orationis prosae scriptoribus.

simum esse; nihil magni faciendum, quod aeque pessimus atque optimus quisque consequi possit. Neque tamen eorum consilium probat, qui aut aurum in mare abjecisse, aut possessiones suas incultas ac desertas reliquisse memorantur: haec enim aut ignavorum hominum videntur, aut pecunia uti nescientium: quorum utrumque in vitio, non in laude ponendum est. Ac fuere quidem ii, de quibus illa narrantur, Philosophi: sed rudior illa quaedam, & simplicior Philosophia tum fuit: politior nostra haec, & ad usum civilem accommodatior: quae docet, opes, si quis aut a parentibus acceperit, aut industria sua quaesierit, aut alia quapiam honesta ratione ad eas pervenerit, non aspernandas aut rejiciendas esse, sed ita habendas, ut virtutis, non ut luxuriae, administras. Nam illud mihi quidem permirum videri solet, quid ita veteres illi judicarint, non posse se simul & rem habere, & in sapientiae studia incumbere: qui mihi etiam videntur, quo facto summam divitiarum contemptionem significare ac prae se ferre voluerunt, eo ipso indicasse nimiam quandam erga eas naturae suae propensionem, si nummos in arcam condere non poterant, ut non omnes cogitationes suas in eandem arcam includerent: neque, quamdiu patrimonium habebant, imperare sibi, ut aliis rebus contemplandis ac cognoscendis vacarent. Equidem nunquam eum militem laudaverim, neque fortem habendum duxerim, qui adversarium a se quam longissime amovcat, ne cum eo manus conserat: sed eum potius, qui & congrediatur, & vincat. Neque vero video, qui minus impedimento sit egestas studiis, quam divitiae. Necesse est enim, qui, unde vivat, non habet, eum sibi vitae subsidia aliunde quaerere: in quo quantum temporis ponit, tantum de sapientiae studiis detrahit. Melius igitur Philosophia, cui qui se regendos permittunt, si opes, si non habent, non requirunt; si habent, utuntur ut decet: neque unquam torquentur aut augendi cupiditate, aut amittendi metu. Quid ego nunc de perturbatrice humanarum rerum, optimi cujusque ingenii corruptrice, concitatrice bellorum omnium, ambitione, quam semper vitare in eorum quos semel occupavit animis, neque unquam conflictescere, gravissimus auctor ait Thucydides, verba faciam? Numquid illius unquam facibus accendi poterit pectus, quod intima pars Philosophiae prae-

cep-

cepta irrigaverint? Imo vero etiam si antea subjecti ab ea ignis aliquid forte conceperit, id totum instillata Philosophia restinguet. Ea enim magistra ac praeceptrice cognoscimus, verum decus, veramque gloriam in sola virtute positam esse: eam qui consecutus sit, quid alii de se judicent, non admodum laborare oportere: praecipue vero despiciendam levis & imperitae multitudinis temeritatem, quae ad mandandos honores caeco saepius & inconsiderato impetu, quam certo & explorato judicio fertur. Praeclare & sapienter Cato malle se dicebat, quaerere homines, cur sibi posita non esset statua, quam si quaererent, cur posita fuisset. Eodem animo sunt veri omnes Philosophi: esse se, ut de Amphiarao ait Aeschylus, quam videri optimos malunt; honores autem & magistratus aut non petunt, aut alienae, non suae utilitatis caussa petunt; neque si adepti sint, exsultant: neque, si repulsam tulerint, anguntur animo, sed placate id & moderate ferunt; aut, si quando dolent, reipub dolent vicem, non suam. Caesarem ferunt, cum pontificatum petiturus ad comitia descenderet, matri dixisse, illam eo die, aut pontificem habituram filium, aut exulem. Jam tum praesagire ac praecognoscere licebat, ambitionem illam ingens aliquod malum civitati daturam. Itaque, quid postea effecerit, videmus. At Cato, in petitione praeturae etiam Vatinio posthabitus, aequissimo, ac moderatissimo animo tulit. Ita sunt Philosophi. Maximam voluptatem in praetermittendis voluptatibus, maximas opes in quieto, ac contento suis animo, maximam gloriam in non ambienda gloria ponunt. Satis honoratum putant esse, qui honore dignus sit; satis magnum regem, qui se ipsum regere; satis potentem imperatorem, qui cupiditatibus suis imperare possit: qui vero eis plane domitis ac subactis jugum rationis, quod illae ne conentur quidem unquam excutere, imposuerit, ab eo omnes aliorum victorias triumphosque superatos. Quod si libidinem, avaritiam, ambitionem pestes quasdam ac furias esse novimus, quae funditus humanam vitam conturbent: quantus honos habendus est Philosophiae, quae se omnes earum conatus repulsuram, omnes igniculos repressuram, omnia semina elisuram, non magnificentius, quam verius, pollicetur? Videre vos opinor, quam se latus orationi meae campus ostendat, si, quaecunque hoc loco se offerunt, persequi, &

& in ſingulis inſiſtere atque immorari velim. Nam cum virtus nulla ſit, de qua non ſplendide, & ornate dicere; nullum vitium, in quod non graviter, & copioſe invehi liceat: quidquid de eorum utrolibet dici poteſt, idem ad Philoſophiam laudandam accommodari poteſt: quam virtutis indagatricem, vitiorum expultricem Latinorum omnium eloquentiſſimus vere ac merito nominavit. Sed non committam, ut cuiquam videar tranſilire eos terminos, quos initio pepigi: potiusque reprehendi me patiar, quod multa, quae fuſius explicare licuiſſet, compreſſerim, ac coartaverim, quam quod in ulla re dilatanda evectus ſim longius juſto, neque ſatis mihi temperare potuerim. Nunc illud mihi etiam atque etiam conſiderate: ceterarum omnium artium fines, neque eos modo, ſed omnia prorſus, quae bona putantur in vita, niſi quis Philoſophiam vitae ducem habeat, peſtifera ac pernicioſa eſſe. Da homini non Philoſopho opes ac copias; da honores atque imperia; da firmam valetudinem; da gladiatorium totius corporis robur; da multarum magnarumque rerum cognitionem ac ſcientiam; da flexanimam illam, ut poëtae vocant, & omnium rerum reginam eloquentiam; da quidquid in filiis parentum votis optari ſolet: quo ejusmodi plura in talem hominem congeſſeris, eo illum magis & in ſuam & in aliorum perniciem armaveris. Opibus abutetur ad ſuam libidinem explendam; imperiis ad alienam libertatem opprimendam; firmitate & robore ad obeunda facinora; ſcientiam copiamque dicendi ad circumveniendos cives ſuos, ad perturbandam rempub. ad omnia denique tum ſacra, tum profana permiſcenda, & evertenda convertet. Da haec eadem, vero, minimeque fucato Philoſopho: Deum quendam ad bene faciendum humano generi e caelo demiſſum eſſe dices. Atque hoc illud eſt, quod in Alcibiade minore, ſive Plato, ſive Xenophon diſputat, ea quae ſuapte natura bona ſunt, ſine ſcientia ejus quod optimum eſt, quam eandem & Philoſophiam eſſe ſtatuo, ad perniciem, non ad ſalutem, valere. O praeclaram laudem Philoſophiae, cujus ope ne mala quidem nocere; qua detracta, ne bona quidem prodeſſe poſſunt. Merito dixit Plato, nullum a Diis datum eſſe hominibus ea majus aut praeclarius donum. Merito Cicero, unum diem ex ejus praeceptis actum immortalitati anteponendum. Neque vero non illud ad ejus,

de qua proprie ſermo nobis inſtitutus eſt, Philoſophiae laudem ac commendationem facit, quod omnia propemodum, quae a veteribus de Philoſophia honorifice dicta ſunt, ad hanc pertinent, quae in vitae ac morum emendatione verſatur. Non enim Plato, cum illam nobiliſſimam vocem, tanquam ex oraculo, edidit, tum demum beatas civitates fore, cum aut regnarent Philoſophi, aut reges philoſopharentur, intellexit, tum id eventurum, cum reges aut in diſſerendi ſubtilitate, aut in perveſtigandis rerum naturalium cauſſis occupati eſſent; quae quanquam praeclara ſunt, longiſſime tamen abſunt ab eo, ut beatas reſpublicas efficere poſſint: ſed, cum virtutis pulcritudine incenſi omnes vires ſuas ad eam non cognoſcendam modo, ſed exercendam, excolendam, propagandam contuliſſent. At contra quidquid inanibus imperitorum ac maledicorum ſermunculis adverſus Philoſophiam jactatum eſt, quoſcunque in eam aculeos ſcurrilis quorundam libido conjecit, quidquid ad minuendam ipſius dignitatem veteris comoediae licentia effutiit, id omne, ſi diligentius excutiatur, ad Dialecticos potius, & ad Phyſicos, quam ad Politicos, pertinere videbitur. Quod ſi ullus in orbe terrarum locus eſt, ubi Politicen florere, ſuamque dignitatem obtinere deceat, Romae id, Romae potiſſimum fieri debet: cui urbi a primo ipſius ortu divino permiſſu datum eſt, ut aliis imperaret; unde leges, unde jura, unde religionem ceterae nationes & olim petierunt, & nunc petunt; unde quondam exſtiterunt tam multi clari viri, qui haec praecepta, quae nos tradituri ſumus, exemplo ſuo comprobarent. Nolite enim putare illa lumina, Camillos, Curios, Fabricios, Fabios, Scipiones, Laelios, ceterosque praeſtantes viros, quos olim haec urbs innumerabiles tulit, quorum quotidie nomina auditis, facta legitis, monumenta cernitis, ſtatuas tanta cum admiratione intuemini, quod de Philoſophia neque diſputarunt fere, neque ſcripſerunt, eo minus Philoſophos fuiſſe. Vita illi, non oratione; factis, non dictis; moribus, non ſermonibus philoſophabantur: quod pulcerrimum ac veriſſimum eſt philoſophandi genus. Integritatem, juſtitiam, fidem, fortitudinem, omnem denique virtutem & colebant ipſi, & alios colere jubebant. Eo ad tantam majeſtatem atque amplitudinem pervenerunt, ut pleraeque gentes, quod ip-

ipsae olim a talibus viris subactae ac superatae sint, quam quod ipsae alias devicerint, praeclarius sibi ac gloriosius ducant. Quantam oportet gloriam fuisse vincentium, cum victi tot post saeculis glorientur? Eorum ego potissimum exemplis, adolescentes, incitabo vos quotidie atque exacuam: neque ullum ex Aristotele praeceptum proferam, cujus non ex hac urbe plurima maximeque illustria exempla repetantur Constitui enim, quando Pius, optimus ac sanctissimus Pontifex, qui ipse omnis virtutis perfectissimum exemplar est, eum mihi honorem detulit, ut a me virtutis & officii praecepta vobis proponi atque explicari voluerit, modis omnibus eniti, ut ea non arido, & inculto, & molestis implicato quaestionibus orationis genere (*) prosequar: sed, quantum id quidem in me erit, florido, & ubere, &, quasi stellis quibusdam, ita petitis ex vetere historia exemplis illuminato atque distincto. Peto autem a vobis, ut, si & in iis rebus, quas tractare instituí, summam dignitatem inesse cernitis, & me nullis vigiliis, nullis laboribus, nulli denique rei parcentem, ut vestris commodis consulam, videbitis, industriam meam diligentia ac benevolentia vestra adjuvetis. DIXI.

DE MORALIS PHILOSOPHIAE NECESSITATE,

CUM IN EA DOCENDA PROGREDERETUR,

ORATIO VIII.

habita Romae VII. *Id. Novemb. anno* MDLXIV.

Superiori anno, cum injunctum mihi Pontificis auctoritate munus obire inciperem, multa dixi de laudibus Philosophiae, cohortatusque vos sum quam potui diligentis-

(*) Imo *persequar.*

tissime, si tranquillitatem vitae, si libertatem, si dignitatem atque honestatem, si salutem denique & vestram & publicam caram haberetis: ut, quae ars tranquillaret animos, quae eos a teterrima vitiorum servitute in justam plenamque libertatem asseretos, ad verum decus, quod in virtute positum est, traduceret, quae denique & singulos privatim & publice totas civitates conservaret, ejus in studium toto pectore, alia omni cogitatione posthabita, incumberetis. Quam cohortationem meam etsi non praetervectam esse aures vestras, sed in animis plurimorum penitus insedisse, vel ex eo probabiliter intelligi potuit, quod mihi postea ex hoc ipso loco Philosophiae praecepta tradenti satis frequentes assiduam operam dedistis: facere tamen pro meo erga vos amore non possum, quin vos hoc quoque tempore non adhorter tantum, sed obsecrem etiam & obtester, qui jam iter illud ingressi estis, ut constanter persequamini; qui nondum, ut id vobis, primo quoque tempore ingrediendum esse statuatis. Nulla enim vitae pars, nulla vivendi ratio, carere fructu, qui ex eorum, quae nos quotidie tractamus, cognitione percipitur, sine maximo incommodo potest. Magnum est, fateor, rerum naturalium principia causasque nosse; siderum ceterorumque corporum caelestium situs, magnitudines, intervalla scientia comprehensa tenere, praeclarum; illa vero etiam quam in haec inferiora vim habeant, quidque ad quamlibet multos annos effectura sint, sine ullo errore posse praedicere, prope divinum. Sed certe, quod ne illi quidem ipsi, qui ea se docere profitentur, negaverint, eorum, in quibus nostra exercetur industria, & fructuosior cognitio est, & pernicioſior ignoratio. Itaque ut nos iis, qui abdita illa & retrusa tractant & ingenii acumine, & doctrinae magnitudine, & rerum admirabilitate non inviti cedimus: ita ipsi nobis, nisi valde iniqui sint, ea, quae disputantur a nobis, & magis necessaria esse, & uberiores hominum generi fructus afferre fateantur necesse est. Nullus enim unquam, quod illa aut non teneret, aut etiam negligeret, minus propterea vir bonus, aut minus utilis patriae civis existimatus est: haec aut ignorata, aut neglecta, non singulos modo perdiderunt homines, sed integras funditus afflixerunt & everterunt civitates. Nos, quae adolescentum, quae constantis aetatis, quae senum officia sint, quaerimus;

mus; nos quid domi, quid militiae, quid a privatis, quid ab iis, qui cum imperio ſunt, praeſtari debeat, diſputamus; ex nobis intelligit pauper, quo modo tolerare inopiam; dives, quomodo uti divitiis debeat; a nobis quid inter patrem & liberos, quid inter virum & uxorem, quid inter fratres, cognatos, amicos, cives, quid denique inter omnes homines obſervari par ſit, explicatur; nos fortitudinis, nos temperantiae, nos liberalitatis, nos juſtitiae, ceterarumque virtutum vim atque naturam diſputationibus noſtris patefaeere atque illuſtrare conamur. Sine horum praeceptorum cognitione muta conticeſcet eloquentia; manca & mutila erit juris legumque cognitio; illa ipſa domina & regina artium Theologia animos requirit diligenti harum rerum tractatione praeparatos atque praecultos. Quae cum ita ſint, quamcunque quis vitae viam ingredi parat, ita ſtatuere debet, ceterarum Philoſophiae partium cognitionem ſibi & utilem & honorificam, hujus plane neceſſariam eſſe. Sed ſunt quidam perverſo homines ingenio, qui cauſſas, propter quas & ipſi a pulcerrimo ſtudio abſtineant, & ab eodem ceteros avocent, comminiſcuntur. Partim enim communia & contrita eſſe dicunt, quae hic docentur, ut ad ea percipienda doctore nihil opus ſit; partim non habere eam vim, ut ad virtutis ſtudium excitent. Cujus rei argumentum capiunt ex eo, quod innumerabiles & olim fuerunt, & hodie ſunt, qui cum haec omnia ſe ſcire profiteantur, nequiſſime tamen & flagitioſiſſime vivunt. Quibus utrisque breviter reſpondere inſtitui: & efficere, ſi poſſum, ut ii, qui iſta temere jactant, cognoſcant errorem ſuum: cumque ſe nihil dicere videant, ſententiam mutent; ſin minus (nihil eſt enim difficilius, quam vincere pertinaces) certe quidem, ut ne alii ſtultitiae & malevolentiae plena eorum oratione moveantur. Primum igitur agamus cum iſtis, qui, ut ad cibos nimium dulces, ita ad diſputationes nimium apertas & faciles nauſeare ſe dicunt. Ex quibus libenter quaeſierim: qui tandem fiat, ut, quibus rebus omnes ad alia ſtudia invitati atque allici ſolent, iisdem ſe ipſi ab hoc ſtudio averti abſterrerique dicant. Certe enim, cum ea, quae docentur utilia & praeclara ſunt, ſi eodem accedit, ut clara, perſpicua, aperta, cognitu facilia ſint; eo majores concurſus ad eos, qui illa docent, fieri conſtat. Quid igitur cum illis agas, qui, quae res ad concilianda

ceterorum ſtudia plurimum valere conſuevit, ea ſe ipſi tardari ac retrahi ajunt? Ego vero, etiam ſi praecepta virtutis quamlibet multis obſtructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & ſudandum, & nunquam, niſi eis cognitis ac comprehenſis, conquieſcendum putarem: nedum ea, quia, ut iſti volunt, a quolibet non tardisſimo neque inertisſimo percipi posſunt, omittenda, aut minoris facienda cenſeam. An de rebus ad vitam nihil pertinentibus inter homines eruditisſimos ſumma contentione disputabitur: in eisque, quia involutae & prope inenodabiles ſunt, opera praeclare collocari videbitur: haec quae vitam omnem continent, ut nimis obvia & in medio poſita, negligentur? Quanquam quid diutius ita diſputamus, quaſi eis concedamus, quod volunt, nihil hic doceri, quod non aut etiam vulgo notum ſit, aut quivis ſine doctoris opera facile conſequi posſit? Ergo ille omnium, qui tunc erant, mortalium, ut creditum eſt, ſapientisſimus, Socrates, qui nulla unquam alia de re, quam de virtutibus & vitiis diſputavit, vulgaribus & ſatis per ſe notis in rebus ſpatium aetatis omne conſumpſit; Quid Plato? quid Xenophon? quid Ariſtoteles? quid ceteri ſuae quisque aetatis principes viri? Quid erat causſae, cur tam multa in hoc genere ſcripta poſteritati relinquerent, ſi nihil egregium, nihil exquiſitum, nihil excellens, ſed ea tantum, quae quilibet e populo ſatis per ſe intelligeret, litteris mandaturi erant? Videlicet, quia juſtitiam, fidem, temperantiam, liberalitatem omnes aſſidue in ore habent, neque quisquam eſt, ne ex ima quidem faece vulgi, quin ſe de ejusmodi rebus optime judicare poſſe confidat, iccirco nullam magnam eruditionem in eis cognoſcendis ſitam eſſe arbitrantur. Quod tamen longe ſecus eſt: intereſtque nimium quantum inter eos, qui tantum tenent nomina, & eos, qui ex eruditorum hominum ſcriptis ac ſermonibus de rebus ipſis vere judicare didicerunt. Plena eſt exemplorum vita communis, ex quibus facile intelligi licet, quam ſaepe vulgus hominum in judicandis virtutibus vitiisque fallatur. Quod ni ita eſt, cedo causſam, cur qui mimis, lenonibus, paraſitis, adulatoribus plurima largiuntur, & ſuo & multorum judicio ſint liberales; cur multi reſtricti, tenaces, ſordidi, qui facilius patiantur ſibi dentem unum ex ore excuti, quam numum unum ex arca moveri, parcimoniae ac frugalitatis nomen ferant;

rant; cur tam multi ad audendum projecti & temerarii commendentur pro fortibus, tam multi timidi & ignavi pro cautis & conſideratis praedicentur. Quid? Juriſconſultorum vigiliae in quo conſumuntur: quid ſpectant eorum labores, qua in re eorum acutiſſima exercentur ingenia, niſi ut videre ac dijudicare poſſint, quid in quaque re juſtum injuſtumve ſit? Non igitur, ut nimium facilis, deſpicienda eſt ars ea, quae virtutum omnium vim naturamque pertractat, cum in una virtute cognoſcenda videamus tam diu, tanta diligentia, ab hominibus ſummo ingenio praeditis laborari. Informavit quidem natura & impreſſit in animis noſtris adumbratas quasdam virtutum & vitiorum omnium notiones: ſed illae tantam vim non habent, ut quisquam eis fretus confidere debeat, ſe ſine diſciplina vere de rebus expetendis fugiendisque iudicaturum. Quod ſi nos nihil aliud, niſi haec tam utilia, tamque ſalutaria quamlibet nudo & inornato dicendi genere traderemus, calumniari tamen nemo nos poſſet, niſi alienae nimis iniquus aeſtimator induſtriae, ut in rebus nimium pervulgatis & facilibus occupatos. Nunc cum & ad ſalubres animorum epulas condimentum ſermonis, quantum in nobis eſt, adhibeamus: & res ſuapte ſponte pulcerrimas, tum praeſtantiſſimorum omnis aevi ſcriptorum teſtimoniis fulcire ac corroborare, tum inſatiabili quadam veterum exemplorum copia exornare atque illuſtrare ſolcamus: tamen ne inveniantur, qui elevare labores noſtros audeant; quaeque praeſtantur a nobis iis ſudoribus, ac vigiliis, quarum ipſi nobis conſcii ſumus, ea quemlibet unum e multis ludibundum perficere poſſe contendant? Qui ſi periculum facerent ipſi, quam non quarumlibet virium ſit munus hoc, ita, ut nos facimus, ſuſtinere & exequi, fortaſſis, experientia edocti, minus de ſe elate ac magnifice ſentirent, minus de aliis maledice contumelioſeque loquerentur. Sed omittamus iſtos. Neſcio enim quo modo factum eſt, ut de re dicere ingreſſus, de me plura quam volueram dixerim: quod ipſum ut facerem, quorundam me hominum, quos nominare nihil neceſſe habeo, iniquitas coëgit. Difficilior cum eis luctatio eſt, qui negant, ſermonibus noſtris quemquam ad virtutem incitari: idque ex eo colligunt, quod ſaepiſſime contingit, ut qui optime loquuntur peſſime vivant. Nos vero ſi diceremus eam in diſputationibus philoſophicis ineſſe

ceterorum ſtudia plurimum valere conſuevit, ea ſe ipſi tardari ac retrahi ajunt? Ego vero, etiam ſi praecepta virtutis quamlibet multis obſtructa difficultatibus forent, laborandum tamen, & ſudandum, & nunquam, niſi eis cognitis ac comprehenſis, conquieſcendum putarem: nedum ea, quia, ut iſti volunt, a quolibet non tardiſſimo neque inertiſſimo percipi poſſunt, omittenda, aut minoris facienda cenſeam. An de rebus ad vitam nihil pertinentibus inter homines eruditiſſimos ſumma contentione disputabitur: in eisque, quia involutae & prope inenodabiles ſunt, opera praeclare collocari videbitur: haec quae vitam omnem continent, ut nimis obvia & in medio poſita, negligentur? Quanquam quid diutius ita diſputamus, quaſi eis concedamus, quod volunt, nihil hic doceri, quod non aut etiam vulgo notum ſit, aut quivis ſine doctoris opera facile conſequi poſſit? Ergo ille omnium, qui tunc erant, mortalium, ut creditum eſt, ſapientiſſimus, Socrates, qui nulla unquam alia de re, quam de virtutibus & vitiis diſputavit, vulgaribus & ſatis per ſe notis in rebus ſpatium aetatis omne conſumpſit; Quid Plato? quid Xenophon? quid Ariſtoteles? quid ceteri ſuae quisque aetatis principes viri? Quid erat causſae, cur tam multa in hoc genere ſcripta poſteritati relinquerent, ſi nihil egregium, nihil exquiſitum, nihil excellens, ſed ea tantum, quae quilibet e populo ſatis per ſe intelligeret, litteris mandaturi erant? Videlicet, quia juſtitiam, fidem, temperantiam, liberalitatem omnes aſſidue in ore habent, neque quisquam eſt, ne ex ima quidem faece vulgi, quin ſe de ejusmodi rebus optime judicare poſſe confidat, iccirco nullam magnam eruditionem in eis cognoſcendis ſitam eſſe arbitrantur. Quod tamen longe ſecus eſt: intereſtque nimium quantum inter eos, qui tantum tenent nomina, & eos, qui ex eruditorum hominum ſcriptis ac ſermonibus de rebus ipſis vere judicare didicerunt. Plena eſt exemplorum vita communis, ex quibus facile intelligi licet, quam ſaepe vulgus hominum in judicandis virtutibus vitiisque fallatur. Quod ni ita eſt, cedo causſam, cur qui mimis, lenonibus, paraſitis, adulatoribus plurima largiuntur, & ſuo & multorum judicio ſint liberales; cur multi reſtricti, tenaces, ſordidi, qui facilius patiantur ſibi dentem unum ex ore excuti, quam numum unum ex arca moveri, parcimoniae ac frugalitatis nomen ferant;

rant; cur tam multi ad audendum projecti & temerarii commendentur pro fortibus, tam multi timidi & ignavi pro cautis & consideratis praedicentur. Quid? Jurisconsultorum vigiliae in quo consumuntur: quid spectant eorum labores, qua in re eorum acutissima exercentur ingenia, nisi ut videre ac dijudicare possint, quid in quaque re justum injustumve sit? Non igitur, ut nimium facilis, despicienda est ars ea, quae virtutum omnium vim naturamque pertractat, cum in una virtute cognoscenda videamus tam diu, tanta diligentia, ab hominibus summo ingenio praeditis laborari. Informavit quidem natura & impressit in animis nostris adumbratas quasdam virtutum & vitiorum omnium notiones: sed illae tantam vim non habent, ut quisquam eis fretus confidere debeat, se sine disciplina vere de rebus expetendis fugiendisque iudicaturum. Quod si nos nihil aliud, nisi haec tam utilia, tamque salutaria quamlibet nudo & inornato dicendi genere traderemus, calumniari tamen nemo nos posset, nisi alienae nimis iniquus aestimator industriae, ut in rebus nimium pervulgatis & facilibus occupatos. Nunc cum & ad salubres animorum epulas condimentum sermonis, quantum in nobis est, adhibeamus: & res suapte sponte pulcerrimas, tum praestantissimorum omnis aevi scriptorum testimoniis fulcire ac corroborare, tum insatiabili quadam veterum exemplorum copia exornare atque illustrare solcamus: tamen ne invenientur, qui elevare labores nostros audeant; quaeque praestantur a nobis iis sudoribus, ac vigiliis, quarum ipsi nobis conscii sumus, ea quemlibet unum e multis ludibundum perficere posse contendant? Qui si periculum facerent ipsi, quam non quarumlibet virium sit munus hoc, ita, ut nos facimus, sustinere & exequi, fortasis, experientia edocti, minus de se elate ac magnifice sentirent, minus de aliis maledice contumelioseque loquerentur. Sed omittamus istos. Nescio enim quo modo factum est, ut de re dicere ingressus, de me plura quam volueram dixerim: quod ipsum ut facerem, quorundam me hominum, quos nominare nihil necesse habeo, iniquitas coëgit. Difficilior cum eis luctatio est, qui negant, sermonibus nostris quemquam ad virtutem incitari: idque ex eo colligunt, quod saepissime contingit, ut qui optime loquuntur pessime vivant. Nos vero si diceremus eam in disputationibus philosophicis inesse

vim, ut ex audientium animis vitia radicitus evellere, virtutesque eisdem ingenerare posſent, merito ut vani atque inepte glorioſi reprehenderemur. Multas magnasque mercedes, ut ait Theognis, ferrent Philoſophi, ſi, quemadmodum Circe herbis & cantibus ſuis homines ſtatim convertebat in feras, ita ipſi ſuis ſermonibus ex feris homines facerent, id eſt, homines ferarum ſimilljmos ad virtutem a vitio, ad rationem a furore, ad humanitatem ab immanitate revocarent. Et tamen aliquid ſe aliquando ejusmodi effecisſe Philoſophiae gloriari licet. Producet enim Polemonem, ab infami vita moribusque perditiſſimis ad bonam frugem & ad ſeveritatem, unica Xenocratis diſputatione revocatum. Sed ut non peraeque in omnibus campis agricultura, ita non ih omnibus animis Philoſophia idem efficit. Illud quidem certe negari non poteſt, aut nullam omnino esſe artem, quae medeatur animis, quae quanta ſit in vitiis deformitas, quanta in virtute dignitas, doceat, quae ab illis avertat, ad hanc incitet; aut eum honorem Philoſophiae potiſſimum esſe tribuendum. Quod autem objiciunt, plerosque Philoſophorum factis dogmata ſua evertere, neque ignem aquae magis contrarium esſe, quam eorum mores orationi: ita enim loqui, ut vitio; ita vivere, ut virtuti bellum indixisſe videantur: utinam tale esſet, ut id nobis infitiari liceret. Eſt enim acerbiſſimum negare non posſe, quod ſit turpiſſimum confiteri. Sed quoniam iis, quae omnibus nota ſunt, fidem abrogare velle dementiae eſt: non negabimus verum esſe, quod objicitur; tantum deprecabimur, ne propter hominum vitia res ipſa in invidiam vocetur, neve, quorum facta merito averſamur, eorundem ſermonem immerito repudiemus. Ut enim quorundam ex Epicureis dogma reprehenditur, vita laudatur: ſic horum vitam reprehendere, doctrinam amplexari debemus. Polycletum inſignem ſtatuarum opificem tradunt librum de artificio ſuo edidisſe, quem Canona, id eſt, Regulam inſcripſit: quo libro omnia, quae in ſtatua hominis fingenda obſervari conveniret, quae ſingularum partium minimarum maximarum figura esſet, qui ſitus, quae inter ſe proportio, ſubtiliſſime & accuratiſſime perſecutus eſt. Eodem autem tempore ſtatuam a ſe factam publice propoſuit, in qua ea omnia diligentiſſime obſervata erant: ne quid praecipere aliis videretur, quod non ipſe praeſtaret: quam ſtatuam ipſam quoque Canona nominavit. Vellem eandem

dem rationem Philoſophi teneremus: neque tantum traderemus aliis praecepta, ad quae vitam ſuam dirigerent, verum etiam vitam noſtram ad ea conformatam oſtenderemus. Magna ſine ulla dubitatione praeceptis noſtris ex eo accederet auctoritas. Sed, quando id optandum potius, quam ſperandum videtur, quod in frugibus, in fetibus arborum, in corporibus animantium, quibus veſcimur, facimus, ut reſectis & amputatis iis, quae inutilia ſunt, iis, quae prodeſſe poſſunt, utamur; idem in hoc genere Philoſophorum faciendum eſt, ut, rejecta eorum turpi flagitioſaque vita, gravem ſeveramque doctrinam non auribus tantum, ſed multo magis animis combibamus. Non enim, ſi qui ex medicis cibo ſe & potu aliquando ingurgitant, eo illis continentiam praecipientibus, qui ſapiunt, minus parent: ſed, [illegible] quidem quid agant, non laborant, artis autem ipſius placitis & decretis obtemperant. Nam cum alicujus mores & praecepta congruunt ac concinunt: tunc aut utraque laudanda ſunt, aut utraque vituperanda: cum diſcrepant & diſſident, cauſa nulla dici poteſt, quin alterum retinendum ſit, alterum rejiciendum. Horum a dictis facta ita diſtare conſtat, ut non caelum a terra longius diſtet: ſunt autem facta turpiſima: igitur ſermones, quibus ea ipſa facta damnantur, ac reprehenduntur, digniſſimi qui audiantur. Atque ut medici, quo majorem auctoritatem arti ſuae concilient, ſolent interdum enumerare quosdam e praecipuis auctoribus diſciplinae ſuae, qui, quod ita ſe compararunt, ut praecepta ſua non oſtentationem ſcientiae, ſed legem vitae putarent, diutiſſime ſaluberrimeque vixerunt: ita nos nihil, ſi volumus, impedit, quamlibet multos Philoſophos nominare, qui, quod decretis ſuis paruerint, quasque leges aliis proponebant, ipſi ſervaverint, merito ſunt apud omnes populos nunquam intermorituram gloriam conſecuti. Illi fortaſſis nominabunt Hippocratem, Aſclepiadem, Galenum: quorum primus usque ad annum centeſimum quartum aetate provectus eſt; alter eo proceſſit artis ſuae fiducia, ut auſus ſit cum fortuna ſponſionem facere, ne medicus haberetur, ſi ullo unquam morbo tentatus eſſet: & victor, cum ad extremam ſenectutem ſine ullo morbo pervenisſet, ſcalarum lapſu exanimatus eſt; tertius cum imbecilliori valetudine uſus eſſet adoleſcens, ita eam arte correxit, ut ad ſeptuageſimum

annum pervenerit. Nos e Philosophiae castris, ad repellendos ipsius vituperatores, primum quidem in aciem educemus illud honestatis, illud modestiae, frugalitatis, innocentiae, fortitudinis, omnis denique virtutis specimen & exemplar, Socratem: qui ita locutus est, ut ex ejus sermonibus omnes quae postea consecutae sunt Philosophorum disciplinae fluxerint; ita vixit, ut hodie quoque nomen illius non hominis, sed integritatis & innocentiae nomen putetur. Cui succedet par illud nobile in eodem institutum ludo, Xenophon & Plato: quorum uterque summam in dissimili genere eloquentiae laudem pari vitae gravitate cumulavit. Proxime hos Xenocrates: de cujus eloquentia dicit Polemo (*); de continentia Phryne; de frugalitate & contemptione pecuniae Alexander; de fide & justitia univ[illegible]s populus Athenienſis, qui eum, dicto publice testimonio, ad aras jurandi caussa accedentem, una voce revocavit, ac jurare vetuit: parum sibi decorum ratus, tam spectatae fidei viro, nisi jurato, non credidisse. Inde aeternum Alexandri crimen, Callisthenes, unoque verbo tota vetus Academia, & Lyceum, & illa non tam Myconis & Polygnoti picturis, quam Zenonis & Chrysippi disputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus quasi virtutis & doctrinae officinis innumerabiles viri, incertum, doctiores, an meliores, prodierunt. Agmen claudent Epictetus, Plutarchus, Musonius, ceterique illi aetati suppares, quos ita philosophatos accepimus, ut iis, quibus cum vivebant, ad omnia recta & laudabilia, non voce magis, quam exemplo, praeirent. His copiis facile speramus fore, ut eorum, qui Philosophiam maledictis incessere audent, retundatur audacia. Qui si ita victi erunt, ut deinceps in nostrum se numerum aggregari velint, & in ejus ipsius, quam oppugnabant, castris stipendia facere incipiant, victoriam adepti etimus longe ei dissimilem, quam veteres Cadmeam nominabant. Illa enim & victori luctuosa erat, & victo: haec & victoribus erit laetitiae, & victis saluti. Sin, cum se fractos ac perculsos videant, permanebunt tamen in eadem pravitate atque obstinatione animi: &, ut ignavi canes, Philosophiam, ad quam propius accedere non audent, emi-

(*) Muretus in marg. Aldinae scripsit *dixit*.

eminus allatrabunt: vos tamen, optimi adoleſcentes, quorum cauſa hic a me inſtitutus eſt ſermo, quibus mei labores ſerviunt, quorum ad utilitatem omnes mei conatus, omnes vigiliae, omnia ſtudia referuntur, urgete conſtanter propoſitum: neque patimini vos cujusquam ſermonibus a ſuſcepto ſtudio abduci. In ea aetatis parte conſtituti eſtis, in qua & ingenium ad omnia percipienda docilius, & corpus ad tolerandos ſtudiorum labores firmius eſſe conſuevit. Videte, ut eam iis in ſtudiis collocetis, quae vobis olim maximo & uſui & ornamento futura eſſe cognoſcitis. Atque, ut obtrectatoribus noſtris eripiatis omnem anſam maledicentiae, connitimini, quantum poteſtis, ut virtutis & officii praecepta, quae ex me quotidie audietis, non tantum excipiatis animo, verum etiam vita & moribus exprimatis. DIXI.

DE

JUSTITIAE LAUDIBUS,

ORATIO IX.

habita Romae poſtridie Non. Mart. anno

M D L X V.

Quod principio me, cum hos libros explicare ingrederer, dicere meminiſtis, accuratam eorum tractationem & intelligentiam cum ad omnes vitae partes utiliſſimam, tum iis, qui in jure civili excellere, locumque aliquem, non inter circumforaneos iſtos clamatores, ſed inter veros & graves, & veterum illorum ſimillimos juriſconſultos obtinere meditarentur, neceſſariam eſſe: id & aliqua jam ex parte, quam verum ſit, judicare potuiſtis, & ex iis praecipue, de quibus in hoc libro diſputabimus, intelligetis. Ingrediendum enim nobis eſt duce & quaſi myſtagogo Ariſtotele in auguſtiſſimum & religioſiſſimum juſtitiae templum; luſtranda oculis omnia illius adyta; con-

annum pervenerit. Nos e Philoſophiae caſtris, ad repellendos ipſius vituperatores, primum quidem in aciem educemus illud honeſtatis, illud modeſtiae, frugalitatis, innocentiae, fortitudinis, omnis denique virtutis ſpecimen & exemplar, Socratem: qui ita locutus eſt, ut ex ejus ſermonibus omnes quae poſtea conſecutae ſunt Philoſophorum diſciplinae fluxerint; ita vixit, ut hodie quoque nomen illius non hominis, ſed integritatis & innocentiae nomen putetur. Cui ſuccedet par illud nobile in eodem inſtitutum ludo, Xenophon & Plato: quorum uterque ſummam in diſſimili genere eloquentiae laudem pari vitae gravitate cumulavit. Proxime hos Xenocrates: de cujus eloquentia dicit Polemo (*); de continentia Phryne; de frugalitate & contemptione pecuniae Alexander; de fide & juſtitia univerſus populus Athenienſis, qui eum, dicto publice teſtimonio, ad aras jurandi cauſa accedentem, una voce revocavit, ac jurare vetuit: parum ſibi decorum ratus, tam ſpectatae fidei viro, niſi jurato, non credidiſſe. Inde aeternum Alexandri crimen, Calliſthenes, unoque verbo tota vetus Academia, & Lyceum, & illa non tam Myconis & Polygnoti picturis, quam Zenonis & Chryſippi diſputationibus nobilitata porticus, quibus ex omnibus quaſi virtutis & doctrinae officinis innumerabiles viri, incertum, doctiores, an meliores, prodierunt. Agmen claudent Epictetus, Plutarchus, Muſonius, ceteriſque illi aetati ſuppares, quos ita philoſophatos accepimus, ut iis, quibus cum vivebant, ad omnia recta & laudabilia, non voce magis, quam exemplo, praeirent. His copiis facile ſperamus fore, ut eorum, qui Philoſophiam maledictis incesſere audent, retundatur audacia. Qui ſi ita victi erunt, ut deinceps in noſtrum ſe numerum aggregari velint, & in ejus ipſius, quam oppugnabant, caſtris ſtipendia facere incipiant, victoriam adepti erimus longe ei diſſimilem, quam veteres Cadmeam nominabant. Illa enim & victori luctuoſa erat, & victo: haec & victoribus erit laetitiae, & victis ſaluti. Sin, cum ſe fractos ac perculſos videant, permanebunt tamen in eadem pravitate atque obſtinatione animi: &, ut ignavi canes, Philoſophiam, ad quam propius accedere non audent, emi-

(*) Muretus in marg. Aldinae ſcripſit *dicit*.

eminus allatrabunt: vos tamen, optimi adoleſcentes, quorum cauſa hic a me inſtitutus eſt ſermo, quibus mei labores ſerviunt, quorum ad utilitatem omnes mei conatus, omnes vigiliae, omnia ſtudia referuntur, urgete conſtanter propoſitum: neque patimini vos cujusquam ſermonibus a ſuſcepto ſtudio abduci. In ea aetatis parte conſtituti eſtis, in qua & ingenium ad omnia percipienda docilius, & corpus ad tolerandos ſtudiorum labores firmius eſſe conſuevit. Videte, ut eam iis in ſtudiis collocetis, quae vobis olim maximo & uſui & ornamento futura eſſe cognoſcitis. Atque, ut obtrectatoribus noſtris eripiatis omnem anſam maledicentiae, connitimini, quantum poteſtis, ut virtutis & officii praecepta, quae ex me quotidie audietis, non tantum excipiatis animo, verum etiam vita & moribus exprimatis. DIXI.

DE

JUSTITIAE LAUDIBUS,

ORATIO IX.

habita Romae poſtridie Non. Mart. anno

M D L X V.

Quod principio me, cum hos libros explicare ingrederer, dicere meminiſtis, accuratam eorum tractationem & intelligentiam cum ad omnes vitae partes utiliſſimam, tum iis, qui in jure civili excellere, locumque aliquem, non inter circumforaneos iſtos clamatores, ſed inter veros & graves, & veterum illorum ſimillimos juriſconſultos obtinere meditarentur, neceſſariam eſſe: id & aliqua jam ex parte, quam verum ſit, judicare potuiſtis, & ex iis praecipue, de quibus in hoc libro diſputabimus, intelligetis. Ingrediendum enim nobis eſt duce & quaſi myſtagogo Ariſtotele in auguſtiſſimum & religioſiſſimum juſtitiae templum; luſtranda oculis omnia illius adyta; con-

contemplanda inprimis ipſius deae forma; & tum quae, quantaque vis illius poteſtasque ſit, tum quibus ipſa ſe rebus, quibus ritibus coli gaudeat, cognoſcendum eſt. Haec illa eſt, auditores, omnium domina & regina virtutum: a qua in omne hominum genus leges & jura manarunt; quae benefactis honores & praemia, malefactis ignominias & ſupplicia proponens, ſtudia bonorum excitat, malorum improbitatem coërcet; qua ſublata, non domus ulla, non civitas, non hominum inter ſe ſocietas, non ipſa denique univerſitas rerum ſtare ac tueri ſe punctum temporis poſſet. Etenim, quoniam hodiernus dies ceterae diſputationis proluſionem modo quandam habiturus eſt: dabitis mihi hanc veniam, ut, paullo altius hujus ſermonis principia repetens, percurram ea, quae, priſcis temporibus, ſumma ſapientia praediti homines de juſtitia tradiderunt. Juſtitiae originem a caelo eſſe dicebant; illic eam & vigere, & ex omni aeternitate viguiſſe; certo illic ordine atque immutabili quadam lege gubernari omnia: ideoque aeterna atque immortalia eſſe. In iis autem, quae ſub orbem lunae ſubjecta ſunt, abſolutam quidem illam & omni ex parte perfectam juſtitiam materiae vitio cerni non poſſe: eſſe tamen aliquam caeleſtis illius imaginem, alibi expreſſiorem, alibi minus expreſſam: futurum enim alioqui, ut permiſcerentur ac corruerent omnia. Atque ut quaeque res plura & certiora illius veſtigia retineret, ita eſſe eam perfectiorem, ſtabiliorem, immortalitati viciniorem: ut pauciora minusque certa, ita minus perfectam, minusque conſtantem, pluribusque caſibus atque interitui denique obnoxiam. In elementis hoc primum notari volebant, eaque dupliciter conſiderabant: quatenus unumquodque eorum totum quiddam atque integrum eſt; & quatenus ad compoſitionem quaſique coagmentationem ceterorum corporum particulae quaedam illorum aſſidue permiſcentur ac temperantur. Tota igitur elementa niſi ſedes ac regiones ſibi a natura datas atque attributas obtineant, ſi irruere in alienas & migrare conentur; ſi ignis proxime ſibi ſuppoſitam animalem ſpirabilemque naturam depaſcat, & abſumat; ſi aqua non contenta iis terminis, quos pepigit Deus, terram operiat & obruat: quis non intelligit, peritura funditus omnia, & talem quandam confuſionem, qualem poëtae ante orbem conditum fuiſſe fingunt, conſecuturam? Quid cum partes eorum copulari

ac

ac coaleſcere ad alia corpora progignenda & conſtituenda oportet: nonne juſtitia quadam temperationis illius moderatrice opus eſt: ut tantum cujusque pro rata portione, quantum ſatis eſt, admiſceatur? In illa etiam quadripertita tempeſtatum varietate, qua diſtinctus eſt annus, idem obſervari poſſe dicebant. Quae cum ita eunt, ut quadam ipſius naturae quaſi lege ſancitum eſt: hoc eſt, cum & tellus conceptis ſeminibus hiberno frigore adſtringitur, & vernis modicis imbribus ac tepore laxatur; cum & fruges fructusque arborum aeſtivo calore probe percoquuntur, & eodem ſub autumnum remittente ſe paullatim ac frangente miteſcunt: tum & ſaluberrimus annus eſt, & maxima rerum ad victum neceſſariarum ubertate ac copia inſignis. Cum contra fit, tum & caritas exſiſtit annonae, & variis morborum generibus omne genus animalium tentari ſolet. Cumque unusquisque noſtrum duabus ex partibus conjunctus concretusque ſit, corpore & animo: earum partium ex utraque, quae juſtitiae injuſtitiaeque vis eſſet, liquido perſpici poſſe adſeverabant. Omnia enim mala, omnia damna, omnem perniciem & corporibus & animis ex injuſtitia evenire: juſtitia ſalutem, incolumitatem, bona denique omnia effici ac contineri. Nam cum in corporibus quatuor ſint, quae quatuor elementis proportione reſpondeant, igni flava bilis, animae ſanguis, aquae pituita, bilis atra terrae: quam diu haec cum aequabilitate quadam inter ſe permiſta ſunt, valemus ac vigemus; cum eorum aliquod aut potentius, aut infirmius, aut plus aut minus juſto eſt, aut ſe a communione ceterorum ſegregavit: conflictamur variis morbis, tandemque interimus. Qua de re principis medicorum Hippocratis in libello de natura hominis haec verba ſunt: *Corpus hominis habet in ſe ſanguinem & pituitam & bilem duorum generum, flavam & nigram: ex iis omnibus ipſius corporis natura eſt: eis ſit, ut & doleat, & bene valeat. Bene igitur valet, cum ea moderate inter ſe affecta ſunt & temperatione & poteſtate & copia: maximeque ſi permiſta ſint; dolet autem, cum eorum aliquod aut plus aut minus eſt, aut in corpore ſecretum, neque cum ceteris omnibus temperatum.* Haec Hippocratis verba ipſa expreſſi: ex quibus intelligimus, in aequabilitate, cujus effectrix juſtitia eſt, ſitam eſſe bonam corporis conſtitutionem. Sed ne ali quidem corpus utiliter ac ſalutariter ſine aliqua ima-

imagine juſtitiae poteſt. Niſi enim vis aliqua ſit, quae & ſiccum & humidum alimentum, ubi jam coctum atque confectum & in ſuccum ac ſanguinem converſum eſt, aequabiliter diſtribuat, ac diſpertiat, atque id quod cuique parti aptum & accommodatum eſt, & quantum opus eſt, tribuat, neque alias partes, tumidas & redundantes, alias exhauſtas & enectas eſſe patiatur: facile intelligimus, haec tam admirabilis fabrica corporis noſtri quantam deformitatem habitura & quam cito ruitura ſit. Atque haec in corporibus. Quid in animis? quantum bonorum a juſtitia, quantum malorum ab injuſtitia effici creditis? In quibus cum pars una ſit, qua intelligimus, qua ratiocinamur, qua proxime (*) divinam naturam accedimus; altera, quae rationis ipſa quidem per ſe particeps non eſt, ſed obtemperare tamen rationi poteſt: cum quod fieri jus eſt, id fit, hoc eſt, cum pars illa ſuperior imperat, & tanquam habenas tenens, currum regit; paret altera, & quo illa cumque ducet ſequitur: tum omnis honeſtas, omnis dignitas, omnis officii ac virtutis ſplendor elucet. At cum excuſſo ac depulſo rationis jugo, cupiditas, quaſi ſeditioſus aliquis ac turbulentus civis, faſces arripit, in arcem invadit, mentem de ſua ſede contra jus fasque deturbat: tum, ut navis diſcordibus acta ventis, ſic hominis vita contrariis & inter ſe pugnantibus foediſſimarum libidinum flatibus agitata, in omnem ſcelerum ac flagitiorum turpitudinem praeceps ruit. Ipſis igitur & animorum & corporum noſtrorum inter ſe partibus, ut utrisque bene ac beate ſit, juſtitiam quandam intercedere neceſſe eſt. Sed idem in ſocietatibus convictuque hominum multo evidentius multoque illuſtrius cernitur. Quomodo enim patrifamilias cum uxore, cum liberis, cum ſervis, quae primae conjunctiones ſunt, convenire poterit: quae eis omnibus vita erit, niſi & ille juſte imperet, & hi juſte pareant? Si vir in uxorem injurius ac contumelioſus eſſe velit, neque eam pro comite individua vitae, pro divinorum humanorumque omnium ſocia, ſed pro ſcorto aut pro ancilla habere; ſi uxor ſua domeſtica curatione non contenta, implicare ſe aliis rebus & viri partes praeripere conetur; neque ſe ei morigeram praebeat; ſi uterque li-

(*) Deeſt *ad* in Aldina. Quam conſtructionem de endere *licet* exemplis apud Drakenborch. ad Liv. IX. 40. Sed magis Ciceronianum eſt *accedere* cum praepoſitione, quod Ingolſtadienſes ediderunt.

liberos in ſervorum, ſervos in pecudum loco ac numero habeat, duriorique eos quam jus eſt, imperio premat; ſi liberi parentum, ſervi dominorum imperium detrectent, eisque obtemperare ac dicto audientes eſſe abnuant: quis non videt, nullam in domo ita inſtituta concordiam, nullam benevolentiam, nullam animorum voluntatumque conſociationem, plena perpetuo omnia rixarum, diſcordiarum, querelarum, contentionum fore? Ut in qualibet ſolitudine, in quamlibet vaſtis ac deſertis, & ab omni hominum cultu ac conſortio remotis locis ſuavior vita, quam in ea domo, unde juſtitia exſulet, eſſe videatur. Ita omnem fructum, omnem dulcitudinem, omnem amabilitatem vitae, vitam denique ipſam tollit e vita, qui juſtitiam tollit. Egrediamur, ſi videtur, domo: & in forum ac publicum prodeamus. Quis eſt omnium, qui eum, quem injuſtum eſſe opinetur, aditu, congreſſione, ſermone dignum judicet, quin eum, quaſi maleficum aliquod & noxium animal, refugiat, averſetur, odio habeat? quin ejus concurſum dirum ſibi ac tetrum atque ominoſum putet? Quamvis enim omnia vitia bonis viris odioſa atque inviſa ſunt: tamen injuſtitia praecipue alienat ab iis, in quibus eſt, aliorum animos; omniumque ſibi odia conflat, conciliat, colligit. Ceteris vitiis affectos aliquo modo ferimus; quibusdam ignoſcimus; quibusdam non nimis offendimur; quibusdam in hac vitae ac morum corruptione etiam oblectamur: prodigos multi amant; avaros tolerant; multos aliena intemperantia non offendit; qui voluptates nimis refugiunt, etiam ſeveritatis ac caſtimoniae laudem ferunt; audacium in bello interdum aliquis uſus eſt; timidis & nimis cupidis vitae ignoſcitur: injuſtus communi omnium mortalium odio flagrat; ſuis, alienis, civibus, peregrinis, notis, ignotis juxta omnibus inviſus, exoſus, intolerandus eſt. Itaque etſi illud omnibus hominibus a natura tributum eſt, ut raro ſua vitia agnoſcant, eaque modis omnibus tegere & occultare conentur, aut etiam eis virtutum nomina imponere: ut ſe prodigi pro liberalibus, avari pro parcis ac frugi, timidi pro cautis ac conſideratis, audaces pro fortibus haberi & praedicari velint: facilius tamen reperias, qui ſe avarum, timidum, audacem, libidinoſum, quam qui injuſtum eſſe fateatur. Quin etiam ceteris vitiis ſuis hanc aut defenſionem aut excuſationem praetendere ac praetexere conſueverunt, ſe in neminem injurios eſſe. Avarus ſum, fateor: ſed ita,

ita, ut mea conſervem, ſuo neminem fraudem. Prodigus: ſed cui, ut largiar, eripio? in quem contumelioſus ſum? Indulgeo voluptati, hilare vivo: quidquid animo meo collubitum eſt, facio: ſed quid tum poſtea? meae libidines nemini nocent. Et ita ille apud Terentium homo impuriſſimus,

Leno, inquit, *ſum*, *fateor*: *pernicies communis adoleſcentium*:
Perjurus, *peſtis*: *tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.*

Videte, quam odioſa, quamque abhorrens a natura ſit injuſtitia: quam turpe atque invidioſum injuriam facere: cum qui negare non poſſunt, aliis ſe vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc carent, ferri ſe non poſſe tantum, ſed propemodum etiam debere arbitrentur. Civitates vero & regna & imperia quae res alia niſi juſtitia aut initio fundare ac conſtituere, aut poſtea tam multa ſaecula conſervare ac propagare potuiſſet? Nam & convenerunt homines, & vitam una colere decreverunt, cum ſe aequo jure uſuros, & quod ſuo ſibi labore peperiſſent, eo ſine metu fruituros eſſe, neque moenibus magis, quam legibus a vi atque ab injuria tutos fore confiderent: & quam diu id obſervatur, tam diu amice inter ſe ac concorditer vivunt; ſimul atque ab aequitate diſceditur, partes, factiones, ſeceſſiones, ſeditiones, & bella civilia exſiſtunt. Praeclare, ut omnia, Euripides:

Cuſtodia legum civitates continet.

Idemque alio loco ait, juſtitiae neglectum plerisque civitatibus exitioſum eſſe. Juſtitia civitates a parvis & humilibus profectae principiis brevi tempore ad magnam potentiam pervenerunt: injuſtitia florentiſſimae & opulentiſſimae breviori tempore funditus conciderunt. Neque enim adamantinis illis vinculis, quae Dionyſius ſenior crebro in ore habebat, vi atque metu, ſed juſtitia & aequitate magna imperia retinentur. Quare ſapienter Perſae ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique in ſpem regni educabatur, cum alios ad virtutem magiſtros dabant, tum unum inprimis, a quo juſtitiam doceretur. Paedalios etiam, Indicam gentem, litteris proditum eſt, in ſacris publicis nihil aliud a diis, quam juſtitiam petere ſolitos eſſe: quod eam ſi conſequerentur, affatim ſibi bonorum omnium putarent fore. Juſtitiam enim & perpetuas illius, ut

ut poëtae loquuntur, sive comites, sive sorores, veritatem & fidem pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia consequitur. Eam si colerent omnes, nunquam tubae, nunquam litui audirentur; arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur; belli, dissensionis, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita essent. Quod scite sane, & ex patriae suae consuetudine Agesilaus expressit: ex quo cum quaesitum esset, utra esset virtus praestantior, justitiane an fortitudo: haec, inquit, sine illa tantum ad perniciem valet: at, illi si pareant omnes, hujus usus, nullus futurus est.

Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos & lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperae;
Culpam poena premit comes.

quemadmodum suavissime cecinit Horatius. Ubicunque justitia dominatur, illinc fraudes, illinc doli, illinc perjuria exsulant: non adulteri, non raptores, non fures, non sicarii, non venefici, non latrones, non testamentorum subjectores, non obsessores itinerum reperiuntur: ea denique propemodum eveniunt, quae aureae aetatis hominibus evenisse memorantur. Nam ne tum quidem aliam ob causam

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis:

quam quoniam homines

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant.

Neque enim debemus illa poëtarum figmenta tanquam inania modo quaedam aurium oblectamenta accipere: sed ex eis discere, Deum ipsum favere hominibus justis;

ita, ut mea conſervem, ſuo neminem fraudem. Prodigus: ſed cui, ut largiar, eripio? in quem contumelioſus ſum? Indulgeo voluptati, hilare vivo: quidquid animo meo collubitum eſt, facio: ſed quid tum poſtea? meae libidines nemini nocent. Et ita ille apud Terentium homo impuriſſimus,

Leno, inquit, *ſum*, *fateor*: *pernicies communis adoleſcentium*:
Perjurus, *peſtis*: *tamen tibi a me nulla eſt orta injuria.*

Videte, quam odioſa, quamque abhorrens a natura ſit injuſtitia: quam turpe atque invidioſum injuriam facere: cum qui negare non poſſunt, aliis ſe vitiis implicatos atque illaqueatos teneri, dum hoc carent, ferri ſe non poſſe tantum, ſed propemodum etiam debere arbitrentur. Civitates vero & regna & imperia quae res alia niſi juſtitia aut initio fundare ac conſtituere, aut poſtea tam multa ſaecula conſervare ac propagare potuiſſet? Nam & convenerunt homines, & vitam una colere decreverunt, cum ſe aequo jure uſuros, & quod ſuo ſibi labore peperiſſent, eo ſine metu fruituros eſſe, neque moenibus magis, quam legibus a vi atque ab injuria tutos fore confiderent: & quam diu id obſervatur, tam diu amice inter ſe ac concorditer vivunt; ſimul atque ab aequitate diſceditur, partes, factiones, ſeceſſiones, ſeditiones, & bella civilia exſiſtunt. Praeclare, ut omnia, Euripides:

Cuſtodia legum civitates continet.

Idemque alio loco ait, juſtitiae neglectum plerisque civitatibus exitioſum eſſe. Juſtitia civitates a parvis & humilibus profectae principiis brevi tempore ad magnam potentiam pervenerunt: injuſtitia florentiſſimae & opulentiſſimae breviori tempore funditus conciderunt. Neque enim adamantinis illis vinculis, quae Dionyſius ſenior crebro in ore habebat, vi atque metu, ſed juſtitia & aequitate magna imperia retinentur. Quare ſapienter Perſae ei ex regiis liberis, qui natu maximus erat, quique in ſpem regni educabatur, cum alios ad virtutem magiſtros dabant, tum unum inprimis, a quo juſtitiam doceretur. Paedalios etiam, Indicam gentem, litteris proditum eſt, in ſacris publicis nihil aliud a diis, quam juſtitiam petere ſolitos eſſe: quod eam ſi conſequerentur, affatim ſibi bonorum omnium putarent fore. Juſtitiam enim & perpetuas illius,

ut

ut poëtae loquuntur, sive comites, sive sorores, veritatem & fidem pax & amicitia, & bonarum artium cultus, & omnium rerum expetendarum abundantia consequitur. Eam si colerent omnes, nunquam tubae, nunquam litui audirentur; arma aut exederentur rubigine, aut in ligones ac vomeres conflarentur; belli, dissensionis, inimicitiarum ne nomina quidem hominibus cognita essent. Quod scite sane, & ex patriae suae consuetudine Agesilaus expressit: ex quo cum quaesitum esset, utra esset virtus praestantior, justitiane an fortitudo: haec, inquit, sine illa tantum ad perniciem valet: at, illi si pareant omnes, hujus usus, nullus futurus est.

Tutus bos etenim rura perambulat;
Nutrit rura Ceres, almaque Faustitas;
Pacatum volitant per mare navitae;
Culpari metuit fides.
Nullis polluitur casta domus stupris;
Mos & lex maculosum edomuit nefas;
Laudantur simili prole puerperae;
Culpam poena premit comes.

quemadmodum suavissime cecinit Horatius. Ubicunque justitia dominatur, illinc fraudes, illinc doli, illinc perjuria exsulant: non adulteri, non raptores, non fures, non sicarii, non venefici, non latrones, non testamentorum subjectores, non obsessores itinerum reperiuntur: ea denique propemodum eveniunt, quae aureae aetatis hominibus evenisse memorantur. Nam ne tum quidem aliam ob causam

Ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos sine semine flores:
Nec renovatus ager gravidis canebat aristis:

quam quoniam homines

Sponte sua sine lege fidem rectumque colebant.

Neque enim debemus illa poëtarum figmenta tanquam inania modo quaedam aurium oblectamenta accipere: sed ex eis discere, Deum ipsum favere hominibus justis;

eorum labores fortunare; eorum conatus ac consilia ad bonos exitus ducere. Nam neque dictu, neque cogitatu fas est, eum, qui summe justus est, aut ipsa potius justitia, non esse amicum, benevolum, propitium iis, qui ad justitiam omne suum studium conferunt, eamque toto pectore sequuntur. Itaque Hesiodus quoque, non tantum aureus & ad verbum ediscendus poëta, verum etiam Philosophus inprimis bonus, multis versibus persequitur ac percenset ea bona, quae a Deo tribuuntur cultoribus justitiae, contraque eas, quae ab injustitia civitatibus inferuntur, calamitates. Illorum enim urbes laetas florere populis, nunquam bello, nunquam fame, nunquam aliis ejusmodi pestibus conflictari: hos & fame, & peste, & bello, & aliis innumerabilibus malis injustitiae suae poenas dare. Recitarem versus ipsos, nisi Graeca quidem huic sermoni admiscere nollem: Latine autem me inaffectatam quandam illorum jucunditatem pari gravitate conjunctam assequi posse diffiderem. Quodsi haec non essent, sique injusti quidem abundarent omnibus copiis, in summa opum atque honorum affluentia viverent, fortunam sibi arbitrio suo fingerent ac temperarent; justos autem odium, contemptus, egestas, exilia, orbitates, damna omnia sequerentur: tenere tamen mordicus deberemus id, quod a Platone divinitus & religioni nostrae convenienter traditum ac disputatum est, justos, etiamsi omnes fortunae acerbitates excipiant, semper beatos; injustos etiam in maximis prosperitatibus secundissimisque rebus infelicissimos esse. Dixi de justitia, non quaecunque poteram: neque enim id tempus tulisset: neque omnia in unum locum congerenda ac semel effundenda erant: sed ex infinita copia eorum, quae dici possunt, quantum satis esse hodiernae disputationi judicavi: quotidie autem, ut spero, plura & meliora dicentur. Nunc, quod interdum difertos homines facere animadverti, ut cum ad clausulam orationis ventum est, illa, de quibus egerunt, breviter ac summatim colligant, quo ea in uno conspectu posita altius in audientium animis ac memoria infigant: id ego quoque facere cupio: sed quia ejus artis magistri singularis cujusdam artificii eam rem indigere ajunt, quod mihi deest, ab alio mutuabor, recitaboque vobis verba quaedam Poli Lucani (*) nobilis Philosophi, unius ex

(*) Apud Stobaeum S. IX. p. 105.

ex illis veteribus Pythagoreis, qui tenuerunt eam partem Italiae, quae magna Graecia vocabatur: quibus verbis summa eorum omnium, quae a me hodie dicta sunt, continetur. *Iustitia*, inquit, *ceterarum omnium virtutum parens & altrix vocanda mihi videtur: neque sine ea fieri posse, ut quisquam aut temperans sit, aut fortis, aut prudens. Est enim harmonia quaedam & pax totius animi cum apto & composito motu. Illius autem quanta sit vis, magis e ceterorum habituum inspectione cognosci potest. Nam ceterorum utilitates ad unum modo pertinent: hujus ad omnia, quae composita sunt, & ad multitudinem. Ea igitur in mundo quidem providentia vocatur, & harmonia, & judicium, & mens Deorum, qui ita statuerunt. In civitate autem pax & bona legum constitutio merito dicitur. In privata domo, viri quidem & uxoris mutua concordia, servorum autem in dominos bonus animus, & vicissim in dominis amica & benevola servorum procuratio. In corpore autem & animo, primum quidem ea, quae omnibus carissima sunt, vita, & bona valetudo, & integritas virium: tum autem sapientia omnisque scientia. Quae igitur una & totum & partes ita regit & servat, efficiens omnia inter se concordia & amica, quidni communis omnium parens & altrix omnium suffragiis praedicetur?* Haec ille. Ego autem ad hujus virtutis tractationem & cognitionem, & ad has pulcerrimas animorum epulas nobis omnibus ab Aristotele paratas vos, auditores, voco. Cogitate, quid agatis. Virtus, qua de agitur, praestantissima est. Qui de ea scripsit, Philosophus praestantissimus. Utinam ex me quoque tertium argumentum sumi posset ad animos vestros excitandos. Sed, quo minus doctrina & ingenio valeo, eo plus laboris ac diligentiae afferam. Nullus autem est, quin adhibito labore efficere aliquid & navare possit. Multum a me operae jampridem in hoc libro positum est; multae noctes vigilatae, ut ad illius intelligentiam pervenirem: praecipue olim, cum in juris civilis studia incumberem: ad quae hunc librum mirifice utilem esse intelligebam. Non puto me usque adhuc valde fefellisse vestram de me opinionem: neque saepe id, quod pollicitus sim, non praestitisse. Mihi credite: si quantum ego ad docendum, tantum vos ad discendum diligentiae afferetis, efficiam, ut multos magnosque fructus ex hujus libri cognitione capiatis. DIXI.

DE

SUI COGNITIONE, DEQUE OMNIBUS HUMANI ANIMI FACULTATIBUS,

ORATIO X.

habita Romae IV. *Id. Novemb. anno*

MDLXV.

Croesum olim Lydorum regem opulentissimum, petendi oraculi caussa, Delphos misisse accepimus, qui scisciterentur ex Deo, non leve quiddam & nugatorium, ut antea, cum clam in eodem aheno testudinem simul & agnum coquens, experiri voluerat, numquid eorum quae agerent homines Deum lateret; neque quid se facere oporteret, ut ex se procrearet liberos; neque ecquid adversus Persas bellum susciperе deberet; neque denique quidquam simile eorum, quae prius quaesiverat: sed rerum omnium multo maximam, multoque dignissimam, in qua cognoscenda plurimum ab omnibus operae ac studii collocetur: quomodo felicitatem consequi, & quid agens, id quod supererat aetatis beatissime transigere posset. Sapienter hoc quidem, & non pro ea, qua plerisque in aliis rebus usus est, inconsiderantia & temeritate: quod de via, quae ad summum bonum ferret, neque statuendum sibi ipse, neque cujusquam hominis fidendum consilio, sed Deum consulendum judicavit. Responsum autem ei redditum est plane praeclarum, & illa, quae tum de Apollinis sapientia erat, opinione dignissimum: non si maximos auri argentique acervos exstrueret, non si multos exercitus aleret, non si terminos imperii sui longe lateque proferret; sed si se ipse cognosceret, ita demum beatum fore. Jam, etsi apud nos, qui vera religione imbuti sumus, nihil Apollinis valere debet auctoritas: tamen ejusmodi oracula, quae praeceptum aliquod utile ad institu-

en-

endam vitam continent, amare & magni facere debemus. Constat enim, ea nihil esse aliud, quam insignes quasdam & eximias sapientissimorum hominum sententias, quae quoniam divinitus immissae in eorum animos videbantur, ad Deum referebantur auctorem. Quoties igitur audimus, Apollinem respondisse Croeso, beatum eum fore, si se cognosceret; quoties praeceptum eadem de re in templo Delphico inscriptum fuisse legimus: toties illud cogitare debemus, magnum quoddam bonum esse cognitionem sui: cum inter omnes omnium aetatum sapientes viros convenerit, in eo positum esse fundamentum felicitatis: neque ulla re unumquemque nostrum in plura aut graviora mala, quam sui ipsius ignoratione, prolabi. Quod cum ita se habeat, omnibus viribus elaborandum est nobis, ut cognitionem nostri, quando tantum in ea momenti ac ponderis ad beatam vitam situm est, consequamur. Sed in hac re illud primum videndum est, quid sit nosse se: ne, eo secus quam oportet accepto, errore aliquo implicemur. Fieri enim prorsus non potest, ut recte id faciamus, quod jubemur, nisi prius, quid jubeatur, intelligamus. Hoc autem non alius melius nos, quam Plato, docuerit: apud quem Socrates in Alcibiade primo multa disputat, quibus hominem animum esse, non corpus ostendat; semper enim id, quod aliqua re utitur, ab eo, quo utitur, aliud esse; uti autem homines & partibus corporis sui, ut manibus pedibusque, & toto corpore; ex quo effici, ut, quantum inter artificem & instrumentum intersit, tantum inter hominem & corpus intersit. Quam sententiam & Aristoteles libro decimo Ethicorum comprobavit, & apud Ciceronem libro sexto de Repub. his verbis Africanus expresit: *Mens cujusque is est quisque: non ea figura, quae digito demonstrari potest.* Quod si homo non corpus est, sed animus, qui jubet (*), ut nos ipsos noscamus, illud videlicet jubet, ut noscamus animum nostrum. Atque hoc a Platone acceptum ita extulit idem Cicero libro primo Tusculanarum disputationum: *Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: & nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim, credo, id praeci-*

(*) Rarior, nec imitanda, constructio, *jubeo, ut.* Vide Dukeum ad Liv. XXIII. 21.

cipit, ut membra noſtra, aut ſtaturam, figuramve noſcamus: neque nos corpora ſumus: neque ego, tibi haec dicens, corpori tuo dico. Cum igitur, Noſce te, dicit, hoc dicit, Noſce animum tuum: nam corpus quidem quaſi vas eſt aliquod animi aut receptaculum. Duo ſunt, quae hactenus probare ſtuduimus: eximium quoddam bonum eſſe cognitionem ſui, & noſſe ſe nihil eſſe aliud, quam noſſe animum ſuum. Nunc antequam progrediamur ulterius, illud admonendi eſtis, unam eandemque rem non uno eodemque modo a diverſis artificibus conſiderari. Angulum rectum, ajebat, Ariſtoteles primo horum librorum, alia ratione conſiderat Geometres, alia faber. Sic & hominem aliter medicus, aliter pictor; & animum hominis aliter Phyſicus conſiderat, aliter Politicus. Phyſici, quae ſit animorum natura, quaerunt: ſimplex, an compoſita atque concreta; corporea, an expers corporis; mortalis & caduca, an immortalis & aeterna; ſitne totus animus in qualibet parte corporis, an unaquaeque illius facultas ſuam in corpore ſedem quaſique domicilium habeat a ceteris ſecretum ac ſeparatum. Nos quaecunque de iis & talibus ab eis, duntaxat religioni noſtrae conſentanea, traduntur, tanquam vera & indubitata ponentes, animum ea tantum ratione conſideramus, qua vel depravari & corrumpi vitiis, vel virtutibus perfici & ad Dei ſimilitudinem, quantum natura patitur, perduci poteſt. Quare cum hodie nobis illud propoſitum ſit, ut ex Ariſtotelis, in iis libris, qui ad moralem Philoſophiam pertinent, ſententia, de animi humani partibus, deque uniuscujusque illarum perfectione verba faciamus, (hoc enim potiſſimum modo praeparandos eſſe vos duxi ad cognitionem & intelligentiam eorum, quae in hujus ſexti libri explicatione tradentur) certos quaſi cancellos circumdabimus orationi noſtrae, eamque ſuis regionibus ac terminis circumſcribemus: ut ab iis, quae Phyſicorum ſunt, abſtinentes, ea tantum, quae ad munus noſtrum proprie pertinent, explicemus. Hoc loco prope ſupervacaneum eſſe judico, petere a vobis, ut me attente audiatis. Certe enim ea vobis cauſa huc veniendi fuit. Et ut ridiculus fuerit balneator, ſi, quos lavandi cauſa in balneas ingreſſos videt, ab eis multis precibus petat, ut lavent: ita ego mihi videor ridiculus fore, quod facturi huc conveniſtis, id ſi ut faciatis vos rogem. Oratorum iſte mos eſt, qui, etiam

etiam cum exploratum habent, se attentissime auditum iri, tamen attentionem petunt: non quod opus esse eo putent, sed quoniam, si aliter fecerint, adversus artis suae praecepta fecisse se putant. Meum est conari, ut auditu digna adferam; vestrum, ne ea praetervolare patiamini, sed singula diligenter expendentes, penitus demittatis in animos vestros. Mihi, ut ne ad id, quod mearum partium est, praestandum imparatus venirem, provisum est: vos quoque ad me qua soletis benignitate & attentione audiendum satis vestrapte sponte paratos esse confido.

Animi nostri sive partium, sive facultatum bipertita divisio est. Partim enim ipsarum ratione praeditae sunt, partim rationis expertes. Ac ratione quidem praeditas eas vocamus, quae ex omni animantium genere in solis hominibus; rationis autem expertes, quae etiam in bestiis atque ex aliqua parte in stirpibus reperiuntur. Rationis expertes (ab eis enim exordiri & ab infimis quasi per gradus ad summa contendere decrevimus) duplicem ipsae quoque habent varietatem. Aliae enim sunt, quae vitam continent; aliae, quae animal constituunt. Quae vitam continent, tres sunt: quas illa & in rebus inveniendis acutissima, & in eisdem appellandis disertissima Graecorum natio vocat τὸ θρεπτικὸν, τὸ αὐξητικὸν, τὸ γεννητικὸν. Nos quia vetera quidem Romana vocabula, quibus haec exprimamus, non habemus; iis autem, quae postea cusa sunt, uti propter quandam, ut verum fatear, stultam & ineptam religionem non audemus, unum in plura spargere ac diducere cogimur, dicimusque vim nutriendi, vim augendi, & vim procreandi. Hae omnes non in animalibus modo sunt, verum etiam in stirpibus. Quae autem constituunt animal, duorum ipsae quoque generum sunt. Partim enim cognitione quadam & apprehensione, partim appetitione & declinatione cernuntur. Illas γνωστικὰς Graeci, has ὁρμητικὰς vocant. Γνωστικαὶ in animalibus sunt duae, sensus & phantasia: utendum enim est hoc, quando Latino caremus. Sensibus apprehenduntur singula tantum, non etiam universa, nisi quatenus sunt in singulis. Non enim lapidem aut lignum proprie ac per se videmus, sed hunc lapidem & hoc lignum: aut potius neque hunc lapidem neque hoc lignum, sed hujus lapidis aut ligni colorem. Sensus enim non percipit essentiam, ut Ciceronem

locutum esse ajunt, sive, ut posteriores locuti sunt; substantiam: sed ea tantum, quae ei adjuncta sunt: neque rosam aut videmus, aut olfacimus, sed rosae odorem olfacimus, colorem videmus. Sensus autem sunt, ut notum est, numero quinque: quorum tactus in omnibus est animalibus, ceterum (*) alii in aliis desiderantur. Phantasia rerum sensu perceptarum formas quasdam, &, ut Graeci loquuntur, typos recondit ac continet: ac praeterea judicat de quibusdam, de quibus sensus exteriores judicare non possunt: ut hoc flavum esse dulce: & hunc, qui accedit, esse Socratem. Sensus in eo, ad quod proprie percipiendum aptus est, nunquam fallitur: dum & intervallum moderatum sit, & instrumentum, & id, quod interjicitur, probe affectum. At phantasia saepe fallitur: ut cum in picturis eminere videntur quae plana sunt; ut cum remus in aqua inflexus videtur; ut cum cani Aesopeo imago carnis in aqua caro videbatur. Hanc inesse in bestiis vel ex eo cognoscimus, quod earum pleraeque & meminerunt & somniant, ut equi, ut canes: quorum neutrum sine ea, de qua loquimur, facultate facere possent. Ex eis nascuntur illae, quas in persequendo fugiendoque cerni, & Graece ὁρμητικὰς vocari diximus. Nam cum omnem sensum voluptas aut molestia comitetur: quarum altera naturae consentanea & amica est, altera adversa & inimica: fit, ut nullum animal sit, in quo non insit naturalis & appetitio eorum, quae jucunda, & fuga eorum, quae molesta esse videantur. Ὁρμητικὰς δυνάμεις Aristotelis interpretes, Hammonius, Eustratius, & alii vulgo, duas tantum faciunt, ἐπιθυμίαν, καὶ θυμὸν. Sed intelligendum est, in omnibus animalibus existere & ex bono praesenti laetitiam, & ex eo, quod nondum adepta sunt, cupiditatem; & aegritudinem ex praesenti malo, & metum ac declinationem, si mali quid imminere videatur. Haec Stoici, ut me tertio abhinc anno ex hoc ipso loco dicere memini, propria hominis, non ei cum ceteris animalibus communia esse voluerunt. Neque enim metuere bestias, sed quasi metuere: nec cupere, sed quasi cupere: eodemque modo neque vera ipsas laetitia, neque vera molestia affici: sed utriusque imaginem modo quandam

(*) Muretus in marg. Aldinae bene correxit *ceterorum*.

dam ac similitudinem habere. Quam opinionem, ut stultam & deliram, exagitant Plutarchus, Galenus, Porphyrius, aliique. Sed Stoici, si dogmatum suorum constantiam ac convenientiam retinere ac conservare vellent, ita dicere necesse habebant. Haec enim omnia ita definiebant, ut ex opinione nasci dicerent: ex opinione boni praesentis, laetitiam: ex opinione mali praesentis, molestiam: ex opinione boni imminentis, cupiditatem; ex opinione mali imminentis, metum. Cum igitur opinio in solis sit hominibus; sequebatur, ut ea quoque hominum propria essent. Sed verius est, haec omnia convenire etiam in bestias: neque ex opinione tantum consistere, sed etiam ex sensu aut phantasia boni malive aut praesentis aut imminentis. Omnes igitur illae facultates, de quibus hactenus diximus, in mutis quidem animalibus ita sunt rationis expertes, nullam ut prorsus cum ratione habeant aut communionem aut societatem. In homine eae, quae Graecorum lingua ὁρμητικαὶ nominantur, etsi ratione praeditae non sunt, rationem tamen audire, & ejus obtemperare imperio possunt. Quorum utrumque nobis paullo enucleatius explicandum videtur. In eis igitur non inesse rationem, ex eo quivis facile intelligat, quod ratio ipsa secum pugnare non potest: at saepenumero laetitiam, molestiam, cupiditatem, metum rationi adversari videmus. Rursus, esse iis omnibus aliquam cum ratione communionem, id indicio est, quod suscepti praeter rationem animi motus, ratione adhibita, aut deponuntur, aut mitigantur. Itaque recte ex Aristotelis sententia dicitur, τὸ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ἄλογον διττὸν εἶναι. τὸ μὲν γὰρ αὐτῆς ἁπλῶς ἄλογον εἶναι, καὶ κατ' οὐδένα τρόπον λόγῳ πειστὸν· τὸ δὲ ἄλογον μὲν εἶναι φύσει, μετέχειν δὲ πως λογικοῦ. Haec Latine ita expedite, &, ut ita dixerim, rotunde explicari non possunt. Sed nihil difficile amanti.

Libenter hoc & omne militabitur

bellum, in vestrae spem gratiae. Conabor, si qua ratione possim, haec ita Latine eloqui, ut intelligantur. *Earum animi nostri facultatum, quae ratione carere dicuntur, duplex ratio est. Quaedam ita sunt rationis expertes, ut nulla prorsus eis intercedat cum ratione communio. Tales autem sunt quinque, vis alendi, vis augendi, vis generandi,*

di, ſenſus, & phantaſia. Nam hae omnes & communes nobis ſunt cum mutis animantibus, & ratione nullo modo dirigi poſſunt. At eae duae, quarum in altera vis eſt concupiſcendi bonum propoſitum, ejusque adeptione gaudendi, in altera declinandi malum imminens, & eo, cum jam urget, dolendi, ſuapte quidem natura rationis expertes ſunt, ſed quodam modo rationis participes dici queunt. Quibus eas argumentis rationis expertes eſſe cognoſcimus? Primum, quod his omnibus modis afficiuntur etiam beſtiae. Nam & concupiſcunt, & laetantur, & metuunt, & dolent. Deinde quod ſaepenumero cum ratione pugnant: ut cum incontinentem alio ratio, alio cupiditas trahit. Qualis eſt Ovidii Medea, quae ſe ait videre quidem & probare meliora, deteriora autem ſequi. Nullo autem modo fieri poteſt, ut eadem animi pars eodem tempore in contrarias partes trahat. Quare cum alio ratio, alio cupiditas trahit, facile intelligitur, aliam a ratione eſſe cupiditatem. Unde igitur colligimus eas eſſe tamen in homine rationis quodam modo participes? quoniam eas rationis audire imperium, eique parere interdum videmus. Agamemnoni apud Homerum iraſcitur Achilles: multa iratus dicit, quae neque eum, cui dicuntur, neque eum, a quo dicuntur, decent. Hino cognoſcas licet, iram a ratione aliam eſſe. Cum jam eo proceſſiſſet, ut ſtricto gladio impetum in Agamemnonem facere pararet, prohibet ratio: quam enim aliam accipiamus Palladà? Atque ibi Achilles divinam illam & nunquam delendam ex animis hominum ſententiam profert:

Χρὴ μὲν σφωίτερόν γε θεὰ ἔπος εἰρύσσασθαι,
Καὶ μάλα περ θυμῷ κεχολωμένον. ὧς γὰρ ἄμεινον.

Homini, quantumlibet iratò, rationem tamen audiendam, ejusque obſequendum imperio dicit: id enim ſatius eſſe. Poteſt igitur irae furentis impetus ratione cohiberi: vereque dictum eſt ab antiquo poëta, morbis hominum rationem mederi. Sic qui gaudent dolentve quibus non oportet, aut plus minusve quam oportet: eodemque modo qui aut cupidi ſunt, aut timidi, aut contrariis vitiis laborant, rationis imperium accipere & conformare ſe ad illius praecepta poſſunt. Atque hoc eſt, quod Ariſtoteles primo horum librorum dicebat, illam animi partem ra-

ratione quidem carere; ſed tamen quodam modo participem eſſe rationis. In ea igitur ſunt omnes eae virtutes, de quibus in ſuperioribus libris diſputatum eſt: quae uſitato jam & recepto vocabulo Morales nominantur. Sequitur nunc, ut eam animi partem conſideremus, quae ſuapte natura ratione praedita & hominum propria eſt: cujus etiam ipſius vires ac poteſtates antiqui duorum generum eſſe dixerunt: Appetitionis duas, voluntatem & προαίρεσιν, quam vulgo electionem vocant: quarum voluntas ſemper tendit ad bonum; προαίρεσις variat, & modo bona malis, interdum etiam mala bonis anteponit. Sed hac de re & diximus multa, cum librum tertium explicaremus, & in librum ſeptimum, ubi de continentia incontinentiaque diſputabitur, plura dicenda erunt. Tres cognitionis, λόγον, id eſt, opinionem: διάνοιαν, quam mentis agitationem, Cicerone, niſi fallor, auctore vocare inſtitui: & νοῦν, quem aut mentem, aut intelligentiam, vocemus licet. Mentis cum ſenſu ac praecipue cum ſenſu oculorum magna quaedam ſimilitudo eſt: unde & ſaepe Ariſtoteles oculum mentis vocat: & dictum eſt id eſſe mentem in animo, quod oculum in corpore: &, ut ſuo loco oſtendimus, ſenſum ac mentem interdum confundit. Ut enim ſenſus, ita mens quoque extremorum eſt: ſed ſenſus eorum, quae ſunt inferiora demonſtratione, mens eorum, quae ſupra omnem demonſtrationem. Mente apprehenditur Deus; apprehenduntur mentes illae ab omni contagione materiae ſeparatae; apprehenduntur mundi & eorum, quae illius ambitu continentur, primordia, ceteraque ejusmodi, quae multis magnisque obſcuritatibus involuta & in intimis rerum omnium parentis naturae receſſibus abdita & retruſa, iis demum perfecte patent, qui puro & ab omnibus libero cupiditatibus animo, caeleſtem quandam in terris vitam agunt. Ad illud mentis lumen cum ſe applicuit & admovit διάνοια, in qua ineſt vis ratiocinandi & ex aliis alia colligendi, ex eorum complexu ac conjunctione exſiſtit, & exoritur illa omnium virtutum ſuprema, quam magnificentiſſimo vocabulo σοφίαν Graeci, Latini ſapientiam nominarunt. Ea perfecta cadere in hominem non poteſt: rectеque judicavit ſive Thales Mileſius, ſive quis alius (non enim inter omnes convenit) ſolum Deum eſſe ſapientem. Sed tamen priſcis temporibus qui de Deo rebusque divinis, qui de mundi origine, qui de abditis rerum cauſſis

dis-

disserebant, earumque rerum cognitione ceteris excellere videbantur, eos sapientes vocabant. Sapientiam autem esse dicebant cognitionem divinarum humanarumque rerum, & caussarum, quibus eae continentur. Primus Pythagoras arrogantiam verbi fugiens, non sophon se, id est, sapientem, sed Philosophum, id est, sapientiae amantem esse professus est; ab eoque deinceps qui se iisdem quibus ille studiis dediderunt, Philosophorum appellationem retinuerunt. At mente in rebus tam sublimibus, tamque arduis uti, paucissimis hominibus datum est Pleraque pars in foedissimo eodemque tenacissimo corporearum cupiditatum coeno haerentes, & quasi clavis quibusdam, ut Plato loquitur, terrae affixi, ad divina & caelestia ne adspirare quidem possumus. Quod cum ita sit, in omnibus tamen hominibus lucent quasi scintillae quaedam illius luminis; quibus fit, ut principia disciplinarum, & communes illas sententias, quas ἀξιώματα aut κοινὰς ἐννοίας vocant, ita videamus, quasi ea, quae cernuntur oculis, eisque sine caussa firmius etiam ac certius, quam iis, quorum caussam tenemus, assentiamur. Ad quas cum se admovit ἡ διάνοια, & ex illis alia quaedam necessario collegit, efficitur ἐπιστήμη, id est, scientia, quam esse ajunt cognitionem rei per primam, propriam & necessariam caussam. Quid mens proprie, quidque διάνοια sit, diximus, simulque paucis cum sapientiae, tum scientiae originem ostendimus. Quarum utraque ad eam vim mentis pertinet, quam Graeci, ducto a contemplatione vocabulo, τὸν θεωρητικὸν vocant. Est enim & altera, quae ab eis dicitur ὁ πρακτικὸς νοῦς, aut latiori nomine & aptiori ad omnia complectenda, ὁ νοῦς ὁ ἐν ἐκάστῳ, quasi tu dicas mentem, quae non simplicem, ut illa, veritatem sibi propositam habeat, in eaque acquiescat, sed referatur praeterea alio, ut ad actionem, aut ad operis alicujus molitionem & effectionem. Hac aut videmus duce natura, aut certe facile percipimus communes quasdam sententias de rebus bonis & malis, expetendis & fugiendis: cujusmodi sunt, tuendam esse hominum inter ipsos societatem; colendam esse justitiam; ab injuria abstinendum; vim vi repellere jus fasque esse: itemque alias, quae quasi principia sunt ac semina artium ad vitam necessariarum. Ad haec principia cum accessit primum διάνοια, quae, ut dixi, alia cum aliis comparans, alia ex aliis nectens progreditur ac provehitur paul-

paullatim longius: deinde diuturnus usus & experientia cum accurata & diligenti animadversione ac notatione eorum, quae eveniunt in vita, exstitit illa magistra vitae, omnium bonorum consiliorum praeceptrix, omnium honestarum actionum moderatrix, omnium moralium virtutum dux gubernatrixque prudentia; eademque illa vi excogitatae, auctae, & ad summum perductae sunt artes illae, quibus aut nullo modo, aut certe non satis commode carere poteramus. Reliqua est opinio, varium & multiforme monstrum: quoque non Proteus aut Vertumnus plures induerit species. Quamquam enim in rebus incertis & fortuitis proprium illius munus est: non tamen eis se finibus continet: sed indomita quadam & effrenata licentia per omne genus rerum temere ruens, omnia permiscet atque perturbat. Interdum etiam sese pro sapientia, pro scientia, pro prudentia venditans, homines nimium fidentes sibi in gravissimos ac pernicioſisſimos inducit errores. Huic igitur, quoniam fallax, incerta, & instabilis est, nullius virtutis origo tribuitur: nisi quod bona opinio de iis, quae sciri possunt, praeparatio quaedam est ad scientiam: bona opinio de rebus agendis, utiliter ad comparandam prudentiam antecedit. Immo vero, ut in disciplinis quaedam ponuntur, quibus sine ulla dubitatione credendum est: ita ait Aristoteles opinionibus ac sententiis senum, & eorum, quos longa & multiplex rerum experientia cautos ac providos effecit, in consilio capiendo & in instituenda vita maximam fidem habendam esse: eas enim eandem vim ad prudentiam, quam illa principia ad scientiam, obtinere. Dixi breviter, ut proposueram, de omnibus humani animi facultatibus; & quamquam hanc totam disputationem quotidianis verbis & inornato dicendi genere contexui, tamen confido, eam vobis non minus gratam fuisse, quam si omnes undique flosculos colligens, omnes dicendi lepores ac festivitates aucupans, concinno quodam ac modulato verborum sono aures vestras demulcere studuissem. Potestis autem facile perspicere ex iis, quae dicta sunt, quibus de rebus in hoc sexto libro explicando disputaturi simus. Nam cum in superioribus libris earum virtutum, quae sunt in illa parte animi, quam per se ratione carere, sed rationi tamen parere posse diximus, natura pertractata sit: in hoc de virtutibus illius superioris ac divinioris partis, hoc est,

de

de intelligentia, ſapientia, ſcientia, arte, prudentia, ſed potiſſimum de prudentia diſſeremus. Quid igitur? finemne ſtatim faciam, (id enim a me jam expectari video) an priusquam deſino, ad haec toto pectore amplectenda paucis vos cohortabor? Ego vero ita faciam, neque committam, ut aut ad ineundam, aut ad perſequendam pulcerrimam & fructuoſiſſimam ſtudiorum viam, ullo aut loco aut tempore, mea vobis cohortatio defuiſſe videatur. Dubitatis igitur, adoleſcentes, quin ad harum rerum cognitionem adipiſcendam omnis vobis diligentia ſuſcipienda, omnis labor perferendus, omnis corporis voluptas negligenda, omnis aliarum rerum cura ex animo ejicienda ſit? Ubi, quaeſo, iſtam egregiam indolem, quam in plerisque veſtrum videmus, ubi iſtud ingenium ad omnia ſumma natum, ubi iſtam partem aetatis ad concipienda doctrinae virtutisque ſemina omnium aptiſſimam, aut honeſtius, aut ſuavius, aut fructuoſius collocare poteritis? Quid enim eſt, quo quisquam oblectari, quo ad diſcendum invitari atque allici poſſit, cujus non in hiſce quotidianis disputationibus noſtris copiam reperire aliquam liceat? Eſt, quem arduarum rerum & remotarum a cognitione vulgi accurata tractatio capiat? Talia nobis plurima in animi partibus excutiendis, in principiis humanarum actionum evolvendis, in patefacienda ſapientiae, ſcientiaeque natura, neceſſario tractanda erunt. Eſt, quem non tam ardua & ſublimia, quam in quotidiano uſu poſita, & ad inſtituendam vitam accommodata, delectent? Utiliſſimis ad vitam praeceptis aures eorum qui me audient quotidie perſonabunt. Eſt, cui antiquitatis cognitio & veteris hiſtoriae commemoratio jucunda ſit? At nos quidem ſcitis vix ullum praeceptum tradere ſolitos eſſe, quin ei illuſtrando repetitam ex Graeca Romanaque hiſtoria exemplorum lucem adhibeamus. Poëtarum alius amoenitate ducitur? Nos vero ex optimis utriusque linguae poëtis pulcerrima quaeque libantes, perpetuo disputationes noſtras ejus quaſi ſalis adſperſione condimus. Graecam linguam amat aliquis? Ariſtotelem hic quotidie Graece loquentem audiet: qui ea lingua dictus eſt aureum orationis flumen fundere. Latinam anteponit alius? Dabimus nos quidem operam, ut ex optimis Graecis non peſſima Latina faciamus: neu quis a nobis audiendis, tanquam in Latine loquendo non ſatis diligentibus, abſterrea-

reatur. Omninoque quicunque tantam huc animorum alacritatem tantamque discendi cupiditatem adferent, quantam ego rerum optimarum varietatem, & quantum perspicuae docendi studium adferam, faxo, nunquam eis veniat in mentem, quod docenti mihi assiduam operam dederint, poenitere. DIXI.

PRO

ALFONSO II. DUCE FERRARIAE, ETC.
AD PIUM IV. PONT. MAX.

ORATIO XI.

Non est habita.

Si quis est, qui scire cupiat, beatissime Pater, quanto gaudio perfusus sit Alfonsus II. Ferrariae Dux, postea-quam te in summum istum & caelo proximum dignitatis, atque amplitudinis gradum communi patrum omnium voluntate ac judicio sublatum esse cognovit: is, si orationem meam cogitatione sua subsequi, quasque ille gaudendi causas habuit, earum unaquaeque quantum ponderis ac momenti habeat, diligenter expendere voluerit, simul & id, quod cupit, intelliget, & mihi, si forte illius gaudii magnitudinem verbis exaequare non potuero, ignoscendum potius quam succensendum putabit. Nam cum ea dicendo tractanda sunt, quae nullo verborum genere satis exprimi possunt, acris & intelligentis aestimatoris est, non dicentis imbecillitatem accusare, sed eo ipso potius argumento uti, ut id, quod agitur, singulare quiddam & eximium esse judicet, quod ad id exprimendum nulla potuerit satis vehemens, atque illustris oratio reperiri. Alfonsus autem secundus ut insignem quandam laetitiam perciperet ex eo, quod sapientiae tuae summa-

to-

totius Ecclesiae gubernatio delata esset, cum iisdem illis caussis adductus est, quae ceteros quoque principes Christianos admirabili ob eam rem voluptate cumularunt, tum aliis etiam quibusdam ad se proprie pertinentibus, quae in communi omnium gaudio gaudium ipsius majus, & insignius reddunt. Ac primum quidem gratissimum ei, atque optatissimum accidit, illi potissimum summam rerum concreditam esse, qui per omne anteactae vitae spatium talem se praestitisset, ut tanquam perfectum & absolutum antiquae illius innocentiae, & integritatis exemplum omnium praedicatione commendaretur. Quis enim per illum, cujus tu locum in terris obtines, rerum omnium praepotentem Deum, multos jam annos ad istam sanctissimam sedem provectus est, te uno iis omnibus virtutibus, quas bonum, & omni ex parte absolutum principem habere decet, ornatior? Qui cum intelligeres, animum humanum duabus praecipue rebus perfici, & ad illud, ex quo ductus est, divinitatis exemplar proxime accedere, cognitione primum, & intelligentia earum rerum, quae dignae sunt, in quibus studium collocetur; deinde procurandis hominum commodis, iisque actionibus suscipiendis, ex quibus quam maximus fructus ad quam plurimos perveniret: jam inde a principio ita vitam instituisti tuam, ut perpetuo ad eos, quos dixi, fines omnia retulisse, neque unquam ullum temporis punctum, mentis aciem ab eis deflexisse videaris. Itaque totum illud adolescentiae tempus, cui & communi hominum consuetudine, & quadam prope ipsius naturae tacita lege major quaedam licentia tribui ac permitti solet, a te, non in remissionibus animi, neque in eis voluptatibus, quibus aetas illa plerumque etiam sine reprehensione capitur, positum, sed in assidua praestantium doctrina virorum consuetudine, diligentissimaque cum omnium honestarum artium, tum earum praecipue, quae populorum rectoribus necessariae sunt, perveſtigatione consumptum est. Neque vero te ab eo, quod tibi proposueras, curriculo, aut deterrere postea laboris asperitas, aut avocare voluptatum blandimenta potuerunt. Qui semel ad solidam & immortalem gloriam recto itinere contendere penitus imbibisses, omnia tibi, dum eo, quo instituteras, pervenires, contemnenda, & pro nihilo putanda esse duxisti. Nimirum

rum illam tu virtutis pulchritudinem, quam Plato, si cerneretur, mirabiles sui amores excitaturam esse dicebat, non corporeis, sub quos illa non cadit, sed iis, qui, si nulla cupiditatum nubes opposita est, multo perspicatius & acutius cernunt, animi oculis videras: ejusque desiderio incensus, nisi, adepta ea, vitam ipsam tibi acerbam, atque insuavem fore statuebas. Igitur cum Patavii primum, deinde Bononiae, defixus in praestantissimarum artium studio, primam aetatis partem exegisses, iisque adolescens egregie navatae in studiis operae insignibus atque ornamentis affectus esses, quae amplissima in eis civitatibus tribui solent: judicasti tibi jam esse ex domestico illo, & umbratili vitae genere, quod ad illud usque tempus, flagrantissimam illam cognitionis & doctrinae sitim explere cupiens, necessario colueras, in solem, quod dicitur, & in pulverem prodeundum; tempus esse, ut praeclara illa semina, quae diligenter subacto ac praeparato animo colueras, omni ratione foveras, alueras, auxeras, efferrent tandem ipsa se, & fructus exspectatione dignos hominum generi afferrent. Nec enim te fugiebat, omnem cognitionem, quam nulla consequeretur actio, mancam quodammodo & inchoatam esse; qui se ita studiis abdidissent, ut nihil ex eis ad utilitatem publicam protulissent, eos nunquam magnopere commendatos, saepe etiam reprehensos ac vituperatos fuisse. Quapropter in patriam reversus, ut, quae te prima urbs nascentem gremio, & sinu suo exceperat, eadem quoque primos perciperet industriae tuae fructus, non tantum magnas controversias, inter principes civitatis ortas, cum illi te communi consensu judicem sumpsissent, sapientissime diremisti, verum etiam sedatis gravibus illis inter Franciscum Sfortiam, Mediolani Ducem, & Joannem Jacobum Medicem fratrem tuum discordiis, pacem, pacem, inquam, qua nihil optabilius est, nihil salutarius, civibus tuis insperantibus reddidisti. O felix, & auspicatum principium! O praeclare positum rudimentum! Quid non bonorum ab eo sperare poterant cives, qui primum virtutis suae specimen pace, & privatim, & publice componenda dedisset? Sed videlicet illa tanta virtus majorem aliquem campum, in quo excurreret, majus theatrum, in quo spectaretur, requirebat. Roma te, Roma urbium princeps jam tunc ad se vocabat, & sub cujus olim imperio

beata futura erat, ejus praesentis virtutem tanto ante gustare, ac cognoscere cupiebat. Romam igitur venisti, ubi virtutis tuae tam multa, tamque luculenta testimonia, & pace, & bello dedisti, ut Paulus III. P. M. quem & omnes confitentur, & res ipsa loquitur, cum in ceteris rebus rara quadam & exquisita prudentia, cum miro in pernoscendis hominum ingeniis acumine, & acerrimo in ponderandis cujusque meritis judicio praeditum fuisse, cum in plurimis maximi momenti negotiis prudentiam, fidem, magnitudinem animi tuam expertus esset; primum quidem te Epidaurio Archiepiscopatu cohonestaverit, deinde vero absentem reipublicae causa in augustissimum & sanctissimum Cardinalium Collegium adsciverit. Hic ego, si, quod poëtae solent, idem nobis quoque facere liceret, Nestoreum mihi aliquod, aut Ulixeum eloquentiae flumen optarem: ut quemadmodum una cum honoris amplificatione, tua semper virtus accrevit, ita mea quoque in explicatione laudum tuarum, quasi per gradus attolleretur, & se ipsa grandior, ac sublimior fieret oratio. Vix enim fas videtur de raris inusitatisque rebus dicentem, usitato, & quotidiano genere sermonis uti. Sed in hac conscientia tenuitatis meae una me cogitatio sublevat, quod apud eos me dicere intelligo, qui rerum a te divinitus gestarum non testes modo ac spectatores, sed existimatores etiam & exornatores fuerunt. Nam quo die tot amplissimi & illustrissimi Cardinales, non inconsulto aliquo & subito animorum impetu, sed post accuratam in Conclavi aliquot mensium deliberationem, ad deferendam tibi summam in Ecclesia potestatem consenserunt, eodem die apertissimum judicium de perspecta sibi & explorata tua omnis generis praestanti & eximia virtute fecerunt. Quare non est mirandum, si, te tali Pontifice creato, Alfonsus II. Ferrariae Dux, qui studium quoddam incredibile erga hanc sacrosanctam Sedem a majoribus suis quasi hereditarium accepit, tanto ea ex re gaudio affectus est, quantum neque mea, neque cujusquam oratione exprimi potest. Nam ad eas laetitiae causas, quae communes ipsi sunt cum ceteris omnibus Christianis principibus, non parvi quoque ponderis aliae accedunt. Primum, quod, Ecclesiae cliens cum sit, omnes opes ac facultates suas hujus sacrosanctae Sedis auctoritate nixas & fundatas esse non ignorat: ut etiam hoc nomine impendio magis omnibus, qua-

quae ad ejus dignitatem pertinent, affici debere videatur. Deinde, qui & patrem habuerit amplitudinis tuae ſtudioſiſſimum, & ipſe non paterni magis imperii quam illius in te obſervantiae hereditatem creverit, ſciatque praeterea e ſuis omnibus neminem eſſe cujusque ordinis, qui non eodem plane animo ſit ſemperque fuerit, quique honori tuo ex animo, atque ex illa ſumma voluntate non faverit: cui dubium eſt, quin is, facta ad gloriam tuam ea, quae maxima fieri potuit, accesſione, incredibilem quandam ex eo hauſerit voluptatem? Poſtremo, qui ſeſe haud ita pridem cum illuſtriſſimo Principe Cosmo Florentinorum & Senenſium Duce, gentili tuo, ducta in matrimonium illius filia, affinitate devinxerit; cur non immortaliter gaudeat, qua ex gente ipſe uxorem acceperit, ex eadem, qui univerſam Eccleſiam cum ſummo imperio regeret, exſtitiſſe? Ille vero ſtatim accepto nuncio ſeſe in viam dediſſet, neque ullam moram interponendam putaſſet, quin praeſens tibi gratularetur, pedibusque tuis ſuppliciter advolutus in tua poteſtate eſſe ſe ac ſemper fore oſtenderet, niſi prius perculſis & afflictis necopinata patris ſui, optimi ac praeſtantiſſimi principis, morte, ſuorum animis aliquid conſolationis adhibendum eſſe duxiſſet. Quam quidem excuſationem partim inevitabili neceſſitate, partim naturali pietate ſubnixam, a te, beatiſſime Pater, aequo animo acceptum iri confidit: quodque multo antea, ſi licuiſſet, facturus erat, ad pedes tuos proſtratus, te patrem ac dominum agnoſcit, tibi ſe ſuaque omnia in fidem & clientelam tradit: &, ut una cum ſententia, verborum quoque formulam apud majores hac in re uſitatam retineamus, debitam tibi obedientiam praeſtat; ſeque ſemper non ad fortunas modo ſuas, verum ad ſanguinem quoque & vitam pro hujus ſanctiſſimae Sedis dignitate profundendam paratiſſimum fore, omni aſſeveratione confirmat. DIXI.

PRO

ALFONSO II. DUCE FERRARIAE

AD PIUM V. PONT. MAX.

ORATIO XII.

habita Romae v. *Kalend. Quinctil. anno*

MDLXVI.

In communi omnium Christianorum principum gaudio, quo eos optatissima summi honoris ad te concordibus horum amplissimorum Patrum suffragiis delati fama cumulavit, Pie V. Pontifex maxime, si praecipuam quandam ac prope singularem Alfonsi secundi Ferrariae Ducis laetitiam exstitisse dixero, vereor, ne quis id magis ex veteri, & quotidiana omnium consuetudine, quam quod ipsi praeter ceteros gratum id ac jucundum acciderit, a me dictum arbitretur. Ita enim jam usitatum est, ut omnibus Pontificibus, omnium principum nomine eadem illa dicantur, ut & eos qui audiunt verisimile sit ea modo sibi videri audire, quae cuilibet alii eundem adepto honorem dicerentur: & ii qui dicunt non tam ex suo sensu orationem depromere, quam ex vetere aliquo libro sollemnem, & certis conceptam verbis gratulandi summis Pontificibus formulam recitare videantur... Neque vero dubitari potest, quin aequissimum atque honestissimum sit, quemcunque hic amplissimus ordo ad Ecclesiae gubernacula admoverit, quando totum illud negotium non humanis consiliis, sed divini spiritus instinctu atque afflatu administrari certissimum est, ejus ut ceteri quoque principes libentissimis animis imperium accipiant, auctoritatem agnoscant, leges observent, se suaque omnia ejus potestati tradant ac permittant, eum denique, qui Deo maxime placuit, sibi quoque gratissimum acceptissimumque esse profiteantur. Sed tamen & longe alia illa est animorum alacritas, cum homines eum, quicunque sibi rector divini-

nius datus est, libenter accipiunt; alia, cum, quem semper ipsi eo munere dignissimum judicarant, quemque semper toto pectore optaverant, eum divino quoque judicio probatum vident: & quanquam omnium publice interest, qualis sit Pontifex; non est tamen obscurum, esse quosdam populos quosdamque principes, quorum id privatim multis de caussis maxime interfit. Ex quibus ut unum esse Alfonsum secundum, Ferrariae Ducem, omnes homines intelligant: neque vulgarem illam, aut mediocrem laetitiam fuisse, qua ipse accepto Pontificatus tui nuncio perfusus est; idque eo dici, non quod ita dici soleat, sed quod verissimum sit, constitui, si per te liceat, beatissime Pater, primum quidem breviter exponere, cur tibi potissimum boni omnes communibus votis istum honorem mandari & optaverint, & optare debuerint; deinde vero quas privatim caussas Alfonsus habuerit, propter quas eximiam quandam ex eo perceperit voluptatem. Sed quoniam prior orationis meae pars explicari aliter non potest, quin de tuis laudibus nonnulla dicantur, idque cum aliqua tua molestia fieri necesse est: propterea quod, ut quisque laude dignissimus est, ita minime libenter laudes suas audire consuevit; supplex a te etiam atque etiam peto hanc veniam, Pater optime ac sanctissime, ut quae de virtutibus tuis toto orbe jam pridem sparsa ac disseminata sunt, ea me strictim ac modice attingere, ac delibare patiaris. Vos autem, Patres amplissimi, oro atque obtestor, ut si me sublimia humiliter, ampla tenuiter, illustria inornate tractantem, & ex innumerabilibus, quae ad dicendum suppetunt, plurima praetermittentem, pauca proponentem, verius quam exponentem audietis: cogitetis cum animis vestris, neque posse quemquam in tam ubere materia omnia persequi; neque ea, quae satis per se splendida & magnifica sunt, ornatu verborum indigere, & mihi eam inprimis cautionem adhibendam fuisse, ne sanctissimi ejusdemque modestissimi principis patrisque nostri aures, quanquam verissimis, & omnium sermone celebratissimis, inusitatis tamen, & longe multumque supra exempla vulgaria positis laudibus suis offenderentur. Atque equidem, beatissime Pater, ut mea tibi, quantum in me situm est, minime molesta sit oratio, abducam, & avocabo eam a persona tua, & de te reticens rem tantum ipsam excutiendam considerandamque proponam. Si quis

igitur reperiretur, qui ab ipso ineuntis aetatis principio illud arduum ac cum labore ad virtutem directum iter ingressus, hoc robore animi, atque hac indole concinnitiae esset, ut omnia blandimenta voluptatum respuens, & aspernans, nihil in vita expetendum, aut magni faciendum putaret, nisi quod esset cum laude & cum dignitate conjunctum, seque jam tum a corpore quam maxime abstrahens ad divinarum rerum cognitionem cura omni studioque raperetur: quis non facile augurareur, ex illa herbescentis adhuc, seque paullatim exserentis ingenii teneritate magnas aliquando virtutis ac sapientiae fruges existituras? Quod si idem, cum se paullum jam corroborasset, ut plane liber ab omnibus impedimentis iter sibi destinatum expeditius conficeret, secederet, segregaretque se a commercio vulgi, & solitariam vitam amplexus, nomen daret in eam sodalitatem, quae ex quo primum instituta est, perpetuum quoddam inexhaustae fecunditatis seminarium hominum & doctrina & virtute praestantium fuit: quis non in ea spe, quam jam antea concepisset, magis ac magis confirmaretur? Jam vero, si multos annos in eodem ordine ita vixisset, ut non aequalibus modo suis, aut minoribus natu, sed ipsis senioribus exemplum innocentiae, & integritatis esset, nullam unquam ullius turpitudinis aut flagitii ne tenuissimam quidem suspicionem dedisset, neque in castigandis aliorum delictis remissus esset, & tamen aliis omnibus facilius ignosceret, quam sibi; pium ac justum bellum indixisset cum omnibus vitiis, tum praecipue pravis, & verae, ac Catholicae religioni contrariis opinionibus, multos mortales, aut errore lapsos, aut ab aliis in fraudem inductos revocasset in viam; obstinatos, & pertinaces, ne eorum contagio bonis obesset, represisset legum habenis, & omnes vires suas ad eos exterminandos contulisset, ejusque rei causa nullam offensionem, nullam simultatem, nullum odium, nullam denique capitis dimicationem sibi unquam defugiendam putasset: nemo, ut opinor, invenirctur, qui non tantum illud virtutis & constantiae lumen in excelso aliquo, & illustri loco collocandum arbitraretur. Ad haec omnia si judicium & auctoritas acris alicujus, ac severi Pontificis accederet, qui nulla prorsus alia re quam illa praestanti virtute commotus, eum virum, de quo loquimur, nihil tale ambientem ac ne cogitantem quidem, in sacrosanctum

tum Cardinalium collegium adsciscoeret, isque se in illo dignitatis gradu constitutus, eundem toto decennio praestaret, quem in aliis vitae partibus praestitisset: quis non ei bonus Pontificatum maximum spe & votis omnibus destinaret? Quis non omnes Christiani nominis & animi provincias gaudio triumphaturas, florentesque ac beatas futuras, tali sibi dato gubernatore confideret? Si haec in extremis Galliae, aut Hispaniae, aut etiam remotioris alicujus provinciae finibus dicerem, pro certo tamen haberem, cognitum iri ab omnibus, te, Pie Quincte, eum esse, quem mea jam dudum notaret, ac designaret oratio. Nam quae tandem vitae tuae pars non ejusmodi fuit, ut in ea eum semper reperirent boni, quod imitarentur, nihil reperire possent improbi, quod calumniarentur? Majori tu & tranquilliori animo paupertatem tulisti, quam ceteri divitias ferunt. Nunquam tu honores secutus es: sed recto semper itinere gradientem, & de sola virtute sollicitum, de aliis rebus non laborantem, ipsi te ultro sunt honores consecuti. Nihil te Cardinalatus dignitas immutavit; nisi quod ut tua virtus a pluribus cognosceretur effecit: eandem quam privatus comitatem, atque affabilitatem, eandem cultum, eandem vitae ac disciplinae severitatem retinuisti. Una erat omnium vox, neminem esse, qui majori libertate sententiam diceret, qui minus ad gratiam loqueretur, qui quae vera rectaque erant constantius, aut animosius tueretur. Itaque non in sermone tantum, sed in vultu ipso ac nutu tuo magna inesse putabatur auctoritas. Tanto igitur, & tam repentino omnium consensu Pontifex renunciatus es, ut si cui forte adhuc dubium fuerat, hominumne judicio, an divino numine summi Pontifices crearentur, quod tamen nemini unquam bono dubium fuit, ea tota dubitatio proximis comitiis sublata esse videatur. Non enim famosae majorum imagines, non invidiosa divitiarum magnitudo, non eblanditae principum commendationes viam tibi ad Pontificatum munierunt. Eadem illa virtus, quae te ab ipsis incunabulis susceptum perpetuo comitata erat, serius omnino & votis nostris, & meritis tuis, sed tamen in isto te tandem celsissimae dignitatis inter homines Deo proximae solio, suis ipsamet manibus collocavit. At haec quidem omnia omnibus Christianis & principibus & populis ingentem laetitiam attulerunt. Quas autem causas habuerit Alfonsus

II. cur ex eo praecipuum quoddam gaudium caperet, sequitur ut exponam. Non est dubium, quin totius Christianae reipub. interfit, quam optimos Pontifices creari. Sed tamen id magis quodammodo pertinet ad eos populos, qui reguntur ab ipso Pontifice, quam ad illos, qui procul positi, etiamsi in iis, quae ad religionem pertinent, Pontificis imperio parent, in ceteris tamen a regibus aliisve principibus gubernantur: itidemque inter principes, magis ad eos, qui sunt in fide ac clientela Ecclesiae, quam ad eos, quibus nulla talis intercedit cum hac sancta, & apostolica Sede conjunctio. Cum igitur antiquissima, & nobilissima principum Estensium familia & antiquitus a Pontificibus Romanis Ferrariam acceperit, & ab eisdem ducali nomine, atque auctoritate decorata fuerit, semperque ex eo in hujus sanctae Sedis patrocinio permanserit: constat, cujusmodi Pontifices sint, quam amantes religionis ac justitiae, eorum magis, quam multorum aliorum principum, interesse. Deinde cum ex aliis multis & praecipue ex illustrissimo Cardinali Ferrariensi, patruo suo, Alfonsus II. de tua praestanti virtute cognosset; neque nescius esset, quanto opere & is, & frater suus illustrissimus Cardinalis Estensis dignitati tuae vere atque ex animo faverent: fieri nullo modo poterat, ut non & ipse idem evenire cuperet, quod & patruum, quem semper meritissimo plurimi fecit, & fratrem, quem aeque amat ac se ipsum, tanto studio procurare intelligebat. Postremo, cum ita natura comparatum sit, ut nos quisque ornatissimos ac florentissimos esse cupiat, quorum causa plurimum laboravit, in plurimaque se ac maxima pericula exposuit: necesse est insigniter caram esse Alfonso Ferrariae Duci hujus sanctae Sedis dignitatem, pro qua majores ipsius tot labores susceperunt, tot discrimina adierunt, toties de vita fortunisque omnibus dimicarunt. Nihil augendi aut amplificandi causa loquar, Pater beatissime, sed id tantum optima fide ostendam, quod, si opus sit, certissimis ac locupletissimis auctoribus probare nullo negotio possum: si ea minutatim persequi velim, quae a principibus Estensibus pro apostolicae Sedis auctoritate, ac totius Italiae salute fortiter facta sunt; non dies modo me, sed vox ipsa viresque deficient. Sed, ut omittam ea, quae nimis antiqua videri possunt, (si quidem mille jam anni, & eo amplius sunt, cum haec

nobilissima familia floret, aliosque assidue ex aliis principes perpetua quadam serie propagat,) illud certe praetermitti non potest, quod cum Fridericus Ahenobarbus a Gregorio nono damnatus atque hostis judicatus, ob idque implacabili adversus Ecclesiam Romanam odio flagrans, per Italiam immanissimi latronis more baccharetur, vastaret agros, oppida diriperet, depopularetur, incenderet: non sexui, non ordini, non aetati ulli parceret, caede ac sanguine compleret omnia, administrumque ac satellitem crudelitatis suae haberet Eccelinum, quem non tam inter sceleratos tyrannos, quam inter tetras, & immanes belluas numerare merito possumus: utriusque copias non tam numeroso, quam valido exercitu fudit, ac fugavit Azo nonus Marchio Estensis. Quin etiam cum Salinguerra Taurellus, qui Eccelini sororem in matrimonio habebat, eique in omni scelere geminus erat, Ferrariam vi & armis occupatam & oppressam teneret, miserorumque civium cervicibus praedo crudelissimus incubaret, ejusdem Azonis virtute, & armis Ferraria ab illius tyrannide vindicata est. Cujus rei causa primum quidem universus populus Ferrariensis Azonem ipsum dominum, ac principem suum consalutavit; deinde vero Pontifices, habita fatione & sumptuum, quos ipse in liberanda Ferraria fecerat, & beneficii, quod ab eo apostolica Sedes acceperat, eandem illam urbem ei posterisque ejus habendam ac regendam concesserunt. Neque unquam, quoties aliqua sese obtulit occasio, recusarunt principes Estenses, dum pro Ecclesia propugnarent, se suaque omnia prompto animo in discrimen opponere. Quae omnia aliaque ejusdem generis plurima non Ferrariensium tantum annalibus, quorum hac in parte fides alicui fortasis suspecta esse possit, sed optimi cujusque illorum temporum aut etiam inferiorum scriptoris monumentis prodita, & testata sunt. His virtutibus domus Estensis ad eam gloriam jam pridem pervenit, ut summi Pontifices, ut Imperatores, ut Hungariae, ut Galliae Reges, atque potentissimi Principes pulcram sibi ac decoram filius affinitatem judicarint. Hae causae sunt, beatissime Pater, cur Alfonsus II. qui neque pietate in Deum, neque observantia erga Sedem apostolicam, neque ulla denique virtute cuiquam ex majoribus suis cedere meditatur, te Pontifice declarato, incredibile quoddam ex ea re

gaudium ceperit. Neque quidquam libentius fecisset, quam ut ad te primo quoque tempore veniret, & sanctissimis pedibus tuis advolutus, quantopere, tibi, & huic sanctae Sedi devotus addictusque sit, modis omnibus declararet, ac patefaceret, nisi id temporum ratio prohibuisset. Sed cum ita evenisset, ut felicissimi Pontificatus tui principium in id tempus incidisset, quo ipse uxorem domum duxerat: judicavit te pro tua singulari clementia non iniquo animo laturum, si prius coepta nuptiarum sollemnia celebraret, ac cum uxore unum, aut alterum mensem commoraretur, deinde ad debitum officium tibi praestandum veniret. Nunc autem aliud interea multo gravius objectum est impedimentum. Nam, cum sceleratissimus ille religionis nostrae hostis Turcarum tyrannus numerosissimo exercitu Hungariae immineat, generosissimus princeps, qui admirabili studio ardeat incedendi assidue per vestigia majorum suorum, Maximiliano Imperatori, uxoris suae fratri, sponte se in belli, ac discriminis societatem obtulit, eique pollicitus est, simul atque accersitus esset, se ad eum nulla interjecta mora cum quantis posset copiis esse venturum. O vis virtutis, quid non in pectoribus vere generosis efficis? Non dulcedine patriae, quam abitu suo moestam & paventem reliquit, non nuper ductae uxoris caritate, quae sibi eo discedente a visceribus suis distrahi ac divelli videtur, non hostis feritate, non periculi magnitudine retineri fortissimus princeps potest. Valeant, inquit, valeant alia omnia, ubi Christianae reipublicae defensio agitur; indignus sim majoribus meis, si quidquam ei anteponendum putem. Verebatur autem, si huc iter cepisset, ne interea accideret aliquid, ut statim regredi, atque in Hungariam proficisci necesse haberet: neque dubitabat fore, ut haec excusatio sua a te quoque, beatissime Pater, non modo acciperetur, verum etiam commendaretur. Sed quod ipse, si licuisset, praesens facturus erat, idem nunc per hunc illustrissimum Principem ac Marchionem Franciscum Estensem patruum suum facit: quo (*) deligere neminem poterat, in quo plus inesset vel fidei vel auctoritatis. Per eum igitur, beatissime Pater, Alfonsus II. Ferrariae Dux eam quam debet tibi, & sanctae Sedi apostolicae obedientiam

(*) Constructio ad sensum, non ad grammaticam rationem, relata.

tiam praestat, se suaque omnia tibi tradit ac conferet, semperque se in tua atque hujus sanctae Sedis potestate fore, sanctissime pollicetur. Tu eum vicissim, beatissime Pater, ut ipse te sine ulla dubitatione facturum esse confidit, paterna benevolentia complectere: & quemadmodum ipse semper omnes vires suas ad defendendam tuam, & apostolicae Sedis dignitatem studiosissime conferet: ita tu eum totamque una familiam Estensem, eximium nobilitatis Italicae florem, non tuendam modo tibi, ac conservandam, sed amplificandam etiam in dies ac cohonestandam judicato. DIXI.

PRO

CAROLO IX. REGE CHRISTIANISSIMO AD PIUM V. PONT. MAX.

ORATIO XIII.

habita Romae anno

MDLXVI.

Si eorum, quae oratione tractantur, magnitudo & praestantia non aliunde, quam ex ejus, qui de eis disserit, ingenio & dicendi copia penderetur: magnopere mihi verendum esset, beatissime Pater, ne hodierno die, in hoc augustissimo & ad dicendum amplissimo orbis terrarum loco, splendor ac dignitas maximarum pulcerrimarumque rerum, quarum explicandarum munus mihi mandatum est, ingenii mei tenuitate & orationis inopia imminueretur. Dicturus enim, hujus clarissimi viri Oratoris ad te regii jussu, quantum gaudium Rex Carolus nonus, te Pontifice declarato, perceperit, intelligo mihi faciendum esse, ut veteri atque usitato eorum, qui ante me idem munus obierunt, instituto, de singulari atque eximia pietate, qua Reges nostri, multis abhinc saeculis, prae ceteris omnibus perpetuo floruerunt, breviter disseram: & non omnia quidem, quod infinitum esset, sed aliqua tamen eorum, quae illi tum pro religione, tum pro hujus sanctae Sedis de-

defenſione pie fortiterque geſſerunt, commemorem; oſtendam deinde, quaneo ſtudio atque ardore animi, Rex noſter jam nunc in hoc ineuntis adoleſcentiae flore, per illorum veſtigia gradiatur, quamque ſibi hujus praecipue laudis principatum appetat ac concupiſcat. Quibus expoſitis, illud quoque facile intelligetur, quantae ipſi curae eſſe debeat Eccleſiae ſtatus: qui cum, ſecundum Deum, ex Pontifice potiſſimum pendeat, quantopere te tali viro his turbulentiſſimis temporibus divinitus Pontifice creato, ſibi praeter ceteros gaudendum arbitretur. Quae omnia ſi quis ita ſe tractare poſſe confidat, ut rerum magnitudini orationis pulcritudo reſpondeat: eum oportet aut ita exercitatum eſſe in dicendo, ut facultate ſua fretus, nihil ſibi difficile atque arduum putet; aut ita inexercitatum, ut errore ductus, rerum pondera & momenta ſatis acute atque intelligenter perſpicere ac dijudicare non poſſit. Neque mihi nunc alia ulla res perculſum ac debilitatum hac cogitatione animum erigit ac confirmat, quam quod apud te dicendum eſt, beatiſſime Pater, qui & ea ſapientia es, ut quanti quaeque res ſit, ex natura ipſius, non ex iis, quae de ea dicuntur, ponderes; & ea lenitate ac manſuetudine, ut eis, qui, potius quam officium deſerant, ejus onere opprimi malunt, facile ac libenter ignoſcas. Mihi vero memoria vetera repetenti, & mentis oculos per antiqua Regum noſtrorum decora circumferenti, non unde incipere, ſed ubi deſinere debeam, ſtatuere difficile videtur. Tanta eſt enim rerum ab eis geſtarum magnitudo, tanta copia, ut neque poſſit quisquam, ne ſi mentiri quidem velit, majora confingere; neque, vera conſectans, omnia tam brevi temporis ſpatio perſequi: ſed aut ab ipſo multa, aut ipſum a tempore deſeri neceſſe ſit. Nam quae tandem gens in toto orbe terrarum nominari poteſt, quae ſemel ſuſceptam Jeſu Chriſti ſalvatoris (*) noſtri religionem majore conſtantia puram incorruptamque ſervaverit? quae plures atrociores ve illius hoſtes aut exſtinxerit, aut bellica virtute domitos errorem ſuum deponere, ſeque ad Eccleſiae ſocietatem recipere coegerit? quae apoſtolicae Sedi laboranti tam ſaepe ſubvenerit, eamque tyrannorum iniquitates

(*) Muretus in marg. Aldinae reposuit vocem magis Latinam ſervatoris.

tate & injuria oppressam non in pristinam modo dignitatem restituerit, sed tam multis ornamentis affecerit, tam firmis praesidiis munierit? Omnia, quae ab aliis regibus, aut gentibus in hoc genere gesta sunt, si unum in locum collata cum iis, quae nostri gesserunt, comparentur, & numero eorum & magnitudine obruentur. Mille jam anni sunt, & aliquanto amplius, cum Hlodoveus, qui postea Hludovicus vocatus est, primus Regum nostrorum, salutari aqua ablutus, nomen in Christi militiam dedit. Neque diu cunctatus, susceptо bello in Visigothos, pertinacissimos haereseos Arianae defensores, eos commisso in Pictonibus praelio vicit, regemque eorum Alaricum manu sua interfecit. Neque multo post haud procul Burdigala reliquias eorum confecit in campo, qui ex eo etiam hodie Campus Arianus vocatur. Itaque ob id factum Anastasius Imperator, honoris caussa, tunicam ei purpuream, sive, ut tum loquebantur, blatteam misit, simulque coronam auream magni ponderis, admirabili opere perfectam, multis ingentis pretii gemmis unionibusque collucentem: atque eum per legatos non consulem modo ac patricium, sed defensorem Christiani nominis, sed liberatorem imperii, sed generis humani patrem vocavit: felicem praedicans, cujus potissimum manu divina providentia illos urbis Romae eversores, provinciarum vastatores, Dei hominumque hostes cadere voluisset. Ille, ut principem vere magnanimum decuit, munera quidem Imperatoris non repudiavit: sed illam, quam dixi, coronam augustius quiddam & magnificentius esse duxit, quam ut cuiquam mortalium conveniret: dignam rem sacrario, dignam, quae non humano usui, sed divino cultui addiceretur: itaque eam summa cum veneratione, in templum Lateranense missam, divo Petro, apostolorum principi, consecravit. Nimirum ut belli principia ex solo divini cultus studio exstiterant; ita victoriae insignia non alibi, quam in celeberrimo aliquo templo, collocari par fuit; ut omnibus saeculis in illo nobili munere, non tam illa clarissimarum gemmarum multitudo, quam Hlodovei regis pietas religioque fulgeret. Neque se tanto patre parum dignum praestitit Childebertus: qui Almaricum Alarici filium, cui etiam, sanciendi foederis caussa, sororem Hlotildem in matrimonium dederat, cum in paterna impietate perstare, ideoque in uxorem, quam abducere a catho-

tholica religione non poterat, injurium ac contumelioſum eſſe cognoſſet: bello eum perſequi non prius deſtitit, quam & tyrannum ipſum obtruncavit, & populos, qui ei paruerant, ab Arianae opinionis pravitate revocavit. O ſancta bella, quae non ad unius hominis ambitionem, aut avaritiam explendam, ſed ad veram & catholicam religionem latius ſpargendam ſuſcipiebantur! O felices victorias, quae & victoribus immortalem gloriam, & victis aeternam ſalutem afferebant! Sed ita magna & memorabilia ſunt, quae mihi ſe ad dicendum offerunt, ut, cum ſingula intueor, nihil eorum ſine flagitio praetermitti poſſe exiſtimem: ita multa rurſus, ut, cum univerſa contemplor, plurima mihi neceſſario omittenda eſſe cognoſcam. Dagoberti tamen primi ſingularem eximiamque pietatem tacitus praeterire non poſſum: qui, & edicto propoſito, omnes qui fidem catholicam non amplecterentur, intra certam diem, aut Galliae finibus excedere, aut capitis ſupplicio affici juſſit: & in reliquis vitae partibus ita ſe geſſit, ut, qui honores more noſtro relatis in divos haberi ſolent, eos illi poſt mortem Eccleſia decreverit. De Carolo autem Martello quid primum, quid poſtremum eloquar? Ille Saracenos, ferociſſimam, & Chriſtiano nomini inimiciſſimam gentem profligavit: quorum infinitam quandam multitudinem uno ad Ligerim praelio cecidiſſe, cum e noſtris pauciſſimi deſiderati ſint, hiſtoricorum monumenta teſtantur. Ille Friſios, impio falſorum deorum cultui deditos, & a Chriſtiana religione abhorrentes, repudiata ſuperſtitione, Chriſto initiari coëgit. Ille Viſigothos & Saracenos, conjunctis copiis bellum renovare & Narbonenſen provinciam occupare auſos, aggreſſus, agros eorum cadaveribus ſtravit, fluvios eorum ſanguine infecit. Ille, cum Gregorius tertius, Pontifex maximus, rebus ſuis diffidens, opem ejus implorasſet, Luitprandum, Longobardorum regem, ab hac urbe obſidenda, ſola nominis ſui auctoritate deterruit. Sed non omnia perſequenda ſunt. Vocat enim nos ad ſe Pipinus, neque me diutius de rebus ſuis tacere patitur. Hic ille eſt Pipinus, beatiſſime Pater, ille, inquam, Pipinus, Patres amplisſimi, a quo eſt Pontificum maximorum auctoritas a contemptu vindicata, opes auctae, potentia ſtabilita. Etenim, ut ab optimis auctoribus memoriae proditum eſt, cum Aiſtulphus, rex Longobardorum, univerſam Italiam

liam sub imperium suum subjungere meditaretur, jamque Ravennam, & magnam praeterea Flaminiae partem occupasset, Stephanus secundus Pontifex, cum prius opem ab Imperatore Constantino petiisset, atque ab eo neglectus esset, consilium cepit eundi in Galliam ad Pipinum: illum unum & ea pietate esse, ut auxilium sibi libentissime laturus esset, & iis viribus, uti facile posset. Neque eum sua frustrata est opinio. Nam Pipinus & illum excepit iis omnibus honoribus, qui maximi poterant excogitari, usque eo ut ei obviam profectus, tria millia passuum pedibus confecerit, manu frenum equi quo ille vehebatur tenens; & cum Alpes incredibili celeritate superasset, transportato in Italiam exercitu, tantum terrorem intulit Aistulpho, ut, collatis signis depugnare non ausus, Ticini se moenibus tueretur. Ubi tam diu obsessus est, dum se omnia, quae abstulerat, restituturum, neque unquam Pontifici molestiam exhibiturum, interposito etiam jurejurando, fidem daret. Qua postea neglecta, cum, longe lateque omnia populatus, postremo hanc ipsam urbem obsidione cinxisset: Pipinus, qui tanquam re confecta, in Galliam redierat, in Italiam denuo reversus, virtute & armis perfecit, ut Aistulphus supplex easdem conditiones denuo acciperet; neque prius pedem ex Italia movit, quam praefectura Ravennatium, finibus longe maximis, utpote quibus & Flaminia & Aemilia tota contineretur, Pontifici restituta est. Exstat adhuc tabula marmorea in ea turri, cui Borgiae nomen est, in qua haec omnia olim honoris ergo incisa & perscripta fuisse constat. Ita enim in ea adhuc legitur: PIPINUS. PIUS. PRIMUS. AMPLIFICANDAE. ECCLESIAE. VIAM. APERUIT. ET. EXARCHATUM. RAVENNAE. CUM. AMPLISSIMIS. Pars tabulae, in qua reliqua scripta erant, aut usu aliquo, aut temporum, aut hominum injuria confracta est. At aenea quidem & marmorea monumenta conficere ac consumere longinquitas temporis potuit: Pipini certe gloriam nulla unquam delebit vetustas, nulla obscurabit oblivio. Sentio tantas res multo brevius multoque exilius a me tractari, quam dignitati atque amplitudini ipsarum conveniret. Sed quis modus futurus erat, si quae sic quoque vix a me percursa sunt, iis in singulis immorari, atque insistere voluissem? Nunc quoque si de Caroli Magni laudibus disserere vellem, quon-

tus

tus se mihi campus aperiret? Dicerem Aquitaniam qua haereses denuo efferre se & subcrescere coeperant, ab adolescentulo perpurgatam. Dicerem immanissimam Saxonum gentem, semper victam, semper rebellantem, cum inter se constantia Caroli, & illorum pervicacia certarent, vix tandem continuo triginta trium annorum bello perdomitam, & abjecto idolorum cultu Christi leges accipere coactam. Dicerem Italiam vincendo peragratam, dignitatem Hadriani Pontificis vindicatam: Desiderium Aistulphi successorem; cum eadem, quae ille moliretur, oppressum; additam ditioni Pontificiae Corsicam; additos ducatus Spoletanum & Beneventanum, additum quidquid Lucam & Parmam interjacet. Neque praeterirem reditum in Italiam, & Leonem tertium Hadriani successorem in sedem suam, fractis & obtritis hostium Ecclesiae viribus, restitutum. Illa vero quanto pleniore ore laudarem: relicto amplissimo & florentissimo regno, susceptum iter impeditissimum, & difficultatis ac periculi plenum, & ducto per tam varias gentes validissimo exercitu, terram illam, quae vagitus Jesu Christi nascentis excepit, quae eum concionantem audiit, admirandis operibus certissima divinitatis suae signa dantem obstupuit, spectavit sublatum in crucem, & suo sanguine peccata nostra expiantem, ex impiorum manibus erepram & recuperatam. Talia quamlibet multa dicerem, multa tamen necessario praeterirem, summa omnia, & illo nobili Magni cognomine majora. Quodsi vellem ulterius progredi, & tum quae priscis temporibus Hludovicus Pius, Philippus primus, Hludovicus Crassus, Philippus Augustus, Divus Hludovicus, alii reges, tum recenti memoria Franciscus primus, Henricus secundus, Franciscus secundus religionis & Sedis apostolicae causa fecerunt, exponere: commemorarem, quam multi ex eis ad eam defendendam in Italiam cum exercitu venerint; quam multi Pontifices laborantibus rebus suis in Galliam confugerint; quam multa Concilia, cum alibi nusquam posfent, in Gallia tuto ac libere celebraverint: multorum dierum multorumque voluminum, non unius horae & unius orationis negotium esset. Ob quae omnia semper summi Pontifices & quoscunque potuerunt honores habuerunt regibus nostris, & ex omni antiquitate in scriptis suis eos omnibus exquisitissimis laudibus extulerunt. Exstat epistola D. Gregorii ad Childeber-

bertum regem, cujus hoc principium est: *Quanto ceteros homines regia dignitas antecellit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri culmen excellit.* Innocentius tertius Reges Gallorum, prae ceteris totius orbis regibus, ait, semper apostolicae Sedi, ut ipsius verba ponam, *'obsequiosos, & devotos extitisse.* Honorius tertius eosdem *opposuisse se tanquam murum inexpugnabilem pro populo Christiano.* Gregorius nonus *regnum Galliae*, ait, *esse quasi pharetram, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex qua sagittas electas extrahens, ipsas, ut sibi gentes, & regna subjiciat, in arcu*, ita enim loquitur, *brachii potentis emittit.* Regem Galliae Gregorius primus *Regem Catholicum, & praecellentissimum filium suum;* Gregorius IX. *Christianissimum inter omnes Christianos;* Innocentius IV. *Catholicum Principem & Christianissimum Regem;* Urbanus quartus *Principem inclyta devotione praeclarum, Principem Christianissimum praecellentium meritorum, athletam Christi strenuum, & sollicitum fidei Christianae defensorem* vocat. Quae omnia honoris & dignitatis plenissima nomina, & illum, quem tot saeculis obtinuerunt, atque obtinent, inter omnes reges principem locum, Reges nostri, non aut ambitione sua, aut aliena assentatione consecuti sunt; sed ipsi suis sibi laboribus, suis periculis, suo sudore ac sanguine compararunt. Ab iis igitur majoribus ortus Carolus nonus nihil aliud sibi studio habet, nihil aliud dies noctesque curat ac cogitat, quam quomodo possit eorum quam simillimus evadere, & quam nobilitatem a majoribus accepit, eandem tradere posteris suis insigni aliqua accessione cumulatam. Quam ad rem divinus adolescens & ipse per se naturali quodam impetu animi fertur, & assiduis Catharinae matris, omnium, quas hodie sol adspicit, sapientissimae, ac praestantissimae mulieris vocibus incitatur. Itaque in iis acerbitatibus, quas superioribus annis pertulit Gallia, habuit tamen aliquod solatium ex pulcerrimo spectaculo, matris omnia recta & salutaria suadentis, & filii omnibus maternis consiliis libentissime obsequentis. Quam multae ex eo adhuc puerulo auditae sunt voces, erumpente foras seque jam tum patefaciente natura, quae & excellens acumen ingenii, & indolem virtutis omnia mox egregia exempla editurae indicarent? Quarum ego si nonnullas proferre instituam, facile convincam, neque Cyri illius

veteris, neque Alexandri Magni dicta quaedam in puericia, quae in admiratione ſunt, ullo modo eſſe cum Caroli dictis comparanda. Sed nihil dictis opus eſt, ubi facta ipſa loqui quodammodo videntur. Quis eſt enim hodie in terris locus, qui non audierit, quibus haud ita pridem Gallia procellis, ac tempeſtatibus agitata ſit? Nam cum inaudita quadam ante hoc tempus calamitate, multorum ex noſtris hominibus animos nefariae quaedam & exſecrandae opiniones occupaſſent, atque ita in eis inſedisſent, ut ipſi nihil ſibi non tentandum putarent, quo nobiliſſimum regnum ab Eccleſiae communione, & ab hujus ſanctae Sedis obedientia abducerent: tanta ex eo conſecuta eſt rerum omnium perturbatio, ut toti Galliae ultimum, (quod impiorum potius capiti ſit!) venisſe exitium videretur. Videre erat eadem in domo filios a patribus, fratres a fratribus, viros ab uxoribus, propter hanc de religione diſſenſionem, capitali odio diſſidentes. Neque ſe privatis parietibus continuit mali vis. Inita occulta primum, mox etiam aperta adverſus Deum, adverſus Regem, & Reginam, adverſus omnes recte ſentientes ſcelerata conſilia. Perditi quidam ac nefarii homines, quos illa furens turba, quaſi nuper caelo delapſos novi euangelii doctores, ſequebatur, convocatos ſuos, nocturnis concionibus, ad contemnendos magiſtratus, ad regium imperium tollendum, ad occupanda oppida, ad caedem & ſanguinem, ad rapinas & ad praedas incitabant. Horum vocibus, quaſi quibusdam furiarum facibus, cum accenſa impiorum pectora eſſent, itum eſt ad arma; occupatae improviſo opulentiſſimae ac munitiſſimae urbes; interceptae regiae pecuniae; direptae bonorum fortunae; ipſi aut expulſi, aut occiſi; antiquiſſima & religioſiſſima templa partim ſpoliata, partim inflammata, partim diruta & ſolo aequata; quae dejecta non ſunt, in iis ea patrata, quae commemorari ſine horrore non poſſunt. O illorum temporum vel memoriam ipſam acerbam ac luctuoſam! cum de legum auctoritate ſceleratorum audacia triumphabat: cum proſtratae religioni victrix inſultabat impietas; cum tremefactis omnibus bonis, & optimo quoque peſſima omnia metuente, volitantium huc illuc, & in publicis ruinis bacchantium improborum voces undique audiebantur. In his tantis malis ac difficultatibus Carolus Rex plura ſe & difficiliora, propugnandae religionis cauſſa,

ſa, fecisſe ac praeſtitisſe, quam quenquam alium ex omni memoria principem, vere ac merito gloriari poteſt. Omnes enim alii in externos bella gesſerunt; hic ſuis bellum inferre coactus eſt. Alii & a ſuis, & ab alienis adjuvabantur; hunc & ſui, & alieni oppugnarunt. Aliis, ſi vincerent, propoſita erat, praeter gloriam, imperii ac potentiae ſuae amplificatio; ſin vincerentur, erat, quo ſe reciperent. Huic, ſive vinceret, ſpectanda magna ſtrages ſuorum, cum insigni virium ſuarum imminutione; ſive caſu aliquo vinceretur, regno fortasſis carendum fuit. Et haec tamen omnia eum non deterruerunt, quo minus urbes ſuas obſideret, earum moenia tormentis bellicis quateret, agros popularetur, obſesſos commeatibus intercluderet, praelia, in quibus multi fortisſimi imperatores militesque ceciderunt, committeret: omnia denique in ſolo ſuo faceret, quae in hoſtili fieri ſolent. Neque, ut opinor, aliud bellum aetate noſtra geſtum eſt, in quo, quidquid ex utraque parte periret, uni periret. Quanquam autem mesſes ſe ſuas, ut dicitur, urere intelligebat: tamen, quoniam integritas religionis aliter conſervari non poterat, omnia ſibi perferenda esſe ſtatuebat. Reginae autem in illis tumultibus quod ſtudium, quae ſollicitudo, quae concurſationes fuerunt? Quid non illa tentavit, quid non molita eſt, ut omnia quam minimo damno componerentur: ut & conſervaretur Catholica religio, quod ſemper ei praecipuum fuit, & quam minimum ſanguinis funderetur? In quo fecit rem gentis ſuae nomini mirifice congruentem. Medicata (*) enim eſt conſilio ac prudentia ſua communibus totius Galliae malis; & eam ſe difficillimis temporibus praeſtitit, ut non jam verius mater Regis, quam mater regni nominari meritisſimo poſſit. Ejus enim praecipue, & aliorum regni ſui procerum, conſiliis, & virtute fortisſimorum imperatorum ac militum ſuorum, quorum alii occubuerunt, alii adhuc ſuperſtites ſunt, Carolus Rex Galliam ex atrocisſima tempeſtate ſervavit, & in eum, in quo nunc eſt, ſtatum redegit. Quod ſi nondum omnia, quo vellemus plane perducta ſunt: cogitare debemus, bene agi cum iis, qui tam graviter aegrotarunt, cum, etiam ſi nondum recuperarunt priſtinam firmitatem, ſalus tamen eorum in tuto eſt. Eti-

(*) Puerilis luſus in nomine gentis Mediceae.

Etiam prudentes Medici ſolent ex male affectis corporibus vitioſos humores paullatim educere: ne, ſi ſemel univerſos exhaurire voluerint, quos ſanare conantur, occidant. Non eſt verendum, ne faciliora non perficiat is, qui jam difficiliora perfecit. Idem tandem erit exitus horum tumultuum, qui fuit eorum, quos olim Albigenſes D. Hludovici temporibus concitarunt. Duodecim annos natus erat D. Hludovicus, cum ad regnum vocatus eſt. Carolum, aliquanto etiam minorem natu, fratris mors in regio ſolio collocavit. Tum Blanca, Regis mater, & filium ſanctiſſime educabat, &, propter teneram illius aetatem, ipſa Galliam adminiſtrabat. Horum munerum utroque ita Catharina perfuncta eſt, ut omnes nihil perfectius fieri potuiſſe fateantur. Tum Albigenſes, pueritiam regis occaſionem ſuam rati, omnia in Gallia permiſcere tentarunt. Albigenſibus multo tetriores noſtrorum temporum haeretici, eadem ſpe deluſi, regem regno, regnum religione ſpoliare ſtuduerunt. Illi cum ſaepe victi, neque quieſcere, neque ad ſanitatem redire vellent, exſtincti tandem, deletique ſunt. Non alia hos quoque fortuna, niſi reſipiſcant, conſequetur. Ad errores Albigenſium confutandos, & ad multorum animos eis liberandos, D. Dominici conciones & vitae ſanctitas incredibiliter profuerunt. Non minus te, beatiſſime Pater, qui & in D. Dominici familia educatus es, & illum moribus refers, & ſingulari in nos Dei beneficio ſummam in terris auctoritatem obtines, Carolus Rex ad hos exitioſos errores tollendos profuturum eſſe confidit. Novit enim eximiam integritatem vitae tuae; novit perpetuum purgandae Eccleſiae ſtudium; novit labores in exſtirpandis haereſibus ab ineunte aetate ſuſceptos; novit animum nihil niſi de Deo & de utilitate publica cogitantem. Neque noſtris ignota ſunt, quae tu ad mores hominum corrigendos, & ad auferendam improbis omnem maledicendi occaſionem, & jam feciſti, & quotidie facis. Refrenatas libidines, repreſſam & cohibitam luxuriam, expulſa nequitiae inſtrumenta, ſublatam penitus omnem eccleſiaſticarum rerum nundinationem, compoſitos, & juſſu, & exemplo tuo aliorum mores, mutatam in melius urbis faciem, nos vidimus, illi audierunt. His omnibus ex rebus Carolus Rex incredibile gaudium cepit: & ut quod facis quam diutiſſime facere poſſis, a Deo optimo maxi-

mo

mo votis omnibus petit. Quem animum ſuum ut tibi patefaceret, legavit huc clariſſimum & nobiliſſimum virum, Juſtum Turnonium, comitem Ruſilionis, magni illius Franciſci Cardinalis Turnonii, cujus memoriam & tibi, beatiſſime Pater, & vobis omnibus, Patres amplisſimi, gratam eſſe ac jucundam ſcio, fratris nepotem, hominem, ut omnia uno verbo complectar, ſuo genere digniſſimum: cujus egregiam virtutem & ſaepe alias, & proxime in illo memorabili adverſus haereticos praelio ſpectatam, Rex ipſe amplis & honorificis praemiis proſecutus eſt, cooptato eo in equites ordinis ſui, & quinquaginta cataphractis equitibus praeeſſe juſſo. Per eum Carolus Rex, beatiſſime Pater, ſibi, & toti Eccleſiae de tuo Pontificatu gratulatur; te verum Jeſu Chriſti vicarium, verum Petri ſucceſſorem, non dubitanter agnoſcit; tibi, & huic ſanctae Sedi vere, atque ex animo quam debet obedientiam praeſtat ac defert: & ut certo ſperat, ſe, in omnibus, quae a te praeſtari poterunt, a te adjutum, atque ornatum iri: ita ſe omnes vires ſuas ad Eccleſiae & Sedis apoſtolicae defenſionem ſemper promptiſſimo animo collaturum, neque hac in re cuiquam mortalium conceſſurum pollicetur. DIXI.

PRO SIGISMUNDO AUGUSTO REGE POLONIAE AD PIUM V. PONT. MAX.

ORATIO XIV.

habita Romae XIIX. *Kalend. Febr. anno* MDLXVII.

Quanto opere gaviſus ſit univerſus orbis Chriſtianus, poſteaquam auditum eſt, ſummum honorem, jam pridem ſummis virtutibus tuis debitum, tandem aliquando tibi divinitus delatum eſſe, Pie Quinte, Pontifex maxime, vel ex hoc intelligi poteſt, quod concepti ex ea re gaudii vis non vicinarum ſe regionum, ac provinciarum finibus con-

tinuit, sed solis instar, omnia, simul ut exortus est, sua luce complentis, ad remotissimas gentes, & posita in ipsis Christianae ditionis finibus regna, admirabili celeritate penetravit. Neque vero ei contigit, quod ventis solet, qui cum, unde oriuntur, ibi vehementissimi sint, ad longinqua fracti fere, debilitatique perveniunt; sed quod ingentibus, vastisque fluminibus: quae cum abortu ipso magna sint, perpetuo tamen aucta, & tumefacta progressu, eo majores undas volvunt, eo amplioribus, ac capacioribus feruntur alveis, quo a fontibus ac capitibus suis longius recesserunt. Ut cum aliis permultis nominibus beatissimum te omnium mortalium praedicare liceat, tum hoc non minimum sit, quod ex honore tibi habito, & ad illos, qui eum tibi decreverunt, immortalis gloria, & ad omnes bonos, qui eum tibi delatum audierunt, incredibilis laetitia redundarit. Ac ceteri quidem viciniores principes, ac populi quanta omnes animorum alacritate recentem Pontificatus tui nuncium acceperint, ex legatis, quos ad te, gratulandi causa, suo quisque tempore miserunt, cognoscere potuisti: hodierno autem die intelliges, etiam in illis regionibus, quibus Christianorum imperium terminatur, quanto gaudio pii omnes exsultaverint, quas inter se gratulationes fecerint, quanto consensu meliora, & prosperiora omnia sperare coeperint, cum, quo jam pridem sanctitatis tuae fama pervenerat, eodem te in istam celsissimam dignitatis, atque honoris sedem adscendisse, perlatum est. Potentissimus enim, idemque religiosissimus Princeps, Sigismundus Augustus, Rex Poloniae, quam jucundus, & exoptatus sibi suisque populis ejus rei nuncius acciderit, testari cupiens, ea de causa legavit huc illustrem virum, Petrum Barzium, senatorem regni, ex quo haec omnia non minus certo cognosceres, quam si Regis ipsius non os modo intueri, & sermonem audire, verum etiam penitus perspicere intimos sensus animi posses. Is cum mihi mandaverit, ut hodie apud te, in hoc dignitatis majestatisque plenissimo coetu, & de regni antiquitate, atque amplitudine, & de rebus, quas, multis abhinc saeculis, Polonorum reges ad Christiani imperii fines tum tuendos, tum propagandos, sine ulla propemodum intermissione gesserunt, & de ipsius Sigismundi Augusti Regis pietate, animi magnitudine, fortitudine ac constantia, deque quotidianis pro Christiana re-

republica laboribus ac periculis dicerem: quaeſo obteſtorque te, beatiſſime Pater, tribue mihi hoc beneficium, ut, dum haec ſummatim perſequor, orationis meae curſus aura lenitatis ac facilitatis tuae adjuvetur. Maximas res, memoratuque ac cognitu digniſſimas afferam, & quanquam notas atque illuſtres, tum ſuopte ſplendore ac magnitudine, tum propter regiae fortunae ſublimitatem, quae magnorum & potentum regum actiones obſcuras eſſe non patitur: tamen eo minus pervulgatas, quod Polonorum gens ſemper in praeclaris rebus gerendis, quam in iis quae gesſiſſet memoriae prodendis, occupatior fuit: ſemperque majorum ſuorum virtutem imitari, quam celebrare, glorioſius duxit. Atque ut, unde propoſui, exordiar, & Poloniae Rex quam longe lateque dominetur, expediam: tota illa Germaniae pars orienti ſoli propior, quae eſt inter fluvios Guttalum, quem hodie Oderam vocant, & Viſtulam, qui antiquis temporibus Germaniam a Sarmatia dividebat, & Sarmatiae quantum eſt a Viſtula ad Boryſthenem, & a ponto Euxino usque ad ſinum Venedicum, inter quos plus mille Italica paſſuum millia interjecta ſunt, illius imperio continetur. Regio prope tota aequa, & plana, multis magnisque fluminibus & ad fertilitatem & ad mercaturas commodiſſimis irrigua, rebus ad vitam neceſſariis usque ad abundantiam dives. Habitatorum autem ea multitudo, ut, cum equitatus regius ex ſolis nobilibus conſtet, centum quadraginta equitum millia armare, & in aciem ſecum, ſi res ferat, educere Rex Poloniae poſſit. Homines natura fortes & animoſi, quique non facile aut voluptatibus molliantur, aut periculis terreantur. Mortem per decus obitam, immortalitatis inſtar; vitam per dedecus retentam, quavis morte pejorem putant. Ignominiam, ut fugiant, nihil non fecerint; ut mortem, nihil. Haec hominum, haec locorum ingenia. Cinguntur autem omni propemodum ex parte ferociſſimis gentibus, & partim ab Eccleſiae communione diſſociatis ac diremptis, partim apertis & capitalibus Chriſtiani nominis hoſtibus, ut in illo confinio, tanquam in communi quadam arce ac propugnaculo, fortiſſimi viri ad ſuſtinendam & propulſandam barbarorum immanitatem, & ad agendas perpetuas pro Chriſtianis omnibus excubias divino conſilio conſtituti ac collocati eſſe videantur: quo eſſent ceteri Polonorum virtute tecti, Polonorum laboribus quie-

ti, Polonorum periculis tuti. Neque mihi videor quidquam a ſuſcepto munere facturus alienum, ſi breviter expoſuero, quemadmodum illos Deus, ante ſexcentos abhinc annos, diſcuſſis errorum, quibus involuti erant, tenebris, ad euangelii lucem perduxerit. Quod dum facere ingredior, adeſte quaeſo animis, quicunque corporibus adeſtis, & in re maximi momenti divinae bonitatis ac ſapientiae magnitudinem conſiderate. Omnes fere magnae & memorabiles in rebus humanis mutationes aliquanto antea aut uno, aut pluribus illuſtribus ac notabilibus ſignis divinitus portendi ac praeſignificari ſolent. Cum igitur tempus illud appropinquaret, quo ſe Deus Polonis patefacere, eosque impia ſuperſtitione purgatos caeleſti doctrina imbuere ſtatuerat: adventantis jam, & inſtantis ſalutaris illius mutationis hanc, quam mox audietis, ſignificationem dedit. Imperabat Polonis Ziemomislus Leſci filius, princeps (quatenus haec convenire in hominem non Chriſtianum queunt) & juſtitiae, & clementiae, & beneficentiae, & aliarum virtutum laude cumulatus: & in quo nihil praeter Chriſti cognitionem deſiderares. Huic, cum multos annos ſine liberis eſſet, graviterque ea re angeretur, tandem natus eſt filius, ſed oculis captus: ita ut non facile dijudicari poſſet, majoremne dolorem percepiſſet ex orbitate, an perciperet ex unici filii caecitate. Omnia remedia, omnes medicorum conatus mali pertinacia eluſit. Jam ad ſeptimum annum pervenerat puer, eique patrio quodam ritu primam comam tonderi, nomenque imponi oportebat: cum praeter omnium ſpem ſubito oculis uti coepit. Incredibili laetitia perfuſus pater convocatos ad ſe hariolos conſulit, quid ex tam admirabili ſucceſſu filio ſuo, quid toti Poloniae portenderetur? Reſpondent, eo imperante, Poloniam mirabiliter illuſtratum iri. Ex ea ſpe atque omine puero nomen inditum Miecislao, quod gentis lingua ſignificabat eum, qui ſibi gloriam gladio pariturus eſſet. Nullo enim alio modo illuſtrari poſſe Poloniam, quam bello, & armis, cogitabant. Jam adoleverat Miecislaus; jam ad virilem aetatem pervenerat; jam mortuo patre rerum potiebatur; & ceteris quidem virtutibus patri non abſimilis, nihil ceteroqui bello egregium aut memorabile gerebat: ita ut tota Polonia, & ſe credulitatis, & vanitatis vatum ſuorum reſponſa damnaret. Sed majus quiddam, quam

quod

quod illi fuſpicati erant, parabat Deus. Miecislaus, ductis barbarico more ſeptem uxoribus, nullos tamen ex ulla earum liberos procreare poterat. Interea fundente ſe, ac ſpargente quotidie latius Chriſtiana religione, perveneranr & in Poloniam ſancti quidam viri: qui aut ſolitariae vitae, ut quietioris, & ad res divinas ſine ullo impedimento contemplandas aptioris, ſtudio ducti, aut periculorum metu, in abditis, & remotis ſylvarum receſſibus deliteſcentes, Chriſto, ut poterant, ſerviebant. Horum quibusdam in animum immittit Deus, ut ad principem adeant, eique polliceantur & liberos, & alia multo majora, ſi, repudiato falſorum numinum cultu, Chriſtum verum Deum agnoſcere, & traditam ab eo doctrinam ſuſcipere vellet. Ipſe quoque divini ſpiritus repentino tactus afflatu, promptum ſe, ac facilem ſalutaribus illorum monitis praebuit. Neque longius res ducta eſt, quam dum prima ac praecipua religionis noſtrae capita edoceretur. Quae ut percepit, magna pompa, ac celebritate publice baptizatus, brevi tempore totam Poloniam ad Chriſtianam pietatem & exemplo ſuo incitavit, & cohortationibus, ac praemiis allexit; & minis, ac ſuppliciis adverſus pertinaces propoſitis perpulit. Tum demum cognitum eſt, quod Miecislaus totos ſeptem annos caecus fuiſſet, ſignificatam eſſe hoc modo diuturnam Polonae gentis caecitatem: quod, omnibus humanis auxiliis fruſtra tentatis, tandem divino beneficio lucem aſpexiſſet, fore ut populi quoque caecitas nulla humana ope ſanabilis divinitus depelleretur. Neque vana fuit hariolorum praedictio. Eo enim rerum potiente, Polonia ſplendore divini luminis illuſtrata eſt. Notum eſt autem, interdum fieri, ut etiam ſuperſtitioſi & impii homines, Deo permittente, vera vaticinentur. Neque temere inditum nomen. Gladio enim ſibi & ſuis gloriam peperit, non quidem ferreo, aut ulla ex alia materia confecto; ſed gladio illo utrinque acuto, gladio ſpiritus, quod, ut ait Paulus, eſt verbum Dei. Ut autem ab ea Eccleſia, quae ceterarum omnium mater ac magiſtra eſt, Chriſtiane vivendi leges acciperent, & ex eo fonte haurirent, unde nihil non purum & incorruptum hauriri poteſt, legatos miſerunt ad Joannem Pontificem ejus nominis tertium decimum, per quos & eum, ut communem totius Eccleſiae paſtorem, venerarentur, & ab eo ſibi peterent Epiſcopos mitti, a quibus regi, & quae

ſibi credenda, quaeque facienda eſſent, cognoſcere accuratius poſſent. Miſit ille Italorum hominum ſpectatae probitatis & eruditionis idoneum numerum: qui primi novellas illas ac teneras nuper in horto Chriſti depactas ac conſitas plantas, copioſis ſanctorum praeceptorum imbribus irrigarunt. Hujus Miecislai ſoror Adleida, cum Geiſae, Ungarorum principi, nupta eſſet, cohortationibus ſuis perfecit, ut ipſe quoque cum tota Ungaria Chriſti ſacramento adigeretur. Neque vero ejus filius Boleslaus primus, Poloniae Rex, aut majoribus ſuis laude bellica, aut patri propagandae religionis ſtudio ceſſit. Qui ſuſcepto adverſus Saxonas bello, & ea, quae illi dudum Polonis ademerant, recuperavit, & cum univerſam illam oram ad Albim & Salam fluvios, & Cherſoneſum Cimbricam, quae hodie Dania vocatur, ſub imperium ſuum ſubjunxiſſet, ut oſtenderet, eam ſe victoriam Chriſto quaeſiiſſe, non ſibi, nihil in victos acerbe, aut crudeliter ſtatuit: ſed cum eos ad accipiendam Chriſti doctrinam compuliſſet, fixis memoriae cauſa in Salae ripa tribus ferreis columnis, in Poloniam ſe recepit. Numquid igitur, ea laude contentus, otio ſe poſtea tradidit? Imo vero declaravit, nunquam deſidem atque ignavam eſſe virtutem; nullas ei eſſe a praeclaris actionibus ferias; fortes & conſtantes viros honeſtorum laborum ac munerum perfunctione, non ad quietem invitari, ſed ad alia ex aliis aſſidue ſuſcipienda incitari. Nam cum Pruſi aliquot ante annis divum Adalbertum interfeciſſent: ejusque corpus quidem ipſe aequo auri pondere a barbaris redemiſſet, (mirum hoc quoque pietatis argumentum: ſed in tanta temporis anguſtia multa neceſſario praetermittenda ſunt) caedis autem ultionem in aliud tempus diſtuliſſet: tunc demum ratus advenisſe tempus illud, cum & punienda eorum audacia, & armis frangenda pertinacia eſſet, bellum eis intulit, neque magno negotio victor, non aliam eis poenam impoſuit, quam ut erroribus ſuis depoſitis Chriſto initiarentur. Hic mihi, beatiſſime Pater, venit in mentem, quod olim a quodam Graeco imperatore dictum eſt, qui a ſuis in exilium pulſus, cum apud hoſtes, ad quos confugerat, multo lautius ac magnificentius haberetur quam apud ſuos; Pericramus, inquit, niſi periiſſemus. Ita enim & qui ab illo principe vincebantur dicere poterant, ſe, niſi ab eo victi eſſent, perituros fuiſſe. Quid ego jam, ut Pomerani

rani a Bolealao tertio, Prussi a Boleslao quarto ad Christum, a quo defecerant, revocati sint, persequar? Rerum me copia, beatissime Pater, inopem consilii reddit. Quod si in me ulla dicendi vis ac facultas esset, optarem equidem aliquam mihi non tam uberem ac copiosam ad dicendum materiam dari: ut in singulis ejus partibus accurate percensendis, copiose exornandis, artificiose exaggerandis, jactare atque ostentare me posem. Nunc enim, ut pictor, cui in exigua tabella ingens aliqua multitudo hominum exprimenda est, nonnullorum vultus tantum atque ora, multorum summa modo capita ostendit, totum reliquum corpus abscondit; ita me, cui innumerabilia Polonorum regum ac populorum aeternis dignissima laudibus facta, in angustum unius brevissimae orationis curriculum concludenda sunt, multa, quae, si pandi explicarique possent, qualique spectanda proponi, incredibilem admirationem excitarent sui, delibare modo, & attingere, multa etiam significare potius, quam ostendere, necesse est. Ideoque ne de bello quidem, quod Boleslaus Quintus, cognomento Pudicus, adversus Jazygas, qui hodie partim Valachi, partim Ungari sunt, gessit, copiosius dicam: tantum quasi praeteriens admonebo, eum, cum gentem illam ferocissimam devicisset, illos omnes, quorum virtuti, ut ait vetus poëta, fortuna belli pepercerat, quasi opima quaedam spolia Christo consecrasse, neque aliud eis, quam ut Christiani fierent, imperasse. Ad Jagellonem enim, Sigismundi Augusti proavum, festinat animus, cujus admirabili inusitataeque virtuti utinam par a me adferri posset orationis genus! Sed ita prorsus existimo: omnes, qui ubique sunt, eloquentissimos homines, si communi studio ad eum celebrandum quidquid habent in dicendo virium conferant, omnia tamen illius dignitate inferiora dicturos. Id ita se habere, eos, qui me attente audire non gravabuntur, facile cognituros esse confido. Lituania, beatissime Pater, amplissima, & fortium virorum feracissima regio, ceteris finitimis populis ad religionem Christianam adductis, in veteri superstitione perstabat. Colebant autem ejus provinciae homines ignem pro Deo, ei aras, ei templa ponebant, eum summa diligentia in celeberrimis quibusque oppidis perpetuum asservabant. Fulmini quoque divinitatem quandam inesse credebant, idque sua lingua Deum Percunum nomi-

minabant. Sed & lucos & ſelectas quasdam in ſylvis eximiae proceritatis arbores venerabantur ut Deos. Viperis quoque & aliis ſerpentibus eundem tribuebant honorem. Qui quid horum violasſet, inexpiabile ab eo ſcelus conceptum putabant. Cum hoc per ſe miſerabile erat, talem, tantamque provinciam tanto tempore in tanta errorum foeditate verſari, tum illud accedebat incommodi, quod gens bellicoſa, & ferox finitimos ſibi Chriſtianos quotidianis incurſionibus lacesſens, nunquam quieſcere patiebatur. Ei genti annos abhinc amplius ducentos viginti imperabat Jagello, idemque praeterea & Samogitiam & magnam Ruſſiae partem obtinebat, fortis & ſtrenuus princeps, & quanquam religionis noſtrae myſteriis nondum initiatus, tamen, ut qui Chriſtiana matre genitus esſet, animo ab ea non prorſus alieno. Cum igitur per id tempus mortuo Hludovico, Ungariae & Poloniae rege, regni proceres de Heduigi ejus filia, ad quam regnum delatum erat, in matrimonium collocanda deliberarent, ecce ab Jagellone legati, qui renunciarent, eum cum omnibus ſuis velle Chriſtianum fieri, petere, ut ſibi Heduigis uxor daretur: hoc ſi fieret, paratum esſe omnes ditionis ſuae provincias cum Poloniae regno ea lege conjungere, ut nunquam divellerentur. Quam lubentibus animis Poloniae proceres eam legationem audierint, nihil opus eſt dicere. Suſtulerunt manus ad caelum, & gratias egerunt omnium bonorum auctori Deo, qui tandem illorum populorum miſertus, eam mentem immiſisſet Jagelloni. Ipſa tamen Heduigis, in qua eximiam formae pulcritudinem ſingularis modeſtia aequabat, nihil de matrimonio ſuo ſine matris auctoritate ſtatuere voluit: totamque rem ad illius voluntatem rejecit. Miſi ad eam oratores in Ungariam, quo ſe mortuo viro contulerat: quibus illa reſponſum dedit pietatis & prudentiae plenum. Longe a ſe abesſe eam mentem, ut quidquam impedire vellet, quod & ad amplificandum regnum Poloniae, & ad religionem latius ſpargendam pertineret. Cogitarent Poloni, & in commune conſulerent, reque mature deliberata id facerent, quod & Deo acceptisſimum, & regno utilisſimum putarent fore. De procerum igitur ſententia, conſtituto ad nuptias celebrandas die, Cracoviam magno ſeptus comitatu venit Jagello: & quia fortasſis a matre puer acceperat, ſanctos illos reges, quorum memoriam nuper Eccleſia recolebat, ad ado-

ran-

randum Chriſtum recens natum non ſine muneribus venisſe, ne ipſe quidem immunis ad Chriſtum venire voluit, eique pro munere non thus, non aurum, non myrrham, ſed fratres ſuos, quos ſecum baptizari voluit, ſed Lituaniam, ſed Samogitiam, ſed Rusſiam, ſed omnes uno verbo, quos in poteſtate habebat, populos obtulit. Quam jucundum illud non hominibus modo, ſed angelis ipſis fuisſe ſpectaculum credimus, cum vir fortisſimus ad ſacros fontes incredibili alacritate properaret; cum ſe in vas ad eam rem praeparatum cupidisſime immergeret; cum magna & clara voce Deum & homines teſtaretur, ut in ſe aqua illa ſpargeretur, ita ſe pro Chriſto ſanguinem ſuum, ubi res ferret, ſparſurum esſe! Baptizatus igitur & novo nomine Vuladislaus Jagello dictus, poſtridie Idus Februarias, eodem die reginam in matrimonium duxit, neque multo poſt conſecratus & inunctus, ac coronatus Rex Poloniae, totum eum annum in pacando regno conſumpſit. Eo autem anno, qui proxime ſecutus eſt, cum ei nihil longius videretur, quam dum populos ſuos in Chriſtianorum numerum aggregatos videret, comitatus uxore & multis principibus viris, multis item Epiſcopis ac ſacerdotibus in Lituaniam profectus, quam multis, quam certis, quam inulitatis documentis pietatis ſuae magnitudinem teſtatus eſt? Nam cum populum aegre ab inveterata ſuperſtitione avelli videret, ipſe omnibus inſpectantibus, manu ſua illis quas aliquando coluerat arboribus magna vi ſecures impingens, easque ab radicibus deturbans, tum ingentem vim aquae profundens in illos tam diu adoratos ignes; *Non eſt*, clamabat, *non eſt Deus, quod exſcindi ac dejici, non quod exſtingui poteſt. O mirificos Deos, quorum alter alteri pro pabulo eſt, alter alterum abſumit! In venenatis autem & mortiferis animalibus quae poteſt esſe divinitatis ſimilitudo? Agnoſcite, agnoſcite miſeri errorem veſtrum, & reſipiſcite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum omnium rerum effectorem convertite: ne, dum aeternum (ut falſo putatis) ignem colitis, in alium ignem vere aeternum incidatis.* Simul haec, ſimul eis religionis noſtrae principia, ut poterat, edisſerebat: ut eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus exſtingueretur, & novus ignis divini amoris in eorum pectoribus accenderetur. Cumque neque ſacerdotes, quos ſecum adduxerat, Lituanicam linguam, neque

minabant. Sed & lucos & ſelectas quasdam in ſylvis eximiae proceritatis arbores venerabantur ut Deos. Viperis quoque & aliis ſerpentibus eundem tribuebant honorem. Qui quid horum violaſſet, inexpiabile ab eo ſcelus conceptum putabant. Cum hoc per ſe miſerabile erat, talem, tantamque provinciam tanto tempore in tanta errorum foeditate verſari, tum illud accedebat incommodi, quod gens bellicoſa, & ferox finitimos ſibi Chriſtianos quotidianis incurſionibus lacesſens, nunquam quieſcere patiebatur. Ei genti annos abhinc amplius ducentos viginti imperabat Jagello, idemque praeterea & Samogitiam & magnam Ruſſiae partem obtinebat, fortis & ſtrenuus princeps, & quanquam religionis noſtrae myſteriis nondum initiatus, tamen, ut qui Chriſtiana matre genitus eſſet, animo ab ea non prorſus alieno. Cum igitur per id tempus mortuo Hludovico, Ungariae & Poloniae rege, regni proceres de Heduigi ejus filia, ad quam regnum delatum erat, in matrimonium collocanda deliberarent, ecce ab Jagellone legati, qui renunciarent, eum cum omnibus ſuis velle Chriſtianum fieri, petere, ut ſibi Heduigis uxor daretur: hoc ſi fieret, paratum eſſe omnes ditionis ſuae provincias cum Poloniae regno ea lege conjungere, ut nunquam divellerentur. Quam lubentibus animis Poloniae proceres eam legationem audierint, nihil opus eſt dicere. Suſtulerunt manus ad caelum, & gratias egerunt omnium bonorum auctori Deo, qui tandem illorum populorum miſertus, eam mentem immiſiſſet Jagelloni. Ipſa tamen Heduigis, in qua eximiam formae pulcritudinem ſingularis modeſtia aequabat, nihil de matrimonio ſuo ſine matris auctoritate ſtatuere voluit: totamque rem ad illius voluntatem rejecit. Miſi ad eam oratores in Ungariam, quo ſe mortuo viro contulerat: quibus illa reſponſum dedit pietatis & prudentiae plenum. Longe a ſe abeſſe eam mentem, ut quidquam impedire vellet, quod & ad amplificandum regnum Poloniae, & ad religionem latius ſpargendam pertineret. Cogitarent Poloni, & in commune conſulerent, reque mature deliberata id facerent, quod & Deo acceptiſſimum, & regno utiliſſimum putarent fore. De procerum igitur ſententia, conſtituto ad nuptias celebrandas die, Cracoviam magno ſeptus comitatu venit Jagello: & quia fortaſſis a matre puer acceperat, ſanctos illos reges, quorum memoriam nuper Eccleſia recolebat, ad ado-

ran-

randum Chriſtum recens natum non ſine muneribus venisſe, ne ipſe quidem immunis ad Chriſtum venire voluit, eique pro munere non thus, non aurum, non myrrham, ſed fratres ſuos, quos ſecum baptizari voluit, ſed Lituaniam, ſed Samogitiam, ſed Ruſſiam, ſed omnes uno verbo, quos in poteſtate habebat, populos obtulit. Quam jucundum illud non hominibus modo, ſed angelis ipſis fuisſe ſpectaculum credimus, cum vir fortisſimus ad ſacros fontes incredibili alacritate properaret; cum ſe in vas ad eam rem praeparatum cupidisſime immergeret; cum magna & clara voce Deum & homines teſtaretur, ut in ſe aqua illa ſpargeretur, ita ſe pro Chriſto ſanguinem ſuum, ubi res ferret, ſparſurum esſe! Baptizatus igitur & novo nomine Vuladislaus Jagello dictus, poſtridie Idus Februarias, eodem die reginam in matrimonium duxit, neque multo poſt conſecratus & inunctus, ac coronatus Rex Poloniae, totum eum annum in pacando regno conſumpſit. Eo autem anno, qui proxime ſecutus eſt, cum ei nihil longius videretur, quam dum populos ſuos in Chriſtianorum numerum aggregatos videret, comitatus uxore & multis principibus viris, multis item Epiſcopis ac ſacerdotibus in Lituaniam profectus, quam multis, quam certis, quam inſitatis documentis pietatis ſuae magnitudinem teſtatus eſt? Nam cum populum aegre ab inveterata ſuperſtitione avelli videret, ipſe omnibus inſpectantibus, manu ſua illis quas aliquando coluerat arboribus magna vi ſecures impingens, easque ab radicibus deturbans, tum ingentem vim aquae profundens in illos tam diu adoratos ignes; *Non eſt*, clamabat, *non eſt Deus, quod exſcindi ac dejici, non quod exſtingui poteſt. O mirificos Deos, quorum alter alteri pro pabulo eſt, alter alterum abſumit! In venenatis autem & mortiferis animalibus quae poteſt eſſe divinitatis ſimilitudo? Agnoſcite, agnoſcite miſeri errorem veſtrum, & reſipiſcite, & tandem aliquando mentis oculos ad Deum omnium rerum effectorem convertite: ne, dum aeternum (ut falſo putatis) ignem colitis, in alium ignem vere aeternum incidatis.* Simul haec, ſimul eis religionis noſtrae principia, ut poterat, edisſerebat: ut eodem tempore & vetus ille ignis pro Deo habitus exſtingueretur, & novus ignis divini amoris in eorum pectoribus accenderetur. Cumque neque ſacerdotes, quos ſecum adduxerat, Lituanicam linguam, neque

Li-

Lituani ullam aliam intelligerent, ipſemet eos ſummam fidei noſtrae ab apoſtolis traditam, quam ſymbolum vocamus, ipſe formulam precandi a Chriſto Jeſu inſtitutam, ipſe cetera, quae diſcere ſolent ii, quos Catechumenos vocamus, in Lituanicum ſermonem convertens, neque ullum in ea re laborem ſubterfugiens, edocebat. O regem rari, & ſingularis exempli! O ardorem animi commemorabilem! O pietatem omnibus ſaeculis praedicandam! Ita igitur inflammavit Lituanorum animos, ut ad danda Chriſto nomina, & ad ſacroſanctam illam aquae aſperſionem ſimul omnes facto agmine concurrerent, ſeque longiorem moram pati non poſſe clamarent. Ideoque ſolis nobilibus ſingulatim baptizatis, cetera multitudo idem ſacramentum catervatim diſtributa ſuſcepit. Quid ego nunc exſtructarum ab eo ſacrarum aedium multitudinem, quid divitiarum eccleſiaſtici ordinis hominibus attributarum magnitudinem exponam? Quid ſuſceptos in Samogitia ad Chriſtum traducenda labores, & obita eadem illa munera, quae in Lituania obierat? Illud vero minime praetereundum eſt, quod ne regnandi quidem ſuavitas, maxima illecebra peccandi, quae ſaepenumero multos adverſus alia omnia ſatis firmos abſtulit, ullam vim habuit, ad Vuladislai fidem ac conſtantiam labefactandam Nam cum Bohemi, quorum animis paullo ante Joannes Hus & Hieronymus Pragenſis peſtiferum opinionum ſuarum virus afflaverant, mortuo Vencislao rege ſuo, legatos ad eum miſiſſent, per quos ei regnum deferebant, multisque precibus obſecrabant, ut id aut ipſe, aut Vitoudus frater ipſius patruelis ſuſciperet: maximo uterque animo eorum preces repudiavit, addita illa nobili, & nunquam ſatis celebrata voce: Religionem ſibi eſſe, haereticis imperare. Non patitur temporis brevitas, ut aut plura de hoc dicam, aut de ejus filio Vuladislao tertio, Poloniae & Ungariae Rege, qui, ut Pontificis maximi auctoritati pareret, cum Turcis, quos diu vexaverat, multisque praeliis fuderat, fregerat, afflixerat, redintegrato adverſus pactas cum eis inducias bello, tum quoque magna eorum edita ſtrage, in ipſa tandem acie fortiſſime dimicans interfectus eſt. Eademque me cauſſa cogit, tum alios aliquot reges ſilentio involvere, tum in Sigismundo primo, Sigismundi Auguſti patre, laudando eſſe breviorem. Cujus pietatem quidem ac religionem magnificentiſſima templa par-

partim instaurata, & refecta, partim ditata, partim etiam a fundamentis excitata, & perpetuum prohibendarum a regno suo novarum opinionum studium; bellicam vero fortitudinem tam multae, tamque memorabiles de Moschis, de Valachis, de Tartaris, de Turcis victoriae, &, ut cetera taceam, octoginta Tartarorum millia uno ad Borysthenem praelio profligata testantur. Qui cum octoginta duos vixisset annos, carus suis, metuendus hostibus, utrisque venerandus, satur vitae, satur gloriae, moriens, Sigismundum Augustum non regni magis quam virtutum suarum heredem reliquit. Hic si praesens adesset, beatissime Pater, sanctissimos pedes tuos deosculatus, hac ad te oratione uteretur: Magno gaudio affectus sum, Pater sanctissime, cum te ad Ecclesiae gubernacula admotum, & in isto celsissimo inter mortales solio collocatum esse cognovi. Qualem enim jam dudum certa & constanti fama esse te acceperam, tali gubernatore navim Ecclesiae in his turbulentissimis tempestatibus egere intelligebam. Quem in locum Christiana respub. deducta sit, etsi dubitandum non est, quin tu ex ista edita ac praecelsa specula optime videas: nos tamen qui ab hostibus undique circumsesi sumus, certe propius intuemur. Et ab hoste immanissimo ac potentissimo invadimur, & domesticis seditionibus laboramus. Neque ulla res majores ei animos facit, quam quod intelligit, graviori, & implacabiliori odio Christianos a Christianis, quam Christianos a Turcis disidere. Ita qui conjuncti ac conspirantes terrori essemus, divisi ac dissentientes ludibrio & despectui sumus. Jamque mali vis, invitissimis, & nequidquam renitentibus nobis, non obscure per partes usque adhuc integras serpit. Et alia hoc regna nuper magno bonorum omnium moerore senserunt; & nos, quanquam omnia prohibendi causa facimus, pervincere tamen non possumus, ut nihil populis nostris vicinitate ac contagione noceatur. Hem, nunquamne his tot, tam gravibus, tam diuturnis calamitatibus remedium aliquod reperietur? At tu, beatissime Pater, cujus & apud Deum preces, propter sanctitatem, & apud homines jussa, propter auctoritatem, plurimum valent, per illam, qua genus humanum complecteris, caritatem, per illam curam, quam Christianis omnibus & debes & praestas, per illum ipsum, cujus in terris vice fungeris, Jesum Christum, succurre ac sub-

ſubveni communibus malis, & omnes cogitationes, omnia conſilia, omnem auctoritatem ac potentiam tuam confer ad Chriſtianos populos & purgandos ab erroribus, & firma ac ſtabili concordia inter ſe devinciendos. Quod igitur rex ipſe per ſe facere propter locorum diſtantiam (*) non poteſt, id per hunc clariſſimum virum orátorem ad te ſuum facit: per eum tibi gratulatur: per eum ad te omnes vires ac copias ſuas defert: per eum tibi & huic ſanctae Sedi obedientiam praeſtat: quamque laudem a majoribus ſuis hereditariam accepit excubandi aſſidue pro Chriſtianis, & quicunque hoſtes Chriſti atque Eccleſiae fuerint, eosdem ſemper habendi pro ſuis, eam ſe diligentiſſime, ut ſemper fecit, conſervaturum, neque unquam ab eorum virtute degeneraturum eſſe promittit. Tibi autem, beatiſſime Pater, cum omnia fauſta & proſpera precatur, tum quo facilius ea, quae a te exſpectantur, perficere poſſis, illud a Deo votis omnibus petit, ut publico Eccleſiae bono non minus diu Pontifex vivas, quam te Pontificatu dignum vixiſſe, omnes, qui vere & incorrupte judicant, confitentur. DIXI.

DE

TOTO STUDIORUM SUORUM CURSU, DEQUE ELOQUENTIA AC CETERIS DISCIPLINIS CUM JURISPRUDENTIA CONJUNGENDIS,

ORATIO XV.

habita Romae anno

MDLXVII.

Non eram neſcius, cum hanc Pandectarum interpretandarum provinciam ſuſciperem, fore, ut multis ſermonem darem: quibus mirum ac novum videretur, me, qui tot annos in hoc docendi munere ita conſumpſiſſem, ut eos

(*) Meliores ſcriptores potius dicunt *intervallum*.

eos modo libros attingerem, qui aut ad eloquentiam, aut ad Philoſophiam pertinerent, mutata ſubito voluntate, ad tractationem juris civilis tam longo intervallo redire: a quo me plerique jam pridem animum omnino avocaſſe, & ad mitiora ſtudia, tanquam ad Sirenum ſcopulos, adhaeſiſſe, aut quaſi loti cujusdam Homericae, ita illorum dulcedine, ac ſuavitate captum, hujus jam neper ſomnum quidem meminiſſe arbitrarentur. Quibus ut ſatisfaciam, ſimulque vobis omnibus hujus conſilii atque inſtituti mei rationem reddam: etſi non libenter facio, ut de me loquar, tamen antequam progrediar longius, pauca quaedam de toto ſtudiorum meorum curſu breviter commemorare conſtitui. Quae ſi audire ac cognoſcere grave non erit, ſpero fore, ut graviſſimi quidem & eruditiſſimi homines, quos hic adeſſe video, factum meum non improbent: vos autem optimi & ſtudioſiſſimi adoleſcentes, etiam fructum aliquem ex hac narratione capiatis. Cum enim, quae praecipue res progreſſus meos retardaverit, meque decurſo jam ſpatio a calce ad carceres, ut dicitur, revocaverit, cognoſcetis: forſitan, exemplo meo edocti, melius ipſi veſtris rationibus conſuletis. Ego igitur, ut primum puer Grammaticorum & Rhetorum praeceptis viſus ſum utcumque imbutus eſſe, leviter guſtatis Dialecticae principiis, ceteris autem Philoſophiae partibus ne a limine quidem ſalutatis: nulla Graecae linguae intelligentia, nullo rerum uſu, nulla antiquitatis cognitione inſtructus, animum ad jus civile appuli, & iis doctoribus, qui tum illis in locis optimi putabantur, annos aliquot operam dedi. Jamque eo proceſſeram, ut, quae tum praecipuae laudes habebantur, & in argumentando ſatis acutus, & in reſpondendo non incautus, &, quacunque de re ageretur, abunde loquax eſſem: &, quod multis palmarium videbatur, multarum legum non intellectarum principia uno ſpiritu citare, multorum interpretum nomina recenſere, multos verſus, multas paginas, multas columnas, porticus etiam, ut opinor, & periſtylia, & intercolumnia, nullo negotio, numerare quamlibet multa poſſem. Cum ipſe me eo nomine circumſpiciebam, meque pulcrum, ac beatum putabam, tum uno ore omnes, ut ait Comicus, omnia bona dicere, & laudare fortunas meas, qui tantula aetate tantam mihi, ut ipſi putabant, ſapientiae; ut res ipſa docuit, ſtultitiae & inanium opinionum ſupellectilem comparaſſem. Jam o-

nes me mei foro & cancellis & subselliis destinabant: magnamque in spem venerant, rabulam me aliquem non in postremis fore, confidentem, acrem, contentiosum; praesertim cum & natura essem firmis lateribus, & voce magna, &, quod caput est, illi me quos dixi magistri, si non multum sapere, at certe, quod apud eos pro eodem erat, multum audere multumque clamare docuissent. Quid verbis opus est? Inibi jam erat, ut illud vitae genus ingrederer, cum Deus (Deus enim fuit: neque hoc mihi ex animo excuti potest,) Deus igitur effecit, ut quaedam Budaei & Alciati & aliorum ejusdem notae hominum scripta, quae nunquam ante illud tempus adspexeram, in manus meas venirent. Qu e cum evolvere coepissem, pasimque in eis multa reperirem, quae de magistris meis nunquam audisem; multas sententias, quas illi me ratas ac firmas esse docuissent, gravissimis argumentis convulsas ac labefactatas; multa ex Graecis scriptoribus deprompta, multa ex antiquitate repetita, quibus in omnibus mihi tenebrae essent: nolite quaerere, quid mihi animi fuerit. Visus mihi sum de caelo decidisse: aut in alium quendam orbem delatus esse: neque aliter affectus sum, quam egeni & inopes homines interdum solent, qui cum totam noctem somniarunt se divites repente factos esse, ubi diu gemmas, aurum, purpuram dormientes contrectarunt, experrecti, omnia domi suae obtenta telis aranearum vident. Quid facerem? ego ille paullo ante tumidus & ferox, cum mihi derepente vultus, animus, verba cecidissent: jamque suffusus pudore, verecundarer inter eos versari, qui de me ita magnifice senserant: subduxi me clanculum ex illis, in quibus diu merueram, castris, & in Graeciam navigavi: id est, ad Graecarum litterarum & disciplinarum magistros me contuli; eademque opera perlustravi etiam vetus illud Latium; id est, omnes ad unum veteres linguae Latinae scriptores diligenter & accurate pervoluravi, sedulo undecumque omnia colligens, quibus mihi jurisprudentia instructior & ornatior fieri posse videretur. Atque in hac peregrinatione, tum in Lycei ambulationibus, tum in Academiae spatiis, saepe me exercui: neque aut illius e Gargetto delicati atque otiosi senis hortos invisos praeterii, quanquam venenorum, quam salubrium herbarum feraciores, neque disjectas veteris illius Poeciles, non

tam

tam Polygnoti manu, quam Zenonis ingenio nobilitatae, reliquias neglexi. Et ut magnam voluptatem capiunt, qui ad magnorum ac nobilium fluminum, Euphratis puta, aut Nili, fontes ac capita ipsa venerunt: ita juvit me incredibiliter, cum apud illos sapientissimos senes cernerem, quibus ex fontibus manasset amplissima illa juris civilis flumina, per quae, toto orbe sparsa atque diffusa, tam multi assidue summo homines ingenio navigarent. Interea, ut paterfamilias, qui, mercaturae caussa in longinquas terrarum oras profectus, dulcem eximieque animo caram domi uxorem reliquit, saepe de ea cogitans, sicubi aut gemmam aliquam, aut scite tornatum anulum, aut monile bacatum, aut segmentatam vestem, aut talia mundi muliebris ornamenta conspexit: studiose omnia comparat ac seponit, quibus eam, domum reversus, muneretur: sic me per omne scriptorum genus vagantem nunquam ea cura ac cogitatio deserebat, ecquid decerpere ac delibare ex eorum unoquoque possem, quod, cum ad jurisprudentiam reverterer, ad eam expoliendam & exornandam accommodatum esset. Sciebam enim, quam turpe haberetur, & diu manere, & inanem redire. Quod autem Homerus ait, Ulixem in illo diuturno errore crebro spectare solitum Ithacam versus: itidem ego ad jurisprudentiam identidem reflectebam oculos: & ab ea tam diu abesse me, vix satis aequo animo ferebam. Quin etiam, ne me amoeniores illae disciplinae usu quodammodo suum facerent, multa saepenumero faciebam usucapionis interrumpendae gratia: quod & mea qualiacunque scripta declarant, crebris jurisconsultorum adsperſa sententiis, & quotidianae disputationes, quibus, quoties erat occasio, aliquid ex hac disciplina petitum intexebatur, non obscure indicabant. Nunc, cum mihi videar non ea quidem omnia, quae animo conceperam, perfecisse, sed usque eo tamen progressus esse, ut iis, qui juris civilis cognitionem ex ipsis fontibus haurire cupiunt, opis aliquid adferre possim: putavi tempus jam ipsum postulare, ut prodirem, & navatae in hoc genere studiorum operae specimen aliquod darem. Cur autem Pandectas potissimum extra ordinem interpretari voluerim, caussa haec fuit. Videbam eruditissimos in hac schola viros, quibus docendi juris munus mandatum est, ita se in eo gerere, ut, ipsa si loqui posset jurisprudentia, non certius, aut

copiosius, aut majori cum dignitate videatur explicatura sensus suos, quam ab illis quotidie explicantur. Omnia ex eorum ore profluunt, quae in hac arte, aut cogitari prudenter, aut disputari acute, aut certo definiri ac statui possunt. Itaque cum in omnibus habeam, quod admirer, in nullo habeo, quod desiderem. Sed illi tamen, quid dignitati suae, eique, quam meritissimo obtinent, auctoritati consentaneum sit, intelligentes, perpetuo in gravium & arduarum quaestionum tractatione versantur; exquisitam singularum vocum explicationem, ut humile quiddam, neque satis dignum, in quo tempus conterant, aut praetermittunt, aut modice attingunt. Planeque si ad eos audiendos ii tantum accederent, quos oporteret, id est, qui prius in Grammaticorum, Rhetorum, Philosophorum scholis diu multumque exercitati essent: nihil amplius, quam quod ipsi cumulatissime praestant, requireretur. Nunc, quod ego me principio fecisse dixi, ut ad jus audiendum aliarum omnium artium rudis accederem, in eo vereor ne etiam hodie a plerisque peccetur. Cogitavi igitur, si pro mea virili parte huic incommodo mederi studerem, neque invidiosum id mihi, neque inutile aliis fore. Nam neque invidiam habet ullam, quod ab aliis neglectum jaceat, id sumere: & in exercitu non tantum imperatorum & tribunorum ac centurionum, sed & gregariorum militum, & calonum quoque ac lixarum aliquis usus est. Neque, si gubernatorum in navi regenda praecipuum est munus, non ii quoque utiles sunt, quorum in sentina exhaurienda omnis consumitur labor. Quanquam, si id quod res est fateri, si recta & vera speciosis ac fucatis anteponere, si, quanti res quaeque sit, non quanti vulgo fiat, spectare volumus: multo plus est in hac pura & simplici verborum explicatione momenti, quam plerique fortasse suspicarentur. Nam cum verba, ut ait Aristoteles, sint eorum, quae animo concepimus, notae: fieri nullo modo potest, ut, qui vim verborum non percipit, eam sententiam, quae illis verbis expressa est, assequatur. Itaque & idem Aristoteles alibi ait, eos, qui, quid quoque verbo proprie indicetur, non satis intelligunt, in rebus judicandis saepenumero falli: & apud Platonem Cratylus ex verborum intelligentia cognitionem rerum pendere dicit. Et quis tandem est, qui nesciat, patrum avorumque nostrorum memoria, cum per-

perverſa quaedam ac peſtifera opinio invaluiſſet, nihil cultum orationis, nihil hiſtoriae veteris notitiam, ad eos, qui graves ac ſerias diſciplinas tractarent, pertinere, Graecas vero litteras etiam impedimento eſſe, quanta & quam denſa caligo univerſum prope terrarum orbem obtexerit? quantaque verborum neglectum rerum ignoratio conſecuta ſit? Sed, quid neceſſe eſt huic rei aliunde argumenta petere? Illi ipſi, quorum libros quotidie terimus, veteres jurisconſulti, in explicandis legibus, ſenatusconſultis, edictis praetorum aut aedilium, conſtitutionibus, decretis, epiſtolis principum, quam, quaeſo, viam rationemque tenuerunt? Nempe in patefacienda ſingularum vocum vi ac proprietate tam multi tamque aſſidui ſunt, ut magnam induſtriae ſuae partem in eo conſumere videantur. Quod prolatis ac productis (*) ipſorum locis probarem, ſi, quam facile, tam neceſſarium eſſet. Antiſtium Labeonem jurisconſultum nobiliſſimum cum alicubi valde commendasſet Gellius, ad poſtremum addit: *Latinarum vocum origines rationesque percalluerat: eaque praecipue ſcientia ad enodandos juris laqueos utebatur.* Hos me ſequentem duces, nemo, ut opinor, merito culpaverit. Quam igitur interpretandi viam nobis Ulpianus, Paullus, Gajus, Marcellus, ceterique juris auctoritates praeiverunt, eam ſequemur, & eorum veſtigiis, quantum vires noſtrae ferent, inſiſtentes, ſumma ope conabimur efficere, ut neque praetermittamus neceſſaria; neque inutilia conſectemur: & quotidie tamen aliquid minime vulgare minimeque contritum adferamus. Quod ut jam nunc perſpicere poſſitis, dum ad titulum de juſtitia & jure interpretandum accedo, quaeſo, diligenter attendite. DIXI.

(*) *Producere* vel *adducere locum, rationem*, &c. non dicunt Latini.

CUR AD

MUNUS DOCENDI, QUO SE SPONTE ABDICAVERAT, REVOCATUS SIT,

ORATIO XVI.

habita Romae prid. Kalend. Mart. anno

MDLXIX.

Quod antiquitus a ſapientiſſimis viris dictum eſt, non licere cuiquam mortalium, quid facturus, aut non facturus ſit, certo pronunciare: quod in vita multa eveniunt, tum ut ea ne facias, quae facere decreveris, tum ea ut facias, quae nunquam facere conſtitueris: id ego & ſaepe antehac in aliis, & in me ipſo nuper veriſſimum eſſe cognovi. Nam in hoc publice docendi munere quinquennium jam cum aliqua hominum approbatione verſatus, eo me, ut ſcitis, ſuperioribus menſibus ſponte abdicaveram: idque eo animo, ut, quod ex me ſaepe auditum eſt, nunquam me poſtea eandem provinciam ſuſcepturum, nunquam eosdem labores denuo ſubiturum putarem. Cogitabam, ſatius eſſe deſinere, quam deficere: me, ſive placuiſſem, ſatis jam ſpectatum eſſe; ſive diſplicuiſſem, plus ſatis: ſatius eſſe cum deſiderio, quam cum ſatietate diſcedere: utcunque eſſet, tradendam quaſi curſu aliis lampada, qui & laboris patientiores, & doctrinae copia inſtructiores, inſtitutam hic & inchoatam a nobis, majore animo, quam viribus, jurisprudentiae cum eloquentia & cum antiquitatis cognitione conjunctionem exaedificarent, ad ſummumque perducerent. Mihi ad nominis mei commendationem abunde videbatur, tanti ac tam praeclari operis aliqua ſaltem fundamenta jeciſſe, & praeſtando, quod poſſem, alios qui plus poſſent, ut experiri vellent, exemplo meo excitaſſe. Jamque totus in eo eram, ut me non languori quidem ac deſidiae dederem: qui ſemper ignavorum vitam mortemque juxta aeſtimaſſem: ſed ad eas

eas artes mecum recolendas ac celebrandas referrem, quibus usque a puero deditus fui: & ad mandandas litteris cogitationes quasdam meas, quibus efficerem, conaret quidem certe, ut, quod mihi otium Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis, ſtudiorum ac fortunarum mearum patroni, ſumma liberalitate conceditur, ejus aliquis fructus non ad praeſentes modo & eos qui nunc ſunt, ſed & nunc ad exteros, & olim ad poſteros perveniret. In hac me cogitatione defixum, & tanquam in portu, complicatis velis, ceterisque armamentis omnibus compoſitis, quieſcentem, veſtra, Cardinales amplisſimi, auctoritas expergiſci denuo, & ſubductam jam navim, mutato conſilio, deducere, & vela ventis pandere coëgit. Quae mihi res eo mirabilior viſa eſt, quod non deerant homines & ingenioſi, & eruditi, & exercitati, qui vobis ad hoc munus obeundum ultro ſtudium atque operam profiterentur ſuam: quorum etiam unum a me ipſo vere atque ex animo commendatum eſſe memini. Itaque, ut in hiſtoriis eſt, eos, qui M. Catonem in praeturae petitione ſuperarant, ipſosmet mirari ſolitos, quod ſe tali viro populus Romanus praetuliſſet: ſic fateor, mihi mirum viſum eſſe, quid ita vobis potius libuerit, me alia jam omnia cogitantem, etiam cum aliqua ad vetus honorarium accesſione revocare, quam in locum meum aliquem ex iis ſufficere ac ſubſtituere, qui id, in beneficii loco, petebant. Quod ego neque ita me ignoro, ut mihi tribuam, ac non veſtrae potius humanitati, quam ulli merito meo acceptum feram: & tamen non debeo eſſe aut adverſus dignitatem meam, aut adverſus veſtra judicia improbe curioſus. Nam, ſive aliquid eſſe in me, cur hic honos mihi habendus eſſet, judicaſtis, potius eniti ac contendere debeo, ut veſtram de me opinionem rebus confirmem, quam ut verbis refellam: ſive, quod magis credo, veſtra tantum in eo humanitas, & quaedam erga me voluntatis propenſio valuit, non minus optabile, aut honorificum duco, a vobis amari, quam magna aliqua ſive eruditione, ſive eloquentia praeditum judicari. Illud quidem neque reticere, neque diſſimulare poſſum, recentem iſtam veſtrae erga me voluntatis ſignificationem magnum mihi onus impoſuiſſe, magnam curam & ſollicitudinem, magnam vigilandi, laborandi, contendendi omnes induſtriae meae nervos neceſſitatem attuliſſe. Non enim mihi

tantum elaborandum est, ut, si quam mihi existimationem superiorum annorum labores vigiliaeque pepererunt, eam conservem ac tuear: sed multo magis, ut vestra de me judicia sustineam, & aliqua saltem ex parte respondeam illi exspectationi, quam de me, ut verisimile est, in multorum animis pondus auctoritatis vestrae concitavit. Quod quidem me studiosissime constantissimeque facturum vobis omni adseveratione confirmo, daturumque operam, ut haec, qua nunc cincti ac circumfusi estis, studiosorum adolescentium multitudo, si nulla alia re, at certe industria & adsiduitate vix alium quemquam a vobis ad rationes suas accommodatiorem huic muneri praefici potuisse fateatur. Sed jam tempus esse videtur, ut specimen vobis aliquod exhibeam ejus rationis ac viae, quam & usque adhuc in docendo tenui, &, nisi vos aliud jubeatis, deinceps perpetuo tenere decrevi. Quod dum facio, date mihi, obsecro, hanc veniam, ut avertam a vobis orationem, atque ita diseram, quasi ii tantum adessent, quorum caussa me, rude jam, ut arbitrabar, donatum, in hanc arenam denuo revocandum censuistis. DIXI.

DE DOCTORIS OFFICIO, DEQUE MODO JURISPRUDENTIAM DOCENDI,

ORATIO XVII.

habita Romae prid. Non. Novemb. anno

MDLXIX.

Majorem in dies fructum capio ex hoc consilio atque instituto meo exornandi juris civilis, neque lautius modo ac nitidius, sed distinctius etiam & ad rudiorum captum accommodatius, quam plerique vulgo solent, explicandi. Nam etsi satis intelligo, non tantum mihi esse vel virium vel auctoritatis, quantum ad hoc, quod animo

mo concepi, quodque omnibus votis expeto, plane perficiendum requireretur: juvat tamen, tanti ac tam praeclari operis qualiacunque fundamenta jacere, experiri, si forte alios rebus omnibus instructiores commovere, & ad eandem cogitationem suscipiendam excitare possim; efficere denique, ut quicunque olim de hoc meo conatu vere judicare & poterunt & volent, quidvis mihi potius, quam aut in deligenda recte docendi ratione ac via judicium, aut in eadem aliis commonstranda voluntatem defuisse fateantur. Quibus enim rebus ejus, qui quamcunque artem docere instituit, officium contineri arbitror, eas ut praestarem, & alias semper, & praecipue ex quo libros Pandectarum explicare ingressus sum, magno mihi studio elaboratum est. Ac ne quis forte quaerat, quae tandem illa sint, in quibus & multum operae posuisse me dico, & multum ponendum esse omnibus, qui docendi munus ita ut oportet obire ac sustinere meditantur: exponam ea, ut potero, breviter, vobisque potestatem faciam, ex iis, quae hodierno die de doctoris officio dicam, existimandi, quid a me in posterum non exspectare tantum, sed etiam exigere debeatis. Existimo igitur duobus verbis comprehendi posse munus ejus qui docet: videndum enim ei esse, quid doceat, & quomodo. Prius illud eam vim habet: curandum esse ei, primum ut vera doceat; tum ut propria ejus artis, in qua versatur, aut certe cum eo quod agitur conjuncta & cohaerentia. Modus autem docendi is est, ut perspicue doceat: quod duabus rebus conficitur, ordine, & genere sermonis ad res enodandas & enucleandas accommodato. Haec omnia qui praestet, ut in docendo & vera tradat, & pertinentia ad eam artem, quam docet, & ea ita distinguat, ut suo quidque loco digerat ac collocet, & verbis propriis, significantibus, ab eorum, qui pure ac nitide loquuntur, consuetudine non abhorrentibus efferat, atque eloquatur, ei ego nihil omnino ad summi ac perfecti doctoris laudem deesse statuo: qui autem, cum ea plene quidem & absolute praestare non posse se agnoscat, eo tamen quidquid habet virium confert, ut ad eas laudes quam potest proxime accedat, dignissimum esse, cujus honestissimos conatus, & industriam ad praeclara tendentem bonorum omnium perpetuus applausus approbatioque comitetur. In his omnibus varie peccatum esse video a multis eorum,

qui quadringentos fere abhinc annos jus civile tractarunt: quorum etiam nonnulli tanto apud multos in pretio sunt, ut, quasi Atlantis humeris caelum, ita eorum auctoritate hujus artis dignitas sustineri putetur. Nam & multa saepe pro veris falsa docuerunt; & referserunt libros suos alienissimis quaestionibus; & sine ullo ordine omnia tradiderunt; & cum Latine loqui nescirent, novum quoddam & monstrosum sibi confinxerunt loquendi genus, ut, si veteres illi Paulli, & Ulpiani, & Papiniani, & ceteri juris antistites reviviscant, multis interpretibus eis opus futurum sit, ad eos, qui scripta sua interpretati sunt, intelligendos. Ac cur falsa quidem pro veris tradiderint, non negaverim alias quoque fuisse causas: duas tamen praecipuas fuisse arbitror: ignorationem antiquitatis, & perversum quoddam studium contradicendi. Etenim cum tota reipub. atque imperii Romani facies ita versa atque immutata esset, ut nullum retineret veteris formae vestigium, aliae consuetudines essent, aliae leges, alia religio, alii magistratus, alia judicia; exstincto autem lumine Latinarum & Graecarum litterarum, omnia densissimis ignorantiae tenebris sepulta atque obruta tenerentur: fieri nullo modo potuit, quin homines ejus reipublicae ignari, cujus leges & jura tractabant, tanquam in illuni nocte sine lumine errantes, saepe offenderent, saepe laberentur, saepe quovis potius, quam quo instituerant, pervenirent. Ad quod incommodum cum aliud accessisset ex prava quadam ambitione, quae multorum ex illis animos occuparat, ut indecorum putarent, cuiquam adsentiri, ac tum demum sibi pulcri ac beati viderentur, si superiorum placita labefactare ac subvertere, ipsi autem aliquid, quod ante se nemo dixisset, adferre potuissent: quasi clavum clavo, sic opinionem opinione trudentes, eo tandem rem perduxerunt, ut, cum receptum sit, in rebus judicandis communem interpretum sententiam sequendam esse, saepenumero, quae in plures probata sit, in tanta discrepantia ac varietate dubitetur. Scitum autem est, quod ait Plato, semper inter se consentire eos, qui aliquid sciunt. Nam neque sciri potest nisi quod verum est: neque in quaque re verum esse amplius uno potest. Jam, quod secundo loco posui, multas saepe ab eis inculcatas quaestiones, neque juris civilis proprias, neque ad id, quod in manibus erat, ullo modo pertinentes,

tes, id quin verum ſit, dubium nemini unquam futurum eſt, qui eorum ſcripta vel per tranſennam, ut dici ſolet, adſpexerit. Niſi forte quaerere, quae ſit poteſtas ablativi, ut loquuntur, abſoluti, aut gerundii, aut relativi, *Qui*, *Quae*, *Quod*, & ſimilia, quae vel referre piget, Grammaticorum non eſt potius, quam Jurisconſultorum; aut quae ſit ratio definiendi, quid interſit inter definitionem & notationem vocabuli, quando liceat argumentari ab enumeratione partium, non Dialectici potius, quam Juris civilis profeſſores, docere debent; aut denique innumerabilia, quae eorum commentarios legentibus paſſim occurrunt, non melius & verius ab iis artificibus, quorum propria ſunt, explicantur. Nam de ordine quid dicam? quem ſemper ſapientiſſimus quisque plurimi fecit: cui tantum tribuerunt quidam ex veteribus Philoſophis, ut ſummum ac ſupremum hujus univerſitatis parentem atque opificem Deum dicerent in orbe condendo nihil aliud praeſtitiſſe, quam quod confuſas & permiſtas inter ſe rudis materiae partes diſcrevisſet, certoque ordine ſuis quamque in ſedibus collocaſſet. Impia opinio, fateor. Omnia enim non tantum digeſſit ac diſpoſuit, ſed ex nihilo effecit ac procreavit Deus. Sed tamen ex eo intelligi poteſt, quae illorum de ordine opinio fuerit, quantamque vim in eo ineſſe crediderint: cum a quo nihil amplius quam confuſas mundi partes in ordinem adductas eſſe dicebant, eum tamen ipſi quoque cum ceteris veriſſimo nomine parentem ac conditorem omnium rerum vocarent. Exſtat praeclara ſententia apud Xenophontem in Oeconomico, nihil eſſe aut pulcrius, aut ad uſum commodius quam ordinem: nihil contra aut adſpectu foedius ac deformius, aut quod plura omnibus rebus incommoda adferat, quam confuſionem ac perturbationem. At noſtri illi cum dialecticen aut non didiciſſent, aut ita didiciſſent, ut non didiciſſe praeſtaret: quibus, quaeſo, modis omnia miſcuerunt? qualem nobis cujusque generis praeceptorum farraginem reliquerunt? Ut ſi quis ruſticus hordeum, triticum, viciam, legumina in unum acervum conferat, non illius acervum horum commentariis exiſtimem perturbatiorem fore. Mihi quidem, cum in eos inſpicio, ſaepiſſime Ovidiana illa de Chao in mentem veniunt:

Qua-

Quaque erat & tellus, illic & pontus & aër.

Non aliter enim apud hos, ubi, verbi causſa, de auctoritate magiſtratuum agitur, dicetur etiam aliquid de teſtamentis; ubi de emptione & venditione diſſeritur, aliquid de poenis, aut de auctoritate tutorum inſeretur: nihil eſt denique, quod certam ſedem ac domicilium habeat; nihil quod non alienisſimo aeque facile ac ſuo loco pertractatum repcriatur. Inde illae crebrae ex uno in alium locum rejectiones: cum te, quod hic agendum ac tractandum erat, id jubent ex alio petere, in quo tale quidquam agi, nunquam, niſi admonitus, divinare potuiſſes. Prorſus ut ſi quis paterfamilias veſtem non in veſtiario, ſed in arca panaria conderet, panem ex puteo hauriret, piſces in nemore, lepores in piſcina incluſos haberet. Apud Ariſtotelem primo Phyſicorum recenſetur opin o veterum quorundam, in quibus fuit & Anaxagoras, qui quidlibet in quolibet ineſſe dicebant: idque exprimebant hemiſtichio quodam, ut opinor, Empedoclis, πᾶν ἐν παντὶ μίμιγλαι. Hoc an in Phyſicis vere dicatur, viderint qui illa tractant: in talium certe interpretum commentariis veriſime dici poteſt. Atque hoc ſunt etiam, qui eos de induſtria fecisſe dicant, ut artem juris obſcuriorem, ac difficiliorem cognitu redderent, & ad ceteros labores illum quoque adderent, quo excarnificarent diſcentium ingenja, pervolutandi ſaepe illas ingentes librorum moles, & omnia alieno loco potius quaerendi quam ſuo. Quod ſi verum eſt, (nam ego quidem aliam potius fuiſſe causſam ſuſpicor, neque ita de eis male ſentio, ut, cum melius poſſent, noluiſſe credam) ſed tamen ſi ita eſt, non obſcurum eſt, quam eis pro tam ſancto atque honeſto propoſito gratiam debeamus. Ultimus locus erat de genere dicendi, quo dixi eos, qui quid docent, uti debere nitido, perſpicuo, uſitato, tali denique, ut ſine ullis ſalebris, ſine ulla adſperitate influat in aures animosque diſcentium, eisque ſe non adſcita fucisque ac pigmentis quaeſita, ſed naturali pulcritudine ac ſuavitate commendet. A quo ii quos dico quam longe omnes abfuerint, quis non videt? Et ſunt tamen qui eos defendant: ut nulla eſt tam mala causſa, quae patronos non inveniat: dicuntque eloquentiam in eo, qui jus docet, non requiri: ſatis esſe, ſi artem ſuam teneat; ejus praecepta dum tradat,

dat, quibus ea verbis pronunciet, nihil intereſſe. Citant etiam in eam rem verba quaedam Ciceronis, quibus ait, ſe in Philoſopho eloquentiam, ſi adferat, non aſpernari; ſi careat, non admodum requirere. Nimium delicatos eſſe, qui in tanta praeclariſſimarum rerum copia etiam verborum concinnitatem requirant: & perinde facere ac ſi optimos & ſaluberrimos cibos faſtidirent, niſi in auro aut in gemmis apponerentur. Tum praeterea facilius intelligi ac percipi, quae qualibuscunque verbis ſine delectu efferuntur, quam ſi quis in eisdem pura ac Latina oratione exprimendis elaboraret. Poſtremo, uſu hoc jam & experientia compertum eſſe, quibus verborum cura eſt, eos exſuccos fere, & aridos, & exſangues, & Grammaticos potius aut ludimagiſtros, quam veros & ſolidos Juriſconſultos evadere: cum contra, qui magno & forti animo contempſerunt ſermonis delicias, & illud horridum, incomptum, agreſte, ruſticanum dicendi genus adamarunt, ii demum juris ac legum cognitione impleant pectus, in conſultationibus, in foris, in ſubſelliis regnent, in omnium majoris momenti controverſiarum diſceptatione ac dijudicatione dominentur. Quibus ut reſpondeam, primum dico, non exiſtimare me, eloquentiam neque ad jus, neque ad ullam omnino artem tractandam, neceſſario requiri: ne ad illam quidem ipſam, qua fieri eloquentes putantur. Multos enim accepimus, cum ipſi eloquentes non eſſent, optimos tamen aliis ad eloquentiam duces ac magiſtros fuiſſe: qualem in Graecia Hermogenem, in hac urbe Quinctilianum fuiſſe ajunt. Et Ariſtoteles, ſi ſe ad dicendum contuliſſet, fortaſſe multos habuiſſet ſuperiores, quo tamen eloquentiae praecepta nemo unquam melius, aut perfectius tradidit. Munditiam quidem ſermonis non in artibus modo docendis, ſed etiam in congreſſibus & in familiari colloquio ab omnibus ingenuis & paullo liberalius inſtitutis hominibus requirendam puto. Non gemmas, non aurum, non emblemata requiro. Fictilibus aequo animo coenare poſſum: praeſertim ſi epulae ſint, ut ais, exquiſitae. Sed illa ipſa fictilia terſa ſint, niteant, appetentiam potius quam vomitum concitent. An tu convivatorem feras, qui quamlibet lautos cibos in vaſis coeno ac luto conſpurcatis apponat? Nam quod ajunt, facilius intelligi quae ita dicuntur: credo equidem, hoc inter ipſos verum eſſe. Balbi enim balbos, ut eſt in proverbio, melius intelligunt.

gunt. Ingenui quidem adoleſcentes, in Ciceronis, Caeſaris, Plauti, Terentii, & ſimilium libris exercitati, & Latinae linguae intelligentes, novos ſibi de verborum ſignificatione commentarios conquirant oportet, cum acceſſuri ſunt ad illas mixobarbaras cantiones. Neque enim una ſaltem lingua eſt, qua loquuntur, ſed teterrimus quidam cinnus ex foediſſima barbararum, peregrinarum, inauditarum vocum colluvione, olens, ut ſervus ille Plautinus ait, allium, hircum, haram, ſuem, canem, capram commiſtam: ut quemadmodum odor, qui ex Averno afflabatur, ſupervolantes aves necare ſolitus dicitur, ita illud pus, illa ſanies, illud virus optima quaeque ingenia exanimet. Ego quidem certe multos novi optimo adoleſcentes & acutiſſimo ingenio praeditos, qui cum in aliis diſciplinis exercitati, ad artem ſe juris accingerent, talium magiſtrorum incondita voce perterrefacti, refugerunt, retulerunt pedem,

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepidusque repente refugit.

Quod autem quaſi firmamentum defenſionis ſuae ponunt, non poſſe quemquam magnum Juriſconſultum evadere, cui ulla faciendae ac poliendae orationis cura ſit, pro Deum immortalem, etiamne hoc tam erudito ſaeculo, in hac tanta luce ac ſplendore diſciplinarum omnium cuiquam ſe perſuaſuros putant? Quemquamne ex illo ſuo grege inquinate ac contaminate balbutientium potius, quam loquentium proferent, quem cum Alciato, cum Duareno, cum Connano comparare audeant? Sed hos omitto: ad id, quod inſtitueram, redeo. Dixi quatuor, eſſe, quae, qui jus docent, praeſtare debeant: ut vera doceant, ut ad rem pertinentia, ut ordine, ut genere dicendi apto ad docendum. Id qui non praeſtarent, culpavi. Dicet aliquis: Quid tu te igitur ea praeſtaturum eſſe profiteris? Non auſim tantum de me, aut mihi, aut vobis polliceri. Illud quidem non dubitanter adfirmo, neque plane imparatum eſſe me ab iis, quae ad id efficiendum neceſſaria ſunt, & ut aliquid olim praeſtitiſſe dicar, ſummam diligentiam adhibiturum. Sed, ut diei tempus eſt, diutius detinendi non eſtis. Die craſtino conabor viam vobis munire ad titulum de Pactis minore ne-

negotio intelligendum. Dicam, cur de pactis agatur hoc loco; tum quid sit pactum, quae pactorum divisiones; qui quibus pacisci possint: quique sint pactorum effectus. Haec crastinae disputationis capita futura sunt. Inde ad ea Jurisconsultorum veterum fragmenta, quae in hunc titulum relata sunt, sigillatim interpretanda veniemus. DIXI.

DE
AUCTORITATE ET OFFICIO JUDICUM,
ORATIO XVIII.

habita Romae postridie Non. Novembr. anno

MDLXXI.

Constitueram hodie, nulla, ut Gajus noster loquitur, praefatione facta, ad tractationem earum rerum, quas hoc anno docere institui, accedere: idque & vobis utilius, & mihi convenientius fore arbitrabar: nisi me amici quidam, quorum & judicio, & auctoritati plurimum tribuo, de fixa jam statutaque sententia deductum, sibi potius quam mihi, hac in re morem gerere coëgissent. Neque tamen eis plane adsensus sum: sed, ut Homericus Juppiter, partem ejus quod petebant concessi, partem negavi. Nam quod a me contendebant, ne statim in ea, quae hujus artis propria sunt, ingrederer, sed hoc anniversarii laboris quasi vestibulum populari aliqua & magis ad omnium sensus accommodata disputatione exornarem, in eo non gravate ipsorum voluntati acquievi: quod auctores erant, ut aliquod mihi undecumque argumentum sumerem, quamlibet remotum & alienum ab eo quod ageretur, populare modo, & plausibile, & in quo ostentare vim ac copiam dicendi liceret, id ut ipsos a me obtinere sinerem, ipse a me non potui obtinere. Vix ista faciebam adolescens, cum & omnes vias perveniendi ad aliquam eloquentiae famam studiose conquirerem, & iis in artibus exercerer, quas qui tractant, in eis haec non for-

ferri modo, ſed & requiri ſolent. Hac vero aetate, & hac qualicumque hominum opinione de me, & hoc ſuſcepto munere, quod ab omni vanitate longisſime abeſſe debet, ſi puerorum aut ſophiſtarum in morem de comenda ac pingenda oratione ſollicitus ſim, & ſine ulla neceſſitate eas mihi ad dicendum materias deligam, in quibus belle ac commode aliquid dicere poſſe videar: ineptis fortaſſe gratum faciam, quos ſemper fucata & inania omnia, magis quam vera & ſolida delectant; gravium certe ac cordatorum hominum non effugiam juſtam ac meritam reprehenſionem. Obſequamur igitur amicorum petitioni (*): ſed ita, ut ne obliviſcamur, quid deceat. Explicaturus ſum eam partem Digeſtorum, in qua de judiciis diſſeritur. Sed prius dicam nonnulla de ipſo munere judicandi, quantum in eo ſit auctoritatis, quantum ponderis & momenti ad totius reipub. felicitatem; tum, qualem eſſe eum oporteat, qui ei muneri recte & pro dignitate praefuturus ſit; quae in judicando ſervanda, quaeque fugienda videantur: quae omnia a noſtris quidem partim modice attinguntur, partim ut certa & indubitata ponuntur: a Philoſophis autem, unde noſtra fluxerunt, accurate ac copioſe pertractari ſolent. Dicam autem non oratorio more, ſed hoc noſtro ſcholaſtico, & umbratili, & ſedato, non ad permovendos animos, ſed ad docendos, non ad faciendos clamores, ſed ad ſilentium potius & attentionem obtinendam idoneo. Ita me duas res conſecuturum eſſe confido, ut & amicorum petitioni, ſi minus plene, at certe aliqua ex parte ſatisfiat: & hoc quamvis ex alia arte accerſitum diſputationum mearum caput cum cetero corpore ſatis apte ac concinne cohaerere videatur. Tanta igitur eſt, ut hinc potiſſimum exordiar, in omni civitate eorum, qui judiciis praeſunt, auctoritas, ut ex eis potiſſimum reip. felicitas aut infelicitas pendeat. Etenim vere dixerunt veteres, legem eſſe animam civitatis, & perinde felicem aut infelicem evadere unamquamque civitatem, ut bonis malisve legibus temperata eſt. Utor hic legis nomine magis ad populi conſuetudinem, quam ad veritatem: ſcio enim, ſi qua mala lex ſit, eam ne legis quidem nomine dignam eſſe. Sed ſi tantum poſitum eſt

(*) *Petitio* pro precibus non reperitur apud idoneos ſcriptores.

eſt in legibus; legum autem ipſarum nullus eſt uſus, niſi ſint qui eas exſequantur ac cuſtodiant; & legum miniſtri ac cuſtodes magiſtratus, unde eos nomophylacas Plato vocat; magiſtratuum porro praecipua vis in exercendis judiciis cernitur: conſtare opinor, qualia in civitate judicia ſint, talem eſſe totius civitatis ſtatum. Imo vero ea prima fuit antiquiſſimis temporibus cauſa congregandarum civitatum: ut eſſent, qui vim coërcerent, tenuiores a potentiorum injuriis defenderent, ſuum cuique tribuerent, juris aequabilitatem inter omnes pro portione tuerentur. Hanc originem creandorum regum fuiſſe, quod vetuſtiſſimum in terris imperii nomen eſt, Herodotus, & ab eo mutuatus Cicero, tradunt. Itaque reges ipſi antiquitus judicabant, ut Minos, cujus ſingularis juſtitia judicem eum, veterum opinione, etiam apud inferos fecit; ut Tenes, cultus apud Tenedios pro Deo: quem cum ſecuri inſulam ex ſe dictam obambulare ſolitum tradunt, eaque percutere, quos, cauſa diſcuſſa, injuriam fecisſe cognoſſet; ut Philippus Macedo, quem etiam patienter tulisſe accepimus, objurgatum ab anicula, cui audiendae ſibi eſſe otium negaverat: cum illa retulisſet, ne regnaret igitur, ſi audiendis ac dijudicandis cauſis vacare nollet. Et perdiu, qui Hebraeorum populo ſummo cum imperio praeerant, non reges, ſed judices vocabantur: ut intelligamus nihil eſſe tam regium quam judicare. Sive enim privata judicia inſpiciamus, vere ait Cicero, omnes omnium pecunias poſitas eſſe in poteſtate eorum qui judicant: ſive publica, omnium civium non fortunae modo, ſed dignitas, exiſtimatio, ſalus, eorum; qui judicia publica exercent, fidei, religioneque commiſſa eſt. Sapientiſſimus homo Democritus duabus rebus rempub. contineri dicebat, poena & praemio: earum autem rerum utraque in eorum manu eſt, qui munus ſuſtinent judicandi. Magna igitur adhibenda cautio eſt in judicibus deligendis: eorumque & ſingularis quaedam prudentia, & ſpectata probitas eſſe debet: ne ſi, aut errore ducti, aut cupiditate abrepti, permiſſa ſibi poteſtate ſecus quam decet utantur, ipſa civitatis fundamenta ſubvertant. Ac veteres quidem illi paucisſimis verbis judicis officium concludebant, cum ita dicerent: legem eſſe mutum judicem, judicem autem legem loquentem.

tem. A bono enim judice ita prorſus omnia judicari oportet, ut lex ipſa, ſi loqui poſſet, judicaret: atque ita legem & judicem inter ſe conſpirare, ut ſit lex quaſi anima judicis; judex, quaſi vox legis. Et, quemadmodum Ariſtoteles ait, legem eſſe mentem cupiditatis expertem, ita optandum eſſet, ut ejusmodi judices reperirentur, qui, omni cupiditate ſpoliati (*), mente tantum ac ratione in diſceptandis controverſiis uterentur. Sed talia optare licet, ſperare non licet. Nimis enim verum eſt, quod in quodam cantico poſuit Simonides, perdifficile reperiri hominem τετράγωνον ἄνευ ψόγου. Huic incommodo ſapientiſſimi quique veterum quaecunque potuerunt remedia compararunt. Inter quos Ariſtoteles cenſuit, in bene inſtituta civitate omnia, quoad ejus fieri poſſet, legibus comprehendenda ac definienda; quam paucisſima autem in poteſtate atque arbitrio judicum relinquenda. Cujus rei tres ab eo ſane graves cauſſae adferuntur. Una, quod multo major numerus neceſſarius eſt judicum, quam eorum qui leges ferant. Facilius autem eſt paucos bonos & prudentes viros reperire, quam multos. Altera, quod longius tempus datur legem aliquam laturis, quam de certo aliquo negotio ac controverſia cogniturus. In majori autem temporis diuturnitate major eſt penitus pervidendi veri facultas. Tertia, quae omnium potentiſſima eſt, quod leges & in futurum proſpiciunt, & univerſe ac generatim feruntur, ut neque gratiae, neque odio locus eſſe poſſit. At judicia & de praeſentibus negotiis, & de certis perſonis exercentur: ut & gratia, & odio, & invidia, & miſeratione, & ratione propril alicujus commodi, aut incommodi, facillime abduci a vero judicis animus queat. In judicibus autem deligendis illud praecipue obſervandum eſt, ut boni viri eligantur: in quo veteres ita diligentes fuerunt, ut ſaepe in libris noſtris viri boni nomine non alius quam judex intelligatur. Et Horatius narrat patrem ſuum, cum ſibi virtutis & officii praecepta traderet, laudandarum actionum exempla ex judicibus potiſſimum ſumere ſolitum eſſe. *Sic me*, inquit,

For-

(*) *Cupiditate ſpoliatus* pro cupiditatis expers, vereor, ut recte dicatur.

Formabat puerum dictis: & sive jubebat,
Ut facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc:
Unum ex judicibus selectis objiciebat.

Et alibi cum viri boni quasdam quasi notas enumerando percenseret, hanc inter praecipuas ponit:

Quo multae, magnaeque secantur judice lites.

Ac videte, quantopere veteres illi Romani, eos qui res judicabant ab omni improbitatis suspicione puros esse voluerint. Notationi atque animadversioni censoriae non tribuebant auctoritatem rei judicatae: neque si quis a censoribus senatu motus esset, propterea ei aditum ad honores denegabant. Quin imo quosdam a censoribus e senatu ejectos, ipsos postea censores fuisse legimus. Sed tamen, ut omnis etiam levissima suspicio abesset a judicum moribus, lege Julia repetundarum, qui senatu moti essent, judices non poterant dari. Aetas etiam in judicibus consideranda est: neque enim idonei sunt adolescentes ad tantum munus sustinendum. Cujus rei tres fere causae adferri solent. Una, quod de moribus adolescentum nihil adhuc certo sciri potest. *Mutantur* enim, ut ait Horatius, *in horas.* Et improbum quidem esse aliquem ut cognoscas, vel unus dies sufficit, ut ait Theognis: at diu vixerit oportet, de cujus probitate certum judicium fiat. Altera, quod in juvenibus magnae & vehementes sunt animi commotiones, quas illi saepius, quam rationem, sequuntur. Postrema, quod longus rerum usus in judice requiritur, qui cadere in adolescentem non potest. ὁ νέος, ait Plato libro tertio de Repub. ἀλλὰ γέροντα δεῖ τὸν ἀγαθὸν κριτὴν εἶναι. Neque vero quilibet senex ad judicandum aptus est. Non enim ut prudentia necessario aetatem requirit: ita aetas necessario prudentiam adfert. Sed is demum, cui anteactae vitae cursus & integritatis & prudentiae opinionem comparavit. Observabatur & illud antiquitus, ne egeni & exhausti homines facile ad judicandum admitterentur. Cum enim plerique a Theognidis sententia non abhorreant, & paupertatem omni ratione fugiendam putent: verendum videbatur, ne saepe tales judices non tam rationem muneris sui, quam magnitudinem mercedis a-

lienorum considerarent; neve libentius in numorum quam in argumentorum quae utrimque adferrentur ponderibus expendendis occuparentur, &, utrius gravior esset manus, ejus causam quoque meliorem videri pronunciarent. Atque ob eam causam judices non tantum ex moribus & ex aetate, sed etiam ex censu legebantur: quod Romanis alicubi objicit Tertullianus. Cumque jurisjurandi religio maximum & sanctissimum fidei vinculum merito apud omnes existimetur: judicaturi prius jurabant, se ex legum praescripto judicaturos: cujus rei frequens apud Demosthenem, & alios mentio est. Ne vero legum verbis callide, & subdole interpretandis ab earum sententia & voluntate discederent, addebant, τῇ γνώμῃ τῇ δικαιοτάτῃ, ut apud Demosthenem, aut, quod idem valet, τῇ ἀρίστῃ, ut apud Aristotelem in Rhetoricis, & apud Julium Pollucem libro octavo relatum est: quo significabant, se ita leges interpretaturos, ut rationi & aequitati maxime consentaneum videretur. Quin etiam, ut majore divini numinis metu perfunderentur, judicabant in loco sacro. Quamvis enim Deus omnibus locis praesens est, ejusque, ut ait Aratus, omnia plena sunt: in consecratis tamen locis magis omnes nescio quo modo illius praesentia commovemur. Atque hanc consuetudinem antiquissimam fuisse, Homerus ostendit, qui judices in Achillis clypeo sculptos & senes fuisse ait, & in sedilibus lapideis sacro in loco consedisse; οἱ δὲ γέροντες, inquit, Εἵατ' ἐπὶ ξεστοῖσι λίθοις ἱερῷ ἐν κύκλῳ. Summa autem in eo adhibenda diligentia est, ut tollantur omnes occasiones, quae possunt efficere aliquem animi motum, quo judex abducatur a vero. Nam quod de amore ait Theocritus, pulcra ei videri, quae pulcra non sunt, idem absolute de toto talium commotionum genere dici potest: prout quisque affectus est, ita res eis (*) alias atque alias videri. Arquatis, ait Varro, & veternosis omnia lutea videntur: febricitantibus amara, quae dulcia: aliter omnibus de rebus ebrii, aliter sobrii judicant. Idem putandum est evenire iis omnibus, quorum animus aut amore, aut odio, aut ira, aut invidentia, aut denique ali-

(*) Nescio, quare Muretus in margine Aldinae *ei* scribat. Centies enim *quisque* cum plurali construitur. Vide Drakenborch. ad Liv. II. 22.

aliquo πάθει occupatus est. Docent Philosophi, si sensus de rebus sibi objectis vere judicaturus sit, oportere ipsum sentiendi instrumentum, quod illi αἰσθητήριον vocant, ἄπαθες, id est, omni qualitate, earum saltem, de quibus judicandum est, vacuum esse. Sic & judicis animum in sola veritate defixum ab omni perturbatione purum ac liberum esse oportet. *Male verum examinat omnis Corruptus judex:* ait Horatius. Quoniam ergo nemo, ut omnia moliatur, exfuere ac deponere insitum atque ingeneratum omnibus sui amorem potest: ideo veteres neminem rei suae idoneum judicem esse voluerunt: quod & apud juris nostri auctores saepe legitur, & ante eos ab Aristotele & in Ethicis, & in Politicis dictum erat. Ne de filii quidem negotio idoneus judex est pater. Amat enim eum ut partem sui. Et quamvis reperiuntur patres quidam, qui de filiis severissime judicarunt, ut in externa historia Zaleucus, in Romana Brutus, Manlius, alii: usitatius tamen est, patres in filiorum peccatis connivere. Sed hac de re alio loco plura dicentur. Corrumpuntur judices etiam donis: & ea causa fuit, cur iis legibus, quae de pecuniis repetundis latae sunt, punirentur, qui ob rem judicandam pecuniam accepissent. Narrat Plutarchus, Thebis olim positas in publico fuisse judicum statuas, easque sine manibus: quod indicio esset, nihil eos a quoquam accipere debere; ejus autem, qui judicio praesideret, etiam sine oculis: quod ipso personarum adspectu judices interdum a recto abduci arbitrarentur. Antonius certe apud Ciceronem gloriatur, M'. Aquillium, in manifesto repetundarum crimine, hoc potissimum a se artificio liberatum, cum eum moestum ac sordidatum produxisset, tunicamque ejus a pectore discidisset, & cicatrices adversorum vulnerum, quae ille pro repub. acceperat, ostendisset. Ita judices, quem absentem forte damnassent, eum, adspectu ipsius commoti, liberarunt. Eodem artificio multis ante annis usus erat Hyperides, qui, ut narrat Athenaeus, cum Phryne, meretrix pulcerrima, rei capitalis argueretur, atque ita teneretur, ut argumentis purgari non posset: cum multa pro ea dixisset, ad postremum statuit eam in conspectu judicum, & pectus ejus papillasque nudavit: qui adspectus tantum potuit, ut, quam omnium sententiis damnatam iri opinio erat, omnium suffragiis absoluta discesserit. Ex quo institutum est,

ut Ariopagitae noctu judicarent: cujus rei praeter ceteros auctor est Lucianus. Sed & quo judicia integriora & incorruptiora essent, nomina ipsa eorum, de quibus agetur, in Ariopago reticeri solita, quidam tradiderunt, ut, nulla prorsus personarum ratione habita, de rebus tantum ipsis judicaretur. Multum etiam in judiciis pervertendis potest eloquentia: neque prorsus mentiebantur veteres illi magistri, qui se docere profitebantur, quo modo causa inferior, dicendo superior fieri posset. Cui enim nota non sunt verba Ciceronis in causa Cluentiana, objectas a se judicibus tenebras gloriantis? Ideoque rectum erat illud eorundem Ariopagitarum institutum, apud quos oratores praeconis voce nihil verborum extra rem facere, & neque prooemiis uti, neque epilogis jubebantur. Sapienter quoque Anastasius & alii posteriores Imperatores constituerunt, ne cuiquam administratio patriae suae sine speciali jussu Principis permitteretur. Arbitrati enim sunt id, quod est, unumquemque necessario in patria sua multis cognationibus, affinitatibus, necessitudinibus implicatum teneri: iisque omnibus rebus judiciorum religionem ac severitatem impediri. Eodem pertinebant permissae antiquo more alternae judicum rejectiones: ut e judiciis omnis omnino suspicio inclinati, ac propendentis in alterutram partem animi tolleretur. Neminem, ait Cicero pro Cluentio, voluerunt majores nostri non modo de existimatione cujusquam, sed ne pecuniaria quidem de re minima, esse judicem, nisi qui inter adversarios convenisset. Expediret etiam, in eos judices, qui se corrumpi sivissent, gravissimas poenas constitui; ut fecisse Cambysen ait Herodotus, qui, utinam non singulari, sed in omnem posteritatem duraturo exemplo, supra injusti judicis corium in lora dissectum, ejus filium ac successorem sedere jussit, ut eum a paternae improbitatis imitatione paterni supplicii memoria revocaret. Omnino autem judicibus tria in animo perpetuo habenda esse arbitror. Unum, ut cogitent, quemadmodum ipsi de aliis judicant, ita de se non alios tantum homines, sed ipsum Deum judicaturum. Alterum, ne prius sententiam ferant, quam diligentissime utriusque partis jura cognoverint. Merito laudatur a Platone illud Hesiodi, Μισὶ δίκην δικάσσας πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκοῦσαι. Et elegans est illud Philippi, ut opinor, Macedonis, qui cum altera aure oc-

occluſa accuſatorem audiret: interrogatus, cur id faceret, dixit, ſe eam ſervare integram reo. Poſtremum illud eſt, debere quidem judicem, plane medium eſſe: ideo enim μεσίται, ut ait Ariſtoteles, vocantur. Sed tamen, ſi in alterutram partem inclinandum ſit, ut Circe dicebat minus periculi eſſe, ſi navis ad Scyllam potius paullum inclinaret, quam ſi ad Charybdim: ita in hominibus puniendis minus mali eſſe in clementia ac lenitate, quam in ſaevitia, & acerbitate. Nam etſi laudata eſt apud veteres praetoris cujusdam ſeveritas, cujus tribunal ſcopulum reorum vocabant: multo tamen majorem laudem haberet illa vox Neronis, ſi ex animo prolata eſſet, aut ſi ipſe in eadem manſuetudine perſtitiſſet, qui ſubſcripturus ſententiae capitis in quendam, *Utinam*, inquit, *nunquam didicisſem litteras.* Et M. Antonini illud praecipue commendatur, quod poenas legibus definitas ſemper usque ad aliquem modum mitigabat. Pleni ſunt libri noſtri talium ſententiarum: *Benignius interpretandae ſunt leges, quo voluntas earum conſervetur.* Et, *Interpretatione molliendae ſunt poenae potius, quam exaſperandae.* Non poſſum hoc loco praeterire dictum quoddam vetuſtiſſimi oratoris Antiphontis: Εἰ δέοι τι ἁμαρτεῖν, τὸ ἀδίκως ἀπολῦσαι ἐπιστήσειεν, ἢ τὸ ἀδίκως ἀπολέσαι. τὸ μὲν γὰρ ἀμάρτημά ἐστι, τὸ δὲ ἀδίκως ἀποκτεῖναι, ἀνίβημα. Cujus ſententiae ſimilem quandam ex libris noſtris ſuo loco proferemus. Dixi de auctoritate & officio judicum, non quaecunque poteram, (neque enim id aut res poſtulabat, aut tempus patiebatur,) ſed ea tamen, quae dixi, neque aliena, neque inutilia fuiſſe confido. Quid praeſtiterim, vos ipſi judices eritis. Si quis erit, qui me contendat debuiſſe ſtatim ad ea, quae juris civilis propria erant, accedere: ab eo peto, ne mihi veniam neget, quod ego amicis rem non magni momenti petentibus negare non potuerim; neve ſit ita difficilis creditor, ut in craſtinum exſpectare nolit: cum praeſertim ipſi Jurisconſulti ſub eo, quem explicaturi ſumus, titulo tradant, in mora modici temporis non magnum damnum ineſſe cenſeri DIXI.

ORATIO XIX.

MANDATU. S. P. Q. R. HABITA. IN. AEDE SACRA. B. MARIAE. VIRGINIS

QUAE. EST. IN. CAPITOLIO

IN. REDITU. AD. URBEM

M. ANTONII. COLUMNAE,

POST TURCAS NAVALI PRAELIO VICTOS,

Idib. Decembr. anno

M D L X X I.

Si ulla post hominum memoriam parta victoria est, in qua & admirabilis se divini numinis potentia ostenderit; & quid fortium virorum virtus, quid singularis ductorum prudentia valeat, cognitum ac declaratum sit: in hac certe, quam superioribus diebus imperatores ac milites nostri ex immanissimo ac teterrimo Christiani nominis hoste retulerunt, ita haec omnia patefacta sunt, ut nunquam majoribus, aut illustrioribus argumentis, aut illustrata esse, aut in posterum illustrari posse videantur. Quare & immortali ac praepotenti Deo, hujus tanti boni, ut aliorum omnium, auctori, gratiae, quantas maximas animus noster capit, agendae sunt; & fortissimis, ac clarissimis viris, qui periculum a nobis omnibus vitae suae periculo depulerunt, qui barbaris in nos irruentibus iter corporibus suis occluserunt, qui pestem ac perniciem, quam illi nobis machinabantur, in ipsorum capita converterunt, qui illorum temeritatem consilio, furorem fortitudine, audaciam virtute superarunt, novi atque inusitati honores pro nova ipsorum atque inusitata virtute tribuendi. Quod enim tantum ac tam singulare honoris genus reperiri, aut excogitari potest, quod

quod non & in aliis (*), qui egregiam in hoc bello reipub. Christianae operam navarunt, & tuae inprimis, M. Antoni Columna, virtuti rebusque gestis, & ab aliis Christianis populis, & praecipue a Populo Romano debeatur? Cujus universi quod sit erga te studium, quae voluntas, neque tibi unquam aut dubium, aut obscurum fuit; & tamen nuper apertissime cognoscere potuisti, cum, tuo in urbem ingressu, tantus ad te omnium aetatum atque ordinum concursus factus est, tanta effusa omnis generis multitudo, ut ipsi septem colles, ipsa urbis moenia, si natura pateretur, sedibus suis relictis, obviam tibi prodire cupere viderentur. Quacunque incesseras, faustis acclamationibus omnia personabant; omnes redundantem & foras erumpere gestientem laetitiam ore, oculis, manibus indicabant; omnium in te uno figebatur obtutus; omnes te, non ut unum ex principibus civitatis, sed ut firmissimam ac solidissimam Romani nominis ac dignitatis columnam (*) intuebantur. Caelum ipsum manifesto favit honori tuo: cum, quod aliquot dies antea triste ac nubilum fuerat, ingressuro te, ita derepente nitere coepit, ut illa subita serenitas facile omnibus indicarit, honores, qui tibi haberentur, etiam caelestium judicio comprobari. Nunc quoque, quanta hoc augustissimum templum frequentia hominum compleverit, vides: qui omnes eo animo huc convenerunt, ut Christo Jesu victori & victoriarum datori, ut beatissimae virgini, ut ceteris caelitibus, quorum auxilio hanc victoriam sine ulla dubitatione acceptam ferre debemus, tum propter fusos ac fugatos hostes, tum propter te salvum ac sospitem in patriam reductum, rite, ac pie, ut debent, gratias agant. Beatum te, M. Antoni, propter cujus & abeuntis periculum & redeuntis salutem templa complentur. Meminimus omnes, superioribus mensibus, te ad bellum profecto, quae tota urbe fuerit trepidatio, quae sollicitudo, qui pavor. Quamvis enim & duces delecti erant fortissimi ac sapientissimi, & ex toto propemodum orbe Christiano flos ipse nobilitatis convenerat, & praecl-

(*) Muretus in marg. Aldinae expunge in. Recte.

(†) Frigidus lusus in nomine *Columnae*. Nec Latina consuetudo eum, cujus consiliis respublica nititur, *columnam*, sed *columen reip.* vocat.

cipua Italiae atque hujus urbis ornamenta ac columina in exercitu verſabantur: tamen eo magis metuebantur varii bellorum & ancipites caſus; quod, ſi quid aut propter vim tempeſtatum, aut propter hoſtilium copiarum magnitudinem, aut quo alio eventu gravius accidiſſet: nulla reliqua ſpes erat, ullum amplius aetate noſtra talem exercitum poſſe denuo comparari. Vagabatur autem toto mari infinita quaedam latronum multitudo, noſtro ſanguine cruenta, noſtris ſpoliis onuſta: qui & ſemper alias ſuopte ingenio feroces, & tum maxime propter recentes victorias ſpe atque animis inflati, tantos ſibi ſpiritus, tantam arrogantiam ſumpſerant, ut claſſem quidem noſtram a ſe ſpiritu ipſo diffiatum iri; ea vero disjecta, quaſi janua quadam effracta ac revulſa, omnes ſibi Chriſtianorum portus, omnes inſulas, omnem oram maritimam apertam fore arbitrarentur. Augebat timorem noſtrum, quod anno ſuperiori eas Deus alienatae a nobis propter peccata noſtra voluntatis ſuae ſignificationes dederat, ut non injuria trepidaremus, ne ille merito nobis iratus, per hoſtes nominis ſui a populo ſuo poenas repetere decrevisſet. Sed o caeca hominum judicia! O abſtruſa & recondita Dei conſilia! O bonitatem ac clementiam ipſius perpetuo praedicandam! Vere Dominus eſt, qui vulnerat & medetur; percutit, & manus ejus ſanabunt; qui mortificat & vivificat; qui deducit ad inferos & reducit. Pro paterna ſua miſericordia, caſtigans caſtigavit nos: ſed morti non tradidit nos. Reſpexit ad lachrymas, ad jejunia, ad eleemoſynas, ad preces Eccleſiae ſuae: ad quae omnia Pius V. & nomine & re ſanctiſſimus Pontifex, toto illo tempore, alios omnes & praecepto & exemplo ſuo incitabat. En ſenex ſanctiſſime & veterum illorum Pontificum ſimillime, ſcelerum ultor, juſtitiae cultor, veteris diſciplinae reſtitutor, cui, bono publico, his miſeris ac turbulentis temporibus, Eccleſiam ſuam gubernandam commiſit Deus: hic eſt fructus lachrymarum atque obſecrationum tuarum. Tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium; tua quotidiana ſacrificia hanc nobis a Deo victoriam impetrarunt. Metis exſultans, quod lachrymans ſeminaſti. Te novo Moyſe manus in caelum tollente, novus hic Joſue ſuperabat Amalechitas. Tu mentem in Deo, noſtri milites in barbarorum corporibus tela figebant. Confirmabant illorum dex-

dexteras preces tuae, & hostilium gladiorum cuspidem retundebant. Itaque quanto plus nobis dedit Deus quam petebamus! Nos timidi vota faciebamus, ut hostium classis, cum, adventare nostram, auditum esset, quam celerrime se ad suos reciperet: quo post tot editas strages, timuisse tamen, & exspectare ausa non esse nostrorum impetum videretur. Nam illud prope immodicum videbatur optare, ut & congrederentur, & se barbari, nostrorum virtute cognita, in fugam darent. Quod si ad efficiendam aliquam imaginem speciemque victoriae, aliquot illorum naves depressae, aliquot captae, numerus aliquis captivorum liberatus esset: abunde omnes non exspectationi modo, sed optatis quoque nostris satisfactum fore arbitrabamur. Ut autem sine magna nostrorum clade, amplius quadraginta hostium millia caederentur; ut decem & eo amplius millia caperentur; ut centum nonaginta quinque illorum triremes, aliaque complura navigiorum genera in nostrorum potestatem venirent; ut plus quindecim captivorum nostrorum millia liberarentur; ut ex tanta illorum multitudine vix unus perfidus pirata, & unus item saevissimi praedonis Ariadeni filius fuga elaberentur, qui ad superbas immanis illius tyranni aures acerbissimum minimeque ab ipso exspectatum tantae cladis nuncium adferrent, quis unquam nostrum, non dicam sperare, sed propemodum optare ausus est? Praecucurrit fortitudo vestra spes nostras: quaeque nos ne frustra optaremus verebamur, ut ea frustra hostis optaret, admirabili Dei beneficio & vestra singulari virtute perfectum est. Illud vero memorabile & animadvertendum, neque fortuito accidisse, sed justissimo Dei judicio effectum esse credendum est: quod, qui duo ex illa impura foedissimorum mancipiorum colluvie maximas minas jactare; qui uni ex omnibus Christianorum vires maxime despicere soliti erant: ut etiam apud illum stolidum ac furentem Dominum suum ausi essent gloriari, se centum triremibus, quidquid usquam Christianorum esset, undique exterminaturos: ii potissimum, cum ad manus ventum est, ita subito perterrefacti sunt, ut mare ipsum angustum eis esse ad fugam videretur. O Nonae Octobres, quam faustam ac felicem nobis posterisque nostris vestri memoriam reliquistis! Quis non eorum, qui praelio non interfuerunt, ut sibi liceret spectasse quae illo die gesta sunt, an-

cipua Italiae atque hujus urbis ornamenta ac columina in exercitu verſabantur: tamen eo magis metuebantur varii bellorum & ancipites caſus; quod, ſi quid aut propter vim tempeſtatum, aut propter hoſtilium copiarum magnitudinem, aut quo alio eventu gravius accidiſſet: nulla reliqua ſpes erat, ullum amplius aetate noſtra talem exercitum poſſe denuo comparari. Vagabatur autem toto mari infinita quaedam latronum multitudo, noſtro ſanguine cruenta, noſtris ſpoliis onuſta: qui & ſemper alias ſuopte ingenio feroces, & tum maxime propter recentes victorias ſpe atque animis inflati, tantos ſibi ſpiritus, tantam arrogantiam ſumpſerant, ut claſſem quidem noſtram a ſe ſpiritu ipſo diffiatum iri; ea vero disjecta, quaſi janua quadam effracta ac revulſa, omnes ſibi Chriſtianorum portus, omnes inſulas, omnem oram maritimam apertam fore arbitrarentur. Augebat timorem noſtrum, quod anno ſuperiori eas Deus alienatae a nobis propter peccata noſtra voluntatis ſuae ſignificationes dederat, ut non injuria trepidaremus, ne ille merito nobis iratus, per hoſtes nominis ſui a populo ſuo poenas repetere decrevisſet. Sed o caeca hominum judicia! O abſtruſa & recondita Dei conſilia! O bonitatem ac clementiam ipſius perpetuo praedicandam! Vere Dominus eſt, qui vulnerat & medetur; percutit, & manus ejus ſanabunt; qui mortificat & vivificat; qui deducit ad inferos & reducit. Pro paterna ſua miſericordia, caſtigans caſtigavit nos: ſed morti non tradidit nos. Reſpexit ad lachrymas, ad jejunia, ad eleemoſynas, ad preces Eccleſiae ſuae: ad quae omnia Pius V. & nomine & re ſanctiſſimus Pontifex, toto illo tempore, alios omnes & praecepto & exemplo ſuo incitabat. En ſenex ſanctiſſime & veterum illorum Pontificum ſimillime, ſcelerum ultor, juſtitiae cultor, veteris diſciplinae reſtitutor, cui, bono publico, his miſeris ac turbulentis temporibus, Eccleſiam ſuam gubernandam commiſit Deus: hic eſt fructus lachrymarum atque obſecrationum tuarum. Tui fletus pepererunt nobis hoc gaudium; tua quotidiana ſacrificia hanc nobis a Deo victoriam impetrarunt. Metis exſultans, quod lachrymans ſeminaſti. Te novo Moyſe manus in caelum tollente, novus hic Joſue ſuperabat Amalechitas. Tu mentem in Deo, noſtri milites in barbarorum corporibus tela figebant. Confirmabant illorum dex-

dexteras preces tuae, & hostilium gladiorum cuspidem retundebant. Itaque quanto plus nobis dedit Deus quam petebamus! Nos timidi vota faciebamus, ut hostium classis, cum, adventare nostram, auditum esset, quam celerrime se ad suos reciperet: quo post tot editas strages, timuisse tamen, & exspectare ausa non esse nostrorum impetum videretur. Nam illud prope immodicum videbatur optare, ut & congrederentur, & se barbari, nostrorum virtute cognita, in fugam darent. Quod si ad efficiendam aliquam imaginem speciemque victoriae, aliquot illorum naves depressae, aliquot captae, numerus aliquis captivorum liberatus esset: abunde omnes non exspectationi modo, sed optatis quoque nostris satisfactum fore arbitrabamur. Ut autem sine magna nostrorum clade, amplius quadraginta hostium millia caederentur; ut decem & eo amplius millia caperentur; ut centum nonaginta quinque illorum triremes, aliaque complura navigiorum genera in nostrorum potestatem venirent; ut plus quindecim captivorum nostrorum millia liberarentur; ut ex tanta illorum multitudine vix unus perfidus pirata, & unus item saevissimi praedonis Ariadeni filius fuga elaberentur, qui ad superbas immanis illius tyranni aures acerbissimum minimeque ab ipso exspectatum tantae cladis nuncium adferrent, quis unquam nostrum, non dicam sperare, sed propemodum optare ausus est? Praecucurrit fortitudo vestra spes nostras: quaeque nos ne frustra optaremus verebamur, ut ea frustra hostis optaret, admirabili Dei beneficio & vestra singulari virtute perfectum est. Illud vero memorabile & animadvertendum, neque fortuito accidisse, sed justissimo Dei judicio effectum esse credendum est: quod, qui duo ex illa impura foedissimorum mancipiorum colluvie maximas minas jactare; qui uni ex omnibus Christianorum vires maxime despicere soliti erant: ut etiam apud illum stolidum ac furentem Dominum suum ausi essent gloriari, se centum triremibus, quidquid usquam Christianorum esset, undique exterminaturos: ii potissimum, cum ad manus ventum est, ita subito perterrefacti sunt, ut mare ipsum angustum eis esse ad fugam videretur. O Nonae Octobres, quam faustam ac felicem nobis posterisque nostris vestri memoriam reliquistis! Quis non eorum, qui praelio non interfuerunt, ut sibi liceret spectasse quae illo die gesta sunt, an-

annum unum de consequentis vitae suae spatio, si fieri posset, ademptum velit? Solem ego ipsum, ita vivam, in tam pulcro spectaculo, ut Josue olim adversus Amorraeos pugnante, substiturum fuisse arbitror: nisi tanta fuisset vincendi celeritas, ut, qui nihil metuebant, id unum metuere viderentur, ne prius advesperasceret, quam omnes hostes aut caesi, aut capti, aut fugati essent. Quaenam igitur statuae, qui arcus, quae columnae, quae tropaea vobis excitari poterunt, viri fortissimi, quae non dico paria esse meritis vestris, sed eorum partem adumbrare aliquam possint? qui futuri sunt usque eo diserti ac copiosi historiarum scriptores, qui, cum ad Naupactiam victoriam ventum erit, non potius metuant, ne quid de illius magnitudine deterant, quam eam se verbis exaequare posse confidant? Semper enim justum minuendi metum faciunt ea, quae amplificandi spem sua magnitudine sustulerunt. Vos exsultantem barbarorum audaciam compressistis; vos maria illis clausistis, nostris aperuistis; vos flammam atque ferrum, vos caedem, incendia, rapinas, libidinem, a Christianorum vita, tectis, fortunis, corporibus arcuistis; vos a templis sacrilegia, ab oppidis direptionem, ab agris vastitatem depulistis; per vos cruentata ac tepefacta maria illorum sanguine redundarunt; per vos vicina litora illorum, aut fauciorum, aut morientium inconditis ululatibus personarunt; vobis magistris didicit noster miles vincere, barbarus vinci; vobis Christianorum alii vitam debent, alii libertatem, omnes securitatem. Durum, fateor, fuerat, audire, tam multa oppida a nefariis latronibus capta, tam multa incensa, tam multas regiones vastatas, abducta in servitutem tam multa hominum millia: sed, si Christi potentia, si Christianorum fortitudo aliter apud barbaras gentes illustrari, quam post tot acceptas calamitates, non potest: prope est, ut exclamem, tanti fuisse. Certe quidem ut verni temporis clementia & amoenitas minus hilararet animos nostros, nisi eam hiemis rigor & asperitas antecessisset: ita minus omnes hujus victoriae jucunditatem ac dulcedinem sentiremus, nisi eam cum superiorum temporum tristitia & acerbitate compararemus. Neque vero eos tantum, qui ex illo nobis omnibus salutari praelio, re bene gesta, incolumes reverterunt, omnibus laudis honoribus debemus afficere: sed eorum quoque

me

memoriam grato animo amplisimisque laudibus prosequi, quos in illo conflictu fortiter dimicantes, non tam vis hostium perculit, quam ille ipse, pro quo pugnabant, sibi pignoratus est Christus. Qui si, ut credibile est, prius Christiano ritu expiati, ac culpis omnibus soluti, tunc vero in Deum tantum intuentes, & in eo mente ac cogitatione defixi, vitam pro illius gloria projecerunt, eodem illo temporis puncto, angelorum legionibus stipati, triumphantes in caelum evolarunt. O vos beatisimos, qui sanguinem vestrum pro eo fudistis, qui prior ipse pro vobis suum sanguinem fuderat! qui mortem naturae debitam, pro vitae auctore potisimum reddidistis. Illi impii, quos tum concidebatis, cum concidistis, & mortem oppetierunt cum ignominia, & mortui poenas nunc ad inferos luunt: vos vero & extremum spiritum victores cum gloria effudistis, &, mortali conditione vitae in immortalitatem commutata, piorum estis aeternam sedem & locum consecuti. Beata vita, quae tali morte concluса est! beata mors, quae tali vitae principium dedit! Sed ut ad te, M. Antoni, mea jam revertatur oratio, neque Populus Romanus ignorat, neque unquam ulla ignoratura est aut gens, aut aetas, hujus immortalis gloriae multo tibi plus quam pro virili parte deberi. Tu jam inde a principio, cum a sanctisimo Pontifice Pio Quincto hujus saluberrimae Principum Christianorum conjunctionis fundamenta jacerentur, ad eam rem ex ipsius sententia conficiendam, plurimum laboris, operae, auctoritatis contulisti. Tu cum classi Pontificiae summo cum imperio praefectus esses, in Siciliam profectus, interea dum Joannes Austrius, non mea tantum, sed omni omnium praedicatione major adolescens, cujus in totam Christianorum classem summa erat auctoritas ac potestas, eodem perveniret, & milites & classiarios studiosisime exercuisti, &, ut omnium rerum ad maritimum bellum necessariarum copia suppeteret, perfecisti. Tu, quoties de summa re deliberatum est, eas sententias dixisti, quae summam prudentiam cum summa animi excelsitate conjunctam indicarent. Tu, cum offensiones quaedam intervenirent, quae rem in summum periculum adduxerant, iratorum animis, sapientisime capto consilio, & gravi, atque accommodata ad tempus oratione mitigatis ac compositis, nascentis mali occasionem sustulisti. Tua cohortatione inflammati milites

lites ad pugnam exarſerunt: tuum in ipſa pugna exemplum ſecuti, omnia pro Chriſto pericula contempſerunt. Pervenit, ac perlatus eſt usque huc tuarum immortalitate dignarum vocum ſonus: *Optimis auſpiciis geri quaecunque pro Chriſtiana religione gererentur; barbaricam audaciam cedentibus inſtare, inſtantibus cedere; noſtrorum & victoriae & morti immortalem gloriam propoſitam eſſe; illo duce atque auſpice, cujus brachia in cruce pendentis effigies, e ſummo regiae triremis eminens, noſtros animaret* (*), *terreret hoſtes, de ſecundo praelii exitu nemini eſſe dubitandum.* Audivi, audivi ipſe de fortiſſimo viro, cujus eximia virtus & ſaepe alias, & in hoc bello vel maxime ſpectata eſt, quique tuorum in hac expeditione conſiliorum, ac laborum particeps fuit, quam praeclarum tibi, quamque honorificum teſtimonium tribuerit divinus adoleſcens Joannes Auſtrius, poſtridie ejus diei, quo debellatum eſt: cum aperte praedicaret, tuum in hac ſancta belli ſocietate conflanda praeter ceteros laborem ac ſtudium; in deliberando prudentiam & altitudinem animi; in re gerenda fortitudinem & alacritatem exſtitiſſe; te & committendi praelii conſuaſorem & comparandae victoriae adjutorem ſibi praecipuum fuiſſe. Quae cum omnia magna & praeclara ſint, multo tamen a te majora, & praeclariora Populus Romanus exſpectat. Properant, M. Antoni, noſtra omnium vota: quique animis praeſentis gaudii magnitudinem capere vix poſſumus, rerum a te geſtarum praeſtantia, quaſi quibusdam alis, ſublati, cogitatione, & ſpe multo jam ulterius provolamus. Non ſatis eſt impulisſe hoſtem: proſternendus & opprimendus eſt, antequam ſe novis opibus copiisque renovarit. Extorquenda ſunt vobis ex illius belluae faucibus impioque dominatu ampla illa & opima regna, in quae, a Romano imperio diſtracta atque divulſa, nullo jure, injuſtiſſimus poſſeſſor invaſit. Tendit vobis Judaea ſupplices manus, & palmas, quarum feracisſima eſt, veſtris victoriis triumphisque deſpondet: obteſtaturque vos per eum, quem ex purisſimae matris utero mirabiliter exeuntem excepit, cujus veſtigiis impreſſa, cujus admirandis operibus nobilitata, cujus ſparſo pro nobis omnibus ſangui-

(*) *Animare aliquem* pro incitare, incendere, Gallicismum ſapit.

guine irrigata est, ne se diutius patiamini indigna Christi hostium servitute oppressam teneri. Duce olim columna Judaei ex dura ac diuturna servitute extracti sunt. Utinam nostris quoque temporibus Judaea ipsa duce Columna ex multo duriori multoque diuturniori servitute extrahatur! Proditum est litterarum monumentis, imperante Constantio, Constantini magni filio, visam esse in caelo sub specie crucis ingentem columnam coronatam, quae longe lateque collucens, a monte olivarum usque ad eum montem, ubi Christus pro nobis omnibus morte affectus est, pertineret. Declarandum est tibi, M. Antoni, rebus ac factis, tam insigne prodigium ad te & ad gentem tuam pertinere. An vero gentes quaedam antiquis temporibus propter violata majorum suorum sepulchra gravissima bella susceperunt: nos Jesu Christi Domini ac Dei nostri sepulchrum, monumentum salutis nostrae, pignus resurrectionis nostrae, ab immundis canibus tam diu teneri, eisque ludibrio esse patiemur? Ite potius optimis ominibus generosae ac fortes animae: ite accensa divinae gloriae studio pectora: continuate victorias: connectite triumphos: invidete posteris vestris gloriam ejus terrae, ex qua salus nostra prodiit, ab immanibus belluis receptae ac recuperatae. Ubi melius sanguis spargi potest? ubi melius vita deponi? ubi verior ac solidior gloria comparari? O Christe, te appello. In tua manu bellum & pax; in tua manu victoriae; in tua manu regum ac populorum corda sunt. Inspira nostris ardorem pugnandi: da eisdem vim facultatemque vincendi: immitte eam mentem principibus ac populis, qui nondum in hanc sanctam societatem nomina dederunt, ut id primo quoque tempore facere maturent: non quod tu, qui omnia potes, aut eorum opera aut nostra ad hostes tuos obterendos egeas: sed ut omnes, qui tuo nomine gloriantur, in partem aliquam veniant ejus gloriae, quae ex nominis ac cultus tui propagatione capietur. Et quando urbem Romam imperii sedem ac domicilium, Ecclesiam Romanam religionis firmamentum esse voluisti: da Pio Quincto Pontifici, da Populo Romano hoc munus, ut in hanc potissimum urbem, & ad hunc potissimum Pontificem partae tam nobilis victoriae aliquando nuncius adferatur. DIXI.

ORA-

ORATIO XX.

habita Romae in aede D. PETRI *in Vaticano* V. *Id. Maj. anno* MDLXXII.

IN FUNERE PII V. PONT. MAX.

Dicturus ex veteri consuetudine de Pii Quincti, sanctissimi & in omni virtutum genere summi Pontificis, laudibus, in hoc orbis terrarum augustissimo nobilissimoque consessu, Patres amplissimi, maximopere commoverer ac conturbarer animo, tum ob virium mearum imbecillitatem, tum ob brevitatem temporis mihi ad me comparandum dati: si existimarem aut ullam in quoquam vim dicendi meritis ipsius parem posse reperiri, aut ullam longitudinem temporis suffecturam ei, qui tam copiosi ac multiplicis argumenti partes omnes pertractare ac persequi vellet. Sed cum & omnibus, & vobis praecipue, qui propius illum cognovistis, notum exploratumque sit, iis illum supra ceteros mortales virtutibus floruisse, quarum praestantiam, non dicam exaequare dicendo, sed assequi cogitando difficile atque arduum sit: ipsa me animosiorem, atque alacriorem facit suscepti muneris difficultas, cogitantem, quod mihi necessario eveniet, ut & multa memoratu dignissima praetermittam, & ea ipsa, quae attingam, jejunius multo, atque exilius, quam pro ipsorum dignitate, percurram, idem cuilibet quamlibet exercitato, & omnibus rebus ad dicendum instructo homini eventurum fuisse. Ac quoniam auguratur animus, eum jam in aeternas illas beatorum sedes evectum, & cum Deo conjunctum, quae hoc tempore a nobis dicuntur, quaeque fiunt, audire atque intueri: eundem in hoc munere obeundo modum tenebo, quem tenerem, si ipse, mortali adhuc corpore indutus, praesens adesset: ut & eo genere orationis utar, quo ipsum praecipue oblectari soli-

ſolitum novimus, non pigmentis ac fucis oblito, ſed ſevero ac ſolido; & ea ſola in ipſo commendem, quae ipſe in rebus humanis ſola commendanda ducebat. Qui ethnicorum more vixerunt, ethnicorum more laudentur: ego tam ſancto, tamque Chriſtiano Principi nullam laudem convenire arbitror, niſi vere ac proprie Chriſtianam. Itaque in quibus exaggerandis, & amplificandis veteres plurimi erant, & a quibus fere hujus generis orationum principia ducebant, patriae claritatem, quam etiam quidam ex illis primam partem felicitatis eſſe dixerunt, nobilitatem generis, opes, ac copias, ea nos, etiamſi vere ac copioſe id facere poſſemus, in talis tamen viri laudibus numeranda non ducemus. Quanti haec ſint, declaravit ipſe Chriſtus, qui, totius orbis dominus, obſcurum & ante id tempus ignobilem pagum, in quo naſceretur, elegit. Deus & Dei filius, faber & fabri filius haberi voluit; rex omnium, in paupere tugurio natus, non habuit ubi reclinaret caput. Imo vero ii demum glorioſi mihi praeter ceteros, atque illuſtres videntur, etiamſi haec humanarum rationum momentis expendere libeat, qui Deo tantum freti, ea, quae inter homines ſumma habentur, ſine ullis ejusmodi praeſidiis, ſua ſibi virtute pepererunt. Pulcrum eſt enim ita abundare, ut nemini quidquam debeas; ita illuſtrare alios, ut nihil ipſe ſplendoris ac claritatis ab aliis mutuatus eſſe dicaris. Sed, his omiſſis, quae ſemper ſapientiſſimus quisque contempſit, jam quaſi theſaurum quendam rerum pulcerrimarum, ac pretioſiſſimarum aperiens, ſpectandumque proponens, evolvam & explicabo vera illa & divina bona, quae ſemper illum bonis amabilem, improbis formidabilem, utrisque admirabilem reddiderunt. Qui ſtatim ab ipſo ineuntis aetatis principio, cum, & divino lumine colluſtratus, & domeſtica, ut credibile eſt, inſtitutione commonefactus, iis, qui in ſaeculo viverent, difficilem eſſe in caelum viam judicaſſet, impulſu Spiritus ſancti, fugit e patria inferiori ac terreſtri, ut Abraham; iterque illud arripuit, quod ad illam ſuperiorem ac caeleſtem tendenti tutius, atque expeditius eſſe intelligebat. Fugit ut Loth; neque poſt tergum reſpexit; cum ſciret, eos, qui, manu ad aratrum appoſita, reſpiciunt retro, aptos non eſſe ad regnum Dei. Fugit ut Jacob: & in ea de-

mum terra conquievit, in qua vidit ſcalas, per quas itur in caelum. Dedit enim nomen in laudatiſſimam illam D. Dominici ſodalitatem, in qua, ut primum inſtituta eſt, tánquam in opimo ac fertili agro, eodemque bene ac diligenter ſubacto, & exculto, viri & doctrinae magnitudine, & vitae ſanctitate praeſtantes, nunquam alii aliis ſuccreſcere, alii ex aliis continenter propagari ac proſeminari deſierunt. In ea ita vixit, ut juvenis ſenibus, tiro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiae, tolerantiae, frugalitatis, obedientiae, omnis denique virtutis proponeretur. Neque vero coepit quidem ita vivere, ſed in eo non perſtitit; neque perſtitit quidem, ſed non longius progreſſus eſt; neque progreſſus quidem, ſed in medio curſu defatigatus. Immo vero totum vitae ſpatium ita tranſegit, ut, cum jam pridem ad ſummam virtutis perfectionem pervenisſe judicaretur, ipſe tamen quotidie ſe ipſo melior ac perfectior cerneretur. Cum autem alia in hoc viro admirabilia fuerunt, tum ſingulare ſtudium conſervandae verae, ac Catholicae religionis, & adverſus eos, qui illam ulla ex parte labefactare conarentur, implacabile odium ſemper eluxit. Quibuscum ille perpetuum bellum gerens, ne punctum quidem temporis in vita ab eis vexandis, & exagitandis conquievit. In aliis erratis condonandis, atque ignoſcendis, quanquam & ſui & aliorum ſeverisſimus cenſor, non ita ſe durum atque inexorabilem praebebat: qui ab Eccleſia deſcivisſent, niſi aut ipſos erroribus, aut ipſis orbem purgaret, vitam ſibi acerbam atque inſuavem eſſe ducebat. Exedebat animum ipſius zelus Eccleſiae: neque quisquam unquam verius idem, quod olim David, dicere potuit: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos.* Ergo cum ei munus in eos inquirendi publice mandatum eſſet, quas ille potentum inimicitias, quas minas, quae pericula, quas vitae ac capitis dimicationes ſibi, dum illos modis omnibus perſequitur, defugiendas putavit? quas non potius ultro ac cupide appetiit? quam ſaepe ab illis petitus, a Deo mirabiliter ſervatus eſt? ut de eo dici poſſit, quod alicubi ait Cyprianus: *Non animum martyrio, ſed martyrium animo defuiſſe.* Ob haec tanta, ac tam praeclara in Chriſtianam remp. merita, primum

mum creatus Epiſcopus Nepeſinus, deinde a Paulo IV. in veſtrum, Patres amplisſimi, collegium adſcitus, atque aggregatus, quanta cum dignitate dignitatem illam ſuſtinuerit, quid opus eſt, praeſertim apud vos agentem, pluribus verbis exponere? Quantum ei prudentiae & acuminis ad videnda ea, quae vera, & recta eſſent, quantum animi, & libertatis ad eadem proferenda, quantum auctoritatis ad obtinenda ſemper fuit? Nihil unquam ille in dicenda ſententia aut metui, aut gratiae dedit; nunquam ad cujusquam voluntatem orationem ſuam accommodavit; nunquam quidquam veritate prius, aut antiquius habuit. Itaque vulgo etiam dicebant, nihil ab eo precibus peti oportere: preces enim apud eum neque ad juſta impetranda neceſſarias eſſe, neque ad injuſta extorquenda efficaces. Quod ſi quidam ex veteribus Romanis eo nomine Felix habitus eſt, quod ab eo nemo ullam rem improbam petere audèret: quid hunc dicemus, quem omnes, qui quid petituri erant, in quo vel minimum turpitudinis ineſſet, tanquam ſcopulum quendam refugiebant? Ut autem divino conſilio, veſtris ſuffragiis, in Pii Quarti locum ſuffectus eſt, tanta ſubito exſtitit bonorum alacritas, & exſultatio, tanta improborum fuga, & trepidatio, ut neque illi quidquam ſibi optatius potuiſſe contingere, neque hi uſpiam ſe jam tuto poſſe conſiſtere arbitrarentur. Cernere erat bonos hilares & erectos; triſtes improbos & abjectos; illos gaudio triumphantes, hos de conſciſcendo ſibi voluntario exſilio conſilia inter ſe communicantes; illi gratulatum ad templa convolabant; hi adſpectum hominum lucemque vitabant; illos ſublatos in caelum, hos amandatos infra terram putares. Neque vero multis edictis aut programmatis opus fuit ad peſtes quasdam hominum ex urbe pellendas. Ut ſol exoriens nebulas disjicit, ut ventus aream purgat: ita nomen ipſum novi Pontificis diſſipavit improbos, & urbem tetra illa impurorum hominum colluvione purgavit. Jam in ipſo Pontificatu qualis fuerit, ſi quis ſubtilius requirere inſtituat, ita reperiet, multis ſaeculis nullum Pontificem fuiſſe, qui ad veteres illos, Sylveſtrum, Gregorium, Leonem, ejusdemque generis alios, vivendi ratione, & conſuetudine propius accesſerit. Primum enim, ſi privata & domeſtica ſpectemus, eandem in victu cultuque parcimoniam retinuit, quibus a princi-

pio (*) se, cum adhuc in monasterio esset, assuefecerat. Eadem jejunia erant, eaedem preces, eadem statis anni temporibus a certis ciborum generibus abstinentia, eadem interioris vestitus asperitas: neque quisquam unquam intemperans tanto studio voluptates corporis consectatus est, quanto ille eas perpetuo repudiavit. Imo vero, quarum Ecclesiae constitutionum propter senectutem, aut propter imbecillitatem corporis gratia plerumque petentibus fieri solet, iis ut ipse se solveret, quanquam & affecta aetate, & corpore admodum imbecillo, nunquam tamen adduci potuit. Quotidie fere sacrificabat; si id non poterat, omnino tamen sacrosancto Missae sacrificio intererat. Nunquam ex ejus ore verbum unum prodiit, quod non aut ad Dei laudem, aut ad eorum, qui aderant, emendationem pertineret. Sic, quanquam adhuc in terra positus, versabatur in caelo: & cum hic nobiscum viveret, jam tamen civis erat Sanctorum & domestious Dei. Tota quoque ejus familia ad exemplum domini composita erat: cumque multis in locis familiares principum sumptuoso vestis genere, arrogantia & contemptu ceterorum, licentia & dicendi & faciendi quidquid collibuit, distingui ab aliis soleant, hic suos ita instituerat, ut nulla re magis quam modestia singulari, & praecipua quadam sanctimonia vitae a vulgaribus discernerentur. Atque haec privatim. Publice autem quot quantaque beneficia & in hanc urbem, & in totam Christianam remp. contulit? Revocavit veterem Ecclesiasticam disciplinam: quae ita jam obsoleverat, vix ut ejus imaginem in veterum scriptis agnosceremus. Judiciorum severitatem, quam jam improbissimus quisque, aut eludere, aut perrumpere solebat, renovavit: cumque acrioribus remediis egere hoc saeculum judicaret, propositis etiam acerbioribus suppliciis, hominum libidinem audaciamque frenavit. In quo, si qui sunt, qui eum ut nimis severum, ac rigidum culpare audeant, &, ut molles aegroti de medicamentorum amaritie conquerantur: facere id non possunt, quin eadem opera de sua nequitia & levitate fateantur. Nam si adversus extraneos tantum severitatem adhibuit, in se autem, & in suos remissus, at-

(*) Melius est, quod Muretus in marg. Aldinae reponit, *cui a principio.*

atque indulgens fuit, tum sane hos reprehensores audiamus: sin & domi, & foris, & in suos, & in alienos sui se similem praebuit, neque quenquam usque eo earum habuit, ut ad ejus peccata connivendum duxerit; fateamur, id quod res est, severitatem illam ab eximio quodam justitiae studio profectam, his temporibus necessariam ac salutarem fuisse. Jam eum & ab omni avaritia ac sordibus longissime abfuisse, & liberalitate ac magnificentia excelluisse, & res ipsa loquitur, & ii quoque, qui propter eas quas dixi causas parum ejus gloriae favent, confitentur. Cui rei argumento est & innumerabilium privatorum inopia sublevata, & infinita illa vis pecuniarum, qua omnibus prope orbis Christiani partibus aliqua difficultate pressis ac laborantibus sine ulla cunctatione subvenit. Illud vero immortale, & omnium gentium omniumque saeculorum praedicatione celebrandum beneficium, quo universam Christianam rempub. affecit, inita & constituta cum Philippo, rege vere Catholico, & cum Venetis, belli adversus Turcas gerendi societate, quis unquam satis pro dignitate laudaverit? Quam in societatem, ut ceteros quoque principes Christianos perduceret, cum alia multa molitus est: tum anno superiori, periculosissimo tempore, maximis caloribus, eum quem semper meritissimo unice dilexit, sororis suae nepotem, Michaëlem Cardinalem Alexandrinum, sibi sanguinis quidem conjunctione proximum, sed virtutis imitatione propiorem, in cujus adspectu, ac colloquio acquiescebat, cum quo cogitationes ac consilia sua communicabat, in quo maximum posteritati suae praesidium collocarat; eum igitur legatum in Hispaniam, in Lusitaniam, in Galliam misit; neque ejus, quem tantopere amabat, vitam in apertum discrimen exponere veritus est: dum ne quid intentatum relinqueret, quod ad Christi gloriam & ad Christianorum utilitatem pertineret. Haec ego cum laudo, Patres amplissimi, vos laudo. Magna enim vestra laus est, aliorum quidem, quod ex corpore vestro talem principem elegistis; aliorum vero, quod vos talis princeps in amplissimum ordinem adlegit. Singulares Principis nostri virtutes Deus Opt. Max. singulari felicitate cumulavit, datis ei de duplici genere hostium duabus maximis pulcerrimisque victoriis, altera terrestri de iis, qui in Gallia & a Christo, & a rege defecerant; altera na-

vali, cujus recens adhuc memoria eſt, de ſempiterno Chriſtiani nominis hoſte, Turcarum tyranno. Sed & haec & alia plurima, quae ſciens prudensque, ne longior ſim, praetereo, hiſtoriarum ſcriptores monumentis ſuis commendabunt aeternitati: mihi autem breviter de ipſius exitu, ac migratione ex hac vita dicendum eſt: ut intelligant omnes, vitam ita laudabiliter actam non minus laudabili fine eſſe concluſam. Duo ſunt, quae, cum ad extremum vitae ventum eſt, etiam ſpectatae virtutis viros de gradu dejicere interdum ſolent, doloris acerbitas, & mortis metus. Et ſunt tamen, qui quam diu a ſe mortis periculum abeſſe confidunt, dolorem ſatis forti animo ferunt. Sunt etiam, qui, dum ne gravi, & diuturno dolore crucientur, imminentem mortis neceſſitatem ſatis aequo animo exſpectant. Qui autem utrumque praeſtet, ut neque doloris acerbitate, ac diuturnitate frangatur, neque adventantis, atque imminentis mortis metu terreatur, ei pectus incredibili quadam fortitudine armatum eſſe ac munitum neceſſe eſt. Quae laus ſi cui unquam merito tributa eſt, huic certe omnium confeſſione tribuenda eſt. Qui cum quadraginta totos dies tantam vim doloris perpeſſus ſit, quanta maxima cadere in hominem poteſt, nunquam tamen ullam vocem parum ſe dignam emiſit, ſed illud in ore frequentiſſime habuit: *Domine, adde ſane ad dolorem, dum addas & ad patientiam.* Mortem autem, ſibi ab ipſo morbi principio certam atque exploratam, ita non exhorruit, ut de ea ſine ulla prorſus aut vultus, aut animi perturbatione loqueretur: planeque oſtenderet eam a ſe, ut Divus Paulus ait, in lucro poni. Ac ne cui dubium ſit, praeſciviſſe eum, ſibi ex illo morbo moriendum fore, duas apertas, atque illuſtres ejus rei ſignificationes dedit. Unam, quod Cardinalem Alexandrinum pridie Paraſceues, hoc eſt, viceſimo nono ante ipſius obitum die, ſacroſanctam Euchariſtiam ſibi porrigentem, & uſitata verborum formula utentem, juſſit inſiſtere, & ita verba concipere, ut in iis tantum ſit, qui ſanctiſſimum illud Sacramentum pro viatico accipiunt, ut paullo poſt ad aliam vitam commigraturi. Alteram, quod cum, ob quandam morbi levationem, depulſum ab eo eſſe mortis periculum, conſtans opinio eſſet, ſeptem illa praecipua urbis templa inviſere voluit, ejusque itineris, quanquam viribus morbi gravitate & longinquitate de-

dejectis, magnam partem pedibus confecit, aperte profitens, velle se eorum reliquias postremum videre, quos se non multo post visurum esse speraret in caelo. Mortem autem illius & praecesserunt multa prodigia, terrae fremitus, terrae motus, fluminum inundationes, crebri fulminum jactus, & secuta est tanta populi consternatio, ut ejus desiderium vix longo tempore mitigari posse videatur. Sed nos quidem alienissimo reipub. tempore, optimo & praestantissimo principe orbati sumus: ille autem, ut confidimus, e tenebris ac vinculis corporis in lucem libertatemque productus, promissam piis omnibus possidet hereditatem: ita ut mors ipsius, si sortem nostram respicimus, luctu & lamentationibus; sin ipsum, cultu & gratulationibus prosequenda sit. Vos vero, Patres amplissimi, quos jam unos moesta tanti gubernatoris obitu intuetur Ecclesia, quorum ex auctoritate ac suffragiis, secundum Deum, tranquillitas temporum & salus reipub. pendet, consulite quam primum rebus afflictis, & ex vestro nobilissimo corpore ac collegio, aliquem ejusmodi Ecclesiae rectorem deligite, qui & sedare possit moerorem ex hujus morte conceptum, & voluntate, prudentia, usu rerum, auctoritate, aptissimus sit ad perficienda pulcerrima ac praestantissima opera, quae praepropera hujus morte imperfecta atque inchoata manserunt. DIXI.

DE VIA ET RATIONE AD ELOQUENTIAE LAUDEM PERVENIENDI,

ORATIO XXI.

habita Romae Non. Novembr. anno

MDLXXII.

Ius civile me non vulgari via, sed nova quadam, & ante me in his quidem scholis inusitata ratione tradere ingressum, & in opere institutoque pulcerrimo quartum jam annum,

num, magna auditorum frequentia, magna animi contentione versantem, vestra, Cardinales amplissimi, in medio cursu insistere, aliudque munus suscipere coëgit auctoritas. Nam, cum homo eruditissimus, qui tradendis eloquentiae praeceptis in hac urbe consenuerat, & adflicta valetudine, & ipsa jam aetate otium ac quietem postulante, missionem a vobis honestissimam impetrasset, nec ei facile successor idoneus reperiri posse videretur; mihi potissimum mandandam esse ab eo derelictam provinciam censuistis. Parebo libens, ut debeo, auctoritati vestrae: neque mihi quidquam unquam a vobis imponetur aut laboris, aut oneris, quod non ego prompto atque alacri animo subeam: quaeque mihi a vobis imperata erunt, nunquam aut aspernabor ut nimis humilia, aut ut nimis ardua extimescam. Vestrum est, decernere ac statuere, quam a quoque nostrum hujus quasi reip. literariae partem administrari ac procurari velitis: nostrum, parere, & mandata vestra subsequi, neque unquam ita nobis placere, aut tantum nobis tribuere, ut de vestro judicio judicemus. Equidem quod ad me attinet, neque ullam artem, quae quidem hominis ingenui studio digna sit, sordidam & abjectam esse duco: & hanc, ad quam tradendam nunc vocor, semper nobilissimam existimavi: &, si aliter sentirem, fortasis tamen non vererer imitari Laconem illum, qui in convivio, extremo loco jussus accumbere, convivatoris ingenium, ac judicium commendavit, qui rationem excogitasset, qua illi quoque loco dignitatem compararet. Non enim tantum, ut vulgo dicitur, magistratus virum ostendit, & in luce hominum collocat; sed etiam saepe magistratum is, qui eum gerit, exornat. Epaminondam ferunt, cum a civibus suis telearchus creatus esset: erat is apud Thebanos non magni momenti magistratus: non detractasse, sed dixisse, ita gesturum, ut deinceps telearchia honoratior haberetur. Atque ita effectum est. Tantum enim Epaminondae valuit auctoritas, ut post eum telearchi perpetuo creati sint ex principibus civitatis. Haec & talia dicerem, si in eloquentiae professione parum inesse dignitatis existimarem. Sed & de re ipsa, & de me longe mihi alia opinio est. Quamvis enim non infitior, magnum me semper amatorem atque admiratorem disertae atque ornatae orationis fuisse, studioseque in eam rem operam de-

dediſſe: etiam, ſi vultis, aliquando impoſuiſſe populo, & apud eos, qui me cum deterioribus comparabant, in aliquam non infantis, neque indiſerti hominis opinionem veniſſe: vereor tamen, ne exemplo meo comprobem id, quod tradunt rei militaris ſcriptores, etiam veteranos milites pro tironibus habendos, cum diu a pugnando ceſſarunt. Sed quoniam id tantum a me exſpectari ac requiri puto, primum, ut vobis, adoleſcentes, indicem ac commonſtrem eas vias, quibus ad eloquentiam poſſe arbitror perveniri: deinde ut ad ſuperandam earum difficultatem, quantum in me erit, ſi quid modo erit, (neque autem multum, neque tamen nihil omnino fore confido) auxilio ſim: ſuſcipiam, ac ſubibo paullo majore cum fiducia onus id, quod mihi, ſi meum perpetuum publicae utilitatis ſtudium divinae benignitatis aura comitetur, utcumque poſſe videor ſuſtinere. Ut enim, ſi quis homo egens ac tenuis, alios ſe collocupletaturum eſſe profiteatur, ridiculus ſit: ſin id tantum polliceatur, oſtenſurum ſe, quam viam inſiſtere debeant, qui rem facere cupiunt, nihil tamen alienum atque abhorrens a fortuna ſua ſuſcipere videatur: ſic ego, ſi ea me traditurum dicere auſim, quibus eloquentes fieri poſſint, merito irridear, cum ipſi mihi eorum perexigua pars ſuppetat; ſin id tantum dicam, poſſe me iis, qui eloquentiae ſtudio tenentur, vias, quae ad illam ferant, oſtendere, & ad id quod adamarunt conſequendum aliquid opis afferre: cauſſae, ut opinor, nihil ſit, cur me quisquam aut nimium mihi adſumere, atque arrogare dicat, aut ea polliceri, quae praeſtare non poſſim. Nolite autem, auditores, exiſtimare, me vulgare aliquid vobis & in medio poſitum polliceri, cum polliceor me vobis itineris ducem ad eloquentiam fore: neque ita eloquentiae nomen accipite, ut vulgo accipi conſuevit. Hodie enim ut quis vulgaria Rhetorum praecepta utcumque didicit, & in Ciceronis ſcriptis tantum poſuit operae, ut, adhibito Nizolii libro, poſſit orationem aut epiſtolam ſcribere, cujus tum ſingulae voces, tum ipſa etiam ſtructura & collocatio Ciceronem oleat, protinus magno eorum conſenſu, qui nihil altius, aut ſublimius cogitant, eloquentis nomen aſſumit. Itaque, ſi de quopiam iſtorum percunctere, num Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum legerit; denique num Philoſophiam attigerit, negabit: ſe enim, relicto aliis Philoſo-

phiae ſtudio, eloquentiae gloria contentum fuiſſe. Quid? Herodotum, Thucydidem, Xenophontem quam diligenter, ſtudioſeque verſaverit? Aliquid ſe fortaſſe ex eis libaſſe dicet, ſed properantem & aliud agentem, & qui unam modo ſpectaret eloquentiam. Certe igitur Homerum, quem ut ceterarum ingenuarum artium, ita eloquentiae quaſi fontem quendam eſſe dicunt, Sophoclem, Euripidem, a quo optime ali eloquentiam, ipſi eloquentiae magiſtri prodiderunt, ceteros denique Graecos & Latinos poëtas accurate pervolutaſti. Quem tu mihi, inquit, Homerum, quem Sophoclem, quas nugas nominas? quaſi ego poëta, non orator, eſſe voluerim. Nimirum igitur, cum a te omne aliud ſcriptorum genus abdicaſſes, in illis eloquentiae luminibus, Lyſia, Hyperide (*), Andocide, Iſaeo, Iſocrate, Demoſthene, quam plurimum olei conſumpſiſti, in eis egregium aliquod ſtudium collocaſti, eos ſaepe relegens in ſuccum ac ſanguinem convertiſti tuum. Imo, inquit, quorundam ex iſtis vix ipſa nomina agnoſco: alios a Cicerone meo commendari memini, qui mihi ſolus in amoribus ac deliciis fuit, quem ego, admirabili quodam eloquentiae ſtudio inflammatus, nunquam ex oculis, ex manibus, ex ſinu depoſui; cujus in ſcriptis ita diligens ac ſollicitus fui, ut, quemadmodum numi aurei aut argentei a plumbeis tinnitu ipſo dignoſcuntur, ita ego voces Ciceronianas ab iis, quae Ciceronis non ſunt, ſono ipſo diſcernere ac dijudicare poſſim. Bene ſit, inquam, iſtis auribus tuis tam delicatis, tamque eruditis: ſed cur, quaeſo, cum Ciceronem tanti facias, eos, quos tantopere ab eo laudari videbas, non attigiſti? Iſtos, inquit, legiſſem, ſi Graece eloquens eſſe voluiſſem. Latinae quidem eloquentiae laudem affectanti ſatis eſſe unus Cicero viſus eſt. Quae iſta, malum, Latina eloquentia eſt? aut quando quisquam veterum iſtud iter ad eloquentiam tenuit? Mihi quisquam eloquentiam vocat, cum genera cauſarum, & nomina figurarum, & vulgaria quaedam praecepta de conformandis orationis partibus, & hujusmodi naenias didiceris, voculas ex Cicerone collectas conjungere, & ex eis quaſi teſſellis jejunam ac famelicam orationem contexere, ſedulo caventem ne quid

(*) Muretus de Hyperide perinde loquitur, ac ſi ejus Orationes, quae dudum perierunt, adhuc ſuperesſent.

quid dicatur, quod non antè Cicero dixerit? Picarum & pſittacorum iſta eloquentia eſt, auditas voces iterare ac reddere, neque quidquam unquam dicere quod ſit vere ac proprie tuum. Aliud antiqui vocabant eloquentiam; qui niſi qui de civilibus negotiis ornate ac copioſe loqui poſſet, qui dicendo animos audientium flecteret, qui admirationem concitaret, qui modo clamores faceret, modo circumfuſam multitudinem ſtupore defigeret, neminem eloquentem vocabant. Itaque qui ſe dicendi magiſtros profitebantur, multa de ratione argumentandi, multa de virtutibus ac vitiis, multa de permotionibus animi, multa de veterum inſtitutis, ac legibus, multa de ratione inſtituendarum ac gubernandarum civitatum diſputabant: ſeque propterea non Rhetoras, aut, quae tum uſitata erat ipſorum appellatio, Sophiſtas, ſed glorioſiore ac magnificentiore nomine Politicos nominabant. In quo etſi eos Ariſtoteles coarguit, ipſe tamen docet, Rhetoricen quiddam eſſe ex Dialectica, & ex Politica conflatum atque commiſtum: & opus Rhetorices eſſe ait, iis in rebus omnibus, quae in conſultationem cadunt, omnia videre, quae ad fidem faciendam accommodata ſunt. Tribus autem praecipuis capitibus hoc contineri ait: ſi ita dicamus, ut, qui audiunt, bonos viros eſſe nos opinentur; ſi eorum animi motus quosdam concipiant ad id quod volumus efficiendum atque obtinendum accommodatos; ſi id, quod probare volumus, aut demonſtremus, aut demonſtrare videamur. Ut autem Dialecticus, non ille ex ſcholaſtico pulvere clamator odioſus ac moleſtus, ſed verus ac germanus Dialecticus, duobus ad probandum inſtrumentis utitur, ſyllogismo & inductione: ſic ei compar ac geminus & in diſimili genere ſimillimus orator duo alia habet, quae duobus illis ex altera parte reſpondeant, enthymema, quod ſyllogismo, exemplum, quod inductioni. His duobus armatus eſt, his pugnat, his & ſuam & aliorum dignitatem tuetur: neque ſine magna copia enthymematum & exemplorum ad omnem dicendi materiam comparata, eloquentis nomen ſuſtinere quisquam poteſt. Enthymematum copia a Philoſophis, exemplorum a poëtis & hiſtoriarum ſcriptoribus petitur: neque quisquam oratoris, aut eloquentis nomine dignus evaſerit, qui non prius omnia Philoſophorum ſcripta, quae quidem ad formandos mores & ad tractandam rempub. per-

pertinent, omnem hiſtoriam veterem, omnes antiquos & Graecos & Latinos poëtas diligenter & accurate pervolutarit. Magnus labor, dixerit aliquis. Fateor: ſed magnum eſt & id, quod hoc labore petitur. Et verum eſt, quod ait Horatius: *nil ſine magno Vita labore dedit mortalibus*. Ad hanc facultatem conſequendam ego me vobis, auditores, quantum vires meae ferent, ducem ac comitem profiteor. Veſtra res agitur: vobis, ut ille ait comicus ſenex, ſeritis, vobis occatis, vobis eisdem metitis, vobis denique iſte pariet laetitiam labos. Videbitis me quotidie cauſa veſtra efficientem quaecunque potero; conantem etiam ea quae non potero Alite vos quoque ſtudium meum attentione veſtra: &, dum aetas apta eſt ad labores perferendos, dum animus nullis aliis curis occupatur, dum cetera, quae ad capiendum ingenii cultum requiruntur, affatim ſuppetunt, nolite committere, ut utilitas veſtra, quae & Gregorio Pontifici Maximo, & ampliſſimis Cardinalibus, quibus ille munus hoc demandavit, & nobis omnibus tantae curae eſt, a vobis, a quibus minime decet, negligatur. Equidem pro mea virili parte nullo loco vobis deero: docebo, admonebo, inſtabo, urgebo, excitabo, nonnunquam etiam, ſi res ita poſcere videbitur, objurgabo atque increpabo. Nolite exſpectare, dum vobis aduler. Contemnam vos, ſi vos litteras contemnetis. Sin eas amabitis: & amabo ipſe commoda veſtra ex animo, &, ut vos me vicisſim merito ametis, operam dabo. Sed, ut diei tempus eſt, diutius detinendi non eſtis. Secundum librum Tuſculanarum diſputationum explicare decrevi. Cras id facere incipiam. Polliceor autem vobis, qui me attente audient, curaturum me, ut eis operae ſuae ratio conſtet. DIXI.

PRO

PRO

CAROLO IX. GALLIARUM REGE CHRISTIANISSIMO AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX.

ORATIO XXII.

habita Romae X. *Kalend. Januar. anno*

MDLXXII.

Si pro cujus quisque propugnatione ac defensione plura pericula subiit, plus excepit acerbitatum, pluribus quasi procellis ac tempestatibus agitatus est: eo plus gaudii ex iis, quae ad retinendam atque amplificandam illius dignitatem pertinent, ad eum pervenire credendum est: dubitare non potes, beatissime Pater, quin Carolus Rex, te Pontifice creato, tanto ceteros reges eximia quadam percepti ex ea re gaudii magnitudine superaverit, quanto non hujus modo memoriae, sed omnium aetatum ac saeculorum reges gravi ac diuturna susceptorum pro Sedis apostolicae auctoritate laborum ac discriminum perpessione superavit. Quo tibi gratior esset debet ac jucundior gratulatio, quae tibi hodierno die fit ejus Regis nomine, qui cum, pro incredibili studio atque observantia erga te sua, primus omnium hoc officio fungi cuperet: iis tamen difficultatibus, quae omnibus notae sunt, impeditus, non prius tibi gratulari potuit, quam divino consilio contigit, ut possis tu quoque ei vicissim vere ac merito gratulari. Etsi autem, quae proxime in Gallia pro religione gesta sunt, propter summam illius regni nobilitatem atque amplitudinem toto jam orbe celebrantur: neque locus, neque regio in terris ulla est, quae non plena sit & laborum ac miseriarum, quas Galli superioribus annis pertulerunt, & virtutis ac felicitatis, qua nuper usus Carolus Rex, maxima ex parte eos in veterem statum vindicavit: quia tamen neque Regis nostri & nomine & re Chri-

Christianissimi pietas in Deum, quam ipse omnibus notam ac testatam esse vult, ulla ex re melius cognosci, neque ullum dicendi argumentum hoc quidem tempore reperiri potest, in quo plus aut dignitatis, aut delectationis inesse videatur: peto a te, beatissime Pater, ut hoc temporis, quod mihi ad dicendum tua benignitate conceditur, in harum potissimum rerum tractatione consumi collocarique patiaris. Quis igitur in Gallia rerum status fuerit, quo tempore Carolus nonus ad regni gubernacula morte fratris admotus est, omnes facile recordamur. Nam, quae mali vis, jam tum Henrico regnante, in venis ac visceribus Galliae concepta ac concluſa latuerat: cuique optimus ille Rex, ob prepetuo deplorandum inopinatae mortis eventum, remedium adhibere, cum maxime cuperet, non potuerat: eadem cum se sub Francisco secundo commovere coepisset: & ab eo quoque, intempestiva morte praerepto, compressa modo & cohibita, non etiam extincta & sublata esset, ad extremum universa se, ingresso regnare Carolo, effudit. Ut autem aquae impetus saxorum lignorumve oppositu diu retentus ac retardatus, si forte tandem ea, quae obstabant, aut sublata, aut perrupta & disjecta sunt, multo major ac vehementior esse consuevit: ita illi hominum omnia turbare cupientium coetus, quos ad id tempus legum ac regum terror tanquam vinctos infrenatosque tenuerat, fractis postremo repagulis furere ac bacchari per nobilissimum regnum, & in summa impietate summam licentiam nacti, divina humanaque omnia caedibus & incendiis miscere coeperunt. Atque ut antiqui fictis fabulis memoriae prodiderunt, Hercule recens nato, duos ad eum inusitatae magnitudinis angues superne lapsos esse, qui jacentem adhuc in cunis opprimerent: ita hoc novo Hercule, (qui enim adhuc adolescens tot jam monstra perdomuerit, meritissimo hujus nominis honore affici potest,) regni habenas tractare aggresso, infinita quaedam non e superiore loco demissa, sed ex inferis emersa exstitit anguium vis, qui & pestilenti afflatu suo omnia contaminare, & teterrimum virus suum longe lateque spargentes, non ipsi modo regi adhuc puero, & regnum & vitam adimere, sed & ex toto regno verum Dei cultum, quo uno aeternae vitae spes continetur, exterminare conarentur. Qui divini quidem numinis metu jam pridem projecto, legum autem & judi-

cio-

ciorum auctoritate tum maxime propter infirmam regis aetatem contempta ac conculcata, quam ſtragem, quas calamitates, quam vaſtitatem, quot inaudita crudelisſimorum facinorum exempla in Galliam intulerunt? Horret ac refugit animus ea memorare, quae poſt illas peſtes ac furias ab humani generis hoſte immisſas contigerunt: profanata, everſa, incenſa templa; aras ſacerdotum caede maculatas; abſtractas ex ſedibus ſuis virgines Deo ſacras; direptas urbes; campos manantes ſanguine; fluviorum curſus humanis corporibus impeditos; ludentem excarnificandis hominibus ſaevitiam; feritatem ne conditis quidem mortuorum oſſibus ac cineribus abſtinentem. Quis usque eo Gallici, aut potius Chriſtiani nominis hoſtis eſt, qui illa ſine lacrymis aſpicere potuiſſet? O Gallia, Gallia, tot virorum fortium, tot egregiorum principum, tot ſummorum Pontificum, qui tanta cum laude Eccleſiae Dei praefuerunt parens: Tune illa es, quae ſuſceptam a Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis fidem nunquam poſtea deſeruerat? quae non a tuis tantum, ſed ab aliorum quoque finibus haereticos aliosque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſaepe depuleras? quae Europam, Africam, Aſiam, geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaveras? quae violatam ab aliis Sedis apoſtolicae dignitatem tam ſaepe reſtitueras? tam firmis praeſidiis ſepſeras? tam multis ornamentis affeceras? quae urbem Romam ab imminenti direptionis & excidii periculo tam ſaepe liberaveras? Vere enim hoc, beatiſſime Pater, vere & ſine cujusquam injuria gloriari poſſumus, duabus praecipue laudibus homines noſtros, poſt Chriſtum natum, ſupra ceteras gentes perpetuo floruiſſe: quod & Chriſtianae religionis non conſervandae tantum, ſed etiam propagandae ſtudioſisſimi, & ad accipienda omnia regum ſuorum imperia paratisſimi ſemper fuerunt. Omnes autem illarum peſtium conatus eo dirigebantur, ut & a Deo, & a Rege abductam Galliam, earum, quas dixi, laudum utraque ſpoliarent. Quod ſi utrumque conſequi ac perficere non poſſent, certe quidem ut eam a ſummorum Pontificum cultu, & a Romanae ac Catholicae Eccleſiae communione divellerent. Hoc praecipue imbiberant, hoc ſpectabant: haec eis a principio mens, hoc conſilium ac propoſitum fuit. Neque vero diſſimulanter ferebant, conquieturos ſe, &, ut prius, regis imperio parituros, dum Romani Pontificatus auc-

Christianissimi pietas in Deum, quam ipse omnibus notam ac testatam esse vult, ulla ex re melius cognosci, neque ullum dicendi argumentum hoc quidem tempore reperiri potest, in quo plus aut dignitatis, aut delectationis inesse videatur: peto a te, beatissime Pater, ut hoc temporis, quod mihi ad dicendum tua benignitate conceditur, in harum potissimum rerum tractatione consumi collocariqùe patiaris. Quis igitur in Gallia rerum status fuerit, quo tempore Carolus nonus ad regni gubernacula morte fratris admotus est, omnes facile recordamur. Nam, quae mali vis, jam tum Henrico regnante, in venis ac visceribus Galliae concepta ac concluſa latuerat: cuique optimus ille Rex, ob prepetuo deplorandum inopinatae mortis eventum, remedium adhibere, cum maxime cuperet, non potuerat: eadem cum se sub Francisco secundo commovere coepisset: & ab eo quoque, intempestiva morte praerepto, compressa modo & cohibita, non etiam exstincta & sublata esset, ad extremum universa se, ingresso regnare Carolo, effudit. Ut autem aquae impetus saxorum lignorumve oppositu diu retentus ac retardatus, si forte tandem ea, quae obstabant, aut sublata, aut perrupta & disjecta sunt, multo major ac vehementior esse consuevit: ita illi hominum omnia turbare cupientium coetus, quos ad id tempus legum ac regum terror tanquam vinctos infrenatosque tenuerat, fractis postremo repagulis furere ac bacchari per nobilissimum regnum, & in summa impietate summam licentiam nacti, divina humanaque omnia caedibus & incendiis miscere coeperunt. Atque ut antiqui fictis fabulis memoriae prodiderunt, Hercule recens nato, duos ad eum inusitatae magnitudinis angues superne lapsos esse, qui jacentem adhuc in cunis opprimerent: ita hoc novo Hercule, (qui enim adhuc adolescens tot jam monstra perdomuerit, meritissimo hujus nominis honore affici potest,) regni habenas tractare aggresso, infinita quaedam non e superiore loco demissa, sed ex inferis emersa exstitit anguium vis, qui & pestilenti afflatu suo omnia contaminare, & teterrimum virus suum longe lateque spargentes, non ipsi modo regi adhuc puero, & regnum & vitam adimere, sed & ex toto regno verum Dei cultum, quo uno aeternae vitae spes continetur, exterminare conarentur. Qui divini quidem numinis metu jam pridem projecto, legum autem & judi-

cio-

ciorum auctoritate tum maxime propter infirmam regis aetatem contempta ac conculcata, quam ſtragem, quas calamitates, quam vaſtitatem, quot inaudita crudeliſſimorum facinorum exempla in Galliam intulerunt? Horret ac refugit animus ea memorare, quae poſt illas peſtes ac furias ab humani generis hoſte immiſſas contigerunt: profanata, everſa, incenſa templa; aras ſacerdotum caede maculatas; abſtractas ex ſedibus ſuis virgines Deo ſacras; direptas urbes; campos manantes ſanguine; fluviorum curſus humanis corporibus impeditos; ludentem excarnificandis hominibus ſaevitiam; feritatem ne conditis quidem mortuorum oſſibus ac cineribus abſtinentem. Quis usque eo Gallici, aut potius Chriſtiani nominis hoſtis eſt, qui illa ſine lacrymis aſpicere potuiſſet? O Gallia, Gallia, tot virorum fortium, tot egregiorum principum, tot ſummorum Pontificum, qui tanta cum laude Eccleſiae Dei praefuerunt parens: Tune illa es, quae ſuſceptam a Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis fidem nunquam poſtea deſeruera? quae non a tuis tantum, ſed ab aliorum quoque finibus haereticos aliosque hoſtes nominis Chriſtiani tam ſaepe depuleras? quae Europam, Africam, Aſiam, geſtis pro Chriſti fide bellis nobilitaveras? quae violatam ab aliis Sedis apoſtolicae dignitatem tam ſaepe reſtitueras? tam firmis praeſidiis ſepſeras? tam multis ornamentis affeceras? quae urbem Romam ab imminenti direptionis & excidii periculo tam ſaepe liberaveras? Vere enim hoc, beatiſſime Pater, vere & ſine cujusquam injuria gloriari poſſumus, duabus praecipue laudibus homines noſtros, poſt Chriſtum natum, ſupra ceteras gentes perpetuo floruiſſe: quod & Chriſtianae religionis non conſervandae tantum, ſed etiam propagandae ſtudioſiſſimi, & ad accipienda omnia regum ſuorum imperia paratiſſimi ſemper fuerunt. Omnes autem illarum peſtium conatus eo dirigebantur, ut & a Deo, & a Rege abductam Galliam, earum, quas dixi, laudum utraque ſpoliarent. Quod ſi utrumque conſequi ac perficere non poſſent, certe quidem ut eam a ſummorum Pontificum cultu, & a Romanae ac Catholicae Eccleſiae communione divellerent. Hoc praecipue imbiberant, hoc ſpectabant: haec eis a principio mens, hoc conſilium ac propoſitum fuit. Neque vero diſſimulanter ferebant, conquieturos ſe, &, ut prius, regis imperio parituros, dum Romani Pontificatus auc-

to-

ſtoritas e Gallia tolleretur. Quin etiam, ſi ſe Rex ab hac ſancta Sede diſſociare vellet, promptam ei & facilem viam ad fines regni proferendos, & ad finitimas provincias ſub imperium ſuum ſubjungendas oſtentabant. Sed magnus & a natura ipſa ad honeſtatem conformatus animus nec aſperitatibus terreri, nec ulla utilitatis ſpecie a recto avocari poteſt. Rex fortiſſimus & majoribus ſuis dignisſimus, qui *pietatis ac juſtitiae* gloriam ita etiam puer adamasſet, ut ipſis earum virtutum nominibus quaſi pro ſymbolo utatur, omnia ſibi prius perferenda ſtatuit, quam quidquam committendum, quo earum alterutra vel minima ex parte violari videretur. Repudiatis igitur omnibus improborum conſiliis ac ſuaſionibus, magno ille quidem cum dolore ac cruciatu animi, ſed tamen, ut qui corruptas ac vitiatas corporis ſui partes, aliis omnibus fruſtra tentatis, urunt poſtremo, aut ſecant, ne earum contagio ceteris obſit: cum jam in lenioribus remediis nulla ſpes eſſet, ad acriora deſcendere, & vim quodam modo viſceribus ſuis inferre coactus eſt. Inteſtinum ac domeſticum bellum, in quo omnia, quae cogitari poſſunt miſerrima, inſunt, neceſſario ei adverſus ſuos ſuſcipiendum ac gerendum fuit: & ruina reſtinguendus ignis, ne tota Gallia eodem incendio conflagraret. Commiſſa multa praelia: multa caeſa hominum millia: ſaepe fuſi ac profligati hoſtes: Rex tamen clementisſimus, & ſuos, ſi qua ratione poſſet, prolatando potius ad ſanitatem perducere, quam delere ac perdere cupiens, eis conditionibus acquieverat, quas aequisſimas etiam iniquisſimi judicarant. Pacata ac compoſita omnia videbantur: jamque ſpes erat, plerosque ex illis miſeris agnituros errorem ſuum, & ad Eccleſiae gremium ſuapte ſponte redituros: cum illi patriae praedones, ac parricidae, qui totam prope Galliam inſepultis ſuorum corporibus obruerant, quaſique ſepelierant, quorum ipſi gladii aſſuefacti trucidandis inſontibus, aſſidue caedem ſanguinemque ſitiebant, parum ſe anteactae vitae reſponſuros judicarunt, niſi palmas illas, quarum adhuc cruda & recens memoria erat, novi ſceleris accesſione cumularent. Agebant illos praecipites & ad ſupplicium rapiebant Poenae eorum, quae tam multa adverſus Deum & homines impie nefarieque commiſerant: iis illi agitati, & a mente conſilioque deducti, veriti non ſunt adverſus illius regis caput ac ſalutem conjurare,

rare, a quo post tot atrocia facinora non modo veniam consecuti erant, sed etiam benigne & amanter excepti. Qua conjuratione sub id ipsum tempus, quod patrando sceleri dictum ac constitutum erat, divinitus detecta atque patefacta, conversum est in illorum sceleratorum ac foedifragorum capita id, quod ipsi in regem & in totam prope domum ac stirpem regiam machinabantur. O noctem illam memorabilem & in fastis eximiae alicujus notae adjectione signandam, quae paucorum seditiosorum interitu regem a praesenti caedis periculo, regnum a perpetua civilium bellorum formidine liberavit! Qua quidem nocte stellas equidem ipsas luxisse solito nitidius arbitror: & flumen Sequanam majores undas volvisse, quo citius illa impurorum hominum cadavera evolveret & exoneraret in mare. O felicissimam mulierem Catharinam, regis matrem, quae cum tot annos admirabili prudentia parique sollicitudine regnum filio, filium regno conservasset, tum demum secura regnantem filium adspexit! O regis fratres ipsos quoque beatos! quorum alter, cum, qua aetate ceteri vix adhuc arma tractare incipiunt, ea ipse quater commisso praelio fratrem hostes fregisset ac fugasset, hujus quoque pulcerrimi facti praecipuam gloriam ad se potissimum voluit pertinere; alter, quanquam aetate nondum ad rem militarem idonea erat, tanto tamen est ad virtutem indole, ut neminem nisi fratrem in his rebus gerendis aequo animo sibi passurus fuerit anteponi. O diem denique illum plenum laetitiae & hilaritatis, quo tu, beatissime Pater, hoc ad te nuncio allato, Deo immortali, & divo Hludovico regi, cujus haec in ipso pervigilio evenerant, gratias acturus, indictas a te supplicationes pedes obiisti! Quis autem optabilior ad te nuncius adferri poterat? aut nos ipsi quod felicius optare poteramus principium Pontificatus tui, quam ut primis illis mensibus tetram illam caliginem, quasi exorto sole, discussam cerneremus? Hoc ille nobis portendebat ac praesignificabat disjectus draco, gentis tuae, beatissime Pater, nobilissimum ac pulcerrimum insigne: fore, ut immanis ille draco, aut illa potius multorum capitum hydra, quae non paludem aliquam Lernaeam, sed potentissimum & opulentissimum regnum tam diu obsederat, te Pontifice disjecaretur. Nunc igitur contemplare, quaeso, animo novum illum Davidem, caesi ac prostrati gi-

gantis spolis ac sanguine decorum; eumque hilari vultu ad genua tua provolutum, ita tecum loqui existimato: Ego, Pater sanctissime atque optime, cum majores meos, maximos & potentissimos reges, accepissem omnes usque a Hlodoveo in sinceritate atque integritate religionis Christianae, ne uno quidem excepto, plus mille annos firme ac constanter perstitisse; eosdemque praecipua quadam erga Sedem apostolicam observantia, periculisque ac laboribus pro illius defensione aditis, & illud, quo nullum pulcrius est, Christianissimorum nomen, & primatum inter reges Ecclesiae filios locum consecutos: statim a puero illud mihi proposui, ut eos potius aut adaequare, aut etiam, si fieri posset, superare contenderem, quam committerem, ut non satis respondere traditae mihi ab illis gloriae judicarer. Itaque & Pium Quinctum, dum inter homines fuit, sanctissime ac religiosissime colui; &, eo ad meliorem vitam vocato, cum primum audivi te in locum illius esse suffectum, tanto gaudio affectus sum, quantum percipi, aut cogitari maximum potest. Multa enim jam pridem de tuis in omni genere praeclaris virtutibus audiveram, quae te isto honoris amplissimi fastigio dignissimum reddidissent. Prudentiam, quam nihil fallere; justitiam, quam nihil inflectere; fidem & constantiam erga amicos, quam nulla temporum asperitas imminuere, aut labefactare potuisset. In colendo Deo pietatem sine simulatione; in regendis hominibus severitatem sine superbia; in administrandis negotiis & sine festinatione diligentiam, & sine tarditate gravitatem. Movit etiam me subita illa totius Cardinalium Collegii in decernenda tibi summa potestate consensio: quae neque sine certa & explorata opinione virtutis tuae, neque sine singulari divinae providentiae afflatu potuit contigisse. Magna me spes tenet, fore, ut sub tali Pontifice in ovile Christi gentes, & quae veram religionem nondum acceperunt, aggregentur; & quae ab ea desciverunt, denuo congregentur. Quam ad rem perficiendam omnes meas & regni mei opes tibi libentissime defero, ea fide, quam rebus in regno meo gestis satis jam & tibi, & universo orbi, ut arbitror, approbavi simulque tibi, & apostolicae Sedi, quam debeo, obedientiam praesto atque exhibeo, & praestiturum atque exhibiturum in perpetuum spondeo. Neque dubito fore, ut a te vicissim quaecunque ad meam & regni

regni mei dignitatem pertinebunt, non tantum intacta & inviolata conserventur; sed etiam, ubi occasio tulerit, augeantur. Haec, quae tibi rex ipse, beatissime Pater, praesens dicere cuperet; quia id non poterat, per hunc illustrem virum Nicolaum Rambolleti Dominum, equitem ordinis regii, unum ex intimis consiliariis suis, custodiarum suarum praefectum, Caroli Cardinalis Rambolletii fratrem & natura & virtute germanum, significanda censuit. Quanquam enim facile intelligebat, haec eadem te ex praestanti viro, parique dignitate praedito, Francisco Barone Feralio, oratore apud te suo, cognaturum; non tamen sibi visus est suam in te colendo pietatem satis declaraturus, nisi hujus rei caussa propriam ad te legationem destinasset. DIXI.

DE

UTILITATE, JUCUNDITATE, AC PRAESTANTIA LITTERARUM,

ORATIO XXIII.

habita Romae XV. *Kal. Novembr. anno*

MDLXXIII.

Cum mihi a summis viris, quorum auctoritate, atque imperio nostra omnium studia diriguntur, mandatum esset, ut hodierno die, quo, ut scitis, more majorum, noster hic quasi Musarum exercitus quotannis lustrari solet, de praestantia litterarum, & earum artium quae litteris continentur, aliquid publice dicerem, quo juventus animi ad earum amorem incitaretur: quod prius facere debueram, sed inconsulto quodam obsequendi studio abreptus non feceram, coepi oneris susceptis magnitudinem cum viribus meis sollicite comparare. Atque interdum quidem ita ratiocinabar, ut mihi nihil arduum, aut difficile impositum crederem. Nam, ut Cyrenaeus poe-

ta (*) facile ait esse omnibus Apollinem laudare, in quo tot, tantaque laudum argumenta sint: ita facile videbatur homini quamlibet infanti atque indisserto laudare eas artes, quas vere, ac merito bonorum fontes nominare possumus. Neque enim dubitabam, quin omnium concessu multo justius artibus nostris, quam illis, de quibus id Xenophon dixit, honos hujus nominis tribueretur. Cogitabam etiam tum demum in summa me difficultate versaturum fuisse, si eas aut, quod nefas est, vituperare justus essem, aut earum dignitatem abjicere & extenuare dicendo: nullum enim sane argumentum, quod quidem alicujus momenti esset, ad eam rem reperire potuissem. Quod si Socrates praesente Phaedro amorem vituperaturus, facere id non audet, nisi sibi prius pallio caput obnupserit: multo me magis verecundari par fuisset, in tanto eruditissimorum hominum coetu declamantem adversus eas artes, quarum omnes dignitate, ac pulcritudine, ita incensi estis, ut sine earum tractatione ne vitam quidem ipsam jucundam putetis. Nunc, ut idem ille sapientissimus senex factu facile esse ait Athenienses Athenis laudare, quod, quae quisque amat, ea libentissime laudari audit: sic & ipse mihi videbar facilem & expeditam provinciam suscepisse commendandi ac celebrandi apud vos ea, quae vobis omnibus in amoribus ac deliciis esse constaret. Sed interdum occurrebant alia, quae me commoverent, nec quieto esse ac securo animo sinerent. Nam & in tam ubere ac copiosa materia necesse est, unicuique audientium multa in mentem venire, quae commode dici queant; neque fieri potest, ut, quidquid omnes cogitant, dicat unus; & ea est hominum natura, ut, cum quis, quod ipse dixisset, id ab eo, qui dicit, omissum videt: non hoc quoque dici potuisse, sed hoc potissimum dici debuisse contendat. Ita dum pro suo quisque captu quid ipse dicturus fuerit cogitat, & alia prope omnia fastidiens, dum id unum dicatur, avide exspectat; quidquid dixeris, semper videberis omisisse praecipua: & omnia communia ac contrita dixisse, quod ea non dixeris, quae si dixisses, ipsa quoque aliis obsoleta & vulgaria viderentur. Ut melior hac in parte sit eorum conditio, qui

(*) Callimachus H. in Apoll. 5.

qui aridis, ac ſterilibus in argumentis verſantur: quorum, ſive abundarunt, laudatur ingenium: ſive defecerunt, materiae jejunitas accuſatur: cum contra, ubi ampla dicendi ſeges eſt, quidquid allatum eſt, ubertati materiae adſcribatur; quidquid omiſſum eſt, tibi. Ego vero quomodo aut quidquam allaturum eſſe me ſperem, quod novitate audientium animos teneat, cum iis in rebus mea verſatura ſit oratio, in quibus praeſtantiſſima ſe omnium aetatum ingenia exercuerunt: aut ita dicturum, ut non innumerabiles alii iisdem de rebus ornatius ac copioſius dixerint? Sed mihi neque valde laborandum eſt, ut nova conquiram: non enim cantilenae ſunt hae, quibus novitas, ut ait Telemachus, conciliat gratiam, ſed praecepta, quibus vetuſtas addit auctoritatem: &, ſi vera, utilia, apta ad id, quod mihi propoſitum eſt, digna hujus loci auctoritate, digna veſtris auribus attulero, quibus ea cumque verbis extulero, hoc ipſo me ſatis ornate dixiſſe arbitrabor. Agite igitur, viri praeſtantes, & cum aliis nominibus, tum praecipue harum, de quibus dicere ingredior, artium cultu & tractatione clariſſimi: agite, ſtudioſi adoleſcentes, quorum mollis adhuc, & tenera aetas in ejusdem gloriae ſpem eodem quaſi lacte Muſarum educatur, cognoſcite mecum felicitatem veſtram, qui inſtinctu quodam, afflatuque divino ad eas potiſſimum artes animum appuliſtis, quibus, ſive quis utilitatem ſequatur, nihil fructuoſius; ſive oblectationem, nihil ſuavius ac jucundius; ſive ſplendorem ac pulcritudinem, nihil illuſtrius, aut ad ſtruendam nominis immortalitatem firmius ac ſtabilius reperiri poteſt. Nam ſi veteres illi, qui errore ducti plures eſſe Deos opinabantur, quem cuique eorum diem conſecrarant, eo laudes ipſius commemorare ac concinere ſolebant: multo nobis juſtior cauſa eſt, quicunque iisdem honeſtiſſimarum artium ſtudiis, quaſi quibusdam ſacris initiati ſumus, cum hic nobis anniverſarius dies, majorum ſapientia & auctoritate, ad intermiſſam per aliquot menſes earum exercitationem de integro repetendam conſtitutus ſit, cur ab earum commendatione principium ducere debeamus, easque celebrare, quas nobis vicisſim aliquid celebritatis allaturas eſſe confidimus. Meminiſſe autem debemus, iccirco hunc ſanctum, atque auguſtum locum ad hanc rem delectum eſſe, ut & in laudandis artibus Deum ipſum laudemus,

qui, ut alia omnia bona, ita eas quoque hominum generi dedit: & publice conteſtemur, ac profiteamur, ſtudia omnia laboresque noſtros & Deo auctore, atque auſpice ſuſcipi, & ad ipſius gloriam, tanquam ad finem nobis omnibus praecipue propoſitum, referri. Unde igitur, in tanta eorum, quae ſe ad dicendum offerunt, copia, potiſſimum exordiar? An ab eo, quod ſemper apud graviſſimos quosque graviſſimum fuit, antiquitatis teſtimonio? Quae cum artes omnes bonae ſint: nam ſi quae malae artes dicuntur, immerito eis artium nomen tribuitur: has tamen noſtras proprio ac peculiari nomine bonas artes vocavit: easdemque artes ingenuas, artes liberales, quod alias aut a ſervis, aut ab hominibus ſervili praeditis ingenio exerceri, has unas ab ingenuis ac liberis excoli conſentaneum judicaret. Quin etiam cum Graeci earum cognitionem, ſua lingua, tali quodam vocabulo affeciſſent, ex quo id modo intelligeretur, ſtatim a pueritia dandam eis operam eſſe: majores noſtri hoc, ut pleraque, melius ac ſapientius: qui totum hoc artium genus humanitatem vocarunt: credo, indicantes, non multo minus inter homines talibus diſciplinis expolitos, & vulgus aliorum, quam inter ceteros & pecudes, intereſſe. Homines enim duabus praecipue rebus a ceteris animantibus diſcernimur, ratione, & rationis interprete oratione: quarum utraque in eis, qui harum artium expertes ſunt, rudis quodammodo & inchoata; qui eas bene penitus combiberunt, perfecta in illis atque abſoluta eſt. Ariſtippus quidem, cum quaeſiſſet quidam ex eo, quid boni filio ſuo allatura eruditio eſſet? ſi nihil aliud, hoc certe, inquit, quod in theatro lapis in lapide non ſedebit. Idemque alteri, qui, cum ſibi nimium magnam mercedem poſci pro inſtitutione filii videretur, dixerat: Iſta pecunia ſervum mihi emere poſſum; Tu vero, inquit jocans, etiam hoc amplius: ſi unum emeris, duos habebis. Significavit videlicet, quorum colluſtratus doctrinarum luce non eſſet animus, eos lapidum, non hominum, aut, ſi forte, inter homines, ſervorum, non ingenuorum, loco ac numero eſſe habendos. Ac mihi quidem hac tota de re cogitanti, quatuor omnino eſſe viae videntur, quarum unam aliquam a principio aetatis capeſſere, ac poſtea perſequi prope neceſſe ſit; ex quibus, ne dubium quidem eſſe poteſt, quin ea, quam ipſi ingreſſi eſtis, longe multumque aliis omnibus an-

anteponenda videatur. Nam qui ista aetate sunt, partim otio se atque ignaviae dedunt, mollemque vitam ac voluptariam sequuntur, ii praesertim quibus amplum patrimonium est; partim si angustior sit res, quam ut nihil agentes ferat, dant se ad artem aliquam factitandam; alii, qui excelsiore sunt animo, armorum tractationem, & militaris rei gloriam ibi proponunt; alii denique animum ad litteras & ad haec mitiora studia appellunt. Quid igitur istis turpius aut abjectius, qui, torporem ac desidiam amplexi, vitam luxu atque inertia transigunt, nihil agentes, quo se homines esse testentur? Qui, ut Phaeaces illi Homerici,

Non pugnis, durave exercent membra palaestra:
Sed mensam & citharae strepitum, dulcesque choreas.
Stragulaque & molles curant post balnea lectos:

Margitae illius simillimi, de quo idem Homerus;

Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arva
Vertere, non ulli vivebat idoneus arti.

Sic enim & hi neque domi, neque militiae, neque privatim, neque publice, neque sibi, neque aliis utiles, ita vitae curriculum conficiunt, ut, veluti naves, nullum sui vestigium relinquant. Qui mihi, si Diis placet, quod nihil agant, quasi non pudere parum sit, etiam gloriantur. Alii, inquiunt, in opere occupati sint: nobis majorum nostrorum virtute est, unde otiosi laute splendideque vivamus. Quid majores vestros nominatis? qui si vestri similes fuissent, vos hodie in postremis jaceretis. Si, quales vos estis, tales ipsi fuerunt, indigni sunt qui nominentur; sin alii, vos indigni, qui eos nominetis. At, videte, quantopere a sapientissimi poëtae Hesiodi judicio vestra ratio discrepet. Laborem ille & industriam nemini, languorem & ignaviam omnibus turpem esse confirmat. Praeclare Cicero, *Mihi quidem*, inquit, *qui nihil agit, esse omnino non videtur* Nam & Physici docent, quae cuique rei causa est, ut sit, eandem ei esse causam, ut aliquid agat. Sed omittamus hos molles & delicatos, neque eos ex somno, cui tam libenter indulgent, excitemus: teneamusque id, quod a sapientissimis viris proditum est, nihil esse inertia foedius; otio ali vitia, otium, ut non gravissimus poëta gravissime tamen cecinit,

Catullus, non privatis modo hominibus, ſed & regibus, & prius beatis urbibus exitii cauſam fuiſſe. Cum igitur otioſa & ignava vita ne vita quidem habenda ſit: videamus, num ad aliquam potius aliarum artium, quam ad litteras, animum adjicere praeſtet. Equidem cum mente ac cogitatione perluſtro eas artes, quibus cum hiſce ſtudiis noſtris, aut nulla, aut non magna communio eſt, ex iis quidem quae ita neceſſariae ſunt, ut eis civitas nullo modo carere poſſit, duas praecipuas judico, agriculturam, & mercaturam; ex iis autem, quae ad ornamentum civitatis, & ad animos honeſta voluptate perfundendos pertinent, duas minime ſordidas, minimeque illiberales, picturam, & ſtatuariam. Nam quod boni unaquaeque civitas percipere ex ſuo & patrio ſolo poteſt, id agricultura educit, atque elicit; quo eget, id aliunde mercatura comportat. Ita civitas ſine alterius ope ne ſuis quidem opibus fruitur; alterius beneficio, fruitur etiam alienis. Pictorum autem & ſtatuariorum opera & voluptatis atque admirationis habent plurimum; & quae liberalium artium nota eſt, ingenii, non corporis, viribus conſtant; & ad conſervandam clarorum virorum memoriam, ceterosque ad eorum imitationem incitandos non immerito magnam vim habere creduntur. Sed tamen quis auſit harum artium ullam cum litterarum ſtudio comparare? Niſi forte majus eſt agrum, quam ingenium, colere, aut jacta in terram ſemina, depactive ſurculi, quam ingenia praeceptis Philoſophiae conſita, ampliores, aut uberiores fructus ferunt. Mercatura autem vel ſi tenuis eſt, ſordida eſt; vel ſi ampla, tot expoſita periculis, ut merito ille olim Laco negaverit, optabilem ſibi videri fortunam, quae rudentibus apta eſſet; cuicuimodi autem ſit, tota fere ad quaeſtum, & ad lucrum refertur. At litterarum tractatio & dignitatis plenisſima eſt, & quietis; & eas opes conſectatur, quae nec furem, nec praedonem timeat, nec incendiis, ruinis, naufragiis obnoxiae ſunt, nec ullis denique caſibus eripi poſſunt. Jam vero quae Apellis aut Protogenis tabulae cum Homeri pictura; quae Phidiae, aut Praxitelis ſtatuae cum litterarum monumentis conferri queunt? Quos ipſos hodie ignoraremus, niſi ſolidiorem ac diuturniorem gloriam eſſent commendatione ſcriptorum, quam artis ſuae operibus, conſecuti. Nam quae illi artificio ſuo elaborarant, & ſolius corporis effigiem ex-

exprimebant, & uno tantum ſpectabantur in loco, & eam naturam habebant, ut ea, ſi nihil aliud, ipſa certe longinquitas temporis confectura, ac conſumptura eſſet. At eruditorum hominum lucubrationes & clarorum virorum non formam modo corporis, ſed ingenia, mores, conſilia, res geſtas, ſubjiciunt oculis; & iisdem, quibus orbis ipſe terrarum, terminis ac regionibus continentur; & tantam vim habent, ut illa ipſa aliorum omnium humanorum operum confectrix vetuſtas his unis non modo nihil detrahat, ſed majorem in dies comparet, ac conciliet dignitatem. Trecentas ſexaginta Demetrio Phalereo ſtatuas aereas populus Athenienſis, anno uno, eoque non toto, poſuerat: quibus omnibus Demetrius ipſe ſuperſtes fuit. At quae ipſe ſibi monumenta ingenii ac doctrinae magnitudine exſtruxerat, ea & multis poſt ipſum ſaeculis viguerunt; &, cum poſtea denſa quaedam & opaca nox omnem prope diſciplinarum lucem exſtinxiſſet, ex oculis erepta, incredibile deſiderium ſui in omnium eruditorum animis reliquerunt. Elate & magnifice de ſe, ut ſolet, Pindarus, ſed tamen vere. Statuarium eſſe ſe negat, qui mutas ſtatuas edolet una defixas in baſi: ſed quos ipſe cantibus ſuis celebret, eorum famam, terra marique ſpargi ac diſſeminari. Sed erunt fortaſſe, qui vitam militarem huic noſtrae pacatae, atque umbratili anteponendam putent. Mihi quidem fortium virorum virtutem detrectare, aut conari, ut quidquam ex eorum gloria deteram, neque propoſitum eſt, neque fas videtur. Potius omnibus, qui dicendo aliquid posſunt, omnem induſtriam ad eos celebrandos conferendam cenſeo: & hoc ipſum numero inter praecipua bona, quae ab artibus noſtris in vitam hominum manant, quod earum ope praeclara illorum facinora ad immortalem poſteritatis memoriam conſecrantur. Sed tamen ſi quis ſecum in animo reputet, quae vita ſit ejus hominis, qui, modicis opibus inſtructus, in litterarum ſtudio molliter ac placide conſeneſcat; & quae ejus, qui, ab adoleſcentia armis tractandis aſſuetus, ſub dio ſaepius, quam ſub tecto, ſub pellibus ſaepius, quam domi, ſomnum capiat, vix dubium fore arbitror, utra melior & magis expetenda ſit. Alterius aures tubarum, & lituorum, & cornuum clangore; alterius Muſarum concentu & Apollinis fidibus aſſidue perſonant. Illius oculi caede, & ſanguine, & incendiis; hujus admi-

rabilium naturae operum adſpectu & contemplatione paſcuntur. Ille aut in ipſo aetatis flore hoſtili gladio transverberatur, aut mancos ac debiles artus & ignem cicatricibus vultum referens, domum redit; hic ut animo, ita & corpore integer, vultum, niſi quantum rugae, canique venerationis addiderunt, etiam nutrici agnoſcendum, perfert ad ultimam ſenectutem. Neque vero minus glorioſa, aut minus hominum generi fructuoſa hujus, quam illius opera. Occupatur ille in finibus imperii proferendis; hic in finibus cupiditatum regendis ac coërcendis. Novit ille, quemadmodum urbes expugnentur; hic quemadmodum gubernentur: ille quemadmodum injuria aut repellatur, aut reponatur; hic quemadmodum & accipiatur aequo animo, & negligatur. Dicet ille, quam multos homines manibus ſuis trucidaverit: hic, quam multos a caede facienda, oratione ſua revocaverit: ille, quam multos in ſervitutem abduxerit; hic, quam multos a ſervitute vitiorum in veram libertatem perduxerit. Illius uſus niſi in bello nullus eſt; hujus opera, & in bello, & in pace ſalutaris. Itaque ſi homines inter ſe amice, ac concorditer viverent, ſi Dei ac naturae juſſa ſequerentur, ſi denique ii eſſent, qui eſſe deberent: jacerent omnes artes belli, ut quarum inter juſtos juſtus uſus eſſe non poſſit; noſtrae vero tum demum florerent, ac vigerent; tum demum eas optimus quisque ſumma corporis & animi contentione ſequeretur. Neque vero quemquam ita eſſe arbitror ſanguinarium, cui non praeoptranda videatur nullius empta lacrymis gloria, neque ullo, niſi puro illo ac limpido Aganippes rore irrigata, quam tabo & cruore oblita, & multa ſtrage ac cladibus comparata. Multa conſulto praetereo: quod mihi, non tam, ut copiam & varietatem conſecter, laborandum eſt, quam ut effugiam ſatietatem. Quis enim unquam tanta ubertate ingenii, tanta dicendi copia praeditus reperietur, qui litteras ita laudare poſſit, ut non ſemper, cum plurima dixerit, plura tamen omiſiſſe videatur? Omnia, quae homines in vita expetunt, cujuscunque tandem generis illa ſint, nulla re certius, aut facilius, quam eruditione ac litteris, acquiri, conſervari, amplificari queunt. Eſt qui rei familiaris anguſtia preſſus, ex ea expedire ſe, & ad moderatas opes ſine ulla turpitudine pervenire cupiat? Quae ad id conficiendum via aut honeſtior, aut expeditior, aut facilior eſt?

est? Quam multos ex tenui & exili patrimonio, aut juris scientia, aut medendi arte fretos, ut eas potissimum nominemus, paucis annis ad maximas divitias pervenire vidistis? Nam quod plerique vulgato jam proverbio dictitant, ex omni nostrarum artium numero duas modo illas frugiferas esse ac fructuosas, ceteras cultoribus suis decoquere, ac decollare: in eo vanitatis illos, ac mendacii facile res ipsa coarguit. Nota est historia de Thalete Milesio, qui cum a propinquis objurgaretur, quod omne tempus in sapientiae studio poneret, quod ad faciendam pecuniam, in qua illi posita putabant omnia, nulli usui esset: vultis, inquit, ostendam vobis, posse hominem huic studio deditum, si ei commodum sit, divitem fieri, & hanc esse, si quis velit, ad quaestum, ac compendium vel maxime compendiariam viam? Cum illi se velle dixissent, homo, qui ex astrorum scientia, magnam eo anno olearum ubertatem praevideret fore, multo ante, exiguo pretio, cum contra licitaretur nemo, omnia Chiorum, ac Milesiorum praela ac trapeta conduxit: quae cum postea suo tempore, quanti voluit, elocasset, magnamque ex eo vim pecuniae collegisset, ostendit, Philosophos non tam rem facere non posse, quam majoribus, ac praestantioribus cogitationibus occupatos, de ea facienda non laborare. Quid Leontinus Gorgias? nonne Rhetorices professione & maximas sibi divitias peperit, & tantam gloriam, ut ei vivo ac videnti honoris ergo aurea statua in Apollinis Pythii templo constituta sit? Quid ille, qui eloquentiae quasi mercator, atque opifex quidam habitus est, Isocrates? non & summa gloria fuit, & iis opibus, ut ter ad trierarchiam vocatus, cum eam bis effugisset, ad postremum splendidissime ac magnificentissime obierit? ad eam autem non fere nisi opulentissimus quisque ac locupletissimus adigebatur. Neque medicus erat optimus pessimi principis magister Seneca, neque de jure consulebatur: & tamen quantam sibi opum vim homo externus, & alienigena eloquentia & eruditione confecit? Scio, hoc, quod dicam, quibusdam incredibile visum iri. Sed tamen, si vera sunt, quae litteris prodita sunt, haud scio an nullus hodie toca Italia Princeps tantas opes habeat, quantas in Senecam quadriennio Nero congesit. Nam cum ex veteribus illis Romanis M. Crassus opulentissimus fuisse dicatur:

Se-

Senecae opes Crassi opibus duplo majores fuerunt. Prope est ut pigeat, in hac parte tam diu immoratum esse: sed tamen dicendum fuit aliquid adversus stultitiam eorum, qui ajunt, si quis juris scientiam, & artem medendi excipiat, ceterarum artium nostrarum sterilem esse culturam. Qui error ex eo potissimum natus est, quod doctrinae mediocritas magnos efferre fructus non potest. Itaque excellendum est iis, qui magna & praeclara concupiverunt. At nos simul atque paullum ultra prima elementa progressi sumus, falsa de nobis opinione tumefacti, quia non in nos continuo opes, & honores congeruntur, jacere litteras clamitamus. Non jacent litterae, non jacent, neque jacuerunt unquam: &, si antea jacuissent, Gregorio XIII. Pontifice non jacebunt. An ille, cum & omni doctrina instructissimus sit, & ad illos veteres atque usitatos nostros & litterarum patronos, Joannem Moronum, sacrosancti Collegii Decanum, priscae majestatis absolutissimum exemplar, cujus in ipso nutu plurimum auctoritatis residet, cujus e vultu ipso, atque oculis elucet gravitas humanitate condita; Aloysium Cornelium Camerarium, hominem plenum officii, & ad omnium animos ac voluntates devinciendas ipsis Gratiarum manibus factum; & illa duo ornamenta saeculi, firmamenta litterarum, domicilia virtutis, & eruditionis, Gulielmum Sirletum, & Franciscum Alciatum, ad eos igitur, quorum jam pridem in fide, ac clientela eramus, cum proxime eum, quem pleno gradu per sua vestigia incedentem videt, quemque optimo jure cordi suo carissimum habet, fratris filium Philippum S. Sixti Cardinalem addiderit, eumque florentis aetatis commendationem a litterarum patrocinio ducere voluerit: qui tali argumento declaratit voluntatem erga nos suam, is, metuimus, ne litteras aut egere, aut jacere patiatur? Sed ut, unde digressus sum, redeam, atque id, quod institui, absolvam: & ad facultates ac copias sine dedecore parandas accommodatae sunt litterae, & multo magis colendae iis, qui opibus abundant: ne, si id facere neglexerint, instrumentis sibi a Deo ad virtutem datis per inertiam abusi esse dicantur. Eademque ratio est & eorum quibus clari, & eorum quibus obscuri parentes obtigerunt. Nam neque illi ullo majori, aut illustriori ornamento condecorare; &, ut Homeri verbo utar, coronare possunt nobilitatem a majoribus ac-

accepcam: neque hi ex tenebris ulla ratione facilius emergere, ſeque in luce, atque in oculis omnium collocatos, a contemptu, atque ab oblivione in perpetuum vindicare. Rex erat ac regis filius Alexander Macedo, & viam ſibi ad ſummam claritatem ac potentiam armis quotidie muniebat. At is & plus ſe debere Ariſtoteli, a quo eruditus, quam Philippo, a quo genitus fuerat, & cujus in regnum ſucceſſerat, praedicabat: &, cum ab illo divulgatos eſſe libros quosdam arduis de rebus ſcriptos accepiſſet, aegre tulit: ac generoſa quadam indignatione motus, epiſtolam ad eum ſcripſit, in qua haec verba ſunt: *Nam qua re poſthac ceteris praeſtabimus, ſi, quae a te edocti ſumus, ea omnium communia erunt? Ego autem malim optimarum rerum ſcientia, quam opibus & potentia ceteris anteire.* Haec igitur ille regum ſtirpe ac ſanguine editus. Obſcuriſſimo autem genere ortos quam multos nominare poſſumus, quos ſupra omnes omnium fumoſas imagines litterae collocarunt? Obſtetricis filius erat Socrates. Num igitur eo Alcibiades nobilior? Euripidis matrem vendendis oleribus vitam tolerasſe accepimus. At ipſe & regum familiaritate uſus eſt, & ita clarus fuit, ut hodie magis Archelaus ex Euripidis, quam Euripides ex Archelai familiaritate noſcatur. Tympaniſtria fuit Aeſchinis mater, etiam, ſi Demoſtheni credimus, vulgati corporis. At eum rex Macedonum Philippus quanto opere coluit? Quid tibicinis filius Pindarus? quanta in gratia apud Syracuſarum regem Hieronem fuit? Sed quid hujus rei plura exempla conquiram? Signantur eruditorum hominum nominibus tempora: ut minus ſaepe, quibus illi regnantibus vixerint, quam qui eis florentibus regnaverint, quaerere ſoleamus. Neque tamen haec praecipua ſunt eorum bonorum, quae percipiuntur ex litteris: ſunt alia longe majora longeque diviniora. Litterae inditos nobis a natura honeſtatis igniculos excitant; luxuriantes quaſique frutiçantes cupiditates ſtringunt ac coërçent, easque rationis finibus regunt; abducunt a vitiis, duces & magiſtrae ſunt ad virtutem; proſperis rebus ornamento ſunt, ſolatio adverſis; neque illis exſultare atque efferri ſuos, neque his frangi ac deprimi ſinunt; eam denique tranquillitatem animi efficiunt, quam multi finem bonorum eſſe dixerunt. Crates quidem Thebanus interrogatus, quid ſibi ſupereſſet ex Philoſophiae ſtudio, no-

cui-

tissimo versu respondisse dicitur: *Choenix lupinum, & mentis a curis quies.* O magnum & excelso animo praeditum virum. Quod aliis regna & imperia non adferunt, ut soluto ac libero animo sint, id ipsi, propter litterarum, & Philosophiae commercium, choenix lupinorum adferebat. Quod si tam multa tamque praeclara bona litteris ac disciplinis continentur; si ipsis nominibus ac vocabulis testata est vetustas, earum cognitionem & hominibus, & liberis atque ingenuis hominibus dignissimam esse; si & ignava vita homine indigna est; & nullo in studio melius, quam in litteris, industria collocari potest; si ad opes ac potentiam, si ad honores ac dignitates via optime litteris sternitur; si eisdem & animi tranquillitas, & nominis aeternitas comparatur: quid statis, adolescentes, aut cur oblatam vobis tanti boni consequendi occasionem effugere atque evolare patimini? cur non, aliis omnibus curis & cogitationibus ex animo abjectis atque abdicatis, in hanc unam toto pectore incumbitis? Non hoc sedendi, ut ait Bacchylides, ac cunctandi tempus est. Non enim ex plano ac facili gloria haec petitur: neque lata, ut ait Propertius, via currere ad Musas datur. Non frustra eas antiqui in arduo atque edito monte habitare dixerunt. Laborem & sudorem & vigilias in earum atrio ac vestibulo excubare voluit Deus: qui, ut dicebat Epicharmus, labore omnia prope bona hominibus venalia proposuit. Ego autem, ut libere vobiscum agam, valde vereor, ne, cum plerisque vestrum alia omnia abunde sint, mollitia multi & laboris odio a studiis avocentur. Itaque quibus verbis Homerica Pallas Nausicaan e somno excitat, quam segnem, & ignavam vocat, quod vestes magni pretii, sibi emptas a parentibus, neglectui habeat, easque illotas ac sordidas jacere patiatur; surgere igitur eam jubet, & ad eas abluendas cum prima luce proficisci, praesertim cum instet tempus nuptiarum: iisdem merito multos e vobis aliquis quotidie objurgaverit. Surge quamprimum miser, & ex animo torporem atque ignaviam excute. Quid tu istud ingenium, quod tibi a communi omnium parente Deo, multo qualibet veste pretiosius datum est, situ ac sordibus obsolescere quasque rubigine obduci pateris? cur non potius diluculo ad illos proficiscris omnibus obvios & expositos doctrinarum fontes, quibus te mersans, ex quibus arbitratu tuo hauriens, pectus

ctus & purgatum vitiorum maculis, & multa praeclarissimarum rerum cognitione madidum referas? praesertim cum puerulus amplius non sis, sed ea jam appropinquet aetas, qua tibi in lucem atque in conspectum hominum prodeundum est. Hinc enim demum, multo magis, quam unde illa dicit, & tibi paries gloriam, & parentum pectus gaudio laetitiaque complebis. Sed jam longior, quam par erat, fui. Cogitate, obsecro vos, languidis, ac remissis omnia difficilia, navis & industriis omnia pervia, ac facilia esse. Deus optimus maximus, cui quaecunque hic acta dictaque sunt, grata & accepta esse cupio, vobis omnibus eum animum inspiret, ut haec, ad quae vos hortatus sum, tam sequi velitis, quam consequi potestis. DIXI.

ORATIO XXIV.

habita Romae anno

MDLXXIV.

IN FUNERE CAROLI IX. GALLORUM REGIS.

Hoc igitur unum restabat adflictis ac paene prostratis infelicis Galliae rebus, ut Carolus Rex, quo se illa recreabat ac solabatur uno, de quo cogitans, in quem intuens, omnium quas excepit acerbitatum memoriam deponebat, cum bonorum animos ad aliquam spem quietis erigere coepisset, in ipso incuntis adolescentiae flore, acerba atque immatura morte raperetur? O fallaces hominum spes! O incerta vota! O lubrica & ancipitia humanae vitae curricula! Merito lacrymis oculi omnium madent; merito omnia planctibus gemitibusque circumsonant; merito undique querelae & lamentationes exaudiuntur. Tu ipse, beatissime Pater, cujus & in prosperis rebus spectata moderatio est, & in adversis animi magnitudo, in tanto casu cohibere dolorem non potes:

quas-

quasque lacrymas gravitas & constantia retinere ac frenare consueverat, eas nobilissimi omnium regni miseratio, & paterna caritas elicit. Planeque aliis in rebus quaerenda est fortitudinis ac constantiae laus: in tam gravi vulnere, tam dubiis ac formidolosis Christianae reipub. temporibus accepto, immanis quaedam duritia esset, non flere, non ingemiscere, non commoveri. Qualem enim, quantumque Regem, & quanta, non dicam indole, quod tamen in homine adolescente satis esse videretur, sed quanta omnium regiarum virtutum copia praeditum amisimus? Quem cum divina providentia, annos natum non amplius decem, in illo celsissimo majorum suorum solio collocasset: quantas ille jam tum, quamque crebras, in illa aetate, quae nihil cogitare, nihil loqui, nisi leve, ac ludicrum, solet, inusitatae cujusdam & inauditae prudentiae significationes dedit? Incredibile dictu est, quam saepe ille in deliberationibus publicis sapientissimorum senum sententiae puerulus anteverterit, quaeque illi dicere in animo habebant, ea prior ipse protulerit: nemo ut esset, cui non, in tanta annorum immaturitate, tanta mentis, & consilii maturitas divinum potius quiddam, quam humanum, videretur. Est certe, est aliqua vis originis ac sanguinis; quosque magnis ac nobilibus populis rectores destinavit praepotens ille rerum omnium moderator Deus, in eis plerumque virtus non exspectat annos; sapientiaeque semina in eorum animis & comprehendunt facilius, & tempestivius adolescunt. Jam quae laus in filiis praecipua est, reverentia adversus parentes, & eorum praeceptis ac monitis obtemperatio, ea ille ita praestitit, ut nunquam omnino neque privatis, neque publicis in rebus voluntas ipsius a sapientissimae matris consilio discreparit? Quid? in fratres quanta, quamque se omni ex parte prodens caritas? Quod & semper alias cognitum est, & proxime cum ab Henrici Regis in Poloniam proficiscentis amplexu avelli non poterat, seque a vita relinqui, quod ab eo relinqueretur, putabat. De pietate autem in Deum, & de ardentissimo studio, quod semper habuit, conservandae ac propagandae Catholicae religionis, quid ego nunc plura praedicem, aut quid res in omne aevum omnium scriptorum ingenia fatigaturas exornare in, hac mediocritate ingenii, & in his temporis angustiis coner? Cui enim ignotum est, aut cui notius, quam tibi, be-

beatisſime Pater, vobisque omnibus, Patres amplisſimi, quos ille labores pertulerit, quibus difficultatibus conflictatus ſit, quae pericula ſubierit, quibus damnis ſe, regnumque ſuum ſponte multaverit, dum quidvis ſatius eſſe ducit, quam ut quidquam in Gallia, ſe vivo, de Chriſtianae religionis integritate minueretur? Qui quot annos regnavit, totidem continenter pro fidei defenſione pugnavit. Etenim tetra illa natio perditorum ac profligatorum hominum, qui fraudibus ac mendaciis ſuis nuper delapſae de caelo & ſibi ſolis patefactae veritatis nomen obtendunt; qui, quod ad legem Dei, cupiditates ſuas dirigere gravantur, legem Dei ad cupiditates ſuas detorquere conantur; quorum conſpirationes ſub Henrico II. initae, ſub Franciſco II. leviter patefactae, ſuſceptis a Carolo regni habenis, aperte ſe ac propalam effundentes, florentisſimum, dum per illos licuit, Galliae regnum omni ſcelere ac crudelitate lacerarunt, non tam id agebat, (quanquam id quoque,) ut regiam auctoritatem convelleret, quam ut regnum ab Eccleſiae communione divelleret. At ille generoſi ſeminis adoleſcens, qui amorem Dei & Eccleſiae cum ipſo nutricis lacte ſuxisſet, totaque mente penitus combibisſet, articulatim ſe prius concidi ac comminui paſſus eſſet, quam a recta illa regula patriae & avitae religionis abduci. Itaque dum purgare regnum ſuum illis peſtibus nititur, dum illius hydrae & in ſuam & aliorum perniciem contumacis adſidue renaſcentia capita amputare conatur: quatuordecim, (tot enim regnavit) annos in perpetuis bellorum fluctibus, & in perpetua regni ac vitae ſuae dimicatione tranſegit. Ut, niſi pulcerrimum illud Chriſtianisſimi cognomen a majoribus ſuis hereditarium accepisſet, id ipſe ſibi poſterisque ſuis ſua virtute peperisſet. Quin etiam, cum capitales quidam ac nefarii homines dicerent, facilem ei eſſe & expeditam viam non modo ad pacandum regnum ſuum, ſed etiam ad fines illius ſine ullo labore amplificandos ac proferendos, ſi remittere aliquid de tanto illo vetuſtae religionis conſervandae ſtudio vellet: magno animo averſatus ac deteſtatus illorum conſilia, omnes ſibi coronas, omnia regna, omnia imperia ſordere dixit prae illa immortalitatis corona, quam ſibi in caelo repoſitam eſſe confideret. Cumque eum exaggeranda hoſtium multitudine ac viribus perterrefacere vellent: Dominus, in-

quit, Dominus ipſe eos interficiet ſpiritu oris ſui. Prope ſupervacaneum videri poteſt, cum de tam Chriſtiano principe verba faciam, quanta illius erga Sedem apoſtolicam obſervantia fuerit, dicere. Quo enim quisque Chriſtum ipſum ſanctius & religioſius colit, eo ſtudioſius & magis ex animo Vicarios ipſius colat, neceſſe eſt. Quo modo ille de Pio V. cujus memoria in benedictione eſt, & ſentiebat, & loquebatur? Quem ſibi non hominem, ſed angelum quendam humana inter mortales ſpecie verſantem videri dicebat: cujus monitus tanquam caeleſtia quaedam oracula reverebatur. Nam de te, beatiſſime Pater, qui ſucceſſor illius omnium votis expetitus, divino conſilio delectus, tam ſubita tamque admirabili totius ſacroſancti Collegii conſenſione declaratus es, quam magnifice in omni ſermone praedicare ſolitus eſſet, dicerem, ſi, quam facile praeſtas, ut ab omnibus uno ore laudaris, tam libenter eos, a quibus laudaris, audires. His ille artibus ita ſibi bonorum omnium animos voluntatesque devinxerat, ut, quanquam ex ejus aetate & temperatione corporis, probabiliter ſperare poterant, diu ſe illius virtute fruituros, cuperent tamen omnes, ſi fieri potuiſſet, partem aliquam vitae ſuae conferre ac contribuere, & annis ſuis vitam illius prorogare (*). Sed nihil in humanis rebus firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum reperiri poteſt. Dum condocefacere nos vult Deus, terram nobis, non pro domicilio, ſed pro diverſorio datam; hanc, quae vita dicitur, non tam vitam eſſe, quam iter ad vitam; in caelo, non in terra, nobis eſſe ſpem defigendam ac collocandam: agitat omnia arbitratu ſuo, &, quae ſolida ac firmis nixa radicibus putantur, ea momento temporis vertit. Cum vexata tot calamitatibus Gallia paullum tolleret oculos, & Dei ac Regis ſui perduellibus partim fractis ac domitis, partim captis ac comprehenſis, tandem aliquando ſe poſt tot mala reſpiraturam ſperare inciperet: ecce tibi lenta & omnem fallens medicorum induſtriam febris, vires adoleſcentis immortalitate digni, & nati ad relinquendum omnibus bonis per-

(*) Rectius *propagare*, ut nunc editur apud Cicer. de Finib. V. 11. *propagabat tamen vitam aucupio.* De confuſione & diſcrimine horum verborum Critici ſaepe diſputarunt, ut Graev. ad Cic. ad Div. V. 15. & Oudendorp. ad Sueton. Aug. 25.

perpetuum desiderium sui, ita paullatim attrivit ac labefactavit, ut ad postremum inevitabilem ei attulerit ex hac vita migrandi necessitatem. Quod ubi percrebruit, qui tum plangor omnium, quae complorationes, quae lamentationes fuerunt? Alius sibi scindebat capillum, alius lacerabat genas, alius pectus & humeros crebris ictibus verberabat; alii interire amores ac delicias Galliae, alii cadere columen religionis, alii Catholicorum praesidium dejici, alii alia, quae diversis diversa non diversus suggerebat dolor, miserabiliter querebantur. Ipse unus interritus, & aequissimo animo exitum divinae voluntatis exspectans, cum matrem, uxorem, fratrem, ceterosque propinquos ad se convocari jussisset: primum quidem Sacramenta, quibus morituri praemuniri, & Deo conciliari solent, omnia & popposcit, & magna cum animi summissione ac divinae majestatis veneratione suscepit; deinde vero contestatus, eo tantum sibi molestam esse mortem, quod fratrem suum, tum Poloniae, mox etiam Galliae regem futurum, moriens complecti non posset; ceteroqui gaudere se, quod tantum successorem habiturus esset, cujus singulari & tot jam documentis comprobata virtute, non dubitaret fore, ut res Gallicae feliciter componerentur; interea obtestari, atque obsecrare matrem, ut regni gubernacula susciperet, quaque prudentia regnum sibi tot annos conservasset, eadem fratri suo conservaret; sese jam tunc omnem potestatem regiam in eam, usque ad fratris reditum, transferre; hortari ceteros, ut ipsius primum, deinde fratris, cum revertisset, imperio amanter ac fideliter obtemperarent; praecipue autem, ne quid unquam prius, aut antiquius haberent conservatione Catholicae religionis; ex ea bona omnia fluere; ea neglecta, collabi ac concidere omnia. Sed jam valete, inquit, & mei memores este. Ego enim ad Deum vocor: quem ut aequiorem ac placabiliorem peccatis meis judicem experiar, vestris me omnium adjuvari precibus postulo. Haec fatus, deficiente jam, & moribunda voce, tuum, Christe Jesu, nomen invocans, tuam, sanctissima Virgo, apud filium opem implorans, ad vos, ut confidimus, evolavit. Ac, si quidem ipsum spectamus, gratulari ei potius quam lugere debemus. Regnum enim terrestre caelesti, laborem quiete, mortalitatem immortalitate mutavit. Quod mortuus est, humanae fragilitatis est; quod ita mortuus,

divinae cujusdam felicitatis. Bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit. Aut jam coronavit eum Deus, aut brevi, tuis, beatissime Pater, & totius Ecclesiae precibus adductus, coronabit corona justitiae, quam promisit diligentibus se. At illam tot regum matrem, toties jam custodem ac conservatricem regni, ipsa sua felicitate miserandam, quo nunc, quo tandem esse animo creditis? Quae ex summis honoribus summos dolores consecuta, ter jam, & in viro & in duobus filiis mortua, vitae suae superstes, toties ore suo eorum clausit oculos, a quibus claudi cupiebat suos; tam saepe eis officia praestitit, quae sibi ab eis praestari maluisset. Quid illa fortissimarum domina gentium, Gallia? quae sibi eodem funere cum Rege suo efferri visa est; quae jacet adhuc perculsa & attonita tanto vulnere, metuens, ne, illius atrocitate, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescant. Pro Deus optime maxime, etiam cum ulciscēris, benefice; etiam cum poenas exigis, misericors: quibus tam gravibus culpis tam diuturnam in se iram tuam Gallia provocavit? Quatuordecim jam anni sunt, & eo amplius, cum illud potentissimum & memoria nostra florentissimum regnum perpetua bellorum civilium serie ita & ab alienis & a suis vexatur, ac diripitur, ut de eo jam dici possit, quod scriptum est apud Prophetam: *Residuum erucae comedit locusta: & residuum locustae comedit bruchus: & residuum bruchi comedit rubigo.* Atque ut magis intelligatur, id divina ultione fieri, quoties inibi esse videtur, ut jam jamque componantur ac tranquillentur omnia, in ipso, ut ita dicam, portu frangitur navis. Properarat Henricus II. pacem cum Philippo Rege Catholico quibuslibet conditionibus facere, ut, expeditus belli curis, hujus mali nascentis semina elideret. In ipso ejus rei conatu ac molitione, inopinata morte sublatus est. Sub Francisco II. conspiratione detecta, spes objecta erat, fore, ut, paucorum supplicio, ceterorum audacia in perpetuum reprimeretur. Ante ipse mortuus est, quam de fontibus comprehensis supplicium sumeretur. Nunc nuper eo rem perduxerat Carolus IX. ut omnes instare finem malorum existimarent. Aliter Deo visum est: qui Henrico III. Galliae & Poloniae Regi, quem tam multis tamque illustribus argumentis sibi carissimum esse declaravit, hanc felicitatem, ut speramus, reservare ma-

maluit. Neque dubium eſt, hoc ita eventurum, ſi omnes nos a vitiis noſtris averſi, quae Dei placandi certiſſima ratio eſt, tota mente convertamur ad Deum, eumque adſidue obſecremus, ut compeſcat iram ſuam: &, quando Carolum in ſinum, ut ſperamus, ſuum excepit, Henrici III. ductu, ſub Gregorio XIII. raptores quidem lupos interfici, oves autem, quae aberrarunt, in ovile ſuum reduci velit. Ita eveniat, Domine Jeſu, cui laus omnis & gloria debetur in omnem aeternitatem. DIXI.

ORATIO XXV.

AD

S. D. GREGORIUM XIII.

PONTIFIC. MAX. NOMINE HENRICI TERTII GALLIAE ET POLONIAE REGIS,

habita Romae in Conſiſtorio publico, Ludovico Caſtanaeo Rupipozaeo, Equite Ordinis Regii, viro illuſtri, ejusdem Regis nomine obedientiam praeſtante, XIII. *Cal. Quinct. anno*

MDLXXVI.

Gratus quidem ac jucundus tibi eſſe debet, beatiſſime Pater, eorum omnium legatorum adventus, qui huc a Chriſtianiſſimis Principibus mittuntur: tum ut tibi ſummum in terris honorem gratulentur: tum multo magis, ut ſe Chriſto ac tibi, ut par eſt, obedire, manere in officio, perſtare in fide, & vires, & copias ſuas ad apoſtolicae Sedis defenſionem, ſemper promptas ac paratas & eſſe & fore profiteantur. Nam & ex illa ipſa divinitus tibi delata dignitate, majorem a te capi jucunditatis

fructum necesse est, cum ea ceteros quoque laetari perspicis: neque tibi, qui communis Christianorum omnium Pater es, ulla ex re verius ac solidius gaudium objici (*) potest, quam cum filios dignitatis tuae studiosos, auctoritati tuae deditos, praeceptis ac monitis tuis obtemperandi cupidos videas. Sed tamen omnibus saeculis ea Gallorum Regum in Pontif max. asperrimis ac difficillimis temporibus promerita fuerunt, ut multis nominibus eorum & studium atque obsequium praecipua quadam caritate complectendum, & legati aequissimis animis audiendi, & dicta, factaque omnia singulari quadam paternae voluntatis propensione in optimam partem accipienda videantur. Quoties enim in hoc amplissimo nobilissimoque consessu Reges Galliae nominantur, toties in omnium animis memoria renovatur, & officiorum, quae illi longe plurima, longeque maxima in hanc sanctam Sedem contulerunt: & honorum, quos ab ea vicissim eximios pro sua in eam eximia pietate retulerunt. Si quis autem rex unquam fuit, qui propter virtutis ac rerum gestarum magnitudinem, exquisitissimis honoribus afficiendus esset: eum se jam nunc in ipso adolescentiae flore Henricus III. Galliae & Poloniae Rex, praebuit, nihil ut de eo tam honorifice dici possit, quin id jam pridem virtus ipsius in omni genere spectata superarit. Quo te libentius accepturum esse confidimus eam fidem, venerationem, obedientiam, quam talis tantusque Rex hodierno die per clarissimum & omni laude cumulatissimum virum, Ludovicum Castanaeum Rupipozaeum, Equitem ordinis regii, Oratorem ad te suum, tibi, beatissime Pater, & Sedi apostolicae praestat. Cujus enim Regis nomen a summo Ecclesiae pastore & gubernatore audiri libentius debet, quam ejus, qui, cum hereditario jure principem inter Christianos reges locum majorum suorum virtute partum obtineat, ita per eorum vestigia graditur, ut, quantum ab eis omnibus splendoris accepit, tantumdem ipse unus facile afferat universis? qui cum adhuc adolescentulus ac prope puer esset, ita saepe, ita for-

(*) *Gaudium objici* dicitur, quod insperatum est, ut apud Terent. Heaut. I. 2. 12. *Ut hanc laetitiam necopinanti primus objicerem.* Qui sensus ab hoc loco alienus est.

fortiter, ita feliciter adverſus hoſtes Eccleſiae dimicavit, ut eorum aſtus conſilio eluſerit, temeritatem virtute domuerit, pertinaciam conſtantia fregerit. Quam ſaepe eo ſibi per hoſtiles cuneos omnia ferro pervia faciente, ex hoſtium ipſorum tantae, tamque praematurae virtutis admiratione defixorum manibus tela irrita ceciderunt? Quam ſaepe cominus ab eis petitus, ita mirabiliter ſervatus eſt, ut Deus ipſe ſua manu ictus in eum directos depellere, & telis ac tormentis vim nocendi adimere videretur? At ille laudis & gloriae cupidus, vitae ac ſanguinis prodigus, Dei memor, immemor ſui, in victoria ſalutem, in virtute victoriam, in vita ob talem cauſſam in omne diſcrimen exponenda virtutem poſitam judicabat. Itaque cum generoſiſſimi adoleſcentis non jam praelia, ſed victoriae ac triumphi numerarentur, jamque totum terrarum orbem tam inuſitatae tamque inauditae virtutis fama peragraſſet: fortiſſima ac bellicoſiſſima Polonorum gens eum ſibi regem concordibus ſuffragiis adoptavit. Quo ille nuntio abſtractus ab ingentibus, ac paene ad exitum perductis, liberandae ac purgandae Galliae coeptis, in regnum virtuti ſuae ultro delatum proficiſcens, quacunque iter fecit, omnes & principes & populos ſui amore & admiratione complevit. Vix dum novi & a ſe expetiti regis ſuavitatem Polonia guſtaverat, cum ſecuta Caroli IX. Regis acerba, & perpetuis lacrymis proſequenda mors, res in Gallia componi coeptas, majoribus denuo procellis involvens, totius regni ſtatum in ultimum diſcrimen adduxit. Celeriter igitur e Polonia periclitantis & regem ſuum implorantis Patriae voce revocatus, cum easdem illas diſenſiones, quae Galliae regnum prope ſubverterant, non modo non ſedatas, aut mitigatas, ſed auctas etiam ac corroboratas offendiſſet; corruptos ac depravatos ob bellorum longitudinem mores; multorum animos, etiam ex iis, qui ſe Catholicos eſſe profitebantur, ſtudio partium infectos; plena omnia licentiae, plena rapinarum, plena ſcelerum, plena hoſtium & externorum & domeſticorum: eadem tamen, qua ſemper fuerat, animi praeſentia ac magnitudine, tuo etiam, beatiſſime Pater, & conſilio & auxilio fretus, bellum repetiit, ac redintegravit: diuque viris equisque, ut dicitur, tentavit efficere, ut vi & armis perdomita contumacium & regni perturbatorum ſuperbia, pax & quies

tandem aliquando fessae tot calamitatibus Galliae redderetur. Sed ut animadvertit, nihil ea ratione, quam tam diu tenuerat, profici, ac potius & regno & religioni vehementer offici, quae jam multis in Galliae locis labasceret, a plerisque etiam penitus exularet; interea uri ac vastari agros, oppida diripi, omnia itinera latronum ac praedatorum cohortibus obsideri, regni vires quotidianis caedibus ac stragibus enervari, opes immensis sumptibus exhauriri, innumerabilem vim teterrimorum facinorum in utroque exercitu quotidie perpetrari, extremam cladem ac perniciem imminere, nisi mature subveniretur: aliud sibi consilium necessario capiendum judicavit. Optimus ac mitissimus Princeps, qui sanare vellet suos, non perdere, idem fecit quod prudentes medici solent: qui cum ustionibus, sectionibus, inedia, detractione sanguinis, non morbum, sed aegrotum ipsum confici ac profligari vident, ad aliam curandi rationem confugiunt; & fomentis ac remediis mollioribus & victu paullo copiosiori indulgentes, malunt aegrotum cum aliqua parte morbi alere, quam utrumque simul e medio tollere. Maluit igitur & ipse in tanto tamque manifesto interitus periculo, ei parti suorum, quae adhuc superesset, ignoscere, quam committere, ut brevi ne superessent quidem, quibus ignosceret. Cumque cogitaret, illum ipsum rerum omnium praepotentem Deum multa tolerare, quae non probet; ipse quoque in tantis angustiis multa, a quibus animo & voluntate longissime abhorret, interea tamen sibi toleranda esse statuit, dum aliquid melius eveniret. Certe enim, beatissime Pater, fretus ea spe, quam in Deo primum, deinde ex omnibus mortalibus in te potissimum collocavit, melius aliquando fore confidit. Multa oratione conficiuntur, quae ferro nunquam confici possunt. Saepe quos severitas frangere non potuerat, clementia inflexit. Equi adversus frenum contumaces, interdum sessore habenas remittente consistunt. Multi qui terrore & malo domari non possunt, indulgentia & facilitate mitescunt. Pugnabitur adversus eos, qui a nobis dissident, precibus adsiduis, & privatim & publice ad Deum fusis. Piorum & eruditorum concionatorum vox, praecipuum instrumentum Dei ad inferendam in animis hominum fidem, quae in plerisque Galliae partibus armis oppressa conticuerat, libere jam toto regno audietur. Licebit im-

impia & peſtifera dogmata rationibus & argumentis confutare ac redarguere, vera ac ſalutaria confirmare & conſtituere. Catholicae religionis uſus & exercitatio, quae multis ex locis indigniſſime ſublata & expulſa erat, reſtituetur ac renovabitur. Dabitur a noſtris opera, ut vitae ac morum ſuorum exemplo ad bonas partes alliciant, & ad ſanitatem perducant eos, quos armorum vis magis ac magis usque adhuc effrenavit (*). Rex ipſe una cum fratre, forti ac ſtrenuo, ac Catholicae religionis ſtudioſiſſimo principe, concordibus ac conſociatis animis enixe omnia facient, quae ad errores ex animis ſuorum evellendos accommodata eſſe arbitrabuntur. Catharina Regum mater, ſumma prudentia & conſilio praedita mulier, & liberorum amans ultra conſuetum matribus modum, cujus e ſinu pax haec prodiit, cujus praecipue opera & laboribus conflata & conciliata eſt, omne ingenium, quo plurimum valet, omnemque auctoritatem ſuam conferet ad filios in fraterna concordia perpetuo continendos, & ad populos ejusdem religionis communione devinciendos. Rex quidem ipſe, quod maximi momenti eſt, non tam nomine, quam re & animo, & tota vivendi ratione Chriſtianiſſimus, vitam ſibi potius eripi patietur, quam fidem: neque unquam degenerabit a majorum ſuorum nota teſtataque virtute: & quam tibi, beatiſſime Pater, ac Sedi apoſtolicae, vere atque ex animo obedientiam praeſtat, eam ſe conſtantiſſime praeſtiturum usque ad extremum ſpiritum pollicetur. DIXI.

(*) Muretus haud dubie ſcripſit, *efferavit.*

ORATIO XXVI.

IN FUNERE PAULI FOXII, ARCHIEPISCOPI TOLOSANI, REGIS GALLIARUM ORATORIS AD GREGORIUM XIII. PONT. MAX. ET AD SEDEM APOSTOLICAM,

habita Romae, in aede S. Ludovici IV. *Kal. Junii*

M D X X C I V.

Si ut opum ac potentiae, ſic eruditionis ac ſapientiae heredes a magnis ac praeclaris viris inſtitui poſſent, is demum Paulo Foxio idoneus laudator reperiretur, quemcunque ipſe ſibi earum virtutum ſucceſſorem eſſe voluiſſet. Nam nec in quo amplior & uberior omnium laudandarum artium ſeges efflоruerit, nec in quo vis & copia dicendi major, quam in eo, exſtiterit, ex omni memoria noſtra deligi quisquam poteſt. Quo mihi majus ac difficilius onus impoſitum eſſe video, in hoc ornatiſſimo conſeſſu de laudibus ipſius verba faciendi: quod neque unquam ſubire auſus eſſem, niſi & mea me multis abhinc annis ſuſcepta adverſus eum obſervantia, ut id facerem, adduxiſſet, & eorum, quorum imperium detrectare non poteram, auctoritas coëgiſſet. Neque nunc ei me ferendo parem fore confiderem, niſi mihi, quod vix dictu credibile eſt, ipſa levamento ac ſolatio eſſet difficultas. Nam ſi quemquam alium de Paulo Foxio pro ipſius dignitate dicere poſſe exiſtimaſſem, valde me puderet in eum locum conſcendiſſe, unde nihil aliud viderer praeſtitiſſe, quam ut ſummi viri laudes inopia dicendi detererem. Nunc cum ſatis intelligam, quod mihi eventurum eſt, ut oratio mea longe multumque infra ipſius dignitatem jaceat, idem cuilibet quamlibet copioſo & exercitato homini eventurum fuiſſe, facile patior delectum potiſſimum eſſe me, cujus praedicatione, quaſique praeconio, admirabilium ipſius in omni genere virtutum,

ad

ad eos, quibus illae forte minus notae fuisſent, qualiscunque cognitio perveniret. Sed quoniam & multa mihi ac praeclara dicenda, & in unius ſemihorae curriculum omnia concludenda ſunt, ad res ipſas veniam, neque committam, ut ex tam brevi tempore pars a me ulla in rebus non neceſſariis conſumpta videatur. Primum igitur, ſi generis nobilitas quidquam ad commendationem pertinet, vere hoc affirmare poſſumus, non multas gentes in univerſo terrarum orbe reperiri, quae cum gente Foxia vel antiquitate, vel rerum geſtarum gloria comparari queant. Quae cum ipſa per ſe nobiliſſima eſt, tum hoc nobilior, quod cum potentiſſimis Regibus & Imperatoribus multiplici ſe jam pridem affinitate devinxit. Nam ut vetuſtiora taceam, neque illa repetam, quae quingentos fere abhinc annos a Comitibus Foxiis geſta, & nobilium ſcriptorum conſignata monumentis, nulla unquam oblitterabit aetas; his certe centum proximis annis tres ex gente Foxia nobiles ac potentes reginae exſtiterunt. Earum prima eſt Anna, Joannis Foxii Candalae Comitis filia, quae Ladislao, Bohemiae & Ungariae regi, in matrimonium collocata, filiam ex eo ſibi cognominem ſuſtulit, uxorem poſtea Imperatoris Ferdinandi, matrem Imperatoris Maximiliani, aviam ejus, qui nunc feliciter imperat, Rodolphi. Secundo loco nominabo Catharinam, Gaſtonis quinti filiam, reginam Navarrae, quae id regnum, in quod Franciſco Phoebo fratri ſuo ſucceſſerat, dotale ad Joannem Albretium detulit: quo ex matrimonio natus eſt Henricus rex, avus Henrici, a quo hodieque idem regnum hereditario jure obtinetur. Sed & illius invicti Gaſtonis, ducis Nemorenſis, qui dum vixit, terror hoſtium Gallici nominis fuit, qui fulminis in morem hoſtiles turmas disjicere, qui quacunque incedebat, victoriam in manibus geſtare videbatur, qui ſemper vincere aſſuetus, poſtremo ad Ravennam, dum pro Ludovico XII. avunculo ſuo fortiſſime dimicat, etiam moriens vicit; ejus igitur Gaſtonis ſororem, Germanam nomine, Ferdinandi, Caſtellae regis, matrimonium tenuiſſe, notiſſimum eſt. Neque hoc loco reticenda eſt Margarita Foxia, Gaſtonis quarti filia, quae Franciſco duci Britanniae nupta, Annam ex eo ſuſcepit, Caroli octavi primum, deinde etiam Ludovici duodecimi uxorem, ex qua nata eſt Claudia, uxor Franciſci primi, mater Henrici ſecundi, avia ejus,

ejus, qui hodie regnat, &, ut ſperamus ac cupimus, diutiſſime ac felicisſime regnabit, Henrici. Sed aut haec ſatis ſunt ad oſtendendam ſummam nobilitatem gentis Foxiae, aut non video, quid ſatis eſſe poſſit. Ex hac tam illuſtri gente natus eſt Paulus Foxius anno Chriſti MDXXIIX. patre Joanne Carmanii Comite, matre Magdalena Caupenia, nobiliſſimus quidem utraque ſtirpe, ſed ingentem virtute ſua cumulum ad veterem ſuorum gloriam additurus. Natus autem eſt ea non oris modo ac vultus, ſed totius corporis pulcritudine, ut ex ipſo aſpectu imago quaedam ingenitae virtutis atque honeſtatis emicaret. Vidi equidem illum & adoleſcens adoleſcentulum, & vir virum, & ſenex ſenem: mea enim, quam illius, biennio fere grandior erat aetas: neque quenquam unquam videre memini, in quem verius conveniret id, quod Graeci de Alcibiade praedicant, in omnibus aetatis partibus aeque gratam ac jucundam ipſius formam fuiſſe. Ingenium ad omnes honeſtas diſciplinas docile, & ad eas percipiendas ita factum, ut, quae diſcebat, non tam accipere a magiſtris, quam ipſe ex ſe parere, & eorum reminiſci quodammodo ac recordari, ex illa vetere Platonis ſententia, videretur. Mores & jam tum in illa aetatis teneritate graves, ſeveri, compoſiti, & humanitatis tamen ac facilitatis condimento temperati: ut eos, quibuscum una erat, & incredibili quadam jucunditate conciliaret ſibi, & exemplo ſuo, ab omni improbitate revocaret. Denique ut in herbeſcenti ſegetum viriditate certa prope ſpes futurae meſis apparet, ſic nemo tunc erat, qui non eum a puero, qualis poſtea fuit, talem facile augurareturfore: juſtum, integrum, continentem, abſtinentem, amantem pacis ac concordiae, veracem, apertum, ſimplicem, ad omnium potius peccata, quam ad ſua, conniventem. Litterarum ſtudia ita puerulus adamavit, itaque in eo poſtea conſtanter perſtitit, ut id unum a publicis negotiis diverticulum perpetuo habuerit, ut, quidquid ab eis dabatur otii, ſemper in litteris omne conſumpſerit. Graecis igitur & Latinis litteris Lutetiae diligenter excultus, ibidemque in Philoſophiae ſtudio magna cum cura exercitatus, Toloſam ſe ad percipiendam Jurisprudentiam contulit, quo in ſtudio tantos brevi tempore progreſſus fecit, ut adhuc adoleſcens publice de utroque jure magna cum omnium admiratione reſponderit, eosque honores conſecu-

cutus, qui amplisſimi, confecto ſtudiorum curriculo, decerni ſolent, incredibili hominum concurſu jus civile docuerit: cum ad eum inuſitata quadam dicendi facultate, de obſcuris dilucide, de confuſis ac perturbatis ordinatim ac diſpoſite, de dubiis enucleate diſerentem, etiam ii, qui diu magna cum laude docuerant, diſcendi cauſa quotidie convenirent. Inde cum in aulam regiam venisſet, ita ſtatim Henrico ſecundo Regi, acri ac perſpicaci ingeniorum exiſtimatori, ita ceteris principibus viris carus atque acceptus fuit, vix ut quisquam unus uni carior foret, quam unus hic univerſis. Ipſe vero & officia obibat diligentisſime, neque ullum diem abire patiebatur, quo non & regem & ceteros principes ſalutaret, & cum eis ſermonem conſereret, & eos quo opus erat deduceret ac reduceret. Neque tamen, quod plerique omnes aulici faciunt, reliquum tempus otioſe & inutiliter abſumebat: ſed repetitis de integro ſtudiis, Platonis praecipue & Ariſtotelis & Xenophontis ac Plutarchi, & ceterorum ejusdem notae libros, ad formandam vitam, & ad rationem gubernandae reipublicae pertinentes, ita ſtudioſe pervolutabat, ut eos in ſuccum ac ſanguinem ſuum converteret, omniaque eorum praecepta in numerato haberet, quibus non ad inanem loquacitatem, ſed ad danda capiendaque de rebus maximis conſilia tempeſtive uteretur. Hiſtoriae quoque multum operae ac ſtudii dedit, gnarus, illuſtria praecepta nulla re magis, quam exemplis illuſtribus confirmari. Itaque tum ſacram, tum profanam, tum veterem, tum novam, tum domeſticam, tum externam ita pertractaverat, ut quacunque de re dicere ingreſſus eſſet, optimis & accommodatisſimis exemplis ad confirmandum id, quod volebat, nunquam non abundaret. Quid de temporum ratione, quid te terrarum ſitu, quid de populorum inſtitutis, ingeniis, moribus, foederibus, quid de quarundam gentium inter ſe aut naturali conſenſione, aut odio vetere & ingenito loquar? quarum ille omnium rerum tantam notitiam habuit, ut id unum tota vita egiſſe videretur. His omnibus artibus inſtructus, cum jam ad obeundas legationes eſſet aptisſimus, antequam tamen ullam earum ſuſciperet, ex uſu ſuo fore ratus eſt, ſi in amplisſimo Senatu Pariſienſi per tempus aliquod verſaretur, ibique diſceptandis quotidie maximi momenti negotiis, firmiora & ſolidiora ſapientiae fundamen-

menta jaceret, ſeque illi praeſtantium virorum coetui quaſi recoquendum & expoliendum daret. Qua ipſius voluntate cognita, confeſtim Rex Henricus eum in Conſiliariorum numerum adlegit: in quo hic ei etiam praecipuus honos habitus eſt, quod, cum in eo ſenatu plura ſint inter ſe diſtincta auditoria, quorum ad ſupremum non niſi gradatim pervenitur, Paulo Foxio jus inter primos adſidendi, dicendaeque ſententiae ſtatim a principio tributum eſt. Ibi vero partam ſibi antea juris intelligentiam adſiduo tractandorum negotiorum uſu ita perfecit ac perpoliit, ut brevi tempore principem inter Jurisconſultos locum obtinuerit, cum eos quidem, qui in libris conſenuerant, ſeque uni cognitioni dediderant, uſu & exercitatione rerum forenſium; eos autem, qui ſe magis ad uſum forenſem applicuerant, eruditionis copia & magnitudine; aut potius, ſi aperte id quod res eſt, extincta jam invidia, profiteri volumus; utrosque utraque laude ſuperaret. Prima inde legatio in Scotiam fuit, ſub id tempus, quo Maria Regina Scotiae, mortuo Franciſco II. viro ſuo, in regnum ſuum reverterat. Ubi Foxius ea fundamenta jecit & tuendi regni & conſervandae religionis, in quibus ſi poſtea pari fide ac conſilio aedificatum eſſet: fortasſis hodie neque Regina miſerabiliter captiva teneretur, neque ſtatus religionis laboraret Illinc cum rediiſſet, anno MDLXI. legatus in Angliam miſſus eſt, ubi quadriennium integrum, tanta fide ac diligentia, tanta dexteritate ac prudentia, tanta perſpicacitate ac ſolertia in munere ſuo verſatus eſt, ut, magnis interea in Gallia motibus excitatis, nihil Angliae Regina ſtruere, nihil moliri, nihil machinari potuerit, ad conatus eorum, qui a Deo & a Rege rebellaverant (*), adjuvandos, quod non ipſe detexerit ac patefecerit, Regique indicaverit, eique viam ac rationem oſtenderit, qua pernicioſa Jezabelae conſilia mature praeveniret & occuparet. Foxii praecipue conſilio, occultisque monitis, inita eſt a Rege ratio extorquendi ex Anglorum manibus celeberrimi ac munitiſſimi portus Gratiarum, quo illi, ſibi haereticorum opera tradito, Galliam ab ea parte obſeſſam tenebant. Foxii conſilio re-

(*) Forte excidit verbum *deficientes*. Nam *rebellare ab aliquo* ne fando quidem auditum eſt.

repertum est, quomodo Rex ea pactione, quam Henricus secundus fecerat, de restituendo Anglis intra certum tempus Calitio solveretur: utque obsides eo nomine dati, dimidio ejus pecuniae, qua Rex depacisendi facultatem dederat, redimerentur. Illud vero commemoratione dignissimum, quod quam diu in Anglia fuit, nullum unquam diem intermisit, quin, quamlibet fremente Regina, sacrosanctum Missae sacrificium domi suae celebrari jusserit: ad quod clam avide conveniebat ac concurrebat magna & Anglorum & exterorum Catholicorum multitudo, quos ille fovebat, consolabatur, protegebat; quorum omnium arx, portus, praesidium, perfugium erat; a quibus non tantum mala multa imminentia depulit, sed effecit etiam, ut multa damna, quae eis data erant, restituerentur. Ob quae merita, ubi primum ex Anglia revertit, in sanctius atque interius Regis consilium adlectus est. Secuta legatio Veneta: in qua non tantum Regi cumulatissime satisfecit, sed etiam illis sapientissimis Patribus, universaeque Venetae civitati jucundissimam virtutum suarum memoriam reliquit. Cujus legationis expleto tempore, cum in aulam rediisset, inter togatos Regis consiliarios, & tranquillis & turbidis rebus, unus semper e principibus fuit: cum & doctrina, & usu rerum, & prudentia excelleret: neque sibi quidquam, praeter sincerum Dei cultum, dignitatem & utilitatem regiam, allevationem vexati tot acerbitatibus populi, in dicenda sententia propositum haberet. Inde sub finem anni MDLXXIII. legatus de rebus gravissimis & ad summum Pontificem, & ad plerosque Italiae Principes quae sibi mandata erant, illa toties experta fide ac dexteritate transegit. Interea, cum Gallici tumultus utcumque compositi viderentur, missus est a Rege ad Henricum Regem Navarrae, qui tunc in Aquitania erat, ut eum auctoritate ac praesentia sua in officio contineret. Quamquam autem vitari nullo modo potuit, quin anno post novae turbae concitarentur: tantum tamen Pauli Foxii virtute perfectum est, ut, cum quibuscunque aliis in locis haereticorum factio potentior erat, divini cultus ne vestigia quidem relinquerentur, everterentur templa, sacerdotes crudelissime contrucidarentur; Agini, quae urbs secundum Burdegalam, Aquitaniae principatum obtinet, & in toto eo tractu, rebus divinis libere opera daretur, starent sarta tecta templa, sa-

ſacerdotes ab omni contumelia & injuria tuti forent: ſacrae ac Catholicae conciones nunquam intermitterentur: cum & publice & privatim Foxius Catholicis animos faceret, eosque ad bene ſperandum excitaret: ita ut eorum protector (*), conſervator, parens uno omnium conſenſu haberetur. Scripſit ea de re Clerus Aginenſis ad virum ſumma dignitate praeditum, Carolum Rambolletum Cardinalem, petens ab eo, ut haec omnia ſummo Pontifici diligenter exponeret, eique omni aſſeveratione confirmaret, quicquid templorum, quicquid ſacerdotum ceterorumque divino cultui mancipatorum hominum in ea provincia maneret, id omne, ſecundum Deum, unius Pauli Foxii virtuti auctoritatique deberi. Saepe igitur in magnum vitae diſcrimen adductus eſt, cum iniquo animo ferrent milites a templis depraedandis cupiditatem, a ſacerdotibus mactandis crudelitatem ſuam unius hominis auctoritate prohiberi. Multa praetereo memoratu digniſſima: ſed mihi non tam orationis conquirenda copia eſt, quam veſtra ſatietas refugienda. Decernitur ei a Rege legatio ad ſummum Pontificem, ita tamen, ut prius quam in eam proficiſceretur, una cum Catharina Regis matre Aquitaniam, Galliam Narbonenſem, Provinciam, Allobroges obire, in ſingulis oppidis conſiſtere, ac conventus agere, resque perturbatas, quantum temporum ratio ferret, optime ac commodiſſime componere juberetur. Quid ego nunc dicam, quam ſalutare iter illud fuerit, aut quantam afflictis rebus levationem attulerit? Catholica religio multis in locis, a quibus exulabat, reſtituta; bona ſua, & exercendorum munerum ſuorum facultas, Eccleſiae miniſtris reddita; multorum animi, qui nutabant, confirmati; multa munita loca in Regis poteſtatem redacta; auditae populi querimoniae; adhibita remedia multis malis, quae ſuperiorum temporum calamitate importata erant. Quarum omnium rerum laus Deo primum, deinde Pauli Foxii prudentiae magna ex parte tribuenda eſt. Regina Regis matre Lugdunum usque deducta, Romam iter cepit: ubi ita ſe moresque ſuos, totamque anteactam vitam Pontifici probavit, ut ab eo decoratus ſit Archiepiſcopatu Toloſano, ad quem ipſe multis ante annis miro bonorum ſtudio efflagitabatur.

(*) *Protector*, vox barbara. Vide Cellar. Cur. Poſt. p. 202.

tur. Neque dici poteſt in obeundo legati munere quantopere & Pontifici, & Regi, & omnibus ſummis pariter ac infimis gratus acceptusque fuerit, integritate vitae, ſumma vultus ac ſermonis comitate, promptiſſimo ad opem ferendam animo, ſive quis auxilio, ſive conſilio indigeret. Quanquam autem nulla ei pars aetatis a magnis memorabilibusque rebus vacaverat, exigua tamen omnia videri poterant, prout ea erant, quae agitabat animo, ſi quando in Galliam redire, & Eccleſiam ſibi creditam praeſens gubernare potuiſſet. Imbiberat enim penitus in mandata ſibi provincia ad Tridentini Concilii praeſcriptum omnia revocare & exigere, omnem munerum Eccleſiaſticorum nundinationem, foedasque illas, ſed nimis uſitatas eorum fiduciarias mancipationes funditus tollere, diſſolutos ac diffluentes Eccleſiaſticorum mores ſeveris legibus coërcere ac conſtringere, clericorum ſeminaria inſtituere, templa everſa erigere, ruinoſa fulcire, reditus Eccleſiaſticos injuſtis poſſeſſoribus eripere, xenodochiorum ac collegiorum praecipuam curam ſuſcipere, & perficere, ut eorum, qui illa fundaſſent atque inſtituiſſent, mens ac voluntas diligenter ac religioſe obſervaretur, omnia denique ſummo ſtudio facere, quae ad boni & inculpati praeſulis officium pertinerent. Sed o ſpes hominum fragiles! o fallacia conſilia! Haec eum cum maxime meditantem, & ea una in cogitatione noctes diesque defixum, morbus gravis & mortifer occupavit. Cujus primam impreſſionem expertus eſt adſtans ad aram, cum ſolenni die, quanquam principium quoddam leviter commotae valetudinis ſentiens, abſtinere tamen a re divina facienda noluiſſet. Quem cum & medicorum cura, & ſingulari victus temperantia depulisſe jam videretur, haud ita multo poſt, cum ad hominis Galli de magna re ſua periclitantis cauſſam adjuvandam, ut erat in omnes officioſiſſimus, iniquo & alieno tempore accurriſſet, domum ut rediit laſſus, denuo decubuit: nec alius ei poſtea morbi quam vitae finis fuit. Quo autem ille animo morbum ſaevientem, quo mortem certam jam & imminentem tulit? quot quantasque moribundus animi vere Chriſtiani ſignificationes dedit? Qua ſubmiſſione animi peccata ſua confeſſus, eorum ſibi veniam a Deo & a Pontifice dari petiit? Qua veneratione ſacroſanctum Chriſti corpus excepit? Quam placide ac patienter ſacro oleo

perunctus ac delibutus est? Quibus omnibus Sacramentis armatus ac munitus, cum toto morbi tempore, non tantum quam diu sui compos erat, sed etiam cum propter vim morbi in capite grassantem aliquo mentis errore afficeretur, sic quoque tamen nihil aliud quam Christum, Christum Deum suum, in ore perpetuo habuisset, ad eum, quem spirabat unum, quo fidebat uno, ut quidem speramus ac cupimus, evolavit. Hem, Paule Foxi, quantam quamque justam multis moerendi occasionem morte tua obtulisti! etsi tua quidem causa nihil est quod lugeamus. Tu praeclare ac laudabiliter vitae cursum confecisti. Tu ita maximis honoribus perfunctus es, ut te semper homines majoribus dignum judicarent. Tu ausam lacessere te invidiam virtute constantiaque superasti. Tu, quod ii, qui olim habiti sunt sapientissimi, in aliqua felicitatis parte posuerunt, in ipso senectutis limine ereptus, impendentia deterioris aetatis incommoda morte vitasti. Is, cujus tu judicium maximi faciebas, Gregorius Pont. max. & vitam tuam summe probavit, & mortem non modo honorificentissimis verbis, sed etiam lacrymis prosecutus est. Omnium erga te ordinum caritatem satis haec ipsa principum virorum, quae ad cohonestandum funus tuum convenit, multitudo declarat. At Tolosae dolendum, quae similem tui pastorem nunquam fortasis habitura, prius te spoliata est, quam vigilantiae tuae fructum ullum percipere posset. Dolendum Regi, qui tam duris temporibus, tanta fide, tanta prudentia praeditum consiliarium amiserit. Dolendum Ecclesiae, quae, labantibus in Gallia rebus suis, magnam auxilii spem in auctoritate tua collocarat. Sed omnibus in rebus divinae voluntati acquiescendum est. Nos, quod unum tibi praestare possumus, & colemus memoriam tui, & te fusis ex animo precibus (*) adjuvare conabimur, sperantes, fore, ut ipsi vicissim tuis precibus adjuvemur. DIXI.

(*) *Fundere preces*, poëtis frequens, non reperitur apud prosae orationis scriptores.

M. AN-

M. ANTONII MURETI ORATIONES.

Volumen alterum.

FRANCISCUS BENCIUS

SOCIETATIS JESU

SCIPIONI GONZAGAE

CARDINALI S. P. D.

Quod facturus fuerat M. Antonius Muretus in edendo posteriore Volumine Orationum suarum, si adhuc viveret; quod post ejus obitum fratris filius, summa spe & animi & ingenii adolescens, nisi immatura morte praereptus fuisset: id mihi viri optimi tibique addictissimi, M. Antonius Lanfrancus, & Ludovicus Rivaldus, ab hoc instituti heredes ad pias causas, ut facerem, & valde quidem ex mea voluntate, persuaserunt. Tuae enim amplitudini destinatus liber exit in publicum, & velut posthuma proles te tutorem requirit: hoc profecto justius, quo viginti abhinc annis germanum ejus fratrem in tuum patrocinium accepisti; hoc confidentius, quo a tua dignitate nunc ampliore majus sperare ornamentum, & praesidium meritissimo potest. Neque vero tam diu distulissemus exspectatam a multis & expetitam editionem, nisi in conquirendis orationibus,

quae partim in Mureti adversariis erant dispersae, partim ab amicis fuerunt exprimendae, (etsi non repertae omnes, & harum aliquot imperfectae,) multum fuisset elaborandum. Hoc dum efficimus, quadriennium effluxit. Et sequentur deinceps alia divini illius ingenii monumenta. Utinam autem, qualis tua erit tutela commendati operis, talis mea esset commendantis facultas! Ostenderem profecto, Mureti Orationes propter summam verborum elegantiam, & copiam rerum pulcerrimarum tibi, viro eruditissimo politissimoque, proprie commendatas, & te propter incredibilem magnitudinem animi, gravitatem, fidem, sapienter delectum, qui earum commendationem susciperes, fuisse. Sed Mureti eloquentia laudationem meam non desiderat, & laus tua ita vere accurateque est a praestantissimo oratore, viroque sapientissimo in epistola ad prius Volumen expressa, ut ea adducti omnes, etiam qui te non viderunt, singulares virtutes tuas admirari ac suspicere cogantur. Quanquam mihi sunt & aliae causae, tum communes multae cum meis sodalibus, quorum omnium eximia est erga te observantia, tum propriae aliquot meae. Tot enim extiterunt tuae erga me humanitatis argumenta, tamque illustria, ut magnopere laetatus sim, extitisse tempus, quo intelligerent omnes, & tu inprimis, Bencium, Mureti discipulum, hoc etiam a magistro didicisse, ut in Scipione Gonzaga Cardinale amando & colendo nemini concedat. Utriusque rei indicium erit novum hoc munus, quod tibi ut renovet memoriam mortui, & declaret voluntatem superstitis, ipsum vero sub umbra tui praesidii numquam intereat, offertur. Vale. E Collegio Romano.

M. AN-

M. ANTONII MURETI ORATIO I.

DE MYSTERIO ET FESTO CIRCUMCISIONIS DOMINICAE,

habita in Sacello Pontificio Kal. Jan.

MDLXXXIV.

Quod felix fauſtumque ſit tibi, beatiſſime Pater, vobis, Patres amplisſimi, nobisque omnibus & univerſae reipublicae Chriſtianae, exorientis anni primus hic nobis illuxit dies. Quo die optare ac precari mutuo ſolebant veteres, ut ſibi annare, perennare feliciter liceret; ſeduloque operam dabant, ut dira, & triſtia, & feralia ne nominarent quidem: ſed bona tantum verba dicerent; jurgiis utique omnibus abſtinerent; laeta inter ſe omnia & amica loquerentur. Quo nos aequius eſt, conjunctis & vocibus & animis tibi, beatiſſime Pater, cujus vita tanto opere bonis omnibus optabilis eſt, cujus ſalute, magna ex parte, tranquillitas orbis terrarum continetur, cujus ex hilaritate, publica hilaritas pendet, non hunc modo, ſed ſecuturos etiam annos fauſtos ac felices precari, & omni ope co-

nari, ut ea tantum loquamur, quibus Christianas mentes hilarari par est: dira autem & tristia, id est, ea, quae Deo displicere novimus, neque loquamur, neque cogitemus. Ac mihi quidem hujus anni principio, plura etiam solito concurrere videntur, propter quae nobis hic dies augustior, & religionis ac sanctimoniae plenior esse debeat. Idem primus anni dies est, & dies Dominicus, id est, primus omnium dierum; natalis caeli, terrae, angelorum; natalis ipsius temporis; quo die populus Israëliticus maris rubri transitu a Pharaonis servitute liberatus, nostrae a servitute peccati per baptismum liberationis typus fuit; quo die primum manna e caelo defluxit; quo die verum manna natus est Christus; quo die in vitam effractis mortis repagulis rediit; quo Spiritus sanctus caelo demissus, beatissimum illum coetum divina luce collustravit, inflammavit, corroboravit. Agedum igitur, precati prius eundem illum Spiritum, ut mihi dicenti, & vobis audientibus adesse dignetur, de mysterio Circumcisionis dominicae, quae nobis ex Euangelio paullo ante recitata est, pauca quidem, sed Deo dante animis profutura, meditemur. Tribus autem capitibus mea concludetur oratio. Primum enim dicam de institutione circumcisionis. Secundo, cur Christus voluerit circumcidi. Postremo, quid nobis attulerit circumcisio Christi: & quem ex ea fructum capere debeamus. Omnes ritus externi, quos populo Hebraeo, quem prae ceteris diligebat, observandos Deus ipse praescripserat, eorum, quae adveniente Christo expleta sunt, figuram quandam ac praesignificationem continebant. Quoniam enim populus ille durae ac rigidae cervicis erat; neque facile capiebat, nisi ea, quae corporeis oculis videret, quaeque contrectaret: iccirco ei Deus proponebat crassa quaedam & corporalia, ut eum facilius ad spiritualia intelligenda quasi manu duceret. Hujus generis fuit & circumcisio: quam Abrahamo, foedus cum eo statuens, & in ipsius semine omnes gentes benedictum iri pollicitus, in carne fieri imperavit Deus, ut illi jam tunc eminus ostenderet futuram, cum ille desideratus gentibus advenisset, perfectam animorum ac mentium circumcisionem. Cujus perfectionem ut symbolice exprimeret, octavum illi diem praestituit: quo numero in scripturis divinis absolutio ac perfectio significari solet. Lapideum etiam cultrum ad eam adhiberi voluit: ut ostenderet, perfectam circumci-

sio-

ſionem fore in lapide, in illo, inquam, lapide angulari, qui ſummis ima connectit, qui facit utraque unum; in illa petra, ad quam, beati ſunt, qui allidunt parvulos ſuos; ex qua fluit mel, quo ſaturatur populus Dei; ex qua perpetuo erumpunt aquae ſalientes in vitam aeternam. Carnis igitur circumciſio, ut praeclare ſcribit Ambroſius, myſticum quoddam praeceptum fuit caſtimoniae & coërcendarum ac refrenandarum cupiditatum. Ideoque in ea corporis parte juſſa eſt fieri, in qua praecipue libidinis impuritas efferveſcere videtur. Sed non eſt inuſitatum, ex parte totum intelligi: ut cum caput pro homine dicimus; ut cum ex oculorum aut genarum pulcritudine totius corporis pulcritudinem intelligi volumus. Sic igitur & Deus unam modo corporis partem circumcidi juſſit: cum tamen vellet, inania omnia & ſupervacanea & immoderata reſecari. Et hoc eſt, quod Abrahamo imperavit, ut circumcideret non ſe modo & filium, ſed & vernas, & eos, quos pretio comparaſſet. Vernae ſunt ſenſus noſtri; vernae ſunt facultates animi; vernae ſunt affectiones quaedam omnibus nobis ingenitae: domi enim naſci videntur. Haec igitur omnia circumcidenda ſunt. Circumcidit oculos ſuos, qui avertit eos, ne videant vanitatem. Circumcidit os ſuum, qui diligenter cavet, ne in eo inveniatur dolus. Circumcidit aures ſuas, qui ſepit eas ſpinis, ne voces improborum audiant. Circumcidit ingenium ſuum, qui ſapit ad ſobrietatem, refugitque ita ſcrutari majeſtatem, ut opprimatur a gloria. Circumcidit memoriam ſuam, qui bona fide obliviſcitur injuriarum. Circumciderat pater Abraham naturalem erga liberos caritatem, cum filium ſibi cariſſimum immolare, mandante Deo, parabat. Circumcidit amorem vitae, qui odit animam ſuam in hoc mundo, ut eam in futuro lucretur. Sed & pretio empta, id eſt, labore & ſtudio parta, opes, honores, potentiam, eruditionis ac doctrinae copiam, talia omnia, qui non circumciderit, ejus anima morietur. Dixi breviter de inſtitutione circumciſionis. Sequitur, ut dicam, cur Chriſtus circumcidi voluerit: quem conſtat & ſupra legem fuiſſe, & circumciſione nihil eguiſſe. Aperi nobis, Chriſte, cauſſas eorum, quae cauſſa noſtra pertuliſti. Venerat Chriſtus non ut everteret legem, ſed ut impleret; factus erat ſub lege, ut eos, qui ſub lege

erant, liberaret. Sua igitur voluntate ſubditus legi (*), ea, quae legis erant, implere omnia voluit. Voluit etiam, ut qui omnia provideret ac proſpiceret, jam tunc confutare errorem illorum, qui negaturi erant, corpus ipſius vere corpus fuiſſe. Certe enim circumcidi & ſanguinem fundere, niſi verum corpus, non poterat. Cupidus igitur ſalutis noſtrae, puriſſimi illius ſanguinis, quem pro nobis in cruce fuſurus venerat, jam tunc tener puerulus guttas aliquot ſparſit. Sic cum e mortuis ſurrexiſſet, palpandum ſe ac contrectandum Thomae dedit: ne cui unquam locum ullum relinqueret de corporis ſui veritate dubitandi. Sed & nos exemplo ſuo obedientiam & ſubmiſſionem animi docere voluit; ut cum eum, qui legibus omnibus ſuperior erat, legi tamen paruiſſe videremus: tanto promptius ac libentius colla ſuaviſſimo ipſius jugo ſubmitteremus. Sic ab Johanne citra ullam neceſſitatem in aqua baptizari voluit, ut nos in aqua & Spiritu ſancto baptizaremur: ſic beatiſſimam Virginem, matrem ſuam, purificari, qua tamen nihil unquam purius fuit; ſic agno paſchali & azymis cum Apoſtolis veſci, ut nos ipſo, qui verus agnus, verus panis azymus eſt, veſceremur. Explevit denique legitima omnia, ut nos explendorum illorum neceſſitate ſoluti ac liberati, quae vetuſtis patribus in figura obtigerant, eorum veritate frueremur. Quamvis igitur Petrus, quo facilius Judaeos ad Chriſti fidem alliceret, circumciſionem toleravit ad tempus; quamvis Paulus, qui omnia factus eſt omnibus, ut omnes Chriſto lucrifaceret, eadem de cauſſa Timotheum circumcidiſſe legitur, quod lacte ali oportebat eos, qui ſolidi cibi nondum capaces erant: nos tamen hodie veritate patefacta ac definita, carnis quidem circumciſionem non tantum ut mortuam omittamus, ſed ut mortiferam refugiamus, ne impletam a Chriſto legem negare, & alibi quam in ipſo ſpem ſalutis collocare videamur: ſed pro illa vetere figura veram mentium & animorum circumciſionem amplectamur; omnem inanitatem, omnem faſtum, omnem libidinem, omnia denique vitia a nobis circumcidamus,

(*) Magis Latine ſcripſiſſet, *ſubjectus legi*. Nam *ſubditus*, pro *parens*, melior aetas ignorat. Vide Scioppium Infam. Fam. p. 118. & Cellar. Cur. Poſt. p. 343.

mus, resecemus, amputemus. Vere de carnis circumcisione ab Apostolo dictum est: *si circumcidamini, Christus vobis non prodest quidquam.* Vere hoc quoque de circumcisione cordis dici potest: nisi circumcidamur, Christum nobis nihil profuturum. Christe Jesu, qui hodierno die causa nostra circumcisus es, fac ut nos quoque tua causa circumcidamur: evelle ex cordibus nostris omnes radices vitiorum: elide fibras omnes cupiditatum: extingue omnia nequitiae semina: perseca gladio verbi tui quicquid in nobis redundat: ure igne Spiritus sancti spinas illas, quae in nobis perpetuo succrescentes tui seminis profectum impediunt: ut expediti pondere inutilium sarcinarum, tua vestigia facilius & alacrius persequamur. Tu vero, beatissime Pater, quem merito alterum Abraham vocare possumus, pater multarum gentium, pater neophytorum, quos tam multos te Pontifice Christo renascentes videmus, pater Graecorum, qui rejectis erroribus gentis suae in spem reliquorum convertendorum tua liberalitate educantur, pater Germanorum, pater Britannorum, quibus miseris, pro fide Christi vexatis, patria pro carcere ac carnificina, Roma pro patria ac domicilio est, pater pupillorum, pater viduarum, pater omnium Christo haerere cupientium, qui nuper in ista viridi ac vegeta senectute, tot repente fusis purpureis floribus, ver media hyeme renovasti, & ad coronam, qua sacrosanctum caput tuum cingitur, tot longe lateque lucentes gemmas addidisti: ingredere, ut facis, bonae spei plenus feliciter in hunc annum: multiplicentur dies tui: reflorescat caro tua: renovetur, ut aquilae, juventus tua, ut cum una nobiscum tu novus Abraham tot annos, quot vetus ille vixit, exegeris, ab illo, qui hodie circumcisus est, Abrahami secundum carnem filio, in regnum promissionis, filiis ab aeterno praeparatum, eveharis. Amen, Amen, Domine Jesu, qui cum Patre & Spiritu sancto unus Deus vivis & regnas per innumerabiles myriadas saeculorum.

ORA-

ORATIO II.

DE

S. JOHANNE EUANGELISTA,

habita in Sacello Pontificio IV. *Kal. Jan.*

MDLXXXII.

Tribus de causſis ab Eccleſia divinitus inſtitutum arbitror, beatiſſime Pater, vosque, Patres amplisſimi, ut, quo die cujusque Sanctorum memoria recolitur, eodem die de vita ac laudibus ipſius aliquid publice diſſeratur. Primum, ut eis honos debitus non pro ipſorum dignitate, ſed pro virium noſtrarum tenuitate, tribuatur; deinde ut omnes nos ad perſequenda, pro ſuo quisque modulo, eorum veſtigia incitemur; poſtremo, ut, cum eos & generis noſtri amantisſimos, & apud Deum, cum quo regnant, gratioſisſimos eſſe, intelligamus, opem ipſorum ad conciliandam nobis Dei gratiam poſtulemus. Hodie igitur, cum mihi, licet immerenti, minimeque ad tantum munus ſuſtinendum idoneo, mandatum ſit, ut in hoc majeſtatis & venerationis plenisſimo loco, de illius, quem Chriſtus eximie praeter ceteros amavit, S. Johannis Apoſtoli & Euangeliſtae laudibus breviter diſſeram: tria illa, quae dixi, quantum in me erit, praeſtare conabor, ſperans, fore, ut, non propter me, (neque enim dignus ſum, qui hic audiar,) ſed propter eum, de quo dicturus ſum, mea benigne ac placide excipiatur oratio. Quid igitur primum in hoc ſanctisſimo planeque divino viro laudabimus? quid primum proponemus, quod imitemur? Quid prius, quam, quod Chriſto ſe vocanti ne tantulum quidem reluctatus, facilem ſe illi ſtatim ac morigerum praebuit? Nulla ille adhuc eum admirabilia opera edentem viderat; non regio cultu atque apparatu nitentem, non ingenti ſatellitum turba ſtipatum videbat: neque tamen ita reſpondit: Quis tu es, qui tam pro imperio, ut te relictis omnibus ſequar, jubes? Quam mihi ſpem,

ſpem, ſi id fecero, vitae melioris ac nitidioris oſtentas? Nihil tale: ſed illo divinae vocis oraculo, tanquam penetrabili quodam jaculo, usque ad ipſam animae medullam transfixus ac transverberatus, deſertis parentibus, abjecto omni inſtrumento artis, qua usque ad eum diem victitarat, nulla interpoſita mora, totus ad Chriſtum & corpore & animo tranſiit. Nimirum ut exſiccata materia ignem facile comprehendit: ſic animus ille ab omni improba cupiditate purus ac ſiccus ad conjectam unicam ignis divini ſcintillam totus exarſit. Felix piſcatio, felix jactus, felicia retia, quibus piſcator ipſemet (*) captus, eum vicissim, a quo captus eſt, cepit. At nos miſeri, in medio Eccleſiae gremio nati atque educati, tot teſtimoniis, tot miraculis, tot ſacramentis confirmati, quam ſaepe vocanti nos Chriſto reſiſtimus? quam ſaepe pulſanti cordis noſtri fores aperire nolumus? quam ſaepe nos ſub alas ſuas congregare cupientem refugimus? Jam vero cum ſe ad optimum magiſtrum optimus diſcipulus contuliſſet, ita ſe ad illius voluntatem conformare, ita ſermones illius avide haurire, ita ex nutu illius pendere coepit, ut nunquam ab ejus latere diſcederet; nihil ſibi praeter eum dulce, nihil amabile, nihil expetendum duceret; omnem ſpem, omnem ſuavitatem, vitam denique ipſam in eo videndo atque audiendo poſitam crederet. Itaque tanta ſibi eum caritate devinxit, ut ab eo, quem amor erga homines hominem fecerat, ipſe tamen eximie ac ſingulariter prae ceteris omnibus ſectatoribus ac diſcipulis amaretur. Cujus praecipui amoris cauſam quamvis magni ac probati ſcriptores ad perpetuam & animi & corporis caſtimoniam referunt: ego tamen, ut hoc non nego, ita non dubito, etiam alia fuiſſe, quae tantam illi apud Chriſtum gratiam conciliaverint. Omni ex parte amore digniſſimus fuerit oportet, quem optimus judex amore digniſſimum judicavit. Et quando in divinis litteris ne propria quidem plerumque ſingulorum nomina myſterio carent: vere hic ac merito Johannes vocatus eſt: quo in nomine Hebraicae linguae periti divinae gratiae ſignificationem ineſſe ajunt. Neque vero facile dixerim, utrum majus ac praeſtabilius ſit, plus ceteris amare Chriſtum, an plus ceteris a Chriſto

(*) Rectius *ipſe*, quam *ipſemet*, dici, monet J. G. Bergerus Praef. ad Orat. Lectior. p. 13.

ſto amari: quorum illud Petro, hoc Johanni ſacrarum litterarum auctoritate tribuitur. Novit hoc, qui novit omnia. Nobis certum exploratumque ſit, & ſumme amari, qui ſumme amet: & ſumme amare, qui ſumme ametur. Et tamen ille coryphaeus Apoſtolorum & a Domino aliquoties acriter & ſevere objurgatus legitur: & illum durisſima (*) illa ac pavoris plenisſima nocte ter abnegavit: hic purisſimus Domini amator neque unquam ab eo confitendo deterritus eſt, & eum usque ad ipſam crucem ſecutus eſſe perhibetur. Ter & amplius beata copula, quae Deum & hominem cum homine Dei ſimillimo, indisſolubili amoris nodo colligavit! Propter hanc igitur nullis humanis verbis enarrabilem caritatem, teſtis perpetuus adhibitus eſt a Domino illis omnibus operibus, quibus ipſe divinitatem ſuam quam maxime patefacere quaſique conteſtari volebat. Vidit eum non modo morbos fugantem, immundos ſpiritus ejicientem, caecos videre, ſurdos audire, mutos loqui jubentem, mortuos excitantem, ventis & fluctibus imperantem: quod alii quoque viderunt: ſed cum Dominus admirabilem illam divinitatis ſuae gloriam quibusdam ex Apoſtolorum numero, mortali adhuc corpore concluſis, aliqua ex parte ſpectandam exhibere ſtatuiſſet, ejusque rei cauſſa in montem Thabor conſcendiſſet: ad hoc glorioſisſimum ſpectaculum Johannem cum aliis duobus adſumpſit. Ea quoque nocte, qua futurum erat, ut in manus inimicorum traderetur: cum, ut qui verus homo eſſet, cogitatione imminentium contumeliarum & appropinquantis ſaevisſimae mortis angeretur: ob idque Patrem oraturus, a multitudine ſecederet: eosdem ſibi tres illos comites, quibuscum animi ſui moerorem familiarius communicaret, abduxit. At haec, quanquam magna ſunt, ei tamen cum aliis communia ſunt: quae ſubjungam, hujus propria ac peculiaria. Cujus enim amoris videtur, quod in illa myſteriorum plenisſima coena, quam Dominus cum ſuis, antequam morte ſua mortem noſtram deleret, exegit, qui in illo ſacroſancto ſinu recumberet, hic potisſimum electus eſt? Tunc videlicet, illius beatisſimi pectoris preſu, in quo pater omnes ſcientiae ac ſapientiae theſauros condiderat, in morem ejus aquilae, ſub cujus figura eum tanto ante Eze-

(*) Potius, *dirisſima.*

Ezechiel viderat, non usque ad tertium modo caelum, ut Paulus, sed longe supra omnes caelestes orbes evectus, & ipse caelum quodammodo effectus, ea non tantum didicit, sed vidit ac spectavit, quae cum postea exponeret, Theologi nomen proprie effecit suum. Inde illa fluxerunt, quae cum immortali voce intonaret, cur a Domino tonitrui filius vocatus esset, ostendit. *Vidimus, vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre.* Et rursus: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, testamur & annuntiamus vobis.* Neque non illud singulare, quod Dominus in cruce jam pendens, id quod carissimum habebat in terris, nitidissimum illud domicilium Spiritus sancti, illam omnis maculae expertem matrem suam Johanni commendavit, eumque illi filium esse jussit. Beatissima Virgo, quid tibi tunc animi fuit, cum alterum tibi enatum filium audires? Certe unum pepereras, unigenam ut Dei, sic tuum. Sed veri amoris ea vis est, ut ex pluribus unum efficiat. Ita vere dicere poteras, hoc quoque filio accepto, unicum tamen tibi filium esse. Tu vero, beatissime Apostole, quantam tunc amoris praerogativam consecutus es? quantum tibi a Domino supra ceteros coheredes praelegatum est? Quantam consolationem sensisti acerbissimi doloris, quem ex Domini morte capiebas, cum talem thesaurum apud te ab eo deponi, cum te ipsius voce in suum locum substitui videres? Jam minus miror, quod subvectus amoris alis ad sepulchrum ipsius ea celeritate properasti, ut etiam Petro praecurreris; quod, cum in vitam, superata morte, redisset, stantem in littore primus agnoveris. Obversabatur ille tibi perpetuo ante oculos: neque poterat ulla res intervenire tanta, quae memoriam ipsius ex animo tuo oblitteraret. Longus sim, si cetera sigillatim persequi velim: ut ferta illa & opima Asiae arva divini verbi semine obseverit; ut mortiferum poculum innocuus obduxerit; ut in ferventis olei dolium injectus, illaeso corpore exierit: tamquam nefas ducente flamma, eos artus violare, quos nulla unquam libidinis flamma violasset; ut relegatus in Pathmon, divinum illum libellum Apocalypseos conscripserit, quo quae postea contigerunt, ita complexus est, ut non ea eventura vidisse, sed eorum, cum jam evenissent,

ſent, hiſtoriam contexuiſe videatur; ut rogatu fratrum ad retundendam Cherinthi, Ebionis, Marcionis rabiem, Euangelium, jam centum, ut S. Chryſoſtomus auctor eſt, natus annos litteris conſignaverit; ut, cum prae ſenectute, ad plura verba non ſufficeret, cygneam illam cantionem, *Filioli diligite inter vos*, ſaepe in Eccieſia iteraverit: cum hoc praecepto omnia diceret contineri; ut denique, cum Epheſi, in ſumma tranquillitate usque ad centeſimum & viceſimum aetatis annum adventum Domini exſpectasſet, ita ut Dominus fore praedixerat, exceſſu placidi ſoporis ſimillimo ad eum evolarit. O te, ſanctisſime Johannes, ſupra quam a nobis aut dici, aut cogitari poteſt, beatum! qui virgineo nitore, apoſtolica dignitate, euangeliſtae gloria, martyrii, citra violentam mortem, laurea, prophetico ſpiritu, unus ex omni caelicolarum numero inſignis, quae ſingula ceteros ornant, conſecutus es univerſa. Tu, tu igitur, beatisſime, ſuſcipe cauſſam noſtram: pone nos apud eum in gratia, apud quem tu ſemper in maxima gratia fuiſti: commenda nos ei, quae tibi commendata eſt: ut ei, qui tibi illam commendavit, utriusque precibus commendemur. Tu, cui venenum nocere non potuit, effice, ne cuiquam noſtrum haereticorum venena noceant: tu, quem oleum fervens non laeſit, impetra nobis, ne unquam pravarum cupiditatum fervore laedamur: procurato Chriſtianis principibus illam, quam tu tantopere commendabas, pacem & animorum conjunctionem: inprimis autem Gregorio XIII. clementisſimo Patri ac Domino noſtro, obtine a Chriſto placidisſimam & tuae ſimillimam ſenectutem: ut, cum Eccleſiae pacem fundaverit, cum oves, quae aberrarunt, in Chriſti ovile reduxerit, cum quod facere tam feliciter exorſus eſt, ut nomen Jeſu omnium gentium linguis celebretur, effecerit: vigil, prudens, fidelis diſpenſator inventus, ſuper omnia bona conſtituatur illius, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus Deus vivit & regnat ultra omnem aeternitatem. Amen.

CUM

CUM

SENECAE LIBRUM DE PROVIDENTIA INTERPRETATURUS ESSET.

ORATIO III.

habita Romae III. *Non. Jun.*

MDLXXV.

De Seneca nihil hoc loco conſtitui dicere: nam ſi vituperatores illius confutare vellem, neceſſario mihi ducenda eſſent praecipua argumenta e ſcriptis ipſius, ut oſtenderem, eum & doctrinae copia, & ſcribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus ſuis praeſtitiſſe. Nunc cum apud eos diſeram, quibus Senecae ſcripta nota non ſunt: (quotus enim quisque veſtrum ante hunc diem ea, non dicam, evolvit aut legit, ſed inſpexit aut attigit?) puto me commodius eſſe facturum, ſi prius hunc libellum, mole quidem, ut videtis, exiguum, ſed & orationis ornamentis, & argumenti gravitate, ut ſentietis, eximium, vobis propoſuero, ac deinde permiſero, ut ex eo Senecam, tanquam ex ungui, ut dicitur, leonem aeſtimantes, de ipſius ſapientia & eloquentia arbitratu veſtro judicetis. Urbane Ulixes apud Euripidem in Cyclope, cum Sileno vinum venditurus eſſet, ita eum alloquitur:

Vin tu prius guſtare quid vini feram?

Cui Silenus:

Ita convenit. nam guſtùs emptorem vocat.

Ego quoque, cum vobis hunc ſcriptorem non quidem vendere, ſed certe commendare, atque, ut apud vos in pretio ſit, efficere cupiam, debere videor eum vobis prius quaſi guſtandum dare. Hoc tantum a vobis peto, ne

ſent, hiſtoriam contexuiſſe videatur; ut rogatu fratrum ad retundendam Cherinthi, Ebionis, Marcionis rabiem, Euangelium, jam centum, ut S. Chryſoſtomus auctor eſt, natus annos litteris conſignaverit; ut, cum prae ſenectute, ad plura verba non ſufficeret, cygneam illam cantionem, *Filioli diligite inter vos*, ſaepe in Eccleſia iteraverit: cum hoc praecepto omnia diceret contineri; ut denique, cum Epheſi, in ſumma tranquillitate usque ad centeſimum & viceſimum aetatis annum adventum Domini exſpectaſſet, ita ut Dominus fore praedixerat, exceſſu placidi ſoporis ſimillimo ad eum evolarit. O te, ſanctiſſime Johannes, ſupra quam a nobis aut dici, aut cogitari poteſt, beatum! qui virgineo nitore, apoſtolica dignitate, euangeliſtae gloria, martyrii, citra violentam mortem, laurea, prophetico ſpiritu, unus ex omni caelicolarum numero inſignis, quae ſingula ceteros ornant, conſecutus es univerſa. Tu, tu igitur, beatiſſime, ſuſcipe cauſſam noſtram: pone nos apud eum in gratia, apud quem tu ſemper in maxima gratia fuiſti: commenda nos ei, quae tibi commendata eſt: ut ei, qui tibi illam commendavit, utriusque precibus commendemur. Tu, cui venenum nocere non potuit, effice, ne cuiquam noſtrum haereticorum venena noceant: tu, quem oleum fervens non laeſit, impetra nobis, ne unquam pravarum cupiditatum fervore laedamur: procurato Chriſtianis principibus illam, quam tu tantopere commendabas, pacem & animorum conjunctionem: inprimis autem Gregorio XIII. clementiſſimo Patri ac Domino noſtro, obtine a Chriſto placidiſſimam & tuae ſimillimam ſenectutem: ut, cum Eccleſiae pacem fundaverit, cum oves, quae aberrarunt, in Chriſti ovile reduxerit, cum quod facere tam feliciter exorſus eſt, ut nomen Jeſu omnium gentium linguis celebretur, effecerit: vigil, prudens, fidelis diſpenſator inventus, ſuper omnia bona conſtituatur illius, qui cum Patre & Spiritu ſancto unus Deus vivit & regnat ultra omnem aeternitatem. Amen.

CUM

CUM

SENECAE LIBRUM DE PROVIDENTIA INTERPRETATURUS ESSET.

ORATIO III.

habita Romae III. *Non. Jun.*

MDLXXV.

De Seneca nihil hoc loco conſtitui dicere: nam ſi vituperatores illius confutare vellem, neceſſario mihi ducenda eſſent praecipua argumenta e ſcriptis ipſius, ut oſtenderem, eum & doctrinae copia, & ſcribendi elegantia longe multumque omnibus obtrectatoribus ſuis praeſtitiſſe. Nunc cum apud eos diſseram, quibus Senecae ſcripta nota non ſunt: (quotus enim quisque veſtrum ante hunc diem ea, non dicam, evolvit aut legit, ſed inſpexit aut attigit?) puto me commodius eſſe facturum, ſi prius hunc libellum, mole quidem, ut videtis, exiguum, ſed & orationis ornamentis, & argumenti gravitate, ut ſentietis, eximium, vobis propoſuero, ac deinde permiſero, ut ex eo Senecam, tanquam ex ungui, ut dicitur, leonem aeſtimantes, de ipſius ſapientia & eloquentia arbitratu veſtro judicetis. Urbane Ulixes apud Euripidem in Cyclope, cum Sileno vinum venditurus eſſet, ita eum alloquitur:

Vin tu prius guſtare quid vini feram?

Cui Silenus:

Ita convenit. nam guſtûs emptorem vocat.

Ego quoque, cum vobis hunc ſcriptorem non quidem vendere, ſed certe commendare, atque, ut apud vos in pretio ſit, efficere cupiam, debere videor eum vobis prius quaſi guſtandum dare. Hoc tantum a vobis peto, ne

quid huc praejudicatae opinionis adferatis, neve permoveamini ſtultis ac temere jactis vocibus quorundam, qui quae non intelligunt, vituperant. Tribuite hoc mihi, ut me non quidem valde intelligentem & idoneum, ſed tamen non multo deteriorem, quam iſti ſunt, harum rerum judicem exiſtimetis. Qui cum &, ex quo huic muneri praepoſitus ſum, nihil antiquius habuerim, quam ut vos, quantum in me eſt, omni liberali doctrina excolam atque augeam: & multorum annorum laboribus ac vigiliis hoc conſecutus ſim, ut non in vulgus modo, ſed apud ipſos principes civitatis non omnino malus eloquentiae exiſtimator habear: non debeo videri aut tam iniquus, ut obſtare profectui veſtro, aut tam ſtultus, ut exiſtimationi meae nocere de induſtria velim. Sed haec quidem hactenus. Jam enim quod hujus libri argumentum ſit explicare decrevi. Vos, quaeſo, excitate atque expergefacite animos veſtros, quaeque de rebus omnium maximis ac graviſſimis dicere ingredior, ea ut penitus percipiatis, operam date. Veteres illi, quorum animi denſiſſimis errorum tenebris involuti ea, quae nobis divinitus affulſit, aeternae veritatis luce caruerunt, cum verum Deum ignorarent, in varias ſententias diſtrahebantur, &, ut nullo firmo ac ſtabili fundamento ſubnixi, & commenta opinionum ſequentes, huc illuc, tanquam incertis acti tempeſtatibus, fluctuabant. Interdum itaque cum in caelum oculos ſuſtulerant, & illam admirabilem innumerabilium ſtellarum ſine ulla erratione decurrentium varietatem notaverant, facile intelligebant, praepotens aliquod numen eſſe oportere, immenſum, infinitum, aeternum, quod illi tantae moli praeſideret, a quo haec rerum univerſitas & a principio conſtituta eſſet, & ejus conſilio ac voluntate regeretur. Rurſus autem cum eorum, quae infra lunae orbem ſunt, inconſtantiam ac mutabilitatem viderent, nihil in eis ineſſe certum, nihil perpetuum, nihil conſtans: eo prolabebantur impietatis, ut partim ex omnibus rebus divinam providentiam tollerent, partim ſupera quidem ac caeleſtia mente ac conſilio regi, haec autem inferiora ſine ullo rectore incertis fortunae caſibus agitari exiſtimarent. Sed cum & dierum ac noctium viciſſitudinem, & quadripertitam anni temporum varietatem, & certa tum dierum tum noctium & incrementa & deceſſiones, & omnia humanis uſibus ſervientia viderent, haec re-

rebant attoniti, ut qui perſpicerent, tantum & tam ſapienter inſtitutum ordinem niſi a Deo eſſe non poſſe. Conturbabantur tamen cum aliis argumentis, tum hoc praecipue, quod in rebus humanis multa viderent ſecus evenire, quam ipſi divinae ſapientiae ac bonitati convenire exiſtimarent. Etenim ita ſtatuebant: ſi humanarum rerum procurationem haberet Deus, fore, ut bonis ac piis & juſtitiae cultoribus bene eſſet, malis, impiis & injuſtis male. Nunc autem contra videbant, optimos quoque plerumque premi paupertate, cum multi improbi divitiis abundarent; ignominiam, exilium, orbitatem, morbos, tormenta, cruciatus, proprium quodammodo bonorum virorum patrimonium eſſe: cum interea multi omnibus flagitiis cooperti in ſummis deliciis viverent, & in omnibus negotiis ſuis ſecundiſſima fortuna uterentur. Ergo alii fortunam accuſabant ut iniquam & injuſtam, quae quaſi dedita opera improbis mater, bonis noverca eſſet; alii ut caecam & temerariam, quae nunc bonos, nunc malos nullo diſcrimine aut extolleret, aut deprimeret; idemque dicebant de Pluto, quem divitiarum Deum eſſe fingebant: &, ut fit in erroribus, deſultoria quadam levitate in contrarias ſententias ferebantur. Nam ubi quid bonis bene evenerat, aut ubi improbus aliquis & diu divina patientia abuſus poenas dederat, tum Deum & eſſe, & humana curare clamabant. *Eſtis io ſuperi*, ait Statius, cum convaluiſſet a periculoſo morbo vir eximiae probitatis, Rutilius Gallicus. At contra, ubi quid contigerat, contra quam aequum eſſe cenſerent, Deos aut nullos eſſe, aut crudeles & injuſtos eſſe dicebant:

Marmoreo Licinus tumulo jacet; at Cato parvo;
Pompejus nullo; credimus eſſe Deos?

Mortuus erat alicujus amicus, quem ipſe diutius vivere cupiiſſet. Negabat Deos eſſe: id enim ab eorum juſtitia alienum videri. Itaque in morte Tibulli Ovidius:

Cum rapiunt mala fata bonos, ignoſcite fatis,
Sollicitor nullos eſſe putare Deos.

Apud Senecam Jaſon, cum Medeam occiſis filiis evolantem videret,

Teſtare, inquit, *nullos eſſe, qua veheris, Deos.*

Neque ulla tam levis, aut ridicula cauſa erat, quae non ad ſuſcipiendam impietatem ſatis idonea videretur. Reliquerat amicam amator. Nulli dii erant. Propertius:

Et queritur nullos eſſe relicta Deos.

Cupidum & libidinoſum adoleſcenten impudica muliercula fefellerat. Nutabat male de Diis fundata opinio. Ovidius:

Eſſe Deos credamne? fidem jurata fefellit:
Et manet in ſolito qui fuit ore decor.

Valde ſcilicet id Diis curandum fuit. Apud Virgilium, amiſſo immatura morte filio,

Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.

Ecce tibi alter: quia ſerpentes una cum pelle ſenium exuere dicuntur, Deos crudeles vocat, quod non idem beneficium formoſis tribuerint.

Crudeles Divi, ſerpens novus exuit annos.
Formae non ullam fata dedere moram.

At illa quidem levia, & a poëtis fortaſſe per jocum dicta; etſi tales joci nullo modo ferendi videntur. Serio quidem loqui videtur apud Ariſtophanem Chremylus, qui ſe, cum pius ac juſtus eſſet, & male tamen rem gereret, gravique paupertate premeretur, ac videret interea alios ſacrilegos, calumniatores, improbos divitiis abundare, profectum eſſe dicit ad Apollinem, ut ex eo ſciſcitaretur, quae ejus rei cauſſa eſſet: multoque magis ille in vetere tragoedia:

Τοιαῦτ' κατεσκῆν', μή ποτ' ὢν εἰκῆ θεοί;
Καιοὶ γὰρ εὐτυχοῦντες ἐπαλγύνουί με.

Et eodem argumento deluſi, ut ait Juvenalis,

Sunt,

Sunt, qui in fortunae jam casibus omnia ponant,
Et mundum nullo credant rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis & anni.

Gravissime autem dubitationem ea de re suam expressit optimus aevi sui poëta, Claudianus:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu?
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno jusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Relligio; causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi; quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos.

Multo autem nervosius ac vehementius apud Ciceronem Cotta in tertio de natura deorum, *Telamon*, inquit, *uno versu totum lacum conficit, utrum Dii homines negligant:*
Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.
Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant; sin id minus, bonis certe consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortissimos & optimos viros in Hispania Poenus oppressit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Annibal interemit? cur Paulum Cannae sustulerunt? cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur Africanum

Teſtare, inquit, *nullos eſſe, qua veheris, Deos.*

Neque ulla tam levis, aut ridicula cauſa erat, quae non ad ſuſcipiendam impietatem ſatis idonea videretur. Reliquerat amicam amator. Nulli dii erant. Propertius:

Et queritur nullos eſſe relicta Deos.

Cupidum & libidinoſum adoleſcenten impudica mulierecula fefellerat. Nutabat male de Diis fundata opinio. Ovidius:

Eſſe Deos credamne? fidem jurata fefellit:
Et manet in ſolito qui fuit ore decor.

Valde ſcilicet id Diis curandum fuit. Apud Virgilium, amiſſo immatura morte filio,

Atque Deos atque aſtra vocat crudelia mater.

Ecce tibi alter: quia ſerpentes una cum pelle ſenium exuere dicuntur, Deos crudeles vocat, quod non idem beneficium formoſis tribuerint.

Crudeles Divi, ſerpens novus exuit annos.
Formae non ullam fata dedere moram.

At illa quidem levia, & a poëtis fortaſſe per jocum dicta; etſi tales joci nullo modo ferendi videntur. Serio quidem loqui videtur apud Ariſtophanem Chremylus, qui ſe, cum pius ac juſtus eſſet, & male tamen rem gereret, gravique paupertate premeretur, ac videret interea alios ſacrilegos, calumniatores, improbos divitiis abundare, profectum eſſe dicit ad Apollinem, ut ex eo ſciſcitaretur, quae ejus rei cauſa eſſet: multoque magis ille in vetere tragoedia:

Τελοῦ πανυστάτῳ, μή ποτ' ὦ εἰσὶ θεοί;
Καιοὶ γὰς ἐνυχῶντες ἐκπλήττεσί με.

Et eodem argumento delusi, ut ait Juvenalis,

Sunt,

Sunt, qui in fortunae jam casibus omnia ponunt,
Et mundum nullo credant rectore moveri,
Natura volvente vices & lucis & anni.

Gravissime autem dubitationem ea de re suam expressit optimus aevi sui poëta, Claudianus:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, & incerto fluerent mortalia casu?
Nam cum dispositi quaesissem foedera mundi,
Praescriptosque mari fines, annique meatus,
Et lucis noctisque vices: tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno jusserit igne
Compleri, solemque suo: porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rursus labefacta cadebat
Religio; causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae currere semina motu
Affirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte regi; quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia veri.
Abstulit hunc tandem Rufini poena tumultum,
Absolvitque Deos.

Multo autem nervosius ac vehementius apud Ciceronem Cotta in tertio de natura deorum, *Telamon*, inquit, *uno versu totum lacum conficit, utrum Dii homines negligant:*

Nam si curent, bene bonis sit, male malis: quod nunc abest.

Debebant illi quidem omnes bonos efficere, si quidem hominum generi consulebant; sin id minus, bonis certe consulere debebant. Cur igitur duos Scipiones fortissimos & optimos viros in Hispania Poenus oppressit? cur Maximus extulit filium consularem? cur Marcellum Annibal interemit? cur Paulum Cannae sustulerunt? cur Poenorum crudelitati Reguli corpus est praebitum? cur Africanum do-

domestici parietes non texerunt? Sed haec vetera, & alia permulta: propiora videamus. Cur avunculus meus, vir innocentissimus, in exilio est? cur sodalis meus interfectus domi suae Drusus? cur temperantiae prudentiaeque specimen apud simulacrum Vestae Pontifex Maximus est Q. Scaevola trucidatus? Cur etiam tot civitatis principes a Cinna interempti? Cur omnium perfidiosissimus C. Marius Q. Catulum praestantissimum dignitate virum mori potuit jubere? Dies deficiat, si velim numerare, quibus bonis male evenerit: nec minus, si commemorem, quibus improbis optime. Cur enim Marius tam feliciter septimum Consul domi suae senex est mortuus? Cur omnium crudelissimus tam diu Cinna regnavit? At dedit poenas. Prohiberi melius fuit, impedirique, ne tot summos viros interficeret, quam ipsum aliquando poenas dare. Et paullo infra: *Anaxarchum Democriteum a Cyprio tyranno excarnificatum legimus: Zenonem Eleatem in tormentis necatum. Quid dicam de Socrate? cujus morti illacrymari soleo Platonem legens. Videsne igitur, Deorum judicio, si viderent res humanas, discrimen esse sublatum? Diogenes quidem Cynicus dicere solebat, Harpalum, qui temporibus illis praedo felix habebatur, contra Deos testimonium dicere, quod in illa fortuna tam diu viveret.* Piget plura recitare: est enim ipse Ciceronis liber in manibus. Seneca igitur cum & ab ea disciplina esset, quae omnia maxima minima divino consilio gubernari statuit, & ei, quem unice diligebat, Lucilio idem persuasisset: quia tamen scrupulus in Lucilii animo aliquis residebat ex eo, quod perspicere non poterat, cur Deus optimos quosque tot acerbitatibus vexari sineret, ejus rei causas ad eum misso hoc commentariolo tractandas explicandasque suscepit. Unde constat, veram illius inscriptionem non esse eam, quae vulgo recepta est, quam ego tamen, ne omnia novare dicerer, retinui, *De providentia*: sed, *quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia.* ut constat ex Lactantio in lib. de ira Dei: cujus verba huc pertinentia in eis notis, quas vestra causa ad hujus libri finem addidi, reperietis. Quod sit hujus libri argumentum, videtis: quod mihi quidem ita pulcrum & cognitu dignum videtur, ut injuriam quodammodo vobis facturus videar, si tam male de vobis existimem, ut vos pluribus verbis ad ejus tractationem & cognitionem excicitandos

citandos putem. Mihi credite: qui me attente audient, perficiam cum Deo volente, ut & gravissimam ac pulcerrimam quaestionem tractatam divinitus a Seneca, & a me ipsum Senecam non negligenter tractatum esse fateantur. Operae pretium facturus videor, si antequam ad expendenda Senecae dicta veniam, exponam vobis, quid super ea ipsa quaestione, quae hoc libello continetur, homines eruditissimi, iidemque sanctissimi senserint. Nam si ut vasa etiam odorem, quo primum imbuta sunt, ita animi quas primas opiniones combiberunt, constantissime servant: diligenter nobis videndum est, ut in gravibus & seriis rebus, statim a principio videamus, quid verissimum sit, idque animo conceptum ac comprehensum perpetuo retineamus. Joannes igitur Chrysostomus, qui singularem vitae sanctitatem admirabili quadam & doctrinae abundantia & dicendi facultate cumularat, cum dixisset, multis absurdum quodammodo videri, quod Deus pios viros, quosque ipse apertissimis signis sibi carissimos esse declarat, plerumque tamen omni genere acerbitatum agitari vexarique patiatur, undecim causas adfert, cur ita fieri expediat, quas singulas non modo exponere, sed etiam breviter illustrare ac confirmare decrevi. Prima igitur est, ne, qui res magnas ac praeclaras gerunt, propterea inflentur ac superbiant, sed summittant animos, memores imbecillitatis suae. Confirmatur hoc testimonio Davidis & Pauli, quorum ille bono sibi fuisse ait, quod a Deo depressus, castigatusque sit, seque ex eo magis illius justitiam perspicere: hic autem, cum usque ad tertium caelum raptus esset, eaque vidisset, quae vix homini in hac vita videre fas est, ne propterea sibi placeret, neve insolesceret, additum sibi esse ait angelum Satanae, a quo quasi colaphis caederetur. Haec igitur prima causa est. Altera, ne ceteri mortales in errorem trahantur, & de praestantibus viris, non ut de hominibus, sed ut de Diis quibusdam, existiment: a cujus erroris periculo liberantur, cum illos magnos & egregios viros multa perpeti vident, quae illos non Deos, sed homines esse declarant. Nam si qui multa bella gesserant, multas urbes expugnaverant, multa hominum millia occiderant, antiquitus in Deorum numerum stulta vulgi opinione referebantur: quid putatis eventurum fuisse iis, qui verbo, qui nutu, qui contactu, qui umbra sua fugabant morbos,

claudis incessum, surdis auditum, caecis usum oculorum restituebant, mortuos in vitam revocabant, nisi vulgus hominum eos ipsos, per quos tam multa admirabilia opera edebantur, esurire, sitire, algere, aegrotare, caedi, mutilari, ejusdemque generis alia innumerabilia quotidie subire ac perferre vidisset? Sic quoque quamvis vociferarentur, nihil eorum sua virtute fieri, Christum esse, qui per doctrinae suae praecones ea perficeret, vix tamen impedire poterant, ne sibi divini honores haberentur. Ad Paulum quidem & ad Barnabam Lystrenses aliquando etiam tauros coronatos adduxerant, quos eis tamquam Diis immolare cupiebant, nisi id ipsi summa vi prohibuissent. Tertia causa est, ut potestas Dei tanto magis eluceſcat (*), qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergastulis clausos, vinculis & compedibus impeditos, catenis onustos, ea faciat, quorum magnitudinem ceteri omnes obstupescant. Itaque Paulus ipse cum fessus malis, quodam tempore petiisset a Deo, ut a se tantas illas & tam multas acerbitates amoveret, responsum hoc tulit: *Satis tibi sit, quod mihi caras acceptusque es. Quo enim tu infirmior es, & pluribus difficultatibus conflictaris, eo magis perspicitur potestas mea.* Quarta est, quod, si bonis viris omnia prospere succederent, si divitiis abundarent, si colerentur ac suspicerentur a ceteris, si nunquam aegrotarent, nunquam dolerent, nullum incommodum sentirent, fortasis existimaret vulgus, eos pietatem colere non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos & invitatos. Nunc cum eos non egestas, non ignominia, non cruciatus corporis, non tyrannorum saevitia, non mortis metus a Dei cultu, & a vera pietate possit abducere, manifesto constat, honestatem ac virtutem, & Deum inprimis ipsum ab eis propter se, non propter ullam mercedem amari. *Non gratis te colit Job*, dicebat Deo perpetuus ille humani generis hostis; *Tu enim eum cumulasti opibus, auxisti liberis, perpetua denique vitae prosperitate prosecutus es.* At Deus, *Tu vero*, inquit, *domos ejus inflamma, messes combure, pecora interfice, liberos eneca, totum ipsius corpus arbitratu tuo lacera ac lania; nullus restet novis ulceribus locus; jaceat in sterquilinio, cui prius somnum capere licebat in purpura;*

(*) *Eluere* Latinum est, non *eluceſco*. Vide Interpretes ad Lactant. VII, 14.

ta; ne sit quidem quo se abstergeat, sed testa manantem ex ulceribus saniem abradat: ut liquido constet, eum mei gratuitum, non mercenarium esse cultorem. Eadem aequitate animi homo sanctissimus tulit adversa, qua & prospera exceperat. Quinta, ut homines tanto certius atque exploratius habeant, non omnia morte terminari, sed superesse aliam vitam, in qua & praemium tribuatur justis, & ab improbis ac consceleratis poena exigatur. Nam si ne homines quidem usque eo injusti reperiuntur, ut eos, quos causa sua multa perpessos vident, sine praemio abire patiantur, quanto minus id de Deo aut cogitare aut suspicari possumus? Cum igitur multos plerumque videamus homines optimos & innocentissimos, quantum quidem hominis natura fert, in hac vita nunquam interquiescere ac respirare a molestiis, sed perpetua quadam calamitatum serie usque ad extremum spiritum premi: cogitemus necesse est, aut, quod natura ipsa abhorret ac refugit, Deum injustum esse, aut post hanc vitam sua esse hominum generi praemia, pro suis cuique actionibus, divinitus constituta. *Si spes nostra*, ait Paulus, *iisdem quibus haec vita terminis ac finibus circumscripta teneretur, nihil nobis infelicius foret.* Sexta, ut nos quoque, si quando tale aliquid nobis eveniat, patienter feramus, neque despondeamus animum; aut statim propterea Deo invisos esse nos arbitremur: cum iis quoque, qui Deo carissimi & acceptissimi erant, aut eadem, aut graviora contigisse videamus. Septima, ne ullus tergiversationi locus sit, si quis nos ad illorum praestantium virorum imitationem cohortetur, quasi eos non ejusdem, cujus & nos sumus, sed divinioris cujusdam naturae fuisse causemur. Octava, ut sciamus, quibus rebus felicitatem metiri ac dirigere, quosque ex omni hominum numero felices ac beatos, quos contra infelices ac miseros ducere debeamus. Non enim, qui multa possidet, beatus est: sed multo ille beatior, qui non tantum divitias non concupiscit, sed iis, quas habet, ultro se spoliat, ut copiis suis aliorum inopiam sublevet. Non qui innocens exulat, miser est: sed tanto felicior, si id aequo animo ferens, operam det, ne ab illa aeterna ac caelesti patria exulare cogatur. Non qui firmo ac valenti corpore est, felix: sed ille, qui in corpore quamlibet infirmo perpetuam animi retinet firmitatem. Non cui multa dura, & perpessu

aſpera eveniunt, miſer: ſed is potius, qui proſperis ſuccesſibus ebrius, neque altius oculos mentis attollens, in caducis ac fallacibus hujus vitae bonis acquieſcit. Nona, ut magis illuſtretur eorum patientia ac fortitudo, qui ſe a calamitatibus vinci non ſinunt. Neque enim a nobis cognoſcerentur, niſi a Deo in hujusmodi certaminibus exercerentur. *Aurum*, ut dicturus eſt Seneca, *probat ignis, miſeria fortes viros.* Decima, quoniam humanae naturae imbecillitas ne optimos quidem viros omnis peccati expertes eſſe patitur: neque quisquam aut eſt, aut fuit praeter paucisſimos, quibus id ſingulari Dei beneficio tributum eſt, quin aliquando offenderet ac prolaberetur: ut hic potius quam alibi peccata expientur, ut, ſi qua macula ex illis prolapſionibus ſuſcepta eſt, temporariis illis acerbitatibus, quaſi nitro quodam aut lomento, eluatur ac deleatur. Nam cum juſtitiae divinae conſentaneum ſit, neminem in caelum pervenire, qui ulla ex parte pollutus, contaminatusque ſit: expedit iis ipſis, qui Deo cari ſunt, ita in hac vita purgari, ut cum e corporis vinculis exceſſerint, nulla alia purgatione egentes, ſine ulla mora in caelum evolare expediti ac liberi poſſint. Undecima, ut, quo plura acerba patiuntur, quo plures difficultates ſuperant, quo dimicant acrius, eo majoribus praemiis ornentur, eo plures coronas accipiant, eo majorem in omni aeternitate gloriam conſequantur. Haec igitur vir illeſanctisſimus, non, ut ego nunc, arido & inculto dicendi genere, ſed ornato, ſplendido, efficaci: aureo denique illo eloquentiae flumine, quod ei Chryſoſtomi nomen meritisſimo comparavit. Ac vereor, ne quis interdum me, quod e talium ſcriptorum fontibus hauriam, quo diſputationes meas irrigem, reprehendendum putet. Unde igitur, per Deum immortalem, potius repetam, quod honeſtius aut majori cum fructu vel a me dicatur, vel a vobis audiatur? An totos dies nunc in poëticis fabulis, nunc in Stoicorum aut Epicureorum ſtultisſimis opinionibus perſcrutandis ac perveſtigandis conteremus, idque cum faciemus, tempus bene collocare putabimur; ad ea cognoſcenda, quae ignorare ſine pernicie non poſſumus, nullam partem temporis conferemus? At haec, inquiet aliquis, in Theologorum ſcholis aut concionibus tradi ſolent: a te alia quaedam requiruntur. Fateor equidem, ab eis haec omnia non tempeſtivius modo ac convenientius,

cius, sed etiam melius copiosiusque tractari. Sed tamen utinam talibus praeceptis & templa, & scholae, & porticus, & ambulationes, & fora, & compita omnia personarent! Mandatum est mihi, ut vobis iter ad eloquentiam commonstrare conarer. Nunquid igitur vos eloquentiores effecturus sum, si hoc quantulumcunque est, quod in dicendi facultate consecutum esse me nonnulli putant, in nugis & fabulis exercuero, quam si vos ad graves & serias res bonis & lectis verbis explicandas, quantum vires meae ferent, exemplo meo & incitare & assuefacere studuero? Mihi vero certum ac constitutum est, ea vobis perpetuo tradere, quibus vos non disertiores modo & in loquendo argutiores, sed etiam meliores ac sapientiores redditum iri arbitrabor. Eloquentiam esse ait Cicero, non inanem loquendi profluentiam, sed sapientiam copiose loquentem. Quod si est, qui nihil praeter verborum flosculos, & pigmenta tradunt, minimam partem eloquentiae tradunt. Si quis est, qui & res cognitu dignas adferat, & eas non vulgari, neque sordido orationis genere efferat, is demum bonus & utilis dicendi magister habendus est. Vera autem sapientia aut illo, ex quo hodierna mea disputatio deprompta est, aut nullo prorsus genere scriptorum continetur. Sed longior fui, quam putabam. Qua igitur de re Chrysostomi disputationem audiistis, de eadem perendie, si Deus volet, disputantem Senecam audietis.

CUM EXPLICARE INCIPERET LIBROS PLATONIS DE OPTIMO REIPUB. STATU.

ORATIO IV.

habita Romae pridie Non. Novembr.

M D L X X I I I.

Suscepi hoc anno duos utriusque linguae clarissimos & eloquentissimos scriptores interpretandos, Platonis quidem libros de justitia, sive de optimo reipub. statu; Ciceronis autem libros de finibus bonorum, & malorum; spe-

ſperans, fore, ut Deus quidem huic conatui meo arduo & difficili, ſed honeſto atque utili, faveat; vos autem, qui, quanta hic veſtra utilitas agatur, videtis, dignum iis auctoribus, qui vobis proponuntur, & rebus, quae ab eis tractantur, ſtudium ad me audiendum adferatis. Ac mihi quidem nihil in eo temere feciſſe videor, quod horum librorum explicationem conjungendam judicarim. Agitur enim in utrisque de ſummo bono: in illis quidem de ſummo bono civitatis; in his autem de ſummo bono ſingulorum. Eſſe autem idem re ipſa, & totius civitatis & uniuscujusque civis bonum, & Plato & Ariſtoteles ſaepe docuerunt. Sed ſcio, fore nonnullos, qui meum conſilium vituperent, quod me in Latinis tantum ſcriptoribus verſari, a Graecis prorſus abſtinere cuperent. Erunt etiam, qui ab homine tradendis eloquentiae praeceptis praefecto ac praepoſito orationem potius Ciceronis aliquam, aut aliquem eorum librorum, qui ab eo de arte rhetorica ſcripti ſunt, explicari debuiſſe contendant. Quibus utrisque breviter ſatisfaciam, ut & omnem eis, quantum in me quidem erit, errorem eripiam, & tamen caveam, ne haec ipſa ut apud nonnullos ſupervacanea, ſic apud plerosque neceſſaria purgatio nimium temporis nobis eripiat. Primum igitur iſtis Graecae linguae oſoribus ita reſponſum volo, omnem elegantem doctrinam, omnem cognitionem dignam hominis ingenui ſtudio, uno verbo, quicquid usquam eſt politiorum diſciplinarum, nullis aliis, quam Graecorum libris ac literis, contineri. Itaque quod olim M. Catonem illum Cenſorium vaticinatum ferunt, cum adhuc Graecis litteris infenſus eſſet, quas tamen, poſtea cognito errore, ſenex avidiſſime didicit, Graecos, ſimul atque litteras ſuas in urbem miſiſſent, omnia perdituros: multo nos hodie & verius & certius atque exploratius praedicere poſſumus, ſi homines noſtri, paullo magis Graecas litteras negligere coeperint, omnibus bonis artibus certiſſimam peſtem ac perniciem immittere. Hoc ſi iſti aut videre per inſcitiam & ignorationem harum rerum non queunt, aut agnoſcere propter obſtinatum quoddam & inveteratum in Graecos odium nolunt: perſiſtant ſane & obdurent in ſententia ſua; nobis ignoſcant, ſi, quo in ſtudio plurimum operae poſuimus, ab eo non facile abducimur, ſed & ejus dignitatem conſervare nitimur, & quas ex eo utilitates percepiſſe nobis videmur, eas cum aliis communi-

municare conamur. Sed adverſus hos & diximus alias plura, &, quoties dabitur occaſio, dicturi ſumus. Hoc autem tempore nobis aequiores eſſe debent, quod ita noſtram docendi rationem temperabimus, ut etiam iis, qui Graece neſciunt, multum tamen nos ad illam ipſam, quae in manibus eſt, qualiscunque eſt, Marſilii interpretationem commodius intelligendam auxilii allaturos eſſe ſperemus. Qui autem aliena eſſe haec ejus perſonae, quam hoc tempore ſuſtinemus, putant, primum hoc, velim, in memoriam revocent, quibus temporibus ars rhetorica doceri coepta eſt, eosdem habitos eſſe & politicos & dicendi magiſtros. In quo ut, qui tum ſe eos (*) pro talibus venditabant, nimium ſibi ſumpſiſſe, artique ſuae pro ſoccis, ut ita dicam, cothurnos induiſſe fateamur: ex eo tamen ipſo intelligi licet, magnam aliquam inter eas facultates affinitatem ac ſimilitudinem eſſe. Neque enim res plane disjunctae ac diſſimiles jungi ac permutari inter ſe ſolent: neque quisquam eſt, aut ita duro ore, aut ita hebetibus oculis, ut earum unam pro altera aut aliis tentet obtrudere, aut ſibi ipſe patiatur obtrudi. Deinde Ariſtoteles, qui, quae quaſi ſylva ac materies oratori propoſita ſit, unus omnium & vidit optime, & diligentiſſime perſecutus eſt, rhetoricam ex quadam dialectices & politices permiſtione, quaſique conſitione docet exiſtere, ut, non dicam tueri munus ſuum, ſed ne eſſe quidem ac conſtare poſſit, niſi decerptas ac delibatas ex earum utraque particulas corrogarit. Ut igitur veteres illi arrogantes, qui cum pectendae modo & intorquendae & tamquam calamiſtris inurendae orationis vias traderent, politicos ſe haberi volebant: ita nos modeſti, qui, quod nobis deeſt, quoque carere non poſſumus, a Philoſophis mutuamur. Quid? Non Hermagoras, cujus auctoritatem ſecuti plurimi ſunt, civiles quaeſtiones oratoris eſſe materiam tradidit? A quo qui diſſenſerunt, non eo errasſe illum dixerunt, quod oratori nimium tribuiſſet, ſed quod parum. Nonne Ariſtoteles ipſe diligenter cognoſcendas eſſe Oratori rerum publicarum formas praecipit? Quid vero apud Ciceronem frequentius, quam ſine Philoſophia non poſſe effici eloquentem, omnemque ubertatem dicendi

(*) *Eos* delendum videtur.

di ac copiam a Philoſophorum ſcriptis eſſe oratori petendam? qui etiam ſe non ex rhetorum umbraculis, ſed ex Academiae ſpatiis oratorem extitiſſe profitetur. An unquam Pericles fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam dictus eſſet, niſi Anaxagoram audiſſet? Demoſthenem autem, quo nemo unquam in dicendo nervoſior aut efficacior fuit, unde hauſiſſe illam vim, qua ſuperat omnes, niſi ex Platonis ſchola & ſermonibus, creditis? Sed eſt quoddam genus hominum, qui cum ſe Ciceronis ſtudioſiſſimos haberi velint, uni ex omnibus Ciceronis auctoritatem ac judicium maxime contemnere videntur. Nam cum Cicero toties inculcet, ei qui ad eloquentiae gloriam aſpiret, pervolutandum eſſe omne ſcriptorum genus, ut multiplici rerum cognitione quaſi laetificata efflореſcat, ac redundet oratio: hi perinde ac ſi hoc aut non legerint, aut ſatis putent eſſe quod legerint, ad unius Ciceronis ſcripta tamquam ad Sirenios ſcopulos, adhaereſcunt, ea una manibus terunt, eorum non voculas modo, ſed ſyllabas prope omnes minuta quadam & anxia curioſitate ad calculos vocant, ab eis commovere oculos nefas putant, praeter unum denique Ciceronem, aut tres, ſi forte, aut quatuor illorum temporum aequales, aut certe illi aetati ſuppares, aliorum omnium ſcriptorum contactum ipſum refugiunt, ne inquinentur. Itaque ut Ixion in poëtarum fabulis nubem amplexatus dicitur, cum ſibi Junonem amplexari videretur: ita iſti pro vera & ſolida & ſucci ac ſanguinis plena eloquentia, ariditatem quandam ac ſteriliſtatem orationis, & jejunam, & fame ac macie enectam, & nullius rei niſi odii plenam in verbis ad Lydium illum Nizolii lapidem examinandis moroſitatem amplexantur. Ridicula capita! Cujus ſe admiratores praecipuos videri volunt, ejus monita ac praecepta ad ſe pertinere non cenſent. Nos vero demus operam, ut ſimus, quod iſti non ſunt, vere ac ſerio Ciceroniani, & illi ſaluberrimo Ciceronis praecepto obtemperantes exeutiamus, ac perſcrutemur omnes forulos bibliothecarum veterum; inprimisque amemus atque admiremur Platonem: quo ille laudando ac commendando expleri non poteſt; quem nec nimis valde, nec nimis ſaepe laudari poſſe ait; quem omnium, quicunque unquam ſcripſerunt, locutive ſunt, principem; quem cum Panaetio, Philoſophorum Homerum, quem auctorem divinum, quem quaſi Deum quendam

dam Philosophorum vocat; cujus sapientiam & eloquentiam sic admirata est antiquitas, ut Jovem ipsum dicerent, si Graece loqueretur, sic loqui. Atque equidem constitueram hodie de Platone aliquid dicere: sed me copia ipsa deterruit. Vix enim potest quisque ullum paullo digniorem lectu scriptorem, eorum quidem, qui post Platonem vixerunt, in manus sumere, ut non in aliquid, quod de Platone ample ac magnifice dicatur, incurrat. Quare de ipso quidem in praesentia silentium erit: sed quando librum primum de Repub. explicare ingredior, attingam prius & exponam breviter nonnulla, quae Platonis interpretes quasique hypophetae in uniuscujusque libri Platonici principio tractare consueverunt. Primum igitur dicam, quid in his libris propositum sit Platoni: quod Graeci σκοπὸν, aut πρόθεσιν vocant. Deinde quo in genere eos scripserit: quod illi εἶδος, aut χαρακτῆρα dicunt. Postremo eorum ὕλην sive materiam explicabo. Materiam autem voco, ne quis sit error, non id, quo de agitur: ea enim est, quam dixi πρόθεσιν: sed certam quandam totius disputationis, ut rhetores loquuntur, ὑπόθεσιν, quae loco, tempore, personis, continetur. Quid igitur Platoni praecipue propositum sit in his dialogis, non eadem omnium sententia est. Sunt enim, qui de justitia hic, non de republica, praecipue disputari contendant, quae vis ejus, quaeque natura sit, & ut ex ejus cultu omnia bona & privatim & publice ad homines perveniant, contraque mala omnia ab injustitiae fonte manent. Hujus opinionis suae tria potissimum argumenta afferunt. Unum, quod principium totius disputationis, quae cum Cephalo, posteaque cum Polemarcho & Thrasymacho instituitur, manifeste a justitia ducitur: neque quidquam ab eis aliud quaeri videtur. Alterum, quod quicquid in his libris de Republica dicitur, accessio quaedam est & appendix disputationis de justitia. Dum enim ex dubitationibus Glauconis & Adimanti expressior quaedam & evidentior justitiae tractatio requireretur, eaque videretur semper aliquid obscuritatis habitura, quam diu in uno homine insisteretur, quo majorem & latiorem campum haberet oratio, transiit Socrates ad explicandam formam totius civitatis, ut, cum docuisset toti civitati & necessariam & salutarem esse justitiam, etiam in singulis eandem illius esse vim, facilius & apertius cerneretur. Qua in transitione com-

pa-

parationem adhibuit elegantisſimam, quae his verbis explicata eſt libro ſecundo: *Si quis*, inquit, *nobis propoſuiſſet aliquid longo intervallo legendum, quod minutis litteris ſcriptum foret, neque nos valde acutis & perſpicacibus eſſemus oculis, poſteaque alicui noſtrum veniret in mentem, idem alibi extare in grandiori tabula grandioribus litteris ſcriptum, nemo eſſet, quin lucro quodammodo apponeret, illam prius grandiorem tabulam inſpicere, ut poſtea, quae in minore ſcripta eſſent, iisdem veſtigiis facilius perſequi poſſet.* Addit deinde, eandem eſſe, & idem efficere juſtitiam in tota civitate & in uno homine, ſed vim illius in civitate, quae major ampliorque ſit, & facilius & clarius perſpici poſſe. Quod ſi diſputatio de repub. ad illuſtrandam juſtitiae naturam quaeſita eſt, conſtat, hanc quidem eſſe principem & προηγουμένην, illam de repub. adſcitam, & ὑποπίπτουσαν καὶ παραμβλημάτων. Poſtremo id e Socratis ipſius verbis apertisſime colligi, qui quoties, ut fit, in diſputando, a juſtitia evagatus eſt, ad eam rediens, ait ſe redire ad id, quod quaeritur, & de quo inſtituta eſt disputatio: & ad ipſum libri decimi finem ita totum ſermonem concludit, ut dicat, colendam eſſe juſtitiam, ut & nobismet ipſis & Diis immortalibus amici ſimus. Haec igitur argumenta ſunt eorum, qui de juſtitia, non de repub. praecipuam quaeſtionem in his dialogis eſſe ajunt. Qua in ſententia Marſilius fuit, qui quidem in hujus libri argumento ita ſcripſerit: Atque, ut ſaepe in his libris, ſed praecipue in ſecundo declarat, totam diſputationem de juſtitia a nobis inſcribi mavult, quam de republica. Idem ſentit & Chalcidius principio commentarii, quem ſcripſit in Timaeum. Sed & multorum ex veteribus eadem fuit opinio. Alii tamen, quorum non minor eſt auctoritas, praecipuam eſſe cenſent quaeſtionem de republica: idque his argumentis confirmant. Primum, quod inſcriptio eſt, de repub Quod argumentum ut plus habeat ponderis, oſtendunt inſcriptionem illam eſſe antiquisſimam, maximeque γνησίαν. Intelligendum eſt enim, non omnes inſcriptiones librorum Platonis aut antiquas aut indubitatas eſſe. Nam & Platoni quaedam tribuuntur, quae Platonis non ſunt, ut Axiochus ſive de morte, qui Xenophanis (*) Platonici eſt,

(*) Imo, *Xenocratis*, cujus librum περὶ θανάτου laudat Diog. Laërt. IV. 12. ubi vide Menagium.

est, quod & Marsilius scivit; ut Alcibiades secundus, quem & Athenaeus ait putari Xenophontis, & stylus ipse id ostendere videtur; & Halcyon sive de mutatione formae olim legebatur inter opera Platonis, hodie inter dialogos Luciani; cum eorum neutrius sit, sed Leontis Academici; (*) & ii dialogi, qui sine ulla dubitatione Platonis sunt, aliter ab aliis nominantur; ut Parmenides ab aliis περὶ ἰδεῶν, ab aliis περὶ γυμνασίας, ab aliis περὶ τοῦ ὄντος, ut testatur Proculus; ut Philebus, ab aliis de voluptate, ab aliis de summo bono; & qui hodie titulum habet ἐρασταί, id est, amatorum, ab omnibus antiquis ἀντερασταί, id est, rivalium nomine citari solet; estque ea verior inscriptio. Qui ergo ab inscriptione argumentantur, ajunt verisimam & antiquissimam horum librorum inscriptionem esse πολιτείαι, id est, de repub. non de justitia. Nam & Aristoteles cum eorum epitomen quandam confecisset, ait ὅταν ἐπιτιλῶσθαι τὴν Πλάτωνος πολιτείαν: & in Convivio, & in Politicis, quoties horum librorum mentio est, ita eos nominat. Theophrastus quoque in libris de Legibus eadem appellatione utitur. Sed & Plutarchus in quaestionibus Platonicis, & Athenaeus, & Origenes, & ex Latinis Cicero, Macrobius, Lactantius, Chalcidius, omnes denique antiqui, hos libros de repub. non de justitia vocant. Jam vero Platonicarum inscriptionum tria genera sunt: ἀπὸ προσώπων, ut Parmenides, Protagoras, Gorgias, Hippias; πραγματικαί, ut Convivium; πραγματικαί, ut Νόμων, Πολιτικὸς, Σοφιστής. Hae postremae semper continent τὸ προκειμένους ζητούμενον. Haec autem & vera est, & πραγματικὴ.

Reliqua desiderantur.

(*) Vide Fabricium Bibl. Gr. Vol. II. p. 28.

CUM

IN PLATONE EXPLICANDO PROGREDERETUR.

ORATIO V.

habita Romae IV. *Kal. Martii*

MDLXXIV.

Multa ſapienter ab Euripide dicta ſunt, quaeque praeclare ſuſtineant famam illius oraculi, quo traditum eſt, eum in tribus, qui illa aetate ſapientiſſimi eſſent, ipſius Dei voce numeratum: rectequejudicavit Q. Cicero, cum dixit, ſe ſingulos ejus verſus ſingula teſtimonia putare. Apud eum autem quodam loco mirari ſe dicit Hecuba, quod non, aliis omnibus ſtudiis omiſſis, omnes homines ad ſtudium eloquentiae incumbant: eam enim unam in rebus humanis quaſi regnum quoddam obtinere. Eſt & alibi apud eundem poëtam, orationem ad res efficiendas non minus valere, quam ferrum. Quae non ſplendidius aut magnificentius dici, quam verius, & docet vetus hiſtoria, & communis vita declarat. Quid enim notius eſt, quam in omni aetate extitiſſe ſemper aliquos, qui quaſi quodam gubernaculo, ita lingua huc illuc mentes audientium flecterent, quietas concitarent, commotas ac concitatas tranquillarent ac mitigarent, perſpicue veris fidem detraherent, incredibilibus probabilitatem conciliarent, veteres opiniones evellerent, novas inſererent, quid denique & quatenus ab aliis credi vellent, ipſi definirent, quaſique terminos pangerent? Neque vero hujus tantae ac tam admirabilis poteſtatis ſuae ipſa ſibi parum conſcia eloquentia eſt: neque unquam eam obſcure ac diſſimulanter tulit, quae, ut e vetere comoedia cognoſcimus, ab ipſo prope ortus ſui principio auſa ſit profiteri, ſe vias tenere ac tradere, quibus cauſſa inferior dicendo ſuperior fieri poſſet. Neque vanam aut inanem illam

illam gloriationem fuisse, gravissimis persaepe maximeque insignibus exemplis in omni civitate patefactum est. Cum igitur homines natura potentiae cupidi sint, & tantum ad eam in eloquentia momenti sit; omnia omnes ejus consequendae caussa facere, ut ait Euripides, consentaneum esset. At mihi tamen contra nonnunquam accuratius haec in animo reputanti, mirum videri solet, non jam pridem omnes dicendi magistros, una cum illo suo praeclaro artificio, ex omnibus locis communi aliquo gentium ac populorum scito ejectos, expulsos, exterminatos fuisse. Neque enim adversus illos aut accusatore ullo, aut teste opus est. Ipsi se indicant, ipsi se deferunt, ipsi quod occultandum potius videretur, id sine metu ac pudore prae se ferunt, id ostentant, eo se venditant, eo gloriantur. Nihil tam certum tamque exploratum esse, quod non in dubium vocari, nihil tam absurdum, tamque perversum, quod non eloquentiae viribus obtineri ac persuaderi queat: voces sunt hominum istam facultatem non calumniari & in odium vocare, sed ornare & hominibus commendare cupientium. Hoc autem quid aliud est, quam noctem ac caliginem rebus inducere; & quasi Circaeo quodam poculo ad eam dementiam homines adigere, ut certi ac firmi, in quo insistant, nihil habeant, sed modo huc, modo illuc incertis opinionum fluctibus agitati vagentur? Si pharmacopola aliquis oppida circumiens ejusmodi venenum venale circumferret, quod potu quidem jucundissimum esset, sed potum adimeret hominibus omne judicium veri & falsi: omnes, ut opinor, ei advenienti portas clauderent, omnes eum a finibus suis abigerent; interdicerent etiam, ne quis ab eo ejus veneni miscendi ac temperandi rationem didicisse vellet. At non dissimilem in eloquentia inesse vim, ipsi illius professores praedicant. An, si quis alienas fruges excantaverit, aut malis carminibus mentem alicui eripuerit, afficietur supplicio: idque aut docuisse, aut didicisse capitale erit: qui mellitis verbis & ad fallendum compositis multitudinem infatuaverit, eique gravissimis in rebus illuserit, aliosque eandem fallendi ac circumscribendi artem docuerit, is non modo ante oculos omnium impune volitabit, sed ultro ob eam ipsam caussam amplissima sibi decerni praemia postulabit? An, qui judicem pecunia corruperit, exulabit: qui eloquentia, laudabitur? At hoc

eo etiam tetrius ac ſceleratius eſt, quod pecunia corrumpi niſi improbus & impurus judex non poteſt: eloquentia etiam optimorum virorum judicia interdum depravantur. Itaque ut Pittacus graviorem poenam conſtituerat, ſi quis alienam uxorem blanditiis ad faciendum adulterium pellexiſſet, quam ſi ei vim attuliſſet, quod vi adhibita corpus tantum, blanditiis etiam animus corrumperetur: ita qui fictis verbis ſeveritatem judicum inflectunt, gravius puniendi eſſent, quam qui eos largitione corrumpunt. Lacedaemonii quidem, quorum civitas optimis inſtitutis temperata putabatur, nullum apud ſe huic praeſtigiatrici locum eſſe voluerunt, ſed ſimplex quoddam & apertum, & paucisſimis contentum verbis adamarunt dicendi genus. Athenienſes autem, apud quos iſta & nata & alta atque educata, & ſuo quaſi mundo muliebri inſtructa & exornata Pandora eſt, quid non ab ea malorum ac calamitatum pertulerunt? Grata enim & accepti beneficii memor alumna non aliunde ſibi potius, quam a lare, aut, ut ipſi loquuntur, a Veſta, incipiendum putavit: & altricibus ſuis Athenis egregia ſane nutricia perſolvit. Nam quibuscunque tempeſtatibus ac procellis Athenienſium vexata respub. eſt, earum longe maximam partem oratoribus ſuis acceptam ferre meritisſimo poteſt. Quorum etiam unus, ut Enceladus, cui mons Aetna impoſitus eſt, quoties ſe commorit, totam Siciliam concutere dicitur: ita ipſe, cum ſe dicendo incitaverat, univerſam permiſcere ac perturbare Graeciam dicebatur. Et ea ipſa tamen in civitate ab Areopago elóquentia exulabat. Quod enim templum Juſtitiae dicaverant, in id patere aditum judiciorum corruptrici eloquentiae noluerunt. Nam quod a multis perſaepe dictum eſt, non eloquentiae iſtam culpam eſſe, ſed hominum, ea ſecus, quam oportet, utentium: ipſius quidem hunc eſſe finem, ut innocentiae, non flagitio, ut aequitati, non injuſtitiae, ut veritati, non ut mendacio patrocinetur: videamus, ne rebus ipſis haec oratio refellatur. Veritatis per ſe magna vis eſt, ita ut ſuis opibus pollens, ſuis copiis freta, ſuis praeſidiis firma, aut nihil, aut non admodum externa auxilia requirere videatur. Itaque idem ille, quem principio nominavi, Euripides veritatis ſimplicem eſſe ait orationem, neque ullis medicamentis ac lenociniis indigere. Neque quisquam unquam ſe orator magnopere jactaverit, quod veram & juſtam

juſtam cauſam obtinuerit; ne dignantur quidem ad eas, quae hujusmodi ſunt, accedere. Si quem depoſitum ac deſperatum & manifeſtis criminibus oppreſſum, & tacito omnium praejudicio morti deſtinatum reum recipere potuerint: in eo ſibi placent, ſe circumſpiciunt, ſe jactant, caelum digito ſibi videntur attingere: ut cum Cicero in Cluentiana cauſa gloriatus eſt, ſe tenebras judicibus offudiſſe. Quanto verior eſſet gloriandi cauſa, ſi tenebras ab eorum animis diſcuſſiſſet, ſi omnem errorem eripuiſſet, ut id, de quo judicaturi erant, in clara, ut ita dicam, luce videndum collocaſſet? At hoc viri boni erat, non oratoris boni. Immo vero, ait alius, ne orator quidem eſſe poteſt, niſi qui vir bonus ſit. Scio iſtud dici, & ad auctorem M. Catonem referri: ſed me magis Ariſtoteles movet, qui me Philoſophus cum aliis rebus rapit, tum quod mirifice veritatis amans videtur. Is igitur, bonus vir ſit orator, an minus, negat quicquam ad artem pertinere: illud quidem eſſe in arte vel praecipuum, ita fingere ac conformare orationem, ut te, quicunque ſis, ii qui audient bonum virum eſſe & ſibi amicum putent. Egregiam vero & expetendam artem: quae eam injuſtitiae partem doceat, qua nulla capitalior eſt, quo modo conſequi poſſis, ut cum maxime fallas, tum maxime vir bonus eſſe videaris. Quodſi maxime ad verum & ad falſum perſuadendum utilis eſt eloquentia: tamen in tanto periculo, & in tanta multitudine hominum ea improbe utentium, non paſſim, neque quibuslibet uſus illius permittendus eſſet; ſed ut Cretenſes armorum tractationem ingenuis permittebant, ſervis denegabant: ita deligendi eſſent publice ex omni multitudine certi tantum, qui eloquentiae praeceptis inſtituerentur. Quid enim eſt, quo iſta praeclara facultas, cum ſemel frontem perfricuit, progredi non audeat? Ornat exquiſitiſſimis laudibus res contemptiſſimas & abjectiſſimas, comam, calvitium, culicem, muscam; nonnullas etiam aperte malas & hominum generi noxias, febrem, peſtem, bellum, ſtultitiam; homines teterrimos, Phalarin, Buſirin, & ejusmodi alios. Quae etſi nonnullis fortaſſe toleranda videri poſſint, ut ludicra, neque alio pertinentia, quam ad exercitationem & ad oſtentationem ingenii: tamen haud ſcio an rectius ex civitate tollerentur. Certiſſima enim peſtis animorum eſt mendacium, cui aſſuefieri periculoſum eſt:

cum, ut verisime cecinit Euenus, consuetudo progressu temporis tandem in naturam convertatur. Semper mihi placuit dictum Solonis, qui, cum Thespin primum tragoediarum scriptorem ipsum fabulas suas, ut tum mos erat, docentem spectasset, postea quaesiisse ex eo dicitur, ecquid puderet, in tanta auditorum multitudine tam multa mentiri? cumque ille respondisset, turpe non esse, talia joco & agere & dicere: ibi tum prudentissimus senex baculo, quem ex Athenienſium consuetudine gestabat, terram percutiens; *Nae nos*, inquit, *si istos jocos hic laudare assuescemus, cito eosdem in contractibus & in judiciis reperiemus.* Sed tamen, ne summo jure agamus, neve omnia nimis ad vivum resecare videamur, demus hanc veniam Sophistis, ut tanquam neurospastae, aut ii, qui agilitate quadam & celeritate manuum levibus ac politis calculis huc illuc movendis spectantium oculos eludunt, quos Graeci psephopaectas vocant, ita ipsi quoque talibus argumentis inter pueros ludant: praesertim cum periculum non sit, ne quis, quod muscam a magistro laudari audierit, in captandis postea ac colligendis muscis nimis magnum studium ponat; aut quia febris pestisve multis laudibus ornata sit, talia bona non ipsi potius rhetori evenire optet, quam sibi. Quid? cum ea sibi ad dicendum argumenta sumunt, quibus subruuntur fundamenta virtutum, amor honestatis excutitur, animi hominum pestiferis ac nefariis opinionibus imbuuntur, tamenne eos ferendos esse dicemus? Olim quidem, cum Athenienſibus ob Oropum vastatam Sicyonii, qui eis judices a Senatu dati erant, mulctam quingentorum talentorum irrogassent, eaque justo gravior videretur: misere Athenienses legatos in hanc urbem, per quos a Senatu peterent, uti aut ejus poenae gratia sibi fieret, aut certe aliquid ex ea diminueretur. Ejus legationis principes fuerunt Carneades Academicus, Critolaus Peripateticus, & Diogenes Stoicus. Quibus, dum otiosi in urbe sententiam Senatus exspectant, lubido incessit, Graeco more epidixis facere, & quotidie in coetu ac conventu hominum de variis quaestionibus disputare. Ibi tum Carneades, qui vi & copia dicendi antistare collegis putabatur, quodam die de justitiae laudibus ornate ac luculenter dixisse perhibetur: cum quidem Ser. Galba, & M. Cato ille Censorius ei disputationi interessent. Sed ille idem Carneades, quae-

cum-

cunque tum de justitia dixerat, ea postridie contraria disputatione subvertit; multoque plura collegit, quibus planum faceret, justitiam meram esse stultitiam, oppidoque antiquos ac simplices esse illos, qui, si modo impune injusti esse possent, a facienda injuria, propter inanem quandam umbram & opinionem justitiae, temperarent. Sensit Senatus, ad eam disciplinam nimio plus docilem esse multitudinem: neque tanti esse audire doctores Graecos composite ac modulate verba fundentes, ut propterea ferendum esset, corrumpi civium ingenia, & ad improbitatem ac nequitiam a fide & a virtute traduci. Contiescere igitur eos jussit, & quam primum remisit in Graeciam: ne populus ille, cujus potentia & auctoritas apud exteras gentes non armis magis, quam opinione justitiae creverat, bene dicendi studio captus bene vivendi studium abjiceret. At si jure ob eam rem Carneades vituperatus est, quomodo defendetur Plato? Nam quae tum pro justitia (*) adversus justitiam Carneades dixit, eorum semina multo ante & in Gorgia, & in primis duobus de republica libris a Platone sparsa erant. Meministis, quam multa hujus generis in superiore libro Thrasymachus dixerit, quibus multo plura, multoque ad persuadendum efficaciora in eo, quem nunc explicare ingredimur, a Glaucone & ab Adimanto adferuntur. Num igitur & Plato vituperandus, qui mandanda illa & consignanda litteris duxerit; & male Cicero, qui tot annis post eadem in suos de Repub. libros transtulerit; & nos hodie parum prudentes, qui vestra, adolescentes, ingenia, quorum nobis cultura commissa est, in his potissimum disputationibus cognoscendis exerceamus? Immo vero & nulla in Platonem reprehensio cadit, & culpa vacat Cicero, & a nobis ex omni scriptorum numero nullus eligi poterat, in quo, majore fructu, quam in Platone, vestra elaboraret industria. Nam ut ceterorum, quae supra diximus, dissolutionem in aliud tempus reservemus, & eam tantum partem pertexamus, cujus praecipue causa hunc sermonem exorsi sumus; dispar quidem fortasse Carneadis causa atque ratio fuerit: Plato certe nihil se, nihil Philosophia indignum suscepit; nihil quod non omni ex parte ei, quem vere ac merito animorum Aesculapium nominavit antiquitas, conve-

(*) Imo, *injustitia*. Nec aliter scripserat Muretus.

veniret. Non enim has ſubdolas juſtitiae criminandae rationes ipſe commentus eſt, neque earum quaſi ſator ac parens fuit: ſed eas, cum ab hominibus improbis proditae vagarentur ac ſpargerentur licentius, jamque per multorum animos quaſi contagione quadam ſerperent, ne diffluerent ac manarent latius, praecidendas ipſe atque amputandas putavit. Non poterat autem juſtitia perfecte cumulateque defendi, neque profiteri (*), quanto plus in ea non dignitatis modo, quod & adverſarii fatebantur, ſed utilitatis quoque, quam in injuſtitia ineſſet, niſi omnia, quae pro injuſtitia dici conſueverant, accurate & exponerentur & refellerentur. Hoc igitur ita praeſtitit Plato, ut nihil in ejus argumenti tractatione vafre, acute, callide, apte ad fallendum dici poſſit, quod ipſe praetermiſerit. Ac Thraſymachum quidem, ut Sophiſtam, induxit, ſerio & ex animi ſui ſententia pro injuſtitia perorantem. Cujus inania argumenta & futiles ratiunculas cum libro primo, nullo prope negotio, ludibundus refutaſſet Socrates: illam quaſi velitationem multo gravior pugna excipit cum Glaucone & Adimanto. Quos tamen, quia viri inprimis boni erant, & juſtitiae amantes, ſtatim a principio profitentes ac conteſtantes facit, ea ſe dicturos, non quae ſentirent ipſi, ſed quae ab aliis dici ſolerent, quaeque reprehendi ac convinci cuperent. Cum igitur accuratiſſime & exquiſitiſſime ab eis eſſet accuſata quidem & abjecta juſtitia, defenſa autem & collaudata injuſtitia, ut vix eorum orationi reſiſti poſſe videretur: Deum immortalem, quo robore, qua firmitate, qua copia argumentorum, quanto orationis impetu fregit ac diſſipavit illas injuſtitiae copias Socrates? Qui quidem eo rem perduxit, ut aperte demonſtraverit, id quod etiam hodie nonnullis, Chriſtiana religione imbutis, vix ſatis perſuaderi poteſt, non tantum propter praemia, quae juſtos & in hac vita comitantur, & poſt mortem manent; neque propter poenas, quas injuſti nullo modo effugere ac vitare poſſunt: ſed etiam ſi quis juſtis omnem praemiorum ſpem, injuſtis omnem & infamiae & ſuppliciі metum detrahat, infinitis ta-

(*) *Profiteri* paſſive dixit exemplo Ciceronis Agrar. II. 21. ubi *ſic eſt fateri.* Sed ille locus vix ſanus videtur Criticis. Vide Dukerum de Latin. JC. vet. p. 369. & Erneſt. Clav. Cic. V. *Fatear.* An Muretus ſcripſit, *profiteri*? Hoc quidem aptius eſt ſententiae, quam illorum.

tamen partibus praestare, in mendicitate, in exilio, in morbis, in tormentis ac cruciatibus, in infamia atque odio, in equuleo atque ignibus justum esse, quam cum injustitia vivere in summis opibus, & omni earum rerum, propter quas vulgo homines a justitia desciscunt, copia circumfluentem. O non loquendi tantum, sed & sentiendi, ex illis veteribus, quos Deus vera sui cognitione non afflaverat, unice magister, Plato, quae unquam par dignitati, ac meritis erga omnem posteritatem tuis reperiri poterit oratio? Tu, quomodo animi nostri a vitiorum sordibus purgari possint, ostendisti; tu, quemadmodum hominibus adhuc in terra versantibus caelestem quodammodo vitam vivere liceat, aperuisti; tu divina cum humanis, quantum quidem humano ingenio id perfici potuit, copulasti; tu ea tradidisti, quae nos, nos, inquam, ipsi, qui a Deo per Filium adoptati, & caelesti doctrina imbuti sumus, a te dici potuisse miramur. Sed Platonem laudare necesse non est: danda potius opera est, ut quae ille divinitus scripsit, cognoscamus ac consequamur. Quam ad rem si cui vobis usui meam esse posse operam creditis, dabo operam, quod in me erit, ne unquam vestra vos de me opinio prorsus fefellisse videatur.

INGRESSURUS EXPLANARE M. T. CICERONIS LIBROS DE OFFICIIS.

ORATIO VI.

habita Romae III. *Non. Novembris*

MDLXXIV.

Decreveram hoc anno pulcerrimum consilium, quod anno superiore ceperam, persequi, & denuo Platonem cum Cicerone conjungere: tum ut adolescentes in studio Graecarum litterarum, quas maximo cum animi mei dolore evanescere, & ad nihilum recidere, secumque omne elegantioris doctrinae genus trahere video, pro mea virili parte continerem: tum ut nobilissimus Philosophus, cujus

ante me in his ſcholis nunquam, ut opinor, audita vox erat, paullatim familiarior factus, uberrimis illis ſapientiae & eloquentiae ſuae fontibus ingenia noſtra copioſius & abundantius irrigaret. Aliter viſum eſt iis, quorum nutu atque auctoritate noſtra omnium ſtudia diriguntur, qui ſive mihi ad tractandam, ſive vobis ad percipiendam Platonicarum disputationum gravitatem non ſatis eſſe virium judicarint, ſive in eo aliud quippiam ſecuti ſint, (non enim fas nobis eſſe arbitror, in eorum judicia curioſius inquirere,) omnem a me hujus anni operam in uno Ciceronе conſumi maluerunt. Pareamus libenter, ut par eſt, iis, quibus parere omnes debent: quodque ipſis placuit, id ſine ulla retractatione, melius eſſe credamus. Non enim, ne gravisſimis quidem in rebus, tantum apud nos valere ulla probabilium rationum momenta debent, ut non multo plus illorum vel juſſis, vel conſiliis, vel auctoritate moveamur. Pervolutabimus igitur hoc anno aureos illos M. Tullii libros de Officiis. Qui cum tres ſint, & totidem in partes annuum hujus noſtri muneris curriculum diſtingui ſoleat: dabimus operam, ut ſingulorum librorum explicatio cum illa tripartita temporis noſtri diſtributione ac deſcriptione concurrat ac congruat. Nam qui dies nobis, ſtatis anni temporibus ad relaxandos animos, & ad vires denuo colligendas concedi ſolent, iis ipſe otium mihi ſponte abjudicabo, &, rationes veſtras commodis meis anteponens, domi quidem, ſed ita ut neminem, qui audiendi ac diſcendi ſtudio teneatur, excludam, quae hic temporis anguſtiis excluſus, non potuero, illic commodius explicabo. Scitis idem me ſuperioribus annis factitaſſe: & cum ad me magnus ſtudioſorum numerus domum quotidie ventitaret ac confluereт, perfeciſſe, (praefiſcini, ut loquebantur veteres, dixerim,) ut nulla pars anni utilius ab eis aut fructuoſius poneretur, quam ea, quae libera quotannis ac ſoluta otio tranſigi ſolet. Quod ego non jactandi mei cauſſa dico, (neque enim unquam tantum laboris ſubire ac ſuſcipere potero, ut aut ſanctiſſimi Pontificis Gregorii XIII. aut ampliſſimorum Cardinalium, qui juſſu ipſius huic gymnaſio praeſunt, ſingularem in me benignitatem ac beneficentiam exaequem,) ſed ut vos, ſi qua ratione poſſum, exacuam & exſuſcitem ad ſuſcipiendam aliquam curam ac cogitationem utilitatis veſtrae: ne, cum mihi navandae vobis operae voluntas nunquam

quam defuerit, vestra vobis tarditas ac negligentia aditum ad veram laudem ac dignitatem intercluſisse videatur. Ac quoniam scio esse nonnullos, qui mirentur, quos ipse mihi, cum vacationes dantur, voluntarios labores injungere soleo, cur non hoc ipso potius publice nobis constituto ad docendum loco, quam intra domesticos parietes obeam, ejus quoque rei quae causa sit, aperiam, ne consiliorum meorum pars ulla vobis ignota sit. Officii enim mei rationem omnibus quam notissimam esse cupio, ne quis cuipiam pateat ad calumniandum locus. Primum igitur, si dicam id facere me, ut aliqua pars laboris minuatur mihi, nemo me, ut opinor, merito reprehendat, quod vobis a me sponte tribuitur, si in eo etiam commodi mei rationem habendam esse aliquam putem: praesertim cum vobis ex eo nihil oriatur incommodi. Sed sunt alia graviora, quae me magis commoveant. Huc quoties venimus, pendendum nobis est ex aliquot abjectissimorum nebulonum libidine, qui sibi pro oblectamento habent, obstrependo, obturbando, exsibilando, laudabiles aliorum conatus, quoties collibuit, impedire. Domi ab illa fece ac colluvie nihil periculi est: ubi si quid tale tentare auderent, extruderentur: &, si redire postridie vellent, excluderentur. Hic vix unquam mihi horam integram docere permittitur: domi me saepe horas duas, summo silentio, summa omnium voluntate auditum esse meministis. Illic si quis quid minus intellexit, licet rogare, licet colloqui, licet placide ac comiter, si quid sit, de quo dubitetur, exquirere. Hae me causae adducunt, ut, quoties a publico munere cessatio est, libentius doceam domi. Neque dubito, quin hoc consilium meum omnes aequi & harum rerum intelligentes existimatores probent. De quo cum & aliquid dicendum fuerit, & satis multa jam dixisse videar, transibo ad alia, quae proprie pertinent ad eos libros, quos vobis hoc anno Deo fretus explanare decrevi. Qui quidem multis nominibus magno apud nos in pretio esse debent. Primum quod Ciceronis sunt, hoc est, ejus viri, qui perpetuo omnium aetatum consensu inter Romanos scriptores eloquentiae laude ita numeratur primus, ut ab eo nemo numeretur secundus. Deinde quod scripti a Cicerone jam sene, cum singularis ille vir, natusque in posteritatis exemplum, & multo studio, multisque vigiliis, & longo usu, ac tracta-

tio-

tione rerum maximarum, & multis, quibus agitatus erat, catibus, immenſam ſibi quandam vim ſapientiae ac prudentiae comparaſſet. Fuit enim hic prope ultimus illius praeſtantis ingenii fetus: ut poſtea magis intelligetur. Adde quod ſcribit ad filium, & ad filium Athenis agentem in convictu ac contubernio hominum doctiſſimorum: ut veriſimillimum ſit, & ſummam ab eo curam adhibitam in colligendis undique bonis & utilibus praeceptis, quae congereret in eos libros, ex quibus unicum & unice carum filium legem ac normam inſtituendae vitae petere vellet; neque quicquam praetermiſſum in limandis ac perpoliendis, quae ita ſcriberentur, ut in eam urbem, quae tum eruditionis ac ſapientiae domicilium erat, acutiſſimorum hominum ſubitura judicium, mitterentur. Conſtat etiam, ipſum ſibi valde placuiſſe in confectione horum librorum, ut qui ſibi unus optime conſcius eſſet operae in eis ſcribendis collocatae. Nam & principio commendat eos, ut ad Latinae orationis ubertatem ac copiam profuturos; & ad finem, magnum a ſe munus habere filium dicit; & ad Atticum ſcribens, homini eruditiſſimo, & cujus ipſe ſaepe miniatulas ceras extimeſcebat, magnam hujus operis exſpectationem concitare non veretur. *Nos hic*, inquit, *φιλοσοφούμεθα: quid enim aliud? & τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος magnifice explicamus, προσφωνοῦμεque Ciceroni: qua de re enim potius pater filio? deinde alia. quid quaeris? extabit opera peregrinationis hujus.* Ac ne quis ipſius, quaſi Aſtydamantis cujusdam, de ſe teſtimonium elevare conetur, ſciat hos libros ſemper fuiſſe in prima commendatione apud ſapientiſſimos quosque, ut & tererentur aſſidue manibus, & a plerisque etiam ad verbum ediſcerentur. Inter quos minime contemnendum eſt judicium Alexandri Severi, Imperatoris optimi & eruditiſſimi, de quo ita ſcribit Lampridius: *Poſt actus publicos, ſeu bellicos, ſeu civiles, lectioni Graecae operam majorem dabat, de repub. libros Platonis legens. Latina cum legeret, non alia magis legebat, quam de officiis Ciceronis & de repub.* Ut mihi hoc quoque perbelle cecidiſſe videatur, quod cum anno ſuperiori libros aliquot Platonis de repub. interpretati ſimus, eis nunc ſubjiciamus interpretationem librorum Ciceronis de officiis, quaſi praeſtantiſſimi, & ſapientiſſimi Imperatoris veſtigia perſequamur. Sed nihil eſt, quod magis invitare at-

atque allicere nos debeat ad accuratam horum librorum lectionem, quam res ipſae, de quibus in eis diſputatur. Continent enim praecepta virtutis, docent, quomodo unusquisque in omni parte vitae gerere ſe debeat, quid a quoque poſtuletur, quid quemque deceat, quid patriae praeſtandum ſit, quid parentibus, quid propinquis, ceterisque amicis, quid univerſo hominum generi; ea denique, quorum ſtudium

Aeque pauperibus prodeſt, locupletibus aeque:
Aeque neglectum pueris ſenibusque nocebit.

Socrates quidem, qui in his & talibus quaerendis ſtudium omne conſumerent, eos ſapere unos praedicabat: qui, his neglectis, de natura mundi, de rebus ſuperis, de cauſſis ventorum, imbrium, fulgurum, philoſopharentur, deſipere hallucinarique dicebat. Eo autem hi libri a cordatis, ut Ennii verbo utar, & intelligentibus pluris fieri debent, quod, cum ducti ſint e Stoicorum diſciplina, quorum fuit quidem ſeverum inprimis, &, ut ita dicam, maſculum philoſophandi genus, ſed pleraque tamen praecepta rigidiora, & a communi hominum captu remotiora: ita ſe Cicero temperavit, ut ab illis, quae abſurda, aut erant, aut videri poterant, abſtinuerit, omniaque ad civilis vitae inſtitutionem apta & accommodata protulerit. Sed de cauſſis, cur hi libri nobis cari, ac commendati eſſe debeant, abunde dictum puto. Nunc antequam progrediar longius, non erit alienum, breviter reſpondere quibusdam reprehenſoribus, qui me non tantum abſentem in circulis & conviviis vellicant, ſed eſſe interdum etiam praeſenti moleſti ſolent. Ajunt enim, perperam facere me, qui cum juſſus ſim, quantum quidem vires meae ferunt, eloquentiae praecepta tradere, ejusmodi tamen fere libros interpreter, qui non tam bene dicendi, quam bene vivendi praecepta continere videantur. Quam reprehenſionem, ſi ambitioni meae ſervire vellem, nunquam equidem refellerem. Quid enim eſſe mihi glorioſius poteſt, quam ſi vobis, juvenes, ea praecepta quotidie inſtillare dicar, quibus non tam oratio comptior, quam vita melior fiat? O benevolos reprehenſores, & exiſtimationi meae amicos! o reprehenſionem cuilibet laudi anteponendam! Quis non eos a me ipſo appoſitos atque allegatos putet?

Nam

Nam orichalcum pro auro, aut vitrum pro gemma si quis vendiderit, merito, ut improbus, accusetur; aurum quidem pro orichalco, aut gemmam pro vitro qui dederit, nemo se, ni fallor, ab eo delusum ac deceptum conqueratur. Sed ne quis sit error, hoc sibi responsum habeant, jam inde ab heroicis temporibus conjunctam fuisse harum rerum professionem: idque vel illo cognosci Homeri loco, ubi Phoenix datum se Achilli a Peleo dicit, ut eum & ornate dicere, & fortiter facere doceret:

Τέκτονα μ' ἀφοίησι διδασκέμεναι τάδε πάντα,
Μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

Et certe, sive vera est M. Catonis illius sapientis definitio, oratorem esse virum bonum dicendi peritum: qui, quomodo vir bonus fias, docet, potiorem ac praestantiorem partem artis oratoriae docet; sive Aristotelem sequi malumus, ut quamlibet bonum oratorem esse posse dicamus, etiam qui non sit vir bonus: facere tamen nullo modo possumus, quin eam partem Philosophiae, qua formantur mores, oratori futuro necessariam esse fateamur. Quomodo enim apte & copiose aut laudabit, aut vituperabit, nisi qui virtutum vitiorumque naturam, ex quibus omnis vera laus & omnis vituperatio nascitur, diligenter cognitam ac pertractatam habuerit? Quomodo potens & efficax in suadendo aut disuadendo futurus est, qui, quae secundo horum librorum de utili atque inutili traduntur, nunquam didicerit? Quid aget in judiciis, qui justitiae injustitiaeque cognitionem e Philosophorum fontibus haurire neglexerit? An ego, si troporum ac schematum exempla traderem, & quotidie illa ludimagistrorum dictata cantarem, de exordio, de divisione, de narratione, de confirmatione, de epilogo, de generibus causarum, de statibus, ad quae puto jam multorum e vobis aures occalluisse, plus vobis ad eloquentiam prodessem, quam cum aut libros Platonis de republica, aut Ciceronis philosophica interpretor? Vera & solida eloquentia non tantum in verbis posita est, sed in rebus. Praeclare autem Horatius:

Scri-

Scribendi recte, ſapere eſt & principium & fons.
Rem tibi Socraticae poterunt oſtendere chartae:
Verbaque praeviſam rem non invita ſequentur.

Sed ut Ixion in fabulis pro Junone nubem: ita hodie magna pars hominum pro eloquentia amplectitur inanem loquacitatem, Atque hoc deterius eunt res, quod qui omiſſis rebus verba curant, ne verba quidem ſatis curant, ſuntque in illo ipſo ſuo puerili ac ludicro ſtudio negligentes. Vos, ſi me auditis, utrumque curate, & date operam, ut olim oratio veſtra & copia rerum madeat, (*) & bonis ac lectis verbis conſtructa ſit. Ad utrumque vobis operam meam profiteor, &, magis ut vos excitem, quam ut me extollam, jam nunc praedico ac praemoneo, niſi ad aliquam in hoc genere laudem perveniatis, daturum me operam, ut omnes homines intelligant, quidvis potius vobis, quam, me vivo, hortatorem ac ducem ad eloquentiam defuiſſe.

CUM

ARISTOTELIS LIBROS DE ARTE RHETORICA INTERPRETARI INCIPERET.

ORATIO VII.

habita Romae poſtridie Non. Martii

MDLXXVI.

Credó ego, auditores, veſtrum plerosque mirari, eosque maxime, qui me diutiſime audierunt, quod, cum hujus anni principio orationes Ciceronis in Verrem explicare ingreſſus eſſem, oſtendiſſemque, non prius me deſtiturum, quam eas omnes abſolviſſem: nunc mutato praeter

(*) Poëtica loquendi forma, non imitanda in proſa.

ter opinionem vestram consilio, Aristotelis libros de arte dicendi interpretandos susceperim. Nam duodecim totos annos, quibus in hac urbe publice docui, eam consuetudinem, quantum in me fuit, constantissime tenui, ut, cum alii ordinis mei homines fere tertio quoque mense novum aliquid susciperent: quod illa crebra commutatione facilius & allici & retineri juvenum animos cernerent: ego contra ab eo, quem semel in manus suscepissem (*), libro, non facile avelli me paterer, neque integrum modo annum, sed nonnunquam triennium, aut quadriennium uno atque eodem in scriptore consumerem. Quod institutum meum etsi non deerant, qui reprehenderent: illi tamen, quibus ego me probari cupio, semper probarunt. Nunc igitur quid caussae fuerit, ut ab eo desciverim, aperire constitui: tum ut ne quis id, tamquam temere factum, levitati atque inconstantiae adscribendum putet; tum ut omnes intelligant, quicquid hujus factum est, vestrae utilitatis caussa factum esse, neque alio, quam ad studia vestra, quibuscunque rationibus possum, promovenda, meos omnes conatus, omnes cogitationes, omnia consilia pertinere. Primum igitur viros graves, & in hoc studiorum genere diligenter accurateque versatos, qui & ad me saepe domum ventitare, &, cum licet, auditorium hoc frequentare consueverunt, quoties recordarentur veterum illarum disputationum, quae a me de rebus gravissimis quotidie habebantur, & olim cum Aristotelis libros de moribus, & proxime cum Platonis libros de republica interpretarer, indignantes atque aegre ferentes audiebam, eo redactum esse me, ut de quaestiunculis ad Grammaticos pertinentibus disserere cogerer, & monere pueros, quid Latine, quid minus diceretur; quaerere, ex qua familia fuisset Verres, aut unde duxisset uxorem, aut ubi & quam diu exulasset; quis ille esset, quem legum laqueis irretitum versicoloribus tabellis judicum severitati eripuisset Hortensius; quando ludi Romani, quando ludi Victoriae, quando plebeji committerentur; ejusdemque generis alia: quae fallere modo atque oblectare puerorum otium, non etiam cordatorum hominum studia tenere possent, quorum in orationibus Ciceronis, aliisque ejus notae scriptis exerceretur industria: a me graviora quaedam

(*) Scripserat, ni fallor, *sumpsissem*.

dam & minus vulgaria requiri: Ciceronis ſcripta magnam partem ejusmodi eſſe, ut eorum ſententiam quilibet, qui modo neque pingui atque obtuſo ingenio ſit, neque in litteris hoſpes & peregrinus, ſi non facile, at certe aliquo modo per ſe conſequi queat; eſſe alios ſcriptores, qui ſine aliquo itineris duce vix perluſtrari a rudioribus posſint: ad hos cupere ſe aditum ſibi opera mea patefieri, ad hos facem ſibi a me aliquam praeferri: quod laboris in eis intelligendis capere neceſſe haberent, ejus ſibi partem per me aliquam detrahi. In eo autem ſermone ſaepe Ariſtotelis libros de Rhetorica nominabant, oſtendebantque non obſcure, nihil ſibi accidere poſſe jucundius, quam ſi adducere me poſſent, ut eos publice interpretarer. Ego qui & juſtae eorum petitioni obſequi cuperem, &, ut verum fatear, voluntate mea eo inclinarem, quo me ipſi vocabant: nihil tamen prius decernendum ſtatui, quam, ut veteres illi Apollinem, ita eum conſulerem, qui mihi in rebus obſcuris & incertis pro Apolline eſt, praeſtantisſimum virum, & ſumma eruditione, ſumma virtute, ſumma dignitate praeditum, Gulielmum Sirletum Cardinalem, commune decus ac praeſidium omnium litterarum, omniumque litteratorum. Ad quem cum venisſem, ſententiamque ac voluntatem ipſius ſuper hac re exquiſiisſem: homo omnium, quos unquam audivi, diſertisſimus & in dicendo copioſisſimus, ita vehementer hortari me coepit, ne ulterius differrem facere quod rogabar, verbis,

Quae timido quoque poſſent addere mentem,

ait Horatius, ut non modo me, qui eodem, ut dixi, propendebam, ſed quemlibet alium, vel eloquentia, vel auctoritate ſua, quo vellet, impulſurus fuisſe videatur. Illius igitur auſpiciis, quod felix fauſtumque ſit, bonae ſpei plenus, ad hoc mihi arduum ac laborioſum, vobis, ut ſpero, utile ac fructuoſum munus accingor. Et quoniam conſilii mei rationem, tanto praeſertim auctore ſubnixam, ſatis jam omnibus probatam esſe confido, accedo ad ea, quae celeberrimi Ariſtotelis interpretes cujusque libri principio accurate tractare ac perſequi ſolent. Sunt autem illa numero ſeptem. Primum enim videndum eſt, quid in his libris Ariſtotelis propoſitum ſit, quod illi σκοπὸν vocant. Tum quae utilitas ex accurata eorum per-

volutatione ſperari queat. Tertio, quae ſit vis ac ratio inſcriptionis. Quarto, ſitne verus hic ac germanus Ariſtotelis fetus. Quinto, quo ordine inter ipſius opera legi debeat. Sexto, in quot ac quae praecipua capita dividatur. Poſtremo, ad quam philoſophiae partem pertineat. De quibus ſingulis dum breviter diſputo, peto, ut me attente audiatis. Propoſitum eſt igitur Ariſtotelis viam ac rationem tradere, qua, ubi perpetua ac continuata oratione utendum eſt, videamus omnia, quae accommodata ſunt ad id, quod volumus, perſuadendum atque obtinendum. Nam ut in topicis, quibus totam dialecticen complexus eſt, omnes vias tradidit, quibus in colloquiis & congreſſibus hominum poſſemus probabiliter aut opinionem noſtram tueri, aut alienam impugnare: ita in his libris nihil praetermittit eorum, quae uſui eſſe poſſunt, cum quis perpetua oratione aliquid multitudini perſuadere meditatur. Egregia res, Deus immortalis, egregia, & digna, quam vos, quibus integer aevi ſanguis, quibus virent genua, omni ſtudio ac contentione ſectemini. Quid enim aut glorioſius, aut utilius, aut denique optabilius, quam regnare quodammodo ac dominari in aliorum animis, flectere eos linguae gubernaculo quo velis, & quid probent, quid rejiciant, quaſi pro imperio ac poteſtate praeſcribere? Neque vero eſt, quod vereamini, ne vobis fucus fiat, neu praeclara quaedam & eximia profeſſi, nihil poſtea, quod aut exſpectationi veſtrae, aut pollicitationibus noſtris reſpondeat, proferamus. Ariſtoteles eſt, quem ſequimur, non oſtentator aliquis, non unus ex iſtis diobolaribus magiſtris, qui cum inepta quaedam & puerilia & ad ſcholaſticas modo concertationes utilia tradiderunt, hanc Rhetoricam eſſe jactant: ſed Philoſophus graviſſimus, veritatis amantiſſimus, & cum aliis nominibus ſuſpiciendus, tum hoc vel praecipue, quod ſemper plura praeſtat, quam pollicetur. Utinam modo vobis ſerio experiri libeat, an haec vera ſint. Utinam quam facile dictis noſtris conſtabit fides, tam facile ac conſtanter a vobis induſtria ſedulitasque praeſtetur. Non metuo, ne quis ſe deluſum conqueratur. Atque equidem prope jam ſupervacaneum puto, plura verba facere de eo, quod ſecundo loco propoſueram, hoc eſt, de utilitate, quae accuratam horum librorum tractationem conſecutura videatur. Nam & res per ſe clara & perſpicua eſt; & cum alii,

alii, tum nos ipsi saepe multa de utilitate eloquentiae diximus; & Aristoteles ipse sub principium hujus libri in eam sententiam dicturus est pauca quidem, ut Menelaus Homericus, sed quibus nemo acer & intelligens existimator plura requirere debeat. Transeamus igitur ad inscriptionem, quae haec est: *Aristotelis de arte Rhetorica libri tres.* In qua nihil fere aliud notandum videtur, quam non frustra in ea artis nomen expressum esse. Plato enim, ut suo loco videbimus, Rhetoricam artis nomine indignam esse dixerat, eamque usu tantum quodam & exercitatione rationis experti contineri, &, ut ipsius verba ponamus, τριβὴν μόνον τινὰ καὶ ἐμπειρίαν ἄλογον εἶναι tradiderat. Quam opinionem, ut statim a principio amoliretur Aristoteles, ne qui forte Platonis auctoritate commoti nullam esse artem dicendi putarent, in ipso librorum suorum vestibulo artis nomen adscripsit. Vix puto esse quemquam hodie usque adeo imperitum, ut hos libros esse eos autumet, quos de arte Rhetorica ad Theodecten Aristoteles scripsit: sed tamen quia scio fuisse qui ita crederent, quasi praeteriens monebo, alios esse: etenim tertio horum librorum, libri ad Theodecten citantur. Nunc dicamus de eo, quod quarto loco posuimus, & videamus ecquid certo constituere possimus, hos libros Aristotelis esse. Πάσχομεν γάρ τι καὶ ὑπὸ τῆς τῶν προσώπων δόξης, ait Simplicius. Ne quis autem hoc frustra quaeri existimet, sciat, veterem hunc errorem esse, ut claris scriptoribus multa tribuantur, quae ab eis scripta non sunt. Sic Homero ipsi, scriptorum nostrorum antiquissimo, non desunt, qui hymnos (*), sive, ut Thucydides vocat, prooemia falso tribui affirment: etsi mihi quidem Thucydides omnem dubitationem tollere videtur, qui ea ut Homerica agnoscit. Sic quaedam Moschi & Bionis Theocrito vulgus adscribit. Sic Ara ejus putatur esse, cum ex Luciano constet, eam esse Dosithei (*): & Securis, quam Hephaestio Simmiae Thebano tribuit. Sic Phaedonem Platonis, sunt, qui Panaetii Stoici esse contendant. Sic ejusdem Alcibiades secundus ab aliis ad Xenophontem refertur. Sic denique multa scripta veterum, aliorum sunt, aliorum putan-

(*) Vide Epistolam nostram Crit. I. p. 6.

(†) *Dosiadis* scribere voluit. Vide Lucianum Lexiph. p. 550 & Fabric. Bibl. Gr. Vol. II. p. 447.

tantur. Contigit hoc interdum propter similitudinem nominum: ut cum Demetrii Alexandrini libellus elegantissimus de elocutione Demetrio Phalereo tributus est. Sic olim multae fabulae tribuebantur Plauto, quae Plautii cujusdam erant. Sic Anaximenis Lampsaceni liber de Rhetorica ad Alexandrum vulgo inter Aristotelea numeratur. Sic quidam ex veteribus non ab eodem Homero scriptam esse dicebant Odysseam, a quo Ilias scripta esset. Interdum propter similitudinem inscriptionum: ut cum Ethica scripsisset Aristoteles, scripsisset & Nicomachus, erant olim, qui Nicomachi Ethica ad Aristotelem referrent. Sed praeter ceteros Aristotelis scripta senserunt hoc malum: idque propter eam causam, quam mox audietis. Aristoteles moriens Theophrastum ut scholae, ita bibliothecae suae successorem reliquit. Theophrastus & suam, & eam, quae Aristotelis fuerat, Neleo Scepsio, qui utramque in patriam asportavit. Hujus heredes, homines imperiti & idiotae, libros illos negligenter habuerunt, ita ut multis admodum locis humore corrupti & a tineis exesi sint. Accidit, ut reges Asiae, conficiendarum bibliothecarum studio incensi, libros veteres undique conquirerent, magnaque praemia proponerent, si quis ad se aliquid Platonis, aut Aristotelis, aut similium, attulisset. Ibi improbi homines, pecuniae cupiditate adducti, multa adfinxerunt Aristoteli, de quibus Aristoteles nunquam ne per somnium quidem cogitarat. Hanc historiam narrat Strabo lib. 13. de situ orbis, narrat Athenaeus, narrat Plutarchus in Sylla. Ἐγράφη δὲ πολλὰ βιβλία κατ' ἐκεῖνον μάλιστα τὸν χρόνον, ait Simplicius, ὅτε πολλοὶ τῶν βασιλέων περὶ τὰς βιβλιοθήκας σπουδάζοντες, πολλοῦ χρυσίου τὰ ἀπόγραφα τῶν βιβλίων ὠνοῦντο. Quatuor igitur argumentis praecipue τὰ γνήσια deprehendi solent, similitudine elocutionis: convenientia sententiarum: si item liber ille, de quo quaeritur, citetur in aliis γνησίοις, aut in eo citentur alii, quos constet esse γνησίους: & si eum ex antiquis ii, qui de hujusmodi rebus judicare poterant, pro Aristoteleo habuerunt.

Reliqua desiderantur.

CUM

CUM

PERGERET IN EORUNDEM ARISTOTELIS LIBR. DE ARTE RHETORICA INTERPRETATIONE.

ORATIO VIII.

habita Romae postridie Non. Nov.

M D L X X V I.

Non detinebo vos inanibus verbis. Neque enim id aut mea multorum jam annorum consuetudo fert, aut utilitatis vestrae ratio postulat. Licuerit olim adolescentiori captare ac persequi communes locos, & eorum unum aliquem quotannis deligere, in quo comendo ac poliendo primus hic consumeretur dies. Tunc fortassis aetatem floridam floridum orationis genus non dedecebat: studioseque omnia conquirentem, quibus aures irritarentur, nemo culpabat. Mea nunc oportet mecum una canescat oratio: & ut corporis tardior motus effectus est, sic & ipsa gravior facta, amplius sibi juveniliter exultandum non putet. Non omnibus aetatibus eadem conveniunt: neque quicquid virginem decuerat, matronam decet. Etiam anni tempestatibus sua cuique ceterarum dissimilis pulcritudo est. Verno tempore gemmea pratorum nemorumque viriditas, & rivorum decurrentium allisa & impacta molliter ad pellucentes lapillos argenti similis aquula pascit oculos; mulcet undique aures avium cantus; ab arboribus in novum se florem induentibus odores suavissimi afflantur; ad voluptatem atque oblectationem omnia dirigi, eamque spectare unam videntur. Talis adolescentiae facies est. At postea quam & fruges & arborum fetus aestivo calore percoctos ac torrefactos tepore suo mitigavit, & ad maturitatem perduxit autumnus, longe alius arvorum, alius arborum aspectus est. Flavae segetes, lividae vites, onu-

ſtae opibus ſuis arbores; non corollae jam aut ſerta texuntur, ſed teritur area, fluunt praela; horrea cellaeque complentur; ad utilitatem, non amplius ad voluptatem, omnia referuntur. Hic, in quo ego nunc ſum, quaſi autumnus quidam aetatis eſt, quod ſenectutis limen ac veſtibulum Graeci poëtae vocant. Quo tempore, ut in rei familiaris adminiſtratione attentiores eſſe ad lucrum homines, omiſſis inanibus, ſolent: ita me in hac litterarum tractatione, quod mihi unicum patrimonium eſt, iis omnibus, quae ad pompam tantum atque oſtentationem faciunt, amputatis ac circumciſis, fructuoſa modo conſectari decet. Itaque hodie non faciam id, quod multi me fortaſſe facturum putabant: ut aliquod mihi argumentum ſumam, in quo diſertus ac copioſus videri ſtudeam: ſed ea oratione mea complectar, quae, ſi dabitis operam, ut bene penitus animo combibatis ac comprehendatis, non minimam vobis utilitatem allatura eſſe confido. Quando enim Ariſtotelis de arte Rhetorica libros una evolvere exorſi, propter eam, quae quotannis aeſtate fieri ſolet, exercitationum noſtrarum intermiſſionem, diu jam ab eo evagati, quaſique peregrinati ſumus, ne quid ea res nobis incommodi afferat, neve obſtet, quo minus, quae reliqua ſunt, facile a vobis percipi poſſint: revocabo ac repetam usque a capite omnia, quae usque huc, duce ac magiſtro Ariſtotele, didicimus, eorumque ſummam quandam conficiam, ut, cum vobis in memoriam redegero ſi quid effluxit, omniaque ſub uno aſpectu poſuero, commodius cetera pertexantur. Principio igitur meminiſtis dicere me, quatuor fuiſſe, quae Ariſtoteli de Rhetorica ſcripturo objici poſſe viderentur: Primum, non ſatis dignam eſſe, quam talis tantusque Philoſophus ſibi docendam atque illuſtrandam ſumeret: quippe quam usque eo contempſiſſet, atque abjecisſet Plato, ut in Gorgia eam cum arte coquorum comparaſſet, easque inter ſe proportione reſpondere dixiſſet. Merito autem magna jam tum erat Platonis auctoritas. Sed cum idem ille Rhetorices exagitator, Plato, dialecticam ſummis laudibus affeciſſet, ſummo artificio fecit Ariſtoteles, ut in ipſo operis ſui veſtibulo Rhetoricam non cum arte coquorum, ut ille dixerat, ſed cum ea, quam ipſe laudibus in caelum tulerat, quam faſtigium omnium diſciplinarum vocaverat, dialectica ex aequo conferendam ac comparandam eſſe contende-

deret, idque veris ac ſolidis argumentis doceret. Deinde quia idem Plato Rhetoricam ab artium numero excluſerat, eamque uſum modo quendam & exercitationem eſſe, artis ac rationis expertem, dixerat: objicere aliquis Ariſtoteli poterat, fruſtra eum in ea re certis praeceptionibus alliganda ac devincienda laborare, quae uſu tantum quodam ſine ulla certa ratione contineretur. Quam reprehenſionem ita ſummus philoſophus a ſe amolichatur, ut doceret, quaecunque ab hominibus ita fierent, ut alii temere ac fortuito, alii exercitatione & diligentia adhibita idem efficerent: iis in omnibus cauſam notari obſervarique poſſe, cur ita eveniret; cauſſae autem, cur quidque fiat, cognitionem ac comprehenſionem, & omnium, & Platonis ipſius confeſſione, proprium quiddam artis eſſe; ex quibus effici, aut artem jam eſſe Rhetoricam, aut certe, ſi quis in eam curam incumberet, facile ad artis formam poſſe revocari. Nam quod tertium adferri poterat, ſive illa ars eſſet, ſive minus, ſatis multos illius doctores ac magiſtros extitiſſe, ut cauſſa non eſſet, cur hic noſter actum agere, & quae ab aliis toties decantata ac repetita erant, denuo reponere atque iterare vellet: id ipſe ita refutabat, ut diceret, alios ante ſe omnes aut particulam modo quandam artis attigiſſe, aut etiam iis ſe in rebus exercuiſſe, quae nihil ad artem pertinerent; nervos ac robur ipſius artis aut modice delibaſſe, aut penitus omiſiſſe; alios igitur eam doctores requirere, aliis magiſtris indigere; operam in ea pertractanda ac perpolienda ſuam minime otioſam ac ſupervacaneam fore. Quarta accuſatio longe omnium graviſſima erat, niſi refutata eſſet. Erant enim, qui dicerent, Rhetoricen non modo utilem non eſſe, ſed etiam pernicioſam ac peſtiferam: ut eam qui docerent, nedum praemio afficiendi, ſed e civitatibus ejiciendi atque exterminandi viderentur. Hanc infamiam arti ſuae conflaverant Sophiſtae, cum profiterentur, arrogantibus ſane verbis, & invidiae plenis, docere ſe, quomodo cauſſa inferior dicendo ſuperior fieri poſſet. Sed Ariſtoteles & multis argumentis eam utiliſſimam eſſe hominum generi docuit, & quae mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipſi adſcribenda eſſe, ſed eorum improbitati, qui re per ſe bona & ſalutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur. His perpurgatis, accesſit ad ipſius artis tractationem: ac primo loco docuit, falſum eſſe,

ſtae opibus ſuis arbores; non corollae jam aut ſerta texuntur, ſed teritur area, fluunt praela; horrea cellaeque complentur; ad utilitatem, non amplius ad voluptatem, omnia referuntur. Hic, in quo ego nunc ſum, quaſi autumnus quidam aetatis eſt, quod ſenectutis limen ac veſtibulum Graeci poëtae vocant. Quo tempore, ut in rei familiaris adminiſtratione attentiores eſſe ad lucrum homines, omiſſis inanibus, ſolent: ita me in hac litterarum tractatione, quod mihi unicum patrimonium eſt, iis omnibus, quae ad pompam tantum atque oſtentationem faciunt, amputatis ac circumciſis, fructuoſa modo conſectari decet. Itaque hodie non faciam id, quod multi me fortaſſe facturum putabant: ut aliquod mihi argumentum ſumam, in quo diſertus ac copioſus videri ſtudeam: ſed ea oratione mea complectar, quae, ſi dabitis operam, ut bene penitus animo combibatis ac comprehendatis, non minimam vobis utilitatem allatura eſſe confido. Quando enim Ariſtotelis de arte Rhetorica libros una evolvere exorſi, propter eam, quae quotannis aeſtate fieri ſolet, exercitationum noſtrarum intermiſſionem, diu jam ab eo evagati, quaſique peregrinati ſumus, ne quid ea res nobis incommodi afferat, neve obſtet, quo minus, quae reliqua ſunt, facile a vobis percipi poſſint: revocabo ac repetam usque a capite omnia, quae usque huc, duce ac magiſtro Ariſtotele, didicimus, eorumque ſummam quandam conficiam, ut, cum vobis in memoriam redegero ſi quid effluxit, omniaque ſub uno aſpectu poſuero, commodius cetera pertexantur. Principio igitur meminiſtis dicere me, quatuor fuiſſe, quae Ariſtoteli de Rhetorica ſcripturo objici poſſe viderentur: Primum, non ſatis dignam eſſe, quam talis tantusque Philoſophus ſibi docendam atque illuſtrandam ſumeret: quippe quam usque eo contempſiſſet, atque abjecisſet Plato, ut in Gorgia eam cum arte coquorum comparaſſet, easque inter ſe proportione reſpondere dixiſſet. Merito autem magna jam tum erat Platonis auctoritas. Sed cum idem ille Rhetoricen exagitator, Plato, dialecticam ſummis laudibus affecisſet, ſummo artificio fecit Ariſtoteles, ut in ipſo operis ſui veſtibulo Rhetoricam non cum arte coquorum, ut ille dixerat, ſed cum ea, quam ipſe laudibus in caelum tulerat, quam faſtigium omnium diſciplinarum vocaverat, dialectica ex aequo conferendam ac comparandam eſſe contende-

deret, idque veris ac ſolidis argumentis doceret. Deinde quia idem Plato Rhetoricam ab artium numero excluſerat, eamque uſum modo quendam & exercitationem eſſe, artis ac rationis expertem, dixerat: objicere aliquis Ariſtoteli poterat, fruſtra eum in ea re certis præceptionibus alliganda ac devincienda laborare, quae uſu tantum quodam ſine ulla certa ratione contineretur. Quam reprehenſionem ita ſummus philoſophus a ſe amolichatur, ut doceret, quaecunque ab hominibus ita fierent, ut alii temere ac fortuito, alii exercitatione & diligentia adhibita idem efficerent: iis in omnibus cauſam notari obſervarique poſſe, cur ita eveniret; cauſſae autem, cur quidque fiat, cognitionem ac comprehenſionem, & omnium, & Platonis ipſius confeſſione, proprium quiddam artis eſſe; ex quibus effici, aut artem jam eſſe Rhetoricam, aut certe, ſi quis in eam curam incumberet, facile ad artis formam poſſe revocari. Nam quod tertium adferri poterat, ſive illa ars eſſet, ſive minus, ſatis multos illius doctores ac magiſtros extitiſſe, ut cauſſa non eſſet, cur hic noſter actum agere, & quae ab aliis toties decantata ac repetita erant, denuo reponere atque iterare vellet: id ipſe ita refutabat, ut diceret, alios ante ſe omnes aut particulam modo quandam artis attigiſſe, aut etiam iis ſe in rebus exercuiſſe, quae nihil ad artem pertinerent; nervos ac robur ipſius artis aut modice delibaſſe, aut penitus omiſiſſe; alios igitur eam doctores requirere, aliis magiſtris indigere; operam in ea pertractanda ac perpolienda ſuam minime otioſam ac ſupervacaneam fore. Quarta accuſatio longe omnium graviſſima erat, niſi refutata eſſet. Erant enim, qui dicerent, Rhetoricen non modo utilem non eſſe, ſed etiam pernicioſam ac peſtiferam: ut eam qui docerent, nedum praemio afficiendi, ſed e civitatibus ejiciendi atque exterminandi viderentur. Hanc infamiam arti ſuae conflaverant Sophiſtae, cum profiterentur, arrogantibus ſane verbis, & invidiae plenis, docere ſe, quomodo cauſſa inferior dicendo ſuperior fieri poſſet. Sed Ariſtoteles & multis argumentis eam utiliſſimam eſſe hominum generi docuit, & quae mala vulgo ex ea manare putarentur, ea non arti ipſi adſcribenda eſſe, ſed eorum improbitati, qui re per ſe bona & ſalutari ad homines in fraudem inducendos abuterentur. His perpurgatis, accesſit ad ipſius artis tractationem: ac primo loco docuit, falſum eſſe,

quod Plato à Gorgia dici fecerat, quodque multi poſtea, quanquam merito ab Ariſtotele rejectum ac repudiatum, ſecuti ſunt, Rhetoricam eſſe aut artem, aut facultatem perſuadendi. Ut enim medicina non eſt ars ſanandi, ſed ars videndi omnia, quae apta & accommodata ſunt ad ſanitatem aut conſervandam, aut recuperandam: ita Rhetorica non eſt ars perſuadendi, ſed ars videndi atque excogitandi omnia, quae in quaque re valent ad faciendam fidem. Certe enim cujusque artis finis eſt id, quod ita unaquaeque ars ſpectat, ut non progrediatur ulterius: ſed ubi id praeſtitit, ſuo ſe munere perfunctam putet. Ut ergo medicus non ita ſe demum muneri ſuo ſatisfecisſe arbitratur, ſi aegrotum ſanaverit: ſed cumulate quidquid a ſe requiri poteſt praeſtitisſe, ſi ex artis ſuae praeceptis ea omnia abhibuerit, quae ad ſanandum pertinebant: ita orator, etiamſi non ſemper perſuadeat, dum tamen nihil omittat eorum, quae artificioſe cogitari poſſunt ad perſuadendum, finem arti ſuae propoſitum conſecutus eſt. Nam quod poſtea quidam clari inprimis, ac nobiles dicendi magiſtri, finem oratoris eſſe dixerunt, perſuadere: munus autem, dicere appoſite ad perſuadendum: in quaeſtione ſatis per ſe ad explicandum facili diſtinctionem minime neceſſariam quaeſierunt. In omnibus enim artibus idem prorſus eſt officium artificis, & finis artis. Sed nihil prohibet eum ipſum artis finem ad alium finem ulteriorem referri, ut conſtare poteſt ex iis, quae diſputari ſolent principio libri primi Ethicorum. Neque unquam finis ita ſtatuendus eſt, ut illius conſecutio atque adeptio non ſit in poteſtate noſtra. Et hoc ſequebantur Stoici in multo graviori diſputatione, cum dicerent, finem hominis eſſe, non quidem conſequi ea, quae ſecundum naturam eſſent: id enim non ſemper ab homine poſſe praeſtari: ſed omnia facere, quae ad illorum conſecutionem pertinerent. Quod quidem ita mordicus defendebant, ut dicerent, finem periti jaculatoris eſſe, non tam collineare, id eſt, eum locum, quem peteret, haſta aut jaculo attingere, quam omnia facere ad collineandum. Qua in re etſi deridentur a Cicerone ac Plutarcho, non tamen fortaſſis tam ridicula eſt eorum opinio, quam primo aſpectu videri poteſt. Sed Ariſtoteles, ut ad inſtitutum nos referamus, Rhetoricam definiebat facultatem videndi, quid in quaque re aptum eſſet ad perſuadendum. Quam definitionem a

M.

M. Fabio parum conſiderate reprehenſam, a nobis accurate ac diligenter defenſam eſſe meminiſtis. Vis autem perſuadendi tribus omnino in rebus ſita eſt: ut bene de nobis opinetur auditor; ut ita commoveatur ipſius animus, quomodo expedit ad id, quod volumus, obtinendum; & ut nos id, quod perſuadere volumus, aut demonſtremus, aut demonſtrare videamur. Hoc poſtremum, quod alii omnes prope intactum reliquerant, Ariſtoteli primum ac praecipuum, & ſolum ex tribus artis proprium videtur. Itaque de eo primum dicere ingreſſus eſt. Eorum igitur, quibus demonſtramus id, quod volumus, duo genera ſunt: unum eorum, quae arte pariuntur; alterum eorum, quae extrinſecus adferuntur. Leges enim, & teſtimonia, & quaeſtiones, & jusjurandum, & pacta, non orator ipſe fabricatur, neque ex cauſſae viſceribus eruit: ſed extrinſecus allata, artificioſe tamen tractat, eisque, prout commodum eſt, robur aut addit, aut detrahit. Rurſus eorum, quae ipſe artificio ſuo gignit, quaſique producit, bipertita diſtinctio eſt. Ut enim dialecticus duobus inſtrumentis utitur ad probandum, ſyllogismo & inductione: ita orator duobus, quae illis ex altera parte reſpondent, enthymemate & exemplo. Enthymema, oratorius ſyllogismus eſt: exemplum, oratoria inductio. Cum autem orator in neceſſariis rebus perraro verſetur, ſed in iis plerumque, de quibus deliberamus, quaeque etiam aliter ſe habere poſſunt: fit, ut exemplum quidem ſit inductio, enthymema autem ſyllogismus ejusmodi de rebus, quae nulla neceſſitate devinctae, ſola probabilitate nituntur. Cumque neceſſaria ex neceſſariis, veriſimilia ex veriſimilibus concludantur ac colligantur; omninoque ſimilia ſint ea, quae concluduntur, eorum ex quibus concluſa ſunt; efficitur, ut enthymemata paucisſima ex neceſſariis, pleraque omnia ex veriſimilibus ducantur atque eruantur. Ducuntur autem enthymemata ex iis, quae εἰκότα Graeci vocant, nos fortaſſe conſentanea vocare poſſumus, & ex ſignis. Εἰκότα ſunt generales quaedam ſententiae de iis, quae ad vitam hominum pertinent, verae quidem illae plerumque, neque tamen ſemper ac neceſſario verae. Cujus generis ſunt, ſenes parcos eſſe ac ſeveros; adoleſcentes propenſos ad libidinem: ingenioſos eſſe Athenienſes; hebetes atque obtuſos Scythas. Signorum autem alia nihil neceſſario concludunt, ſed tamen habent ali-

quod Plato à Gorgia dici fecerat, quodque multi poſtea, quanquam merito ab Ariſtotele rejectum ac repudiatum, ſecuti ſunt, Rhetoricam eſſe aut artem, aut facultatem perſuadendi. Ut enim medicina non eſt ars ſanandi, ſed ars videndi omnia, quae apta & accommodata ſunt ad ſanitatem aut conſervandam, aut recuperandam: ita Rhetorica non eſt ars perſuadendi, ſed ars videndi atque excogitandi omnia, quae in quaque re valent ad faciendam fidem. Certe enim cujusque artis finis eſt id, quod ita unaquaeque ars ſpectat, ut non progrediatur ulterius: ſed ubi id praeſtitit, ſuo ſe munere perfunctam putet. Ut ergo medicus non ita ſe demum muneri ſuo ſatisfecisſe arbitratur, ſi aegrotum ſanaverit: ſed cumulate quidquid a ſe requiri poteſt praeſtitisſe, ſi ex artis ſuae praeceptis ea omnia abhibuerit, quae ad ſanandum pertinebant: ita orator, etiamſi non ſemper perſuadeat, dum tamen nihil omittat eorum, quae artificioſe cogitari poſſunt ad perſuadendum, finem arti ſuae propoſitum conſecutus eſt. Nam quod poſtea quidam clari inprimis, ac nobiles dicendi magiſtri, finem oratoris eſſe dixerunt, perſuadere: munus autem, dicere appoſite ad perſuadendum: in quaeſtione ſatis per ſe ad explicandum facili diſtinctionem minime neceſſariam quaeſierunt. In omnibus enim artibus idem prorſus eſt officium artificis, & finis artis. Sed nihil prohibet eum ipſum artis finem ad alium finem ulteriorem referri, ut conſtare poteſt ex iis, quae diſputari ſolent principio libri primi Ethicorum. Neque unquam finis ita ſtatuendus eſt, ut illius conſecutio atque adeptio non ſit in poteſtate noſtra. Et hoc ſequebantur Stoici in multo graviori diſputatione, cum dicerent, finem hominis eſſe, non quidem conſequi ea, quae ſecundum naturam eſſent: id enim non ſemper ab homine poſſe praeſtari: ſed omnia facere, quae ad illorum conſecutionem pertinerent. Quod quidem ita mordicus defendebant, ut dicerent, finem periti jaculatoris eſſe, non tam collineare, id eſt, eum locum, quem peteret, haſta aut jaculo attingere, quam omnia facere ad collineandum. Qua in re etſi deridentur a Cicerone ac Plutarcho, non tamen fortaſſis tam ridicula eſt eorum opinio, quam primo aſpectu videri poteſt. Sed Ariſtoteles, ut ad inſtitutum nos referamus, Rhetoricam definiebat facultatem videndi, quid in quaque re aptum eſſet ad perſuadendum. Quam definitionem a

M. Fabio parum conſiderate reprehenſam, a nobis accurate ac diligenter defenſam eſſe meminiſtis. Vis autem perſuadendi tribus omnino in rebus ſita eſt: ut bene de nobis opinetur auditor; ut ita commoveatur ipſius animus, quomodo expedit ad id, quod volumus, obtinendum; & ut nos id, quod perſuadere volumus, aut demonſtremus, aut demonſtrare videamur. Hoc poſtremum, quod alii omnes prope intactum reliquerant, Ariſtoteli primum ac praecipuum, & ſolum ex tribus artis proprium videtur. Itaque de eo primum dicere ingreſſus eſt. Eorum igitur, quibus demonſtramus id, quod volumus, duo genera ſunt: unum eorum, quae arte pariuntur; alterum eorum, quae extrinſecus adferuntur. Leges enim, & teſtimonia, & quaeſtiones, & jusjurandum, & pacta, non orator ipſe fabricatur, neque ex causſae viſceribus eruit: ſed extrinſecus allata, artificioſe tamen tractat, eisque, prout commodum eſt, robur aut addit, aut detrahit. Rurſus eorum, quae ipſe artificio ſuo gignit, quaſique producit, bipertita diſtinctio eſt. Ut enim dialecticus duobus inſtrumentis utitur ad probandum, ſyllogismo & inductione: ita orator duobus, quae illis ex altera parte reſpondent, enthymemate & exemplo. Enthymema, oratorius ſyllogismus eſt: exemplum, oratoria inductio. Cum autem orator in neceſſariis rebus perraro verſetur, ſed in iis plerumque, de quibus deliberamus, quaeque etiam aliter ſe habere poſſunt: fit, ut exemplum quidem ſit inductio, enthymema autem ſyllogismus ejusmodi de rebus, quae nulla neceſſitate devinctae, ſola probabilitate nituntur. Cumque neceſſaria ex neceſſariis, veriſimilia ex veriſimilibus concludantur ac colligantur; omnino que ſimilia ſint ea, quae concluduntur, eorum ex quibus concluſa ſunt; efficitur, ut enthymemata paucisſima ex neceſſariis, pleraque omnia ex veriſimilibus ducantur atque eruantur. Ducuntur autem enthymemata ex iis, quae εἰκότα Graeci vocant, nos fortaſſe conſentanea vocare poſſumus, & ex ſignis. Εἰκότα ſunt generales quaedam ſententiae de iis, quae ad vitam hominum pertinent, verae quidem illae plerumque, neque tamen ſemper ac neceſſario verae. Cujus generis ſunt, ſenes parcos eſſe ac ſeveros; adoleſcentes propenſos ad libidinem: ingenioſos eſſe Athenienſes; hebetes atque obtuſos Scythas. Signorum autem alia nihil neceſſario concludunt, ſed tamen habent ali-

quam ſpeciem probabilitatis; ut illud Aeneae apud Virgilium:

Accipe nunc Danaum inſidias, & crimine ab uno
Diſce omnes.

Non enim, ſi fallax Sino fuit, & idem Graecus, ſatis argumenti eſt, cur putemus Graecos omnes eſſe fallaces; aut ſi quis eum, qui crebro anhelet, ex eo colligat febrim habere. Non enim ſoli id faciunt, quos febris tenet. Alia rem necesſario demonſtrant, ut ſi quis neget virginem eſſe eam, cui lac ex uberibus fluat. Priora illa communi nomine ſigna dicuntur: haec Ariſtoteles τεκμήρια, Cicero proprias notas vocat. Exemplum autem eſt, cum ex uno pluribusve ſimilibus aliud item ſimile colligitur: ut, ſi intemperantia ac libido Tarquiniis, ſi Dionyſio juniori regnum ademit, credibile eſt, hujus quoque, qui illos imitatur, eundem exitum fore. Secuta inde eſt enthymematum diviſio, quod alia oratoria eſſent, alia certae alicujus artis aut facultatis propria. Oratoria ſunt, quae ducuntur aut ex locis communibus, aut ex iis formis, quae a rhetoribus traduntur. Singularum artium propria, quae ducuntur ex propriis principiis hujus aut illius artis. Loci communes ſunt, ex quibus nihilo magis in hac, quam in qualibet alia, arte argumenta depromi poſſunt: qualis eſt locus a majori & a minori. Formae ſunt generales quaedam enunciationes ad certum tantum aliquod genus accommodatae: ut in phyſicis: principia rerum eſſe contraria; omnem motionem in tempore fieri; levia ſurſum tendere, gravia deorſum. Haec oratoris non ſunt, ut neque dialectici; ſed ut dialecticus locos quosdam communes habet, ex quibus ad omnem quaeſtionem argumenta depromit, alios proprios ſingulorum problematum, in quibus verſatur, ut ad genus, ad accidens, (utamur enim ſane hac voce, quando aliam aeque commodam reperire non poſſumus,) ad proprium, ad finitionem aut confirmandam aut infirmandam: ſic & orator quosdam locos habet communes omnium generum rhetoricos, alios uniuscujusque generis proprios. Illos Ariſtoteles, generis nomine, locos, hos formas vocat: ac ſaepius tamen etiam de formis ipſis loquens, locorum nomine utitur. Eas igitur formas, id eſt, locos uniuscujusque generis proprios, priore loco explica-

caturus, necesse habuit prius, quae quotque rhetorices genera essent, exponere. Sunt autem tria, ostentativum, (ita enim melius, quam, ut alii, demonstrativum,) deliberativum, & judiciale. Deliberativum suasione & dissuasione; judiciale accusatione & defensione; ostentativum laude ac vituperatione continetur. Deliberatio de futuris; judicium de praeteritis instituitur; laus & vituperatio propria praesentium est. Fines proprii deliberationis, utile aut noxium; judicii, aequum aut iniquum; laudis & vituperationis, honestas & turpitudo. Tenenda igitur est Oratori copia quaedam communium sententiarum semper prompta ac parata, ex quibus argumenta ducat ad ostendendum, aliquid esse utile aut inutile, aequum aut iniquum, honestum aut turpe. Hae sunt, quas formas vocamus. Communes autem trium generum sunt loci, quibus confirmamus, fieri aliquid aut potuisse aut posse, aut contra; factum esse, aut factum non esse; fore, aut non fore; magnum aut parvum esse; idque tum simpliciter, tum comparate. Atque haec tum communiter tenenda sunt, tum proprie ad unumquodque rhetorices genus accommodanda. His expositis, genus deliberativum tractare ingressus est, ut omnium praestantissimum, & in quo ceteri ante ipsum minus elaborassent. Primum igitur ostendit, quo in genere rerum versetur omnis deliberatio: deinde autem omnes deliberationes publicas, eas enim praecipue spectabat, ad quinque praecipua capita revocavit. Aut enim deliberari de ratione conficiendae pecuniae, quod praecipuum est instrumentum rerum gerendarum, quaeque nisi publice suppetat, manca & mutila est omnis deliberatio; aut de bello & pace; aut de custodia regionis; aut de iis, quae importanda quaeque exportanda sunt; aut de legibus ferendis. His quinque capitibus omnis fere publica deliberatio continetur. Docuit igitur, quae ad unumquodque eorum oratori videnda essent. Quoniam autem omnis deliberatio refertur ad felicitatem aut ad partem aliquam felicitatis: idcirco de ea, deque ejus partibus varie ac copiose disseruit. Deinde, quia deliberatio non de fine ipso est, sed de iis, per quae ad finem pervenitur, id est, de bonis & utilibus: longe plurimos locos tradidit, ex quibus sumeremus argumenta, quibus aliquid aut bonum atque utile, aut etiam alio melius atque utilius esse ostenderemus. Idem postea, ne longior

sim,

ſim, in oſtentativo & in judiciali genere praeſtitit: omniaque ſubtiliſime perſecutus eſt, ex quibus aliquid aut honeſtum, aut turpe, aut honeſtius, aut turpius, aut aequum, aut iniquum, aut aequius, aut iniquius eſſe colligi poſſet. At quoniam in judiciis non argumentis tantum utimur, ſed etiam legibus, teſtimoniis, conventionibus, quaeſtionibus, jurejurando nitimur; eaque omnia interdum a nobis faciunt, interdum etiam causſae noſtrae inimica ſunt: idcirco in extrema parte hujus libri, quae nunc explicanda nobis eſt, docet, quomodo iis, quae tormentis expreſſa ſunt, quomodo jurijurando vim ac robur aut addere, aut adimere debeamus. Utilia praecepta, & cognitu digna, & oratorum jurisconſultorumque communia. Quae cum abſoluta erunt, ſumam mihi oratiunculam aliquam Ciceronis, in qua uſum aliquem horum praeceptorum videre poſſimus. Interea, (paucorum enim dierum futurum negotium eſt,) abſolvam inceptam a me, veſtra causſa, auditores, Latinam interpretationem ſecundi horum librorum, eamque divulgabo: ne quis veſtrum Graeci ſermonis ignoratione a cognoſcendis Ariſtotelis praeceptis abſterreatur. Ac vobis quidem, adoleſcentes, utcumque ſatisfecisſe me: neque meam hanc diſputationem vobis aut injucundam, aut inutilem fuisſe confido. His autem magnis ac praeſtantibus viris, qui praeſentia ſua locum hunc cohoneſtare dignati, nihil ex me, quod gravitate atque amplitudine ſua dignum eſſet, audire potuerunt: quam tandem referendae gratiae rationem inibimus? Pareamus potius Ariſtotelis praecepto, qui hoc ipſo in libro de iis, quae ſupra vires ſunt, ne cogitationem quidem ſuſcipiendam monet: & multo plus eis nos debere confeſi, quam exſolvere ulla ratione poſſimus, hoc ſaltem eis referamus, ne eos a gravioribus negotiis, quae, honoris noſtri gratia, omiſerunt, avocatos, diutius retineamus.

EX-

EXPLICATURUS LIBROS ARISTOTELIS DE REPUBLICA.

ORATIO IX.

habita Romae pridie Non. Novembr.
MDLXXVII.

In rebus humanis nihil esse mente ac ratione praestantius, nihil divinius, summo semper consensu sapientissimi homines judicarunt. Quin etiam veterum nonnulli cum expressam in ea divinitatis imaginem cernerent, neque tantum ingenii acumine valerent, ut exemplar ipsum & id quod ex eo ductum, quasique effictum esset, discernere ac dijudicare possent, mentes nostras ex divina mente delibatas ac decerptas, ipsiusque rerum omnium opificis Dei particulas quasdam esse dixerunt. At illi quidem & de hominibus nimis elate ac superbe, & de Deo parum pie religioseque senserunt: qui & homines Deo exaequare conarentur, & non intelligerent, ista distractio & dilaceratio quantopere aliena esset a natura omnium longe simplicissima, maximeque una; neque viderent, quantam in se impietatem susciperent, qui si stultitiam suam pertinaciter tueri vellent, necesse haberent fateri, partem aliquam Dei interdum & vitiorum maculis contaminari, & apud inferos poenas luere ab ipsomet Deo improbitati & nequitiae constitutas. Quae ut cogitare summae amentiae atque impietatis foret, ita illud sine ulla dubitatione verissimum est, admirabilem quandam esse humanae mentis praestantiam: neque in iis omnibus, quae infra lunam sunt, mente ac ratione superius quidquam posse reperiri. Ea genus humanum cetera animalia superat, eaque illis omnibus praeest, quamvis aliis rebus ab eorum plerisque superetur. Vincit hominem celeritate cervus, taurus robore, utroque leo, neque quisquam nostrum aut visu lyncas aequaverit, aut talpas auditu, aut odoratu canes. Neque tamen haec obstant, quo minus & has, & alias animantes in potestatem nostram perducamus, earumque vel

vel carnibus vescamur, vel corio tegamur, vel eis ad varia ministeria utamur. Leones ipsos multi ad currum junxerunt, quidam etiam eis tanquam mulis clitellariis ad onera convehenda usi esse dicuntur. Neque tantum armatas cornibus, dentibus, ungulis feras e speluncis & latibulis suis extrahimus, sed maria ipsa scrutamur, sed elatas pennis in sublime volucres consequimur tamen & configimus, aut aliis artibus captas famulari cogimus aut voluptati, aut utilitatibus nostris. Tanta vis ac potestas mentis est: tantum in cetera omnia imperium rationi ac consilio a natura tributum est. Quin etiam ex omni hominum numero, qui mente ac consilio ceteris antecelluerunt, iis in omni aetate rerum summa permissa est, iis habenae concreditae, iis tradita gubernacula, ii supra ceteros quasi Deorum loco habiti; ii semper imperium in alios multo robustiores ac potentiores, ne ipsis quidem, dummodo ita esse crederent, repugnantibus, sed se etiam ultro subjicientibus, exercuerunt. Lycurgum quidem, cum ingrederetur templum Apollinis Delphici, sacerdos, quae ei templo praeerat, versibus quibusdam affata esse traditur, quibus ambigere se dicebat, Deumne illum, an hominem appellaret, & eo tamen inclinare ac propendere, ut Deum potius quam hominem esse arbitraretur. Neque tamen aut ipse inter Lacedaemonios, aut inter Athenienses Solon, aut inter Locrenses Zaleucus, aut eorum quisquam, qui civibus suis leges tulisse memorantur, viribus corporis inter suos excelluerunt, sed vi mentis ac consilii illam sibi tantam auctoritatem potentiamque pepererunt. Est hic admirabilis rerum ordo a praepotente Deo constitutus, ut, quae praestantiora sunt, imperent, quae deteriora, serviant. Praestant autem animata inanimis, sentientia non sentientibus, mente praedita mente carentibus, & ex iis ipsis, quae mente praedita sunt, ut cujusque mens perfectior est, ita in sui generis alia aeterna quadam & immutabili naturae ipsius lege dominatur. Uniuscujusque autem rei perfectio est sua cujusque virtus. Quare &, quae virtus propria est mentis humanae, eadem illius perfectio atque absolutio est. Quam igitur humanae mentis virtutem esse dicemus, aut quam illius reperiendae rationem inibimus? Nempe si oculi virtutem quaereremus, constitueremus ante omnia, quodnam esset proprium opus oculi, quod mu-

munus, quae functio: quo semel posito ac constituto, tum deinde, quae oculi affectio caussa esset, ut oculus optime suo munere fungeretur; eam affectionem virtutem esse oculi diceremus. Mentis opus est videre, cernere, intelligere, caussarum, & eorum quae fiunt ex caussis, ordinem ac connexionem intueri. Sed eorum, quae mente cernuntur, tria genera sunt: unum eorum, quorum cognitione & intelligentia ita pascimur, ut in ea conquiescamus, neque spectemus alio: alterum eorum, quae ad actionem; tertium eorum, quae ad molitionem alicujus operis effectionemque referuntur. Primi generis sunt, quae de primo rerum ortu ac principiis, de corporibus caelestibus, de caussis imbrium, ventorum, grandinum, ejusdemque generis aliis a philosophis disputantur. Ad actionem pertinent, quae de instituenda vita conformandisque moribus, de omni genere officii, de virtutibus denique ac vitiis disseruntur. Ad operum autem effectionem, quae fabrorum, architectorum, fusorum, pictorum, statuariorum & talium opificum praeceptis continentur. Sed qui se homines sublimium & abditarum rerum tractationi dediderunt, omnemque vim ingenii ad earum perveſtigationem contulerunt, eos admirantur quidem ceteri ut magnos & sapientes viros, neque tamen se propterea illis regendos, gubernandosque permittunt. Neque quisquam ex omni memoria reperietur, ad quem cives sui, quod eximius geometra esset, aut astrologus, aut physicus, imperium detulisse dicantur. Multoque minus artificibus habetur is honos, qui quamlibet in suo genere excellant, si tamen nihil aliud habeant, quod in censum deferant, in sordidissima civitatis parte numerantur. Ac saepe opera potius miramur, quam artifices ipsos, ut Doryphorum, quam Polycletum, Jovem Olympium, quam Phidiam. Sciteque & sapienter Plutarchus, *Si quis*, inquit, *honeste ac liberaliter educatus adolescens aut tabulam aut signum egregii operis inspiciat, mirabitur ille quidem & commendabit operis elegantiam, sed nunquam tamen illius pictoris aut statuarii, cujus id opus esse dicitur, similem esse se optabit. At si aliquam Demosthenis orationem, aut aliquem Platonis dialogum legat, multoque magis, si Cimonis, Miltiadis, Themistoclis res gestas audiat, non tantum admirabitur talium operum pulcritudinem, sed omnibus votis optabit, se*

se eorum, qui illa scripserunt, gesseruntve, quam simillimum esse. Quod si & aliqua mentis virtus est, quae hominem efficit aptum ad imperandum, & ea laus neque iis, quae in sublimium rerum tractatione ita defixae sunt, ut se nunquam ad haec inferiora demittant, neque iis, quae in opere faciendo occupatae, tribui potest: restat, ut prudentiae, quae actiones hominum dirigit, rerum humanarum rectio ac procuratio debeatur. Recte igitur principes philosophorum, Plato & Aristoteles, prudentiam imperantum propriam esse dixerunt. Sed prudentiae tripertita vis est. Alia enim ejus praecepta docet, quomodo quis vitam suam privatim instituere debeat; alia ad rationem administrandae rei familiaris pertinet; alia ad regendas ac temperandas civitates. Haec autem ad unum eundemque finem omnia diriguntur, id est, ad felicitatem. Sed interdum agitur de felicitate unius hominis; interdum quomodo id ipsum bonum toti familiae comparetur; interdum quomodo civitati. Semper autem partes referuntur ad totum: neque aliam ob caussam bene esse huic aut illi parti cupimus, quam ut bene sit etiam toti. Totum enim parte aliqua carere potest: at toto sublato una interire partes omnes necesse est. Ex quo fit, ut singulorum felicitas referatur ad felicitatem totius familiae: familiarum ad felicitatem totius civitatis. Quam enim rationem habet unus ex familia ad familiam, eandem habet familia ad civitatem. Quanto igitur universae civitatis bonum unius aut civis, aut familiae bono superius est, tanto Politice, (ita enim eam Graeco quidem, sed quod jam pridem jus togae impetravit, vocabulo nominant,) ceteris prudentiae partibus antecellit. Ac libros quidem Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum, quibus ea, quae ad singulos pertinent, eruditissime & copiosissime explicata continentur, interpretari coepi hac ipsa in schola quatuordecim abhinc annis. Juvatque me memoria repetere tempus illud, cum tanti ad me concursus fierent, quanti multis annis antea ad neminem facti erant; cum tanta quotidie multitudo conflueret, ut eam locus ipse vix caperet: eaque non adolescentium modo discendi cupidorum, (quorum nonnulli multo facti meliores magistro, quae tunc ex me discebant, ipsi hodie alios docent; nonnulli etiam ad magnas reipublicae partes admoti, quae tunc audiebant, ea nunc re ac factis exsequuntur,)

tur, ſed & ſenum primae auctoritatis, ſummaeque eruditionis, qui & praeſentia ſua cohoneſtabant diſputationes meas, & exemplo ſuo juvenum animos ad honeſtarum artium ſtudium excitabant. Neque haec gloriandi causſa dico: ſed quod magno cum animi mei dolore videam, quantopere converſa ac commutata ſit rerum facies, cum ita refrixerit ac relanguerit in hac quidem urbe impetus hominum ad haec ſtudia, ut, niſi Deus labentibus & ad interitum vergentibus litteris opis aliquid attulerit, ſumma omnium bonarum artium ignoratio brevi tempore conſecutura videatur. Quid enim eſt, cur quisquam meliora ſperare, aut cur non etiam graviora metuere debeat? Negligitur lingua Latina, quae patrum ac noſtra etiam memoria ita florebat, ut nusquam prope nodum homines niſi Romae bene Latine aut loqui aut ſcribere putarentur. Graeca, cujus diſcendae causſa vir ſempiterna laude dignisſimus, Petrus Bembus, cum adhuc adoleſcens eſſet, in Siciliam profectus eſt, quod ibi meliores illius magiſtros eſſe audierat: cum multi illis temporibus eadem de causſa usque in Graeciam proficiſcerentur; cujus in hac urbe conſervandae aut potius conſerendae gratia Leo X. cujus nomen apud omnes litterarum amantes in perpetua veneratione eſſe debet, ex ultima Graecia accerſivit huc homines eruditisſimos, & lectam ingenioſorum adoleſcentum manum: Graeca, inquam, lingua, omnis elegantiae magiſtra, omnium ingenuarum ac liberalium artium parens, altrix, conſervatrix, ita jam jacet ac ſordet, ut, qui eam docent, ſoli prope in ſcholis relinquantur. Stulti adoleſcentes, Latinae linguae vix primis elementis utcumque perceptis, Graeca ne ſalutata quidem, aut ſtatim valere juſſa, ad juris prudentiam aut ad medendi artem properant, illic tantum gloriae, illic divitiarum certisſimam ſpem propoſitam dictitantes. Stultiores liberis patres ultro adjuvant praeproperam & inconſultam filiorum cupiditatem, quaſi verentes, ne quando penuria ſit in civitate hominum, qui aut lites aut morbos ferant; & aut aegrotos remediis, aut formulis ac cautionibus patrimonia jugulent. Oppugnantur interea litterae a non unius generis hoſtibus: quorum alii aperto Marte eas inſectantur; alii cuniculis, cum aliud agere ſe ſimulent, earum extinctionem ac diſperditionem moliuntur. Sed omittam haec, quae nullius oratione ſatis dolenter deplorari queunt: referamque me ad propoſitum, a quo me rei ad vos, ado-

leſcentes, maxime pertinentis recordatio longius fortaſſe, quam par erat, abduxit. Interpretatus ſum, ut dixi, jam pridem libros Ethicorum: nunc autem libros Politicorum, qui cum illis continuati ac connexi ſunt, quantum vires meae ferent, illuſtrare, vobisque ad eos intelligendos quaſi facem praeferre decrevi. In eis ſummus Philoſophus ea quidem, quae ad rationem rei domeſticae pertinent, modice delibavit: quae autem ad rempub. uberrime ac copioſiſſime perſecutus eſt. Summam totius operis breviter, ut ſoleo, exponere in animo erat: ſed, ut diei tempus eſt, ſi vos diutius detinere perrexero, obſtrepetis. In craſtinum igitur differam, jamque finem dicendi faciam: ſi prius quaedam, quae praetermittere non poſſum, quanta maxima potero brevitate perſtrinxero. Deum hominesque teſtor, auditores, me omnia ſedulo facere, neque labori ac vigiliis parcere, neque interdum ipſius valetudinis rationem habere, ut veſtris utilitatibus ſerviam. Voculas hominum aut malevolorum, aut quid dicant non ſatis intelligentium, qui meam docendi rationem calumniantur, vellentque me tempus conſumere in quibusdam puerilibus ineptiis, quibus trivialium ludimagiſtrorum ſcholae aſſidue perſonant, facile contemno. Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἰωῆς, ait neſcio quis apud Ariſtophanem. Et habeo non ſubſcriptores atque adſtipulatores, ſed auctores potius hujus ſententiae meae eos viros, quorum auctoritate tutus totum iſtud ſermonum genus non extimeſco. Propono vobis graviſſimorum ſcriptorum libros utiliſſimos, & aptiſſimos ad veram & ſolidam laudem eloquentiae comparandam. In eis tractandis & explicandis ita verſor: nolo quidquam φορτικώτερον dicere: ſed ita certe, ut de toto iſto allatratorum genere dicere audeam: Μαμμόθρεπτά τις δῆττον ἢ μαμμόθρεπτα. Qui libros Rhetoricorum ad Herennium, aut aliquam Ciceronis orationem exponere, & in generibus ac ſtatibus cauſarum, & in figuris ac tropis indicandis μεμφιμοιρήσεσθαι poſſint, nunquam vobis defuturi ſunt: qui ea praeſtare, quae nos aut praeſtamus, aut praeſtare conamur, non ſemper adfuturi. Ego, ne quid, quod mearum partium ſit, a me deſiderari poſſit, operam dabo. Vos cogitate id, quod apud Hippocratem ſcriptum eſt: non ſatis eſſe ad morbos ſanandos, ſi medicus recte ac diligenter munus ſuum obeat, niſi & ab aegroto ipſo, & ab eis, qui ei adſident, communi opera ac diligentia medici conatus adjuventur.

IN-

INTERPRETATURUS C. SALLUSTIUM DE CATILINAE CONJURATIONE.

ORATIO X.

habita Romae III. *Non. Novembr.*

MDLXXVIII.

Advenit tandem illud vobis quoque, ut opinor, auditores, sed mihi certe exoptatissimum tempus, quo diu jam intermissas exercitationes nostras, & studia, haud facile dixerim, honestatis an suavitatis pleniora, repetamus. Juvat hanc, mihi circumfusam, incensam ac flagrantem siti bonarum artium, cupidam verae ac solidae laudis & gloriae, ore ipso atque oculis omnia me summa sperare de alacritate & industria sua jubentem lectissimorum adolescentum coronam intueri; juvat adspici; juvat audiri; juvat in talibus ingeniis excolendis quicquid ingravescens aetas virium reliquerit, collocare. An agricolae cum teneras arbores a se cultas ad justam sese proceritatem paullatim attollentes vident, efferuntur gaudio; pastoris pectus, gregis sibi commissi laetitiam ac fecunditatem intuentis, tacita voluptate perfunditur; qui alumnos suos vigentes ac florentes adspiciunt, afficiuntur intimis sensibus, & juventutem illorum, suam quodammodo juventutem esse ducentes, excusa senectute recalescunt: ego, adolescentes optimi, e vestro in litteris profectu ac progressu non idem mihi usu venire fatear? Neque mihi sane dubium est, quin plerisque vestrum quadrimestre illud tempus, quod nobis quotannis, ex vetere instituto, solutum ac liberum conceditur, justo longius visum sit: iis nimirum, quibus amor virtutis ac litterarum in visceribus ac medullis defixus insedit, quibus cor saucium est caelestis illius Cupidinis sagitta,

Quos tetigit jactu certus ad ossa Deus,

ut Umber poëta loquitur. Quam saepe eorum unum-

quemque, credibile eſt, ſecum in animo Horatiana illa reputaſſe:

Ut nox longa, quibus mentitur amica; dieſque
Longa videtur opus debentibus; ut piger annus
Pupillis, quos dura premit cuſtodia matrum:
Sic mihi tarda fluunt, ingrataque tempora, quae ſpem
Conſiliumque morantur agendi gnaviter.

Macti eſte animo ac virtute, juvenes, quibuscumque ſaepe in mentem iſta venerunt; quibus jucunda induſtria eſt, odioſa ceſſatio; quibus labori quies eſt, labor quieti; qui tum denique vita ac ſpiritu frui vobis videmini, cum in litteris tempus omne conſumitis; qui eo eſtis animorum ardore, ut in illa directa & ardua, ut ait Heſiodus, ad virtutem via nusquam ſtrigare, nusquam interjungere, ſed eam uno tempore ac ſpiritu totam, ſi fieri poſſet, exhaurire ac ſuperare cuperetis. Hac via veteres illi, quos admiramur ac ſuſpicimus, ſapientiae proceres vulgo ſeſe exemerunt; hac ſe ſupra ceteros mortales extulerunt; hac gradientes non modo floruerunt inter aequales ſuos, ſed in omnem poſteritatem nomen ſibi ac decus immortale pepererunt. Cujus autem ignaviae fuerit, eos quidem, ut magnos quosdam, ac praeſtantes viros, laudare ac depraedicare (*): & tamen torpere ac marceſcere otio malle, quam ut eorum ſimiles evadamus, operam dare? Non eſt ejusdem animi induſtriam laudare, & otium amplecti; non ſerio laudat, qui non & concupiſcit; non ex animo admiratur, qui non & imitatur. At bene, quod ex iſto numero multi non otioſi veterum laudatores, ſed ſtrenui potius imitatores, non tam ad praeclara ſtudia cohortandi eſtis, quam exemplo veſtro excitare ipſi alios ac cohortari poteſtis. Itaque pro certo habeo, totum id tempus, quo nobis huc per calores convenire non licuit, non tamen a vobis languori ac deſidiae datum, ſed, quatenus licuit, earum ipſarum artium, quarum amore flagratis, umbratili ac domeſtica exercitatione traductum. Sic agricolae, ubi tempeſtates malae ſunt, cum opus fieri non poteſt, ſub tecto tamen quod agant

(*) Compoſitum *depraedicare* inauditum Latinis eſt. Vide Cellar. Cur. Poſt. p. 335. Erasmum primum hoc verbo uſum eſſe, putat Moneta ad Menag. T. III. p. 387.

agant reperiunt, ac ne ipsos quidem festos dies sibi prorsus inutiles effluere patiuntur. Sic milites, ubi eos horrifer aquilonis stridor in hiberna compulsos bellicis muneribus avocavit, quotidie tamen aut cursu, aut saltu, aut ad palum exercentur, aut fictis inter se praeliorum imaginibus dimicant, aut gladios acuunt, aut arma poliunt, quae denique in bello usui futura sunt, ea omnia in pace meditantur. Quod ego ut mihi de vobis polliceri audeo, ita vobis de me plane confirmare possum. Neque enim mihi minus otiosa ulla pars anni fuit, quam quae ad quietem concessa videbatur. Libuit mihi istorum potentum consuetudinem imitari, & tentare, num, quas illis aetatis tempore voluptates divitiarum suarum magnitudo praestat, easdem mihi in re curta ac tenui studia mea suppeditare possent. Igitur ut illi ea tempestate anni montosa & altiora loca & saltuum ac nemorum opacitatem consectantur: sic & ego Heliconios colles & avia Pieridum loca peragrans, aestum ambitionis avaritiaeque vitabam. Ut illi ad fontium aut fluminum capita strati, cantibus avicularum animum oblectant: sic & ego ad illos sacros & vulgo ignotos fontes, ex quibus omnis elegantia omnisque humanitas in vitam hominum fluxit, molliter compositus, ex illo ambrosio veterum poëtarum cantu incredibilem animi voluptatem hauriebam. Ut illi venatu aucupiove intenti praedas agunt, quibus mensam instructiorem faciant: sic & ego quibus mentem instruerem, e sapientissimorum hominum monumentis quotidie aucupabar. O studia nostra, auditores, non utilia tantum ac fructuosa, sed dulcia etiam ac delicata! Persarum reges, qui ut opibus ac divitiis affluebant, ita luxu ac deliciis diffluebant; voluptatis causa ita dividebant annum, ut hyemem Babylone, vel Susis, in Media aestatem agerent. Quidni studia nostra eandem nobis honeste luxuriandi facultatem ac copiam praebeant? *Ex meo propinquo rure*, ait Terentianus Laches, *hoc capio commodi:*

Neque agri, neque urbis odium me unquam percipit.
Ubi satias coepit fieri, commuto locum.

Idem in studiis licet. Gravi & severa Philosophorum lectione defessus animus est? Poëticorum lusuum, involuta fabellis, & condita omnibus leporibus sapientiae praece-

pta continentium, amoenitate recreetur. Solidius aliquod & ſucci plenius cibi genus requirit? Ex illo copioſiſſimo ac locupletiſſimo veterum Oratorum penore omnia non paſcendis modo, ſed etiam ſaginandis animis apta depromat. Ingurgitet ſe in hiſtoriam veterem; omnem ſuperioris aevi memoriam mente ac cogitatione perluſtret; indulgeat arbitratu ſuo illi voluptati, quae infinita & inſatiabilis ex antiquitatis cognitione percipitur. Aliarum voluptatum habendus modus eſt, huic nimis indulgeri non poteſt. Atque equidem, auditores, quoniam humanus animus varietate capitur; omniumque prope rerum, ut ait Euripides, jucunda mutatio eſt: decrevi hoc anno aliquid vobis hujus ſuavitatis impertiri, &, intermiſſa pauliſper philoſophiae ſeveritate, nobiliſſimi inter Latinos hiſtoriarum ſcriptoris lectione vos paſcere. Quod conſilium tum denique ſine ulla dubitatione probabitis, cum, ex quo fonte manaverit, intelligetis. Superioribus diebus, cum ad illud non amplisſimi tantum ordinis, ſed hujus aetatis ſingulare lumen ac decus, Gulielmum Sirletum Cardinalem venisſem, coepit ille me, ut ſolet, de ſtudiis meis humaniſſime interrogare. Cui cum pauca pro tempore reſpondisſem, procedente ſermone, quaeſiit etiam ex me, quid vobis hoc anno proponere atque explicare meditarer? Reſpondi, me in ipſius poteſtate & ſemper fuisſe, & ſemper fore; & hac quoque in re totum ex ipſius nutu atque auctoritate pendere; atque id demum mihi factu optimum atque utiliſſimum viſum iri, quod ipſo auctore, & tanquam auſpice, gereretur. Tum ille, Quando, inquit, ſuperioris anni curriculum in Ariſtotelis Politicis conſumpſiſti, non alienum fuerit hoc anno aliquid paullo levioris operae aſſumere. Nam neque omnes ii, quorum te commodis ſervire oportet, capaces ſunt tam arduarum diſputationum; & a plerisque impetrari non poteſt, ut Graecas litteras ament; & ſunt, qui anni principio, ad dimidiatos libros, tamquam ad delibatas ab aliis ac prope ſemeſas epulas, non libenter accedant. Quare auctor tibi ſum, ut aliquem hiſtoricum ſumas: ac, ſi me audis, non alium potius, quam Salluſtium. Nam & egregie Latine loquitur, & gravis ac denſus eſt, & civilis ſapientiae plenus, &, quod tu quanti facias ſcio, Thucydideus: &, ut exiguus liber eſt, paucis illum menſibus totum explicare facile poteris. Ego vero, inquam, liben-

libentisſime parebo auctoritari tuae: neque unquàm committam, ut quacumque de re ſententiam tuam cognovero, de ea mihi amplius quaerendum ac dubitandum putem. Quod igitur fauſtum felixque ſit, de ſummi in omni genere laudandarum artium viri, & noſtrum omnium amantisſimi ſententia, evolvemus & excutiemus una hoc anno, auditores, Salluſtium, hoc eſt, eum ſcriptorem, cui antiquitas hiſtoriae Romanae detulit principatum. Ad quem cognoſcendum, ſi vos parem meae induſtriam ac diligentiam adferetis, magnam vim ex ejus ſcriptis, cum Deo volente, & eloquentiae & ſapientiae praeceptorum colligemus. Sed in primis pauca quaedam de hiſtoria in genere, pauca de Salluſtio dicam, quae inſtituto noſtro non inutiliter praefulciantur ac praemuniantur. Ac de hiſtoria quidem haec: primum quid ſit hiſtoria: deinde quam pulcra, quam jucunda, quamque utilis ſit hiſtoriarum cognitio; tum quae ſint hiſtoriae leges; poſtremo in hiſtoriarum lectione verſantibus quae potisſimum obſervanda ſint, & quomodo in ea re a plerisque peccetur. Cornificius, ſeu quis alius eſt, qui ſcripſit libros Rhetoricorum ad Herennium, itemque Cicero ipſe libro primo de Inventione, ita hiſtoriam definiunt: *Hiſtoria eſt res geſta, ſed ab aetatis noſtrae memoria remota.* In hac definitione, quot verba, totidem prope peccata ſunt. Primum hiſtoria non eſt res geſta: ſed rei geſtae expoſitio ac narratio. Non enim ipſa conjuratio Catilinae, aut bellum ipſum Jugurthinum hiſtoria eſt: neque hoc ipſi dicere voluerunt: ſed id, quod ſentiebant, non ſatis commode elocuti ſunt. Itaque condonetur hoc negligentiae ipſorum: etſi nemo in rebus definiendis negligens eſſe debet. Sed quod addiderunt, hiſtoriam non eſſe, niſi quae ab aetatis noſtrae memoria remota ſit, cujus quaeſo amentiae eſt? Ergo ſi quis hodie de Romulo & Remo ſcribat, fatebimur, eum hiſtoriam ſcribere; ſi de bellis inter Karolum V. & Franciſcum I. geſtis, negabimus, quoniam haec nondum ab aetatis noſtrae memoria remota ſunt: aut certe dicemus, nondum hiſtorias eſſe, tunc demum fore, cum, qui earum rerum meminerit, nemo amplius reperietur. Quo modo fiet, ut ipſe quidem hodie hiſtoriam non ſcribat, qui autem abhinc centum annis ſcripta ejus legent, hiſtoriam legant. Neque Thucydides hac ratione hiſtoriam ſcripſerit; neque Xenophon in libris anabaſeos,

pta continentium, amoenitate recreetur. Solidius aliquod & ſucci plenius cibi genus requirit? Ex illo copioſiſſimo ac locupletiſſimo veterum Oratorum penore omnia non paſcendis modo, ſed etiam ſaginandis animis apta depromat. Ingurgitet ſe in hiſtoriam veterem; omnem ſuperioris aevi memoriam mente ac cogitatione perluſtret; indulgeat arbitratu ſuo illi voluptati, quae infinita & inſatiabilis ex antiquitatis cognitione percipitur. Aliarum voluptatum habendus modus eſt, huic nimis indulgeri non poteſt. Atque equidem, auditores, quoniam humanus animus varietate capitur; omniumque prope rerum, ut ait Euripides, jucunda mutatio eſt: decrevi hoc anno aliquid vobis hujus ſuavitatis impertiri, &, intermiſſa pauliſper philoſophiae ſeveritate, nobiliſſimi inter Latinos hiſtoriarum ſcriptoris lectione vos paſcere. Quod conſilium tum denique ſine ulla dubitatione probabitis, cum, ex quo fonte manaverit, intelligetis. Superioribus diebus, cum ad illud non amplisſimi tantum ordinis, ſed hujus aetatis ſingulare lumen ac decus, Gulielmum Sirletum Cardinalem venisſem, coepit ille me, ut ſolet, de ſtudiis meis humaniſſime interrogare. Cui cum pauca pro tempore reſpondisſem, procedente ſermone, quaeſiit etiam ex me, quid vobis hoc anno proponere atque explicare meditarer? Reſpondi, me in ipſius poteſtate & ſemper fuisſe, & ſemper fore; & hac quoque in re totum ex ipſius nutu atque auctoritate pendere; atque id demum mihi factu optimum atque utiliſſimum viſum iri, quod ipſo auctore, & tanquam auſpice, gereretur. Tum ille, Quando, inquit, ſuperioris anni curriculum in Ariſtotelis Politicis conſumpſiſti, non alienum fuerit hoc anno aliquid paullo levioris operae aſſumere. Nam neque omnes ii, quorum te commodis ſervire oportet, capaces ſunt tam arduarum diſputationum; & a plerisque impetrari non poteſt, ut Graecas litteras ament; & ſunt, qui anni principio, ad dimidiatos libros, tamquam ad delibatas ab aliis ac prope ſemeſas epulas, non libenter accedant. Quare auctor tibi ſum, ut aliquem hiſtoricum ſumas: ac, ſi me audis, non alium potius, quam Salluſtium. Nam & egregie Latine loquitur, & gravis ac denſus eſt, & civilis ſapientiae plenus, &, quod tu quanti facias ſcio, Thucydideus: &, ut exiguus liber eſt, paucis illum menſibus totum explicare facile poteris. Ego vero, inquam, liben-

libentisſime parebo auctoritati tuae: neque unquam committam, ut quacumque de re ſententiam tuam cognovero, de ea mihi amplius quaerendum ac dubitandum putem. Quod igitur fauſtum felixque ſit, de ſummi in omni genere laudandarum artium viri, & noſtrum omnium amantisſimi ſententia, evolvemus & excutiemus una hoc anno, auditores, Salluſtium, hoc eſt, eum ſcriptorem, cui antiquitas hiſtoriae Romanae detulit principatum. Ad quem cognoſcendum, ſi vos parem meae induſtriam ac diligentiam adferetis, magnam vim ex ejus ſcriptis, cum Deo volente, & eloquentiae & ſapientiae praeceptorum colligemus. Sed in primis pauca quaedam de hiſtoria in genere, pauca de Salluſtio dicam, quae inſtituto noſtro non inutiliter praefulciantur ac praemuniantur. Ac de hiſtoria quidem haec: primum quid ſit hiſtoria: deinde quam pulcra, quam jucunda, quamque utilis ſit hiſtoriarum cognitio; tum quae ſint hiſtoriae leges; poſtremo in hiſtoriarum lectione verſantibus quae potisſimum obſervanda ſint, & quomodo in ea re a plerisque peccetur. Cornificius, ſeu quis alius eſt, qui ſcripſit libros Rhetoricorum ad Herennium, itemque Cicero ipſe libro primo de Inventione, ita hiſtoriam definiunt: *Hiſtoria eſt res geſta, ſed ab aetatis noſtrae memoria remota.* In hac definitione, quot verba, totidem prope peccata ſunt. Primum hiſtoria non eſt res geſta: ſed rei geſtae expoſitio ac narratio. Non enim ipſa conjuratio Catilinae, aut bellum ipſum Jugurthinum hiſtoria eſt: neque hoc ipſi dicere voluerunt: ſed id, quod ſentiebant, non ſatis commode elocuti ſunt. Itaque condonetur hoc negligentiae ipſorum: etſi nemo in rebus definiendis negligens eſſe debet. Sed quod addiderunt, hiſtoriam non eſſe, niſi quae ab aetatis noſtrae memoria remota ſit, cujus quaeſo amentiae eſt? Ergo ſi quis hodie de Romulo & Remo ſcribat, fatebimur, eum hiſtoriam ſcribere; ſi de bellis inter Karolum V. & Franciſcum I. geſtis, negabimus, quoniam haec nondum ab aetatis noſtrae memoria remota ſunt: aut certe dicemus, nondum hiſtorias eſſe, tunc demum fore, cum, qui earum rerum meminerit, nemo amplius reperietur. Quo modo fiet, ut ipſe quidem hodie hiſtoriam non ſcribat, qui autem abhinc centum annis ſcripta ejus legent, hiſtoriam legant. Neque Thucydides hac ratione hiſtoriam ſcripſerit; neque Xenophon in libris anabaſeos,

aut in libris rerum Graecarum; neque Salluſtius, cum conjurationem Catilinae, aut cum bellum Jugurthinum ſcriberet. Livius quoque quam diu vetuſta perſecutus eſt, hiſtoriam ſcripſiſſe dicetur: at poſtremis libris, quibus complexus erat res ſuis temporibus geſtas, hiſtoriam videlicet deſierat ſcribere. Sed nolo pluribus verbis exagitare tam fatuam definitionem: ne mentionem quidem illius ullam fecisſem, niſi ſcirem, eam etiam hodie defenſores habere. Longe aliter ſentiebant quidam olim eruditi homines, quos Verrius Flaccus refert putaſſe, hiſtoriam proprie dici narrationem earum rerum, quibus gerendis is, qui eas narraret, interfuiſſet. Quos quamvis non ſequor, (neque enim pauciora aut leviora incommoda hanc quam illam definitionem ſequuntur,) tolerabiliorem tamen illorum errorem eſſe arbitror. Quomodo igitur hiſtoriam definiemus? Injuſte enim reprehendit aliena, qui meliora non profert. Hiſtoriae nomen, auditores, non tantum rerum geſtarum, ſed quarumlibet rerum narrationem expoſitionemque ſignificat. Sic Ariſtoteles eos libros, quibus ingenia & naturas animalium perſecutus eſt, vocavit hiſtoriam animalium; ſic Theophraſtus hiſtoriam ſtirpium; ſic denique C. Plinius libros ſuos naturalis hiſtoriae inſcripſit. Quibus libris cauſſae ac principia rerum exquiruntur, aut alicujus diſciplinae praecepta traduntur, numquam eos quisquam recte hiſtoriam vocaverit. At ubi narratur tantum aliquid atque exponitur, recte id ſcriptorum genus hiſtoriam nominaris. Itaque liber quidam, qui Galeno tribuitur, neque tamen ipſius eſt, quo veterum philoſophorum unaquaque de re ſententiae exponuntur tantum, non etiam expenduntur, recte inſcribitur φιλοσόφου ἱστορία. Eodemque nomine affici poſſent libri ejusdem argumenti, qui falſo tribuuntur Plutarcho, περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις. At libros phyſicorum, aut ethicorum, aut ejusmodi alios ſi quis hiſtoriam vocaret, male & inſcienter hiſtoriae nomine uteretur. Nam illud quoque intelligendum eſt, quod de toto aliquo genere univerſe ſcribitur, hiſtoriam non vocari, niſi particulatim ad ſingula veniatur. Atque haec cum ita ſint, hiſtoriae tamen nomen in hac diſputatione non tam late accipimus: ſed vim illius anguſtioribus terminis concludentes, ita definiendam hiſtoriam putamus: *Hiſtoria eſt rerum publice geſtarum diffuſa & continuata narratio.*

Neque

Neque quidquam interesse arbitramur, ad hoc quidem, ut historia sit, sintne res illae remotae ab aetatis nostrae memoria, an minus; & num is, qui eas scribit, eis interfuerit, an non interfuerit. Scripsit Herodotus de rebus a memoria aetatis suae remotis: & historiam scripsit; scripsit Thucydides de bello, cui ipse interfuerat; scripsit Xenophon de reditu Graecorum ex Asia, cui non interfuerat modo, sed & praefuerat: & uterque historiam scripsit. Si quis dicat, ad fidem & auctoritatem historiae conciliandam interesse, scribat quis ea, quae ipse viderit ac cognoverit, an quae ab aliis tradita acceperit, non negabo: si, ut vere ac proprie historia sit, horum utrumlibet requiri dixerit, pernegabo. Nunc singulas propositae definitionis partes minutatim consideremus. *Historia est narratio rerum gestarum.* Omnes igitur fabulae excluduntur. Neque enim continent res gestas, sed ad ejus, qui scripsit, libidinem fictas. Itaque neque Luciani libros verarum, ut ipse ludens vocat, narrationum, neque Aethiopica Heliodori, aut Poemenica Longi, aut ejus generis scripta, historias esse dicemus; non magis, quam Heraclidae Abarin, aut Aristonis Lyconem. Ne Xenophontis quidem libros Κύρου παιδείας pro historia acceperim: tum ob alias causas, tum quia in eis non tam curae fuit sapientissimo ac disertissimo scriptori, ut res a Cyro gestas exponeret, quam ut nobis exemplar regis omni ex parte perfecti proponeret. Estne igitur omnis vera narratio historia? Minime: sed ea tantum, quae est *rerum publice gestarum.* Non enim oratorias narrationes, etiam si verae sint, historias vocabimus; neque illa Ciceronis: Milo domum venit, calceos ac vestimenta mutavit: paullisper, ut fit, dum se uxor comparat, commoratus est: aut similia ad historiam pertinere censebimus. Neque Philostratus, cum vitam Apollonii aut Sophistarum, neque Laërtius aut Hesychius, cum vitas philosophorum: neque Plutarchus, Suetonius, Aemilius Probus, Aelianus, Lampridius, Capitolinus, cum vitas Imperatorum aut aliorum virorum illustrium scriberent, historiam scripsisse judicandi sunt. Aliud est enim vitas scribere, aliud historiam. Qui vitam alicujus scribit, qualis quisque domi fuerit, qualis in uxorem, qualis in liberos, in familiares, in hospites; quo victu ac cultu corporis usus sit, accurate ac diligenter exponit: qui historiam, haec omnia

aut praetermittit, aut in accesſionis loco, quaſi aliud agens, ſtrictim & modice attingit; ea tantum ex inſtituto perſequitur, quae ad publicum pertinent. Hoc Plutarchus ipſemet docet, qui, etiam cum virorum illuſtrium vitas ſcribit, negat ſe hiſtoriam ſcribere. Verba ipſius proferam, ne quis dubitationi relinquatur locus. *Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, ὅτι ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δήλωσις ἀρετῆς, ἢ κακίας, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησε μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μέγισται, καὶ πολιορκίαι πόλεων. Neque enim hiſtorias*, inquit, *ſcribimus, ſed vitas, neque ut quaeque nobiliſſima actio eſt, ita maxime virtutem aut improbitatem cujuſque patefacit: immo vero ſaepe & verbum unum, & jocus aliquis magis declaravit, qui cujuſque mores eſſent, quam pugnae, in quibus decem hominum millia ceciderunt, maximaque praelia, & urbium obſidiones.* Videtis igitur, quae ſit quaſi ſeges ac materia hiſtoriae propria: bella, paces, induciae, foedera, ſeditiones, tumultus, leges, judicia, commutationes rerumpublicarum, & quae ſunt ejusdem generis: qualia apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionyſium Halicarnaſeum, Salluſtium, Livium, Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, Appianum, Ammianum Marcellinum, Dionem Coccejum, & ejusmodi alios leguntur: quos vere ac merito poſſumus hiſtoriarum ſcriptores nominare. At tonderi diligenter ac radi, aut velli etiam ſolitum Caeſarem, & ſemper cingi ſupra latum clavum, & Octavianum menſe Decembri totos dies talis luſiſſe, & ſimilia, ejus ſunt, qui vitam alicujus, non qui hiſtoriam ſcribat. Addidi in definitione hiſtoriae, eam eſſe non narrationem modo, ſed *diffuſam & continuatam narrationem*, id eſt, *διεξοδικὴν καὶ συνεχῆ*. Diffuſam quidem, quoniam qui ſumma capita rerum colligunt, eaque nude ac ſimpliciter proponunt, ut Florus, Eutropius, Oroſius, Sulpicius, non tam hiſtorias ſcribere dicendi ſunt, quam ſummaria quaedam, aut, ut vetuſtiores loquebantur, breviaria hiſtoriarum. Continuatam autem, ut Valerium Maximum, & alios ejus exemplum ſecutos, ab hiſtoricorum numero excluderem. Longe enim aliud eſt hiſtoriam ſcribere, aliud exempla ſimilia ex hiſtoriis collecta, ſub uno, quod illi fecerunt, aſpectu ponere. Probaſſe me vobis arbitror quod principio poſueram, hiſtoriam eſſe rerum pu-

publice geſtarum diffuſam & continuatam narrationem. Cetera, de quibus dicere inſtitueram, (ſunt autem haec: de legibus in hiſtoria ſervandis, de pulcritudine, ſuavitate, utilitate hiſtoriae, tum quid praecipue obſervare debeant, qui hiſtorias legunt,) ea igitur, & de ipſo Salluſtio quaedam cognitu digna, ne & vobis moleſtiae & aliis impedimento ſim, in craſtinum differentur.

Non dubito, L. C. V. P. quin, quicunque te huc honoris mei cauſa venisſe vident, & humanitatem erga me tuam admirentur, & me tibi plurimum eo nomine debere arbitrentur. Ego autem ingenue fateor, nihilo me tibi propterea esſe quam antea fueram, devinctiorem. Cui enim omnia debeo, quid ei jam debere amplius posſim? Quare ne illud quidem mihi curandum puto, ut tibi exquiſito aliquo orationis genere gratias agam. Iſta faciant, qui ſe accepta beneficia verbis exaequare posſe confidunt. Mihi jam pridem adempta ac praeciſa ſpes omnis eſt quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte reſpondeat.

CUM

EXPLANATURUS ESSET AENEIDA VIRGILII.

ORATIO XI.

habita Romae III. *Non. Novembr.*

MDLXXIX.

Ut in reliquis vitae partibus, ſic in ſtudiis & in ratione dicendi plerumque contingit, ut juvenes quidem nitida & ad pompam atque oſtentationem accommodata, ſenes autem utilia magis & fructuoſa delectent. Itaque ego qui olim florenti aetate omnes lepores feſtivitatesque dicendi, quantum quidem in me ſitum erat, ſummo ſtudio aucupabar; & pectere ac comere cum cura orationem ſolebam, nunc ut aetate, ita conſilio commutato, profutura po-

aut praetermittit, aut in accesſionis loco, quaſi aliud agens, ſtrictim & modice attingit; ea tantum ex inſtituto perſequitur, quae ad publicum pertinent. Hoc Plutarchus ipſemet docet, qui, etiam cum virorum illuſtrium vitas ſcribit, negat ſe hiſtoriam ſcribere. Verba ipſius proferam, ne quis dubitationi relinquatur locus. *Οὔτε γὰρ ἱστορίας γράφομεν, ἀλλὰ βίους, οὐδὲ ταῖς ἐπιφανεστάταις πράξεσι πάντως ἔνεστι δῆλωσις ἀρετῆς, ἢ κακίας, ἀλλὰ πολλάκις καὶ ῥῆμα καὶ παιδιά τις ἔμφασιν ἤθους ἐποίησεν μᾶλλον, ἢ μάχαι μυριόνεκροι, καὶ παρατάξεις αἱ μάγισται, καὶ πολιορκίαι πόλεων. Neque enim hiſtorias*, inquit, *ſcribimus, ſed vitas, neque ut quaeque nobiliſſima actio eſt, ita maxime virtutem aut improbitatem cujusque pateſacit: immo vero ſaepe & verbum unum, & jocus aliquis magis declaravit, qui cujusque mores eſſent, quam pugnae, in quibus decem hominum millia ceciderunt, maximaque praelia, & urbium obſidiones.* Videtis igitur, quae ſit quaſi ſeges ac materia hiſtoriae propria: bella, paces, induciae, foedera, ſeditiones, tumultus, leges, judicia, commutationes rerumpublicarum, & quae ſunt ejusdem generis: qualia apud Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Dionyſium Halicarnaſeum, Salluſtium, Livium, Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, Appianum, Ammianum Marcellinum, Dionem Coccejum, & ejusmodi alios leguntur: quos vere ac merito poſumus hiſtoriarum ſcriptores nominare. At tonderi diligenter ac radi, aut velli etiam ſolitum Caeſarem, & ſemper cingi ſupra latum clavum, & Octavianum menſe Decembri totos dies talis luſiſſe, & ſimilia, ejus ſunt, qui vitam alicujus, non qui hiſtoriam ſcribat. Addidi in definitione hiſtoriae, eam eſſe non narrationem modo, ſed *diffuſam & continuatam narrationem*, id eſt, *διεξοδικὴν καὶ συνεχῆ*. Diffuſam quidem, quoniam qui ſumma capita rerum colligunt, eaque nude ac ſimpliciter proponunt, ut Florus, Eutropius, Oroſius, Sulpicius, non tam hiſtorias ſcribere dicendi ſunt, quam ſummaria quaedam, aut, ut vetuſtiores loquebantur, breviaria hiſtoriarum. Continuatam autem, ut Valerium Maximum, & alios ejus exemplum ſecutos, ab hiſtoricorum numero excluderem. Longe enim aliud eſt hiſtoriam ſcribere, aliud exempla ſimilia ex hiſtoriis collecta, ſub uno, quod illi fecerunt, aſpectu ponere. Probaſſe me vobis arbitror quod principio poſueram, hiſtoriam eſſe rerum pu-

publice geſtarum diffuſam & continuatam narrationem. Cetera, de quibus dicere inſtitueram, (ſunt autem haec: de legibus in hiſtoria ſervandis, de pulcritudine, ſuavitate, utilitate hiſtoriae, tum quid praecipue obſervare debeant, qui hiſtorias legunt,) ea igitur, & de ipſo Salluſtio quaedam cognitu digna, ne & vobis moleſtiae & aliis impedimento ſim, in craſtinum differentur.

Non dubito, L. C. V. P. quin, quicunque te huc honoris mei cauſa venisſe vident, & humanitatem erga me tuam admirentur, & me tibi plurimum eo nomine debere arbitrentur. Ego autem ingenue fateor, nihilo me tibi propterea eſſe quam antea fueram, devinctiorem. Cui enim omnia debeo, quid ei jam debere amplius poſſim? Quare ne illud quidem mihi curandum puto, ut tibi exquiſito aliquo orationis genere gratias agam. Iſta faciant, qui ſe accepta beneficia verbis exaequare poſſe confidunt. Mihi jam pridem adempta ac praeciſa ſpes omnis eſt quidquam excogitandi, quod tuis erga me innumerabilibus meritis ulla ex parte reſpondeat.

CUM

EXPLANATURUS ESSET AENEIDA VIRGILII.

ORATIO XI.

habita Romae III. *Non. Novembr.*

MDLXXIX.

Ut in reliquis vitae partibus, ſic in ſtudiis & in ratione dicendi plerumque contingit, ut juvenes quidem nitida & ad pompam atque oſtentationem accommodata, ſenes autem utilia magis & fructuoſa delectent. Itaque ego qui olim florenti aetate omnes lepores feſtivitatesque dicendi, quantum quidem in me ſitum erat, ſummo ſtudio aucupabar; & pectere ac comere cum cura orationem ſolebam, nunc ut aetate, ita conſilio commutato, profutura po-

potius quam oblectatura confector: neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum conveniunt, disertus habear, quam ut ipsi aliqua re bona & digna cognitu domum redeant auctiores. Et hoc quoque tamen ipsum voluptati vobis esse confido. Neque enim vere novo segetis herbescentis viriditas, quam adulta aestate flavescentis & falcem vocantis maturitas; neque arborum in primos sese flores induentium, quam opibus suis laborantium, & earum pondere incurvescentium magis nos aspectus oblectat. Nunc igitur Aeneidos Virgilianae interpretationem ingressurus, poëmatis non tantum inter omnia Latina sine ulla dubitatione praestantissimi, sed etiam Graeciae gloriam in magnum discrimen vocantis, omittam multa, quae apte ad plausus & clamores excitandos in hoc argumento dici posse, facile intelligo: convertamque orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas spes est neque nimis communes ac contritas, neque alienas ab hoc instituto, neque cognitu inutiles judicatum iri. Dicam enim de Poëtices ipsius natura primum & antiquitate: tum suavitate, & quid sit, quod eam tantopere suavem efficiat, quasque illa hominum generi utilitates & attulerit, & perpetuo adferat; deinde quasdam Aristotelis de poësi ac poëtis sententias, quae propter ipsius auctoritatem in omnium fere jam animis insederunt, tentabo, & ad disquisitionem vocabo; postremo cum & de Virgilio ipso, & de hoc, quod nobis in manibus est, ejus poëmate, pauca quaedam ad ipsius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem, neque committam, ut nimia longitudine aut vobis molestiae sim, aut aliis, qui post me in hunc locum conscensuri sunt, impedimento. Poëticam veteres, ut hinc exordiar, non tam artem esse, quam incitationem quandam animi, & furorem divinitus immissum, qualis est in vaticinantibus, judicarunt. Quod ita expresit Cicero pro Archia: *Sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia & doctrina & praeceptis & arte constare: poëtam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari.* Et apud eundem Antonius lib. 2. de Oratore hoc ipsum a Democrito & a Platone in scriptis relictum esse dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus necesse est, cum ipsius scripta perierint: apud Platonem autem ita multis lo-

locis hoc dicitur, ut putidum ſit, eos accuratius percenſere. Sed & poëtae ipſi hoc de ſe profitentur ac praedicant: quorum ſunt illa:

Est Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Sedibus aetheriis ſpiritus ille venit.

multaque ad eundem modum; & Pindarus eo ſe Bacchylidi anteponit, quod ipſe quidem natura valeat, Bacchylides arte ſubnixus temere multa profundat: itaque tantum interesſe inter ſe & illum, quantum inter aquilam & corvos, gloriatur. Neque aut mons ille duplici vertice inſignis, aut fons, cujus hauſtu poëtas fieri ajunt, quidquam aliud indicant, quam eos non arte & induſtria, ſed divino quodam ſpiritu & inſtinctu valere. Et certe praeſtantiſſimi poëtarum, Orpheus, Linus, Muſaeus, & ille omnium parens Homerus multis ante ſaeculis extiterunt, quam ulla praecepta poëtices tradita eſſent. Sed tamen ſi naturae tantum & ingenii, non artis & induſtriae poëtica eſt, quid eſt, quod ſummus philoſophus, Ariſtoteles libros tres de arte poëtica ſcripſit? quod optimi poëtae, Horatii libellus de eodem argumento ſcriptus manibus teritur? quod, ut ceterarum, ita hujus quoque facultatis praecepta quotidie ab hominibus eruditiſſimis ſummo ſtudio tractari videmus? An illud verius eſt, ut in oratore, ſic in poëta, qui oratori affinis quodammodo & in diſſimili genere ſimillimus eſt, & naturae atque ingenii praeſtantiam, & artem praeterea quandam ac praeceptorum obſervationem requiri? Ita quidem certe ſentit Horatius, cujus illa ſunt:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaeſitum est. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium; alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Fatendum tamen fortaſſis eſt, plus in poëta ingenium, plus in oratore induſtriam poſſe. Sed ut phyſici ajunt, res e multis ac diverſis elementis conflatas atque concretas ex eo nominari, quod in quaque dominetur: ſic veteres illi, cum in poëtis illum animi ardorem plurimum poſſe, quaſique principatum obtinere; curam autem & in-

du-

potius quam oblectatura conſector: neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum conveniunt, diſertus habear, quam ut ipſi aliqua re bona & digna cognitu domum redeant auctiores. Et hoc quoque tamen ipſum voluptati vobis eſſe confido. Neque enim vere novo ſegetis herbeſcentis viriditas, quam adulta aeſtate flaveſcentis & falcem vocantis maturitas; neque arborum in primos ſeſe flores induentium, quam opibus ſuis laborantium, & earum pondere incurveſcentium magis nos aſpectus oblectat. Nunc igitur Aeneidos Virgilianae interpretationem ingreſſurus, poëmatis non tantum inter omnia Latina ſine ulla dubitatione praeſtantiſſimi, ſed etiam Graeciae gloriam in magnum diſcrimen vocantis, omittam multa, quae apte ad plauſus & clamores excitandos in hoc argumento dici poſſe, facile intelligo: convertamque orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas ſpes eſt neque nimis communes ac contritas, neque alienas ab hoc inſtituto, neque cognitu inutiles judicatum iri. Dicam enim de Poëtices ipſius natura primum & antiquitate: tum ſuavitate, & quid ſit, quod eam tantopere ſuavem efficiat, quasque illa hominum generi utilitates & attulerit, & perpetuo adferat; deinde quasdam Ariſtotelis de poëſi ac poëtis ſententias, quae propter ipſius auctoritatem in omnium fere jam animis inſederunt, tentabo, & ad disquiſitionem vocabo; poſtremo cum & de Virgilio ipſo, & de hoc, quod nobis in manibus eſt, ejus poëmate, pauca quaedam ad ipſius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem, neque committam, ut nimia longitudine aut vobis moleſtiae ſim, aut aliis, qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, impedimento. Poëticam veteres, ut hinc exordiar, non tam artem eſſe, quam incitationem quandam animi, & furorem divinitus immiſſum, qualis eſt in vaticinantibus, judicarunt. Quod ita expreſſit Cicero pro Archia: *Sic a ſummis hominibus eruditiſſimisque accepimus, ceterarum rerum ſtudia & doctrina & praeceptis & arte conſtare: poëtam natura ipſa valere, & mentis viribus excitari, & quaſi divino quodam ſpiritu afflari.* Et apud eundem Antonius lib. 2. de Oratore hoc ipſum a Democrito & a Platone in ſcriptis relictum eſſe dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus neceſſe eſt, cum ipſius ſcripta perierint: apud Platonem autem ita multis lo-

locis hoc dicitur, ut putidum ſit, eos accuratius percenſere. Sed & poëtae ipſi hoc de ſe profitentur ac praedicant: quorum ſunt illa:

Est Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Sedibus aetheriis ſpiritus ille venit.

multaque ad eundem modum; & Pindarus eo ſe Bacchylidi anteponit, quod ipſe quidem natura valeat, Bacchylides arte ſubnixus temere multa profundat: itaque tantum interesſe inter ſe & illum, quantum inter aquilam & corvos, gloriatur. Neque aut mons ille duplici vertice inſignis, aut fons, cujus hauſtu poëtas fieri ajunt, quidquam aliud indicant, quam eos non arte & induſtria, ſed divino quodam ſpiritu & inſtinctu valere. Et certe praeſtantisſimi poëtarum, Orpheus, Linus, Muſaeus, & ille omnium parens Homerus multis ante ſaeculis extiterunt, quam ulla praecepta poëtices tradita eſſent. Sed tamen ſi naturae tantum & ingenii, non artis & induſtriae poëtica eſt, quid eſt, quod ſummus philoſophus, Ariſtoteles libros tres de arte poëtica ſcripſit? quod optimi poëtae, Horatii libellus de eodem argumento ſcriptus manibus teritur? quod, ut ceterarum, ita hujus quoque facultatis praecepta quotidie ab hominibus eruditisſimis ſummo ſtudio tractari videmus? An illud verius eſt, ut in oratore, ſic in poëta, qui oratori affinis quodammodo & in diſſimili genere ſimillimus eſt, & naturae atque ingenii praeſtantiam, & artem praeterea quandam ac praeceptorum obſervationem requiri? Ita quidem certe ſentit Horatius, cujus illa ſunt:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaeſitum est. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium; alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Fatendum tamen fortasſis eſt, plus in poëta ingenium, plus in oratore induſtriam poſſe. Sed ut phyſici ajunt, res e multis ac diverſis elementis conflatas atque concretas ex eo nominari, quod in quaque dominetur: ſic veteres illi, cum in poëtis illum animi ardorem plurimum poſſe, quaſique principatum obtinere; curam autem & in-

du-

potius quam oblectatura confector: neque tam id operam do, ut ab iis, qui ad me audiendum conveniunt, disertus habear, quam ut ipsi aliqua re bona & digna cognitu domum redeant auctiores. Et hoc quoque tamen ipsum voluptati vobis esse confido. Neque enim vere novo segetis herbescentis viriditas, quam adulta aestate flavescentis & falcem vocantis maturitas; neque arborum in primos sese flores induentium, quam opibus suis laborantium, & earum pondere incurvescentium magis nos aspectus oblectat. Nunc igitur Aeneidos Virgilianae interpretationem ingressurus, poëmatis non tantum inter omnia Latina sine ulla dubitatione praestantissimi, sed etiam Graeciae gloriam in magnum discrimen vocantis, omittam multa, quae apte ad plausus & clamores excitandos in hoc argumento dici posse, facile intelligo: convertamque orationem meam ad quarundam rerum tractationem, quas spes est neque nimis communes ac contritas, neque alienas ab hoc instituto, neque cognitu inutiles judicatum iri. Dicam enim de Poëtices ipsius natura primum & antiquitate: tum suavitate, & quid sit, quod eam tantopere suavem efficiat, quasque illa hominum generi utilitates & attulerit, & perpetuo adferat; deinde quasdam Aristotelis de poësi ac poëtis sententias, quae propter ipsius auctoritatem in omnium fere jam animis insederunt, tentabo, & ad disquisitionem vocabo; postremo cum & de Virgilio ipso, & de hoc, quod nobis in manibus est, ejus poëmate, pauca quaedam ad ipsius dignitatem ac commendationem pertinentia protulero, mittam concionem, neque committam, ut nimia longitudine aut vobis molestiae sim, aut aliis, qui post me in hunc locum conscensuri sunt, impedimento. Poëticam veteres, ut hinc exordiar, non tam artem esse, quam incitationem quandam animi, & furorem divinitus immissum, qualis est in vaticinantibus, judicarunt. Quod ita expressit Cicero pro Archia: *Sic a summis hominibus eruditissimisque accepimus, ceterarum rerum studia & doctrina & praeceptis & arte constare: poëtam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari.* Et apud eundem Antonius lib. 2. de Oratore hoc ipsum a Democrito & a Platone in scriptis relictum esse dicit. Ac de Democrito quidem aliis credamus necesse est, cum ipsius scripta perierint: apud Platonem autem ita multis lo-

locis hoc dicitur, ut putidum ſit, eos accuratius percenſere. Sed & poëtae ipſi hoc de ſe profitentur ac praedicant: quorum ſunt illa:

Est Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.
Sedibus aetheriis ſpiritus ille venit.

multaque ad eundem modum; & Pindarus eo ſe Bacchylidi anteponit, quod ipſe quidem natura valeat, Bacchylides arte ſubnixus temere multa profundat: itaque tantum interesſe inter ſe & illum, quantum inter aquilam & corvos, gloriatur. Neque aut mons ille duplici vertice inſignis, aut fons, cujus hauſtu poëtas fieri ajunt, quidquam aliud indicant, quam eos non arte & induſtria, ſed divino quodam ſpiritu & inſtinctu valere. Et certe praeſtantiſſimi poëtarum, Orpheus, Linus, Muſaeus, & ille omnium parens Homerus multis ante ſaeculis extiterunt, quam ulla praecepta poëtices tradita eſſent. Sed tamen ſi naturae tantum & ingenii, non artis & induſtriae poëtica eſt, quid eſt, quod ſummus philoſophus, Ariſtoteles libros tres de arte poëtica ſcripſit? quod optimi poëtae, Horatii libellus de eodem argumento ſcriptus manibus teritur? quod, ut ceterarum, ita hujus quoque facultatis praecepta quotidie ab hominibus eruditiſſimis ſummo ſtudio tractari videmus? An illud verius eſt, ut in oratore, ſic in poëta, qui oratori affinis quodammodo & in diſſimili genere ſimillimus eſt, & naturae atque ingenii praeſtantiam, & artem praeterea quandam ac praeceptorum obſervationem requiri? Ita quidem certe ſentit Horatius, cujus illa ſunt:

Natura fieret laudabile carmen, an arte,
Quaeſitum est. Ego nec ſtudium ſine divite vena,
Nec rude quid proſit video ingenium; alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amice.

Fatendum tamen fortasſis eſt, plus in poëta ingenium, plus in oratore induſtriam poſſe. Sed ut phyſici ajunt, res e multis ac diverſis elementis conflatas atque concretas ex eo nominari, quod in quaque dominetur: ſic veteres illi, cum in poëtis illum animi ardorem plurimum poſſe, quaſique principatum obtinere; curam autem & in-

du-

duſtriam ſubſequi, eique quaſi famulari viderent: quod praecipuum eſſet, id ſolum eſſe dixerunt. Nam quod ſummi poëtae fuerunt, antequam quisquam poëtices praecepta traderet: idem in oratoribus dici poteſt. Si quidem, ut alios omittam, ille ipſe, quo nemo poſt homines natos eloquentior fuit, Demoſthenes, omnes eloquentiae numeros antea impleverat, quam ab Ariſtotele, qui primus ut dialecticen, ita & rhetoricen ad artis formam redegit, libri ad eam rem pertinentes conſcriberentur. Sed & emendate loquebantur homines, antequam grammatici naſcerentur: neque ex illorum praeceptis emendate loquendi facultas; ſed ipſa potius praecepta ex obſervatione eorum, qui bene loquerentur, enata ſunt; quomodo jurisconſulti dicunt, non jus e regulis, ſed e jure regulas extitiſſe. Neque omnino quidquam eſt aliud ars, quam imitatio quaedam naturae: neque ulla eſt ars, cujus non ſemina ac principia naturae debeantur. Sic igitur a me primum illud caput eorum, quae propoſueram, explicatum ſit, ut poëticam, neque impetum quendam animi temere ſine ullis legibus vagantis eſſe ſtatuamus; neque rurſus totam praeceptis adligatam & adſtrictam teneri: ſed & generoſo quodam ingenio, tum ad concipiendas animo rerum imagines, tum ad ea, quae conceperit, grandibus verbis, & minime vulgari dicendi genere efferenda egregie facto, & praeterea diligenti cura atque obſervatione praeceptorum quorundam contineri. Antiquitas ipſius vel e Ciceronis teſtimonio omnibus nota eſt, qui e doctis antiquiſſimum eſſe ait poëtarum genus. Nos certe Homero, quem tamen multi poëtae antecesſerant, nullum profanum ſcriptorem vetuſtiorem habemus. Et illi, qui primi diſperſos homines congregaſſe, & ex agreſti ac ferina, ad mitiorem & cultiorem vitam traduxiſſe perhibentur, non alii quam poëtae fuerunt: quos propterea Plato Deorum filios & ſapientiae patres ac duces vocat. Qui cum & praeclaras ſententias funderent, & certis numeris ac pedibus verba vincirent, ita ut neque ulterius quam par erat excurrerent, neque citerius ſubſiſterent, ſed paria paribus reddentes, aequilibritatem in dicendo quandam efficerent, & oraculorum ſimilia atque aenigmatum ſpeciem praebentia multa loquerentur: admirata eos illa rudis antiquitas, & divinum aliquid in eis latere rata eſt, & ſuavitate cantuum irretita, ducendam

ſe

se illis gubernandamque permisit. Mulcet autem animos, & incredibili suavitate perfundit poësis, ut uno verbo dicam, propter admirabilitatem. *Delectat enim*, ait Cicero, *quicquid est admirabile.* Poëtae autem & mira quaedam narrant, & ea miro modo eloquuntur. Jam omnes homines natura cupidi sunt scientiae: & admiratio stimulus quidam est ad sapientiam ac scientiam: impellit enim ad quaerendam caussam, in cujus cognitione ac perceptione posita scientia est. Itaque Aristoteles, cujus haec ex fontibus libamus, & admiratione ductos esse homines ait ad philosophandum; & ut quisque sapientiae amantissimus sit, ita esse amantissimum fabularum. Delectant poëtae numero quoque ipso & sono, qui naturae nostrae ita consentaneus est, ut veterum quidam animum ipsum numerum esse atque harmoniam putaverint. Delectant etiam, quia in rebus nihil ad nos attinentibus pertentant animos nostros omni genere affectuum: ita ut vel legentes poëmata, vel audientes, interdum angamur ac premamur metu, interdum ad spem erigamur, nonnunquam exhilaremur, nonnunquam etiam iis, quae ficta esse scimus, illacrymemur. Vir sanctissimus & eruditissimus, Aurelius Augustinus saepe ubertim flevisse se, cum Didonis mortem apud Virgilium legeret, confitetur. Sed hoc in eo propter singularem ipsius bonitatem minus fortasse mirum videri potest. Vere enim hoc Graeci proverbio dicunt, bonos viros faciles esse ad lacrymandum. Quid! quod feris quoque ac barbaris hominibus, & caede ac sanguine gaudentibus poëmata tamen misericordiam interdum & lacrymas commovent? Alexandrum (*), Pheraeorum tyrannum, accepimus aspero supra modum & immiti atque efferato ingenio fuisse, ita ut homines alios vivos defoderet, alios aprorum ursorumque pellibus tectos, canibus venatricibus laniandos objiceret, idque sibi pro ludo atque oblectamento haberet; quasdam etiam civitates amicas ac socias, immissis sine caussa speculatoribus (†), repente universas contrucidaret. Coram hoc agebantur aliquando Euripidis Troades, qua in fabula dolenter admodum deplo-

(*) Ex Plutarcho in Pelopida p. 293. Paullo aliter rem narrat Aelianus V. H. XIV. 40. ubi vide Perizonium.

(†) Rectius, *speculatoribus*, ut viri docti ad Sueton. Calig. 44. docuerunt.

plorantur Trojanorum calamitates. Homo quamvis aſper & indomitus, quemque nulla unquam res ad miſericordiam flectere potuiſſet, ſenſit tamen ſe poëtices cantibus commoveri. Itaque ſtatim ſe proripuit e theatro: indignum eſſe dicens, ſe, cui tot ſtrages, tot urbium direptiones, tot civium exquiſita tormenta nunquam lacrymam unam exprimere potuiſſent, Hecubae & Andromachae malis illacrymari. Quam vim poëtarum Horatius merito cum funambulorum & magorum operibus comparavit.

Ille, inquit, *per extentum funem mihi poſſe videtur*
Ire poëta, meum qui pectus inaniter angit,
Irritat, mulcet, falſis terroribus implet,
Ut magus: & modo me Thebis, modo ponit Athenis.

Paullo aliter explicat Ariſtoteles cauſſam ejus voluptatis, quam ex poëſi capimus: ſed nihil prohibet aliter a pluribus eadem de re & tamen vere ab omnibus diſputari. Ait igitur Ariſtoteles, natura comparatum eſſe, ut omnes homines imitatione gaudeant, & ex rebus imitando expreſſis, cuicuimodi tantum illae ſint, voluptatem percipiant; huic rei argumento eſſe puerulos, qui, natura duce, imitari omnia geſtiant; & hoc vel maxime differre homines a ceteris animantibus, quod homines natura maxime facti ſint ad imitandum. Addit, quae prima homines diſcunt, imitando diſci; neque quenquam eſſe quin rebus imitando expreſſis gaudeat, etiam iis, quas veras nollet aſpicere: non igitur mirum eſſe, cum poëſis imitatio ſit, tantam ex ea ab omnibus percipi voluptatem. Haec, ut a veritatis amantiſſimo philoſopho tradita ſunt, quin etiam veriſſima ſint, dubitari non poteſt. Sed mihi tamen interdum non parvam dubitationem attulerunt. Ita enim mecum cogitabam: quod oculo lux eſt, idem eſſe animo veritatem: & quemadmodum luce oculum gaudere, abhorrere a tenebris, ſic animos noſtros iis, quae vera ſunt, gaudere, quae falſa ſunt, ea aſpernari ac refugere. Et Euripides quidem jucundiſſimum eſſe ait, ſcire: Ariſtoteles autem, diſcere. Quorum utrovis poſito, nihil verae ac liquidae voluptatis e rebus falſis percipi poteſt. Falſa enim neque ſciri, neque diſci queunt. Et tamen falſo gaudere homines, multis argumentis

tis mihi videbar posse pervincere. Nam & poëfi gaudent, & pictura, & omni denique imitatione. Omnis autem imitatio videri vult id, quod non est: itaque quodam genere mendacium est. Neque vero tantum libenter ea videmus expressa coloribus, quae vera delectant, ut nemorum pratorumque viriditatem, tellurem multiplici variorum florum tegmine opacatam, eximia pueros mulieresque forma: sed ea etiam, quae vera videre nollemus, mirabiliter nos picta delectant: Hercules liberos interficiens, discerpens Pentheum mater, rota volutus Ixion, jecur vulturi praebens Prometheus, ceteraque de poëtarum mendaciis pictorum quasi propagata mendacia. Quid eluviones, incendia, ruinas, domorum urbiumque direptiones loquar? quae vera sani omnes refugiunt, picta summa cum voluptate intuentur. Ac admirari quidem solemus, si quos videamus nihilo majorem e fictis, quam e veris, voluptatem percipere: eosque rudes esse atque impolitos judicamus: cujusmodi ille Laco fuit, qui ceteris tabulam quandam magni facientibus, in qua pictus erat praepingui rusticus corpore, ad umbram arboris stratus, magna cum significatione languoris ac desidiae, negavit eam sibi placere: quod talem hominem ne vivum quidem in aedibus habere vellet. Et Anacharsis(*), qui invitatus ad audiendum quendam, qui mirifice luscíniae cantum imitabatur, aspernatus est, veras sibi luscinias saepe auditas esse dicens. At quis nostrum non talia omnia pluris faciat imitata, quam vera? Quae autem vera vacca tantopere unquam celebrata est, quantopere vacca Myronis? Nunquid igitur hominem falso gaudere dicemus? Imo vero naturae hominum amica pene veritas est: neque aliud quidquam mendacio gratiam conciliat, quam imitatio veritatis. Itaque cum ea dicuntur, quae nullam prorsus habeant veritatis similitudinem, aut suapte vi, aut habita ratione eorum, apud quos dicuntur, nulla ex talibus mendaciis existere voluptas potest. At poëtarum figmenta & ingeniose excogitata sunt, & accedunt plerunque ad aliquam similitudinem veri: & ita exponuntur, ut in ipsa eorum expositione mirificum quoddam ingenii acumen perpetuo eluceat. Itaque, quoniam ve-

(*) Anacharsidi an veteres hoc dictum tribuerint, non vacat quaerere. Agesilao tribuit Plutarchus Apophtegm. p. 191. B.

vegum ingeniose imitantur, oblectant. Sequitur, ut ostendam, quae commoda humano generi adferant poëtae: & quas ad res utilis sit poëmatum lectio. Dico autem, quae duo ut doceret Achillem Phoenix, comitem se ei a patre datum esse profitetur, ad ea utraque poëtas utilissimos esse. Nam & bene loqui docent, & ad honestas actiones animos legentium aut audientium impellunt. Quod his versibus exponit Horatius:

Os tenerum pueri, balbumque poëta figurat:
Mox etiam pectus praeceptis format honestis,
Asperitatis, & invidiae corrector, & irae.

Ac. de eloquentia quidem, quin ad eam plurimum conferant, ne dubitari quidem potest. Omnis enim grandiloquentia orationis, omnis peregrina, & ab vulgari abhorrens conformatio verborum, omnes figurae insigniores non ab alio scriptorum genere, quam a poëtis, petuntur. Numerose autem dicere, quo nullum majus eloquutionis ornamentum est, nemo non poterit, nisi qui aures habeat in numeris poëticis diu multumque tritas & exercitatas. Illa major & dubitationis plenior quaestio est, prosintne moribus poëtae, an eos inficiant ac depravent? Plato enim cum innumerabilibus locis summam laudem tribuisset poëtis, ac praecipue Homero, in libris de republica, multa ab eo peccata esse demonstrat, & civibus suis ab eo metuens, excludit eum ab illa, quam instituit, civitate. Quem imitatus Cicero in Tusculanis, *Videsne*, inquit, *poëtae quid mali adferant? Lamentantes inducunt fortissimos viros: molliunt animos nostros; ita sunt deinde dulces, ut non legantur modo, sed etiam ediscantur. Sic ad malam domesticam disciplinam, vitamque umbratilem & delicatam cum accesserunt etiam poëtae, nervos omnes virtutis elidunt. Recte igitur a Platone educuntur ex ea civitate, quam finxit ille, cum mores optimos, & optimam reip. statum exquireret.* Nos vero, si ut Sirenum, ita poëtarum cantus exitiosi sunt, obturemus adolescentium aures, neque ad eos ullum poëticae suavitatis gustum permanare patiamur. Sed si, adhibito judicio, eorum lectio fructuosa est, caveamus, ne faciamus idem, quod Lycurgus, rex Thraciae.

Cetera desiderantur.

AG-

AGGRESSURUS SATYRAM TERTIAM DECIMAM JUVENALIS.

ORATIO XII.

habita Romae anno

MDLXXV.

Cum constituerim vobiscum una evolvere atque excutere librum Senecae de providentia, judicavi omnibus nobis commodum fore, si is liber seorsum a ceteris Senecae operibus mea opera emendatus excuderetur. Ac sperabam id fore, antequam ad has mihi jucundissimas, vobis, ut merito sperare videor, non molestas exercitationes rediremus Sed aliter cecidit. Interea igitur, dum ille pulcerrimus libellus a librariis describitur, delegi decimam tertiam Juvenalis Satyram, in qua hoc triduum consumeremus. Et jucunda autem & utilis illius evolutio futura est. Continet enim multas graves & utiles sententias, optimis verbis, & genere quodam dicendi salso, festivo, hilari, &, ut ita dicam, vivido, quod huic poëtae proprium ac perpetuum est, explicatas. Neque mihi quisquam illud objecerit, multos esse ex Latinis Juvenale meliores poëtas. Non contendo. Scio, multum interesse inter Juvenalem & Virgilium. Sed qui solum Virgilium legerit, tanto praestare eum ceteris, credere poterit, scire non poterit: ut ad certiorem ipsius Virgilii gloriam pertineat, etiam alios legi. Deinde non continuo sola cognoscenda, quae optima. Alioqui non tantum e poëtis solus Virgilius, ex oratoribus solus Cicero, sed ipsius Virgilii unum aliquod poëma, Ciceronis una aliqua oratio legenda erit. Certe enim & aliquod Virgilii poëma, & aliqua Ciceronis oratio principem locum tenet. At nemo unquam repertus est, qui aut Homerum praecipuum esse inter poëtas negaret, aut propterea Hesiodum, Theocritum, Apollonium Rhodium, alios etiam inferiores, e manibus hominum excutere conaretur. Nec quia So-

phocles in Tragoedia excellit, idcirco Aeſchylum Euripidemque contemnimus.

Non, ſi priores (ait Horatius) *Maeonius tenet*
Sedes Homerus, Pindaricae latent,
Ceaeque, & Alcaei minaces,
Steſichorique graves Camoenae.

Suus eſt ſtellis honos, ſua lux, etiam ſi a ſolis ſplendore & claritate vincuntur. At ſtulte facit, qui in poteſtate eligendi, praetermiſſis optimis, deteriora ſectatur. Hoc ita demum in me valeret, ſi ſuaderem vobis, ut eos, quos optimos eſſe conſtat, praetermitteretis. Sed id neque feci adhuc, neque facturus unquam ſum, & multum puto intereſſe, hos quaſi ſecundarum partium ſcriptores melioribus anteponat aliquis, an eis quoque ſtudii aliquid tribuendum putet. Praeclare Cicero ferreum quidem ſcriptorem eſſe non diffitetur Atilium, ſed ſcriptorem tamen, ut legendus ſit. *Rudem enim*, inquit, *eſſe in noſtris poëtis, aut inertiſſimae ſegnitiae eſt, aut faſtidii delicatiſſimi. Mihi quidem nulli ſatis eruditi videntur, quibus noſtra ignota ſunt.* Haec ille: & illis quidem temporibus, cum neque Muſarum ſcopulos quisquam ſuperarat, & is, qui hoc ſcripſit Ennius, meliorum inopia principem locum tenebat. Quid igitur cenſemus dicturum fuiſſe Ciceronem, ſi ad eorum poëtarum, qui poſtea floruerunt, tempora vitam producere potuiſſet? Qui certe ut veteris illius Romani ſermonis integritate inferiores fuerint (ſuae enim quisque aetatis; quam atavorum ſuorum ſermone uti malebat:) limatiores tamen, & cultiores, & multis poëticis virtutibus ſuperiores fuerunt. Num igitur hos nitidos & politos contempſiſſet, qui illos horridos & impexos ſtudioſe tamen ac diligenter evolverat? Sed ut in ceteris vitae partibus, ita in ratione ſtudiorum varie a vulgo hominum peccari ſolet. Patrum & avorum noſtrorum memoria, qui ſe eruditos perhiberi volebant, optimis quibusque ſcriptoribus, tanquam pervulgatis, & nihil abditum ac retruſum continentibus valere juſſis, in aliis quibusdam obſcurioribus, minusque tritis ſuam omnem induſtriam collocabant. Itaque eorum plerisque ſaepius in manibus erat Appulejus, aut Sidonius Apollinaris, quam Cicero: Perſium quam Horatium,

tium, Lucanum aut Claudianum quam Virgilium libentius & majore cum ſtudio pervolutabant. Animadvertit hunc errorem inſequens aetas, & Bembi, Sadoleti, ac ſimilium & exemplo & auctoritate commota, ad vetuſtiorum lectionem imitationemque revocata eſt. Sed ſecutum eſt aliud malum, exorta factione ineptorum hominum, qui, praeter Ciceronem, Caeſarem, Salluſtium, &, ſi forte, aliquot alios eidem aetati ſuppares, tum ex poëtis, praeter Catullum, Lucretium, Virgilium, tres aut quatuor alios, clamare coeperunt, ceteros omnes barbaros eſſe, neſciisſe Latine loqui, neque ſatis dignos eſſe, in quibus cognoſcendis ullum ſtudium poneretur. Inde extitit enectum quoddam & famelicum, &, ut ego interdum vocare ſoleo, dilutum eloquentiae genus hominum exiſtimantium, bene dicendi laudem in eo poſitam eſſe, ut ne ullum vocabulum ponas, quod non ex Cicerone ſumpſeris, quamvis fatue atque inſulſe loquaris, ſine ulla vi, ſine ullo acumine, ſine ullo pondere ſententiarum, dummodo unum illud obſerves, ipſius te Ciceronis fraterculum fore. Similis fatuitas eorum quoque, qui poëtarum laudem affectabant, animos occupavit. Nam cum ſibi indices quosdam confeciſſent earum vocum, quibus veteres aliquot poëtae uſi eſſent, putarunt, ſe illis aequiparatum iri, dum ſedulo caverent, ne quam vocem verſibus ſuis immiſcerent, quae non in illis, quos dixi, indicibus reperiretur. Ergo hoc exemplo ſuo utrique docuerunt, ex omnibus Ciceronianis vocibus ſtultiſſimas orationes, ex omnibus Virgilianis peſſimos verſus poſſe componi. Neque dici poteſt, quam haec hominum ſomnia ſibi placeant, quam ſe circumſpiciant, quam ſe impudenter iis, quos non intelligunt, anteponant. Statium, ait eorum quidam, aut Silium Italicum, tu mihi, aut Lucanum, aut Senecam nominas? Ovidium etiam, cui praeter unum Virgilium, Latinorum nemo par fuit, contemnere audent, ſeque ei anteponere non verentur. Unus etiam (*), ceteroqui homo eruditiſſimus, ſed illo errore imbutus, Ovidii metamorphoſin, divinum poëma, & omnibus ingenii, omnibus eloquentiae luminibus omni ex parte collucens, in eum ſermonem, quo vulgo nunc utimur, ſibi convertendum curavit, ne, ſi eam Latine ſcriptam attingeret, ſin-

(*) Idem narrat Mureti diſcipulus, Herc. Ciofanus praef. ad Ovidii Metam.

sinceritatem Latini sermonis, quam ex aliis poëtis hauserat, contaminaret. Sed hunc quidem excusare quoquo modo possumus: qui cum & doctrinae copia abundaret, & Latino sermone perite ac scienter uteretur, hac una in re nimis credulus fuit, aliorumque judicio stare potius voluit, quam suo. Isti non ferendi, qui ab omni eruditione imparati, quasi satis sit dixisse, *ego pulcra poëmata pango*, audent se cum eis componere, aut etiam eos prae se despicere, a quorum coquis, aut mulionibus, si hodie viverent, scribendorum carminum laude facile vincerentur. Horum ego, simul atque Juvenalem mihi in manibus esse resciverint, qui de me sermones futuri sint, non ignoro. Juvenalem interpretatur. Cur non potius Horatium? Sed & tertio abhinc anno, quasi alii poëtae deessent, Senecae Troadas delegit, quas interpretaretur. Ego vero & in explicandis Senecae Troadibus ita tum me versatum esse confido, ut illius poëtae amorem multis incusserim: & in hujus Satyrae explicatione, spero, me perfecturum, ut ejusdem poëtae alias quoque cognoscere cupiatis. Sed satis jam verborum factum est. Nunc primum exponam argumentum hujus Satyrae. Deinde ipsius poëtae verba recitabo, quaeque in eis explicatione egere videbuntur, ea diligenter & accurate interpretabor.

CUM

ANNALES TACITI EXPLICANDOS SUSCEPISSET.

ORATIO XIII.

habita Romae III. *Non. Nov.*

MDLXXX.

Neque pars ulla studiorum humanitatis aut amoenior est, aut fructuosior, quam historia: neque ullius gentis historia est, quae cum historia populi Rom. aut magnitudine, aut pulcritudine, aut omnis generis exemplorum copia & varietate contendat: neque ex ingenti scriptorum, qui res Romanas litterarum monumentis prodiderunt,

runt, numero quisquam est, quem merito quis C. Cornelio Tacito anteponat. Nam si nihil est hominis animo jucundius, quam discere; & eorum, quae suapte vi ac natura jucunda sunt, tanto quidque jucundius, quanto laboris ac molestiae minus exhibet: dubitare de historiae suavitate nemo potest, cum scripti genus nullum sit, ex quo aut plura, aut citius, & minore animi contentione discantur. Artium praecepta, dum traduntur, molesta sunt; mathematica non plures pulcritudine invitant, quam difficultate deterrent; illa ipsa princeps & regina artium, philosophia nunquam tam multos habuit studiosos sui, ut non plures obtrectatores habuerit: una historia est, quae omnium studia alliciat, aures teneat, animos mulceat; a qua si quis abhorrere se dicat, parum absit, quin ipse se ne hominem quidem esse fateatur. Parvulos pueros, in quibus naturae vis maxime elucet, verisimeque perspicitur, nulla re magis, quam narratiunculis, duci videmus: qui etiam saepe, ut aliquem fabellas narrantem audiant, eas ipsas, quibus cum maxime operam dant, lusiunculas deserunt. Isti superbi ac divites, librorum & litterarum omnium osores, qui sibi e stolido ac supino pulcerrimarum rerum contemptu gloriam quaerunt, ut tamen sic quoque aliquod hominis simulacrum ac vestigium retineant, ab historia non penitus abhorrent. Itaque in illis ipsis quoque atriis, coenationibus, cubiculis, unde aliae omnes litterae omnisque honestas exulat, in mensa tamen aliqua, aut in abaco interdum videas expositos una cum fritillo, & turricula, ac tesseris, ceteroque instrumento aleatorio, etiam libros, aut historiam, aut aliquid historiae utcumque simile continentes. Ut enim mustum bibunt, qui vini veteris acrimoniam atque austeritatem non ferunt: sic pueri, & viri puerorum similes, quia serio scriptae historiae gravitatem severitatemque non capiunt, inanibus se fabulis propter quandam illarum cum historia similitudinem oblectant. Sed supervacaneum est, de voluptate, quae ex historia percipitur, pluribus dicere: cum id de suo quisque sensu judicare facile possit. Utilitas autem quanta ex historiae tractatione capiatur, quis non videt? Mitto jam, quod ille apud Platonem Aegyptios sacerdos Soloni dixisse fertur, semper pueros esse, qui vetustatis cognitione careant: illius quidem omnium humanarum rerum moderatricis, prudentiae, unde major vis,

quam ex historia, colligi potest? Non enim avium cantu, aut volatu, non inspiciendis pecudum fibris, non interpretandis hariolorum cantibus futura praenoscuntur. Quis cujusque consilii aut incepti exitus esse soleat, qui diligenter notaverit, atque observaverit, is demum, quid ex quo eventurum sit, optime ac certissime providebit. Quanquam enim non certa quadam & immutabili serie res humanae volvuntur, magnaque earum varietas & inconstantia est, ut hoc ipsum, quemadmodum dicebat Agatho, verisimile sit, multa praeter id, quod verisimile est, evenire: plerunque tamen e similibus similia existunt; neque ulla certior regula est judicandi, quo quaeque res evasura sit, quam inspicere, quem exitum similia in longinquitate temporis saepius ac frequentius habuerint. Quodsi aut temporis hominibus ad vivendum concessi brevitas, aut ipsa vitae ratio pateretur, ut idem homo multa saecula, integra mente, integrisque sensibus vixisset; multas provincias obiisset; ad intimas principum virorum de gravissimis rebus consultationes frequenter adhibitus esset; omnium sententias audiisset; rationum, quibus quisque niteretur, pondera ac momenta diligenter expendisset; observasset postea, & notasset diligenter, quid ex quo consecutum esset: quis non incredibilem quandam in eo vigere vim consilii crederet? quis non ejus sententiam de rebus gerendis in oraculi propemodum loco ac numero habendam fateretur? Atqui quod natura nobis denegat, praestat historia, ut, qui eam diu ac diligenter pervolutarunt, omnibus aetatibus vixisse, omnes regiones perlustrasse, omnibus publicis consiliis interfuisse; omnia, quae unquam contigerunt, praesentes spectasse, atque annotasse videantur. Nam quod alicubi Aristoteles ait, majorem quandam esse poëtices quam historiae cum philosophia conjunctionem, quod historia tantum, quid factum sit, exponat, poëtica, quid fieri debuerit: id quale, aut quomodo accipiendum sit, alias fortasse videbimus. Illud certe & extra omnem controversiam est, & ab eodem philosopho alibi traditur, in gravibus & seriis deliberationibus cum maximus exemplorum usus sit, e poëtis quidem petita exempla in vulgus interdum aliquid valere: at apud graves & cordatos viros multo majorem vim ea, quae ex historiis ducta sunt, obtinere. Nam quod Horatius Homerum commendans dicere ausus est, quid honestum,

ſtum, quid turpe, quid utile, quid inutile ſit, melius eum ac plenius, quam philoſophos docere: id ego de hiſtoria longe verius ac juſtius dicere auſim. Etenim philoſophi primas rerum cauſas inquirunt, in praeceptis communibus latisſimeque patentibus occupantur: ſingula non fere conſiderant. Omnis autem actio, omnisque deliberatio ſingulis in rebus verſatur: neque quisquam unquam, num bellum gerendum foret, ſed num huic populo adverſus illum hoc tempore gerendum foret, deliberavit. Ut igitur medicus, qui multis aegrotis adſederit, multos curaverit, multis arteriam exploraverit, venam ſecuerit, medicamenta miſcuerit, quid ex quoque accidere ſoleat, notaverit, ſaepe ad medendum utilior eſt eo, qui majorem quidem rerum medicarum ſcientiam ex Hippocratis libris hauſerit, ſed illa cognitione contentus nunquam hominis aegroti lotium aſpexerit: ſic ad conſultandum melior, qui multa ejusdem generis ſingularia in hiſtoriis adhibito judicio notaverit, quam qui ex philoſophorum ſcriptis communia quaedam vivendi praecepta cognoverit. Optandum quidem eſt, ut utrumque adſit: ſed ſi alterutro carendum ſit, malim experientem & exercitatum hominem ſine ulla univerſa cognitione totius generis, quam erudite & ſublimiter de univerſo genere diſputandi peritum, uſus & exercitationis expertem. Hunc in ſchola libentius audias, illum utilius in conſilium adhibeas. Sed de utilitate hiſtoriae & dicta ſunt a me alias multa, & dicentur: &, cum quaecunque potuero dixero, ſemper tamen multa ſupererunt. Quanto autem populus Rom. ceteris gentibus imperii magnitudine praeſtitit, tanto hiſtoria populi Romani ceterarum gentium hiſtoriis antecellit. Nullius populi obſcuriora & tenuiora principia; nullius admirabiliores progreſſus; nullius tanta majeſtas, tanta in proſperis rebus moderatio, in adverſis animi magnitudo; nusquam & virtutum & vitiorum omnis generis aut plura exempla, aut illuſtriora. Quodſi nulla gens eſt usque eo immanis ac barbara, quae non in rebus geſtis Romanorum cognoſcendis plurimum operae ac ſtudii collocet: quid nos facere oportet, qui Romae vivimus, qui e Romano caelo ſpiritum ducimus, qui poſt tot acceptas clades, tot calamitates, tot ſtrages, a bacchantibus barbaris, ut a petulantibus ſervis viduae & effetae jam dominae inſultantibus, editas, tam multa tamen illius

antiquae virtutis ac majeſtatis monumenta quotidie intuemur? An cum tam multos ingenioſos & eruditos homines in remotiſimis gentibus natos, tam longinqua itinera ſuſcipere, tantos ſumptus facere, tam multis ſe laboribus ac periculis exponere videamus, ut Romam videant; quod ita judicant ſe melius ac perfectius hiſtoriam Romanam intellecturos, ſi ipſum urbis ſitum, ipſa moenia, ipſas veterum arcuum, tropaeorum, templorum quamvis laceras & disjectas reliquias, illos tot olim nobilitatos victoriis colles viderint: nos, quibus otioſis haec omnia in oculos aſſidue incurrunt, rerum Romanarum cognitionem negligemus? Quarum per ſe tanta pulcritudo eſt, ut etiam, ſi ſcripta eſſent horrido aliquo & inculto orationis genere, ſuapte tamen vi hominum ſtudia excitarent: nactae autem ſunt ejusmodi ſcriptores, qui, quamcumque ſibi ſcribendi materiam ſumpſiſſent, digniſſimi tamen ſtudio propter ipſum ſcribendi genus fuiſſent. Non enim poteſt quisquam dicere, in ſcriptores rerum Romanarum intuens, cur haec tanta ingenia ſe dignius aliquod ſcribendi argumentum non elegerunt? neque rurſus illud, cur res tam clarae tamque illuſtres non in aliquos magnitudine ſua dignos ſcriptores inciderunt? Ita rerum magnitudo praeſtantia ingenia evocavit: ſcriptorum praeſtantia rerum magnitudinem adaequavit. Quid enim, ut ceteros in praeſens omittam, ipſos modo principes nominem, aut Salluſtio gravius ac nervoſius, aut Livio grandius & uberius, aut Tacito preſſius, prudentius, limatius, omni ex parte perfectius fieri poteſt? Cujus annales quoniam hoc anno, quod Deus fauſtum ac felix eſſe velit, vobiſcum una communi ſtudio evolvere, viamque vobis ad eos facilius intelligendos, ut potero, praeire decrevi, pauca mihi quaedam de eo dicenda ſunt, non ut eum laudem; nam cum ipſe ſe ſatis tacitus laudet (*), ego quoque praeſtantiam ipſius tacitus admirari malo, quam & infantiam meam prodere, & laudes ipſius, ingenii culpa deterere: ſed ut iis reſpondeam, qui & Tacitum tanti a me fieri, & me tam diu, tanto ſtudio, ut mihi ejus publice interpretandi poteſtas fieret, poſtulaſſe mirantur. Hodiernam autem orationem meam illi ipſi, qui Tacito obtrectant, bre-

(*) Puerilis lusus in nomine *Taciti* ita placuit Muretо, ut eum ſub orationis finem repeteret.

breviorem reddiderunt. Nam si Tacitus mihi laudandus fuisset, necesse habuissem undique conquirere ac colligere quaecumque veteres a perfecto historiae scriptore exigenda esse dixissent, ac prolatis exemplis ostendere, ea omnia Tacitum cumulatissime praestitisse: quod etsi verissime fieri poterat, propter ipsam tamen multitudinem & varietatem arduum ac difficile fuisset. Nunc Taciti quidem virtutes melius ac commodius in progressu operis singulas notabimus: hodie nisi temporis excludamur angustiis, pauca tantum quaedam refutabimus ac refellemus, quae in eum temere ab imperitis conjici solent. Inprimis autem illud positum sit; quae summa scribentium laus est, eam Tacito ab omnibus uno ore tribui: nullum unquam scriptorem prudentiorem ac consideratiorem fuisse; siccam ac sobriam esse illius orationem, adstrictam verbis, densam sententiis; nihil in ea notari posse diffluens, nihil inane, nihil redundans; singulis saepe verbis singulas sententias contineri. Magna laus, & quae in quo sit, facile ei alias deesse patiaris. Nam ut in iis, quae possidentur, ea plurimi fiunt, quorum exigua moles est, pretium ingens, ut aurum, ut gemmae, ut in cibis ii maxime laudantur, qui minimum detrimentorum habent, plurimum succi: ita maximi facienda oratio, quae paucissimis verbis plurimum sententiae amplectitur. Indicat enim, se in pectore, non in ore nasci. Haec praecipua orationis virtus, quae ex omnibus scriptoribus Latinis in Tacito praecipue cernitur, effecit, ut omnium aetatum sapientissimi quique, qui non inani verborum sono, sed bonitate & gravitate sententiarum ducerentur, praecipuo in honore Tacitum semper habuerint, ejusque assiduam & accuratam lectionem principibus viris omnium utilissimam judicarint. Neque vero ut id ita esse doceam, illo praecipuo argumento nitar, quod M. Tacitus non Imperator tantum, sed prope singularis exempli Imperator, hujus nostri imaginem in omnibus bibliothecis collocari, libros, ne perirent, quotannis decies describi, & in archiis civicis asservari voluit: cum se etiam ab eo genus ducere gloriaretur Vetera illa jam & obsoleta: & exemplorum, quae tantopere a temporibus nostris remota sunt, minus magna vis est ad permovendum. Paulus III. P. M. quo nullum sapientiorem senem nostra vidit aetas, Tacitum saepe relegendo contriverat, neque ullum profanum

num ſcriptorem aeque libenter legebat. Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriae Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam, quae vulgo fortuna dicitur, in conſilio & prudentia conſiſtere docuit, Taciti libros in deliciis habebat: eorumque lectione avidiſſime fruebatur. Neque non hodie multi aut Principum, aut eorum, qui de ſummis rebus a Principibus in conſilium adhibentur, eundem ſtudioſiſſime legunt, & quaſi pro magiſtro quodam prudentiae habent. Nunquid igitur movebimur ſtultis quorundam vocibus, qui niſi quod ipſi didicerunt, nihil diſcendum putant: &, quoniam a magiſtris ſuis nihil olim praeter bucolica Virgilii, & paucas Ciceronis epiſtolas, & orationem, ſi forte, aliquam audierunt, ab iis me diſcedere, & vobis graviora proponere, iniquo animo ferunt? An quisquam veſtrum eſt, qui eo conſilio ſtudia ſequatur, ut in pulvere ſcholaſtico conſeneſcat? Cur igitur ea potius conſectemur, quae tantum in ſcholaſticis concertatiunculis inter adoleſcentulos, aut ſenes adoleſcentulis ſtultiores oblectamento, quam quae olim graviſſimis in negotiis emolumento futura ſint? Vos vero iſtos nugatores contemnite, praeſertim cum illa leviora aut jam didiceritis, aut, qui ea usque ad taedium inculcent, in omnibus vicis ac triviis obvios quamlibet multos; qui Tacitum interpretari aut poſſint, aut velint, non multos ſitis habituri. Nunc, quae in eo culpari a nonnullis ſoleant, exponerem, eaque omnia, uti pollicitus eram, refutarem ac refellerem: ſed video me longius progreſſum eſſe dicendo, quam a principio exiſtimaram. Fefellit me Taciti amor: cujus laudes cum hodierno die tacitus praetermittere ſtatuiſſem, auferri me poſtea paſſus ſum, neque mihi potui, ne eas ſtrictim & modice attingerem, temperare. Vereor autem, ſi longius orationem producere voluero, ne & vobis moleſtiae ſim, & iis, qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, impedimento. Quare quae ſupererant, in craſtinum, ſi vobis quoque ita videtur, differam: neque metuam, ne quis me hodie juſto breviorem fuiſſe dicat. Nam & in his primis velitationibus noſtris, juſtique curſus ac certaminis quaſi proluſionibus brevitas culpari non ſolet: & verum eſt, quod ait Varro, portam itineri eſſe longiſſimam. Equos ipſos, ubi diu quieverunt, qui longum iter ingreſſuri ſunt, fatigare primo itineris die non ſolent. Si tot praeſtan-

ſtantibus viris, qui huc hodie convenerunt, ut dicendo placerem, conſequi fortaſſe non potui: at certe, breviter dicendo, minus ut moleſtus ſim, conſequar. Sed utinam, auditores, utinam & brevis hodie viſus ſim, & quicumque me unquam audient, brevem ſemper fuiſſe me doleant. Quanto ſuavius eſt, abeuntes dicere, cur hic tam cito deſiit? quam abire cupientes, quando tandem hic deſinet? Nimio ſatius eſt, quod cum fame relinquit, quam quod ſatietate diſtendit.

SEQUITUR IN EODEM ARGUMENTO

ORATIO XIV.

habita Romae pridie Non. Novembr.

MDLXXX.

Qui me a Taciti interpretatione deterrere cupiebant, quinque praecipue, quae illi objicerent, reperiebant. Primum quod illorum temporum hiſtoriam contexuiſſet, quibus vetus illa S. P. Q. R. majeſtas & amplitudo conciderat, quibus illi paullo ante terrarum domini, acerbiſſimo teterrimorum tyrannorum dominatu oppreſſi tenebantur. Non jam amplius Camillos, Curios, Fabricios, Maximos, Laelios, Scipiones, aliaque virtutum, non hominum nomina in hiſtoria repertum iri, ſed degenerem & obſitum virtutis avitae populum, ſed ſenatum ad ſervilem adulationem projectum, ſed propoſita vitiis, quae quondam virtutibus deferebantur, praemia, ſed unius impuri hominis libidinem extincta legum auctoritate dominantem. Quodſi vere dictum eſſet a ſummis philoſophis, Principum mores eſſe ſpeculum civitatis, ceteramque multitudinem ad imperantium exempla componi: quem virtuti locum eſſe potuiſſe in ea urbe, in qua non homines, ſed monſtra ex omni vitiorum fece ac colluvione concreta regnarent? Melius itaque conſulturum eſſe me ſtudiis veſtris, quando Romanam hiſtoriam tractare animus erat, ſi eorum vobis temporum hiſtoriam proponerem, quibus po-

num ſcriptorem aeque libenter legebat. Cosmus Medices, qui primus Magnus Etruriae Dux fuit, homo factus ad imperandum, qui eam, quae vulgo fortuna dicitur, in conſilio & prudentia conſiſtere docuit, Taciti libros in deliciis habebat: eorumque lectione avidisſime fruebatur. Neque non hodie multi aut Principum, aut eorum, qui de ſummis rebus a Principibus in conſilium adhibentur, eundem ſtudioſiſſime legunt, & quaſi pro magiſtro quodam prudentiae habent. Nunquid igitur movebimur ſtultis quorundam vocibus, qui niſi quod ipſi didicerunt, nihil diſtendum putant: &, quoniam a magiſtris ſuis nihil olim praeter bucolica Virgilii, & paucas Ciceronis epiſtolas, & orationem, ſi forte, aliquam audierunt, ab iis me diſcedere, & vobis graviora proponere, iniquo animo ferunt? An quisquam veſtrum eſt, qui eo conſilio ſtudia ſequatur, ut in pulvere ſcholaſtico conſeneſcat? Cur igitur ea potius conſectemur, quae tantum in ſcholaſticis concertatiunculis inter adoleſcentulos, aut ſenes adoleſcentulis ſtultiores oblectamento, quam quae olim gravisſimis in negotiis emolumento futura ſint? Vos vero iſtos nugatores contemnite, praeſertim cum illa leviora aut jam didiceritis, aut, qui ea usque ad taedium inculcent, in omnibus vicis ac triviis obvios quamlibet multos; qui Tacitum interpretari aut poſſint, aut velint, non multos ſitis habituri. Nunc, quae in eo culpari a nonnullis ſoleant, exponerem, eaque omnia, uti pollicitus eram, refutarem ac refellerem: ſed video me longius progreſſum eſſe dicendo, quam a principio exiſtimaram. Fefellit me Taciti amor: cujus laudes cum hodierno die tacitus praetermittere ſtatuiſſem, auferri me poſtea paſſus ſum, neque mihi potui, ne eas ſtrictim & modice attingerem, temperare. Vereor autem, ſi longius orationem producere voluero, ne & vobis moleſtiae ſim, & iis, qui poſt me in hunc locum conſcenſuri ſunt, impedimento. Quare quae ſupererant, in craſtinum, ſi vobis quoque ita videtur, differam: neque metuam, ne quis me hodie juſto breviorem fuiſſe dicat. Nam & in his primis velitationibus noſtris, juſtique curſus ac certaminis quaſi proluſionibus brevitas culpari non ſolet: & verum eſt, quod ait Varro, portam itineri eſſe longiſſimam. Equos ipſos, ubi diu quieverunt, qui longum iter ingreſſuri ſunt, fatigare primo itineris die non ſolent. Si tot praeſtan-

ſtantibus viris, qui huc hodie convenerunt, ut dicendo placerem, conſequi fortaſſe non potui: at certe, breviter dicendo, minus ut moleſtus ſim, conſequar. Sed utinam, auditores, utinam & brevis hodie viſus ſim, & quicumque me unquam audient, brevem ſemper fuiſſe me doleant. Quanto ſuavius eſt, abeuntes dicere, cur hic tam cito deſiit? quam abire cupientes, quando tandem hic deſinet? Nimio ſatius eſt, quod cum fame relinquit, quam quod ſatietate diſtendit.

SEQUITUR IN EODEM ARGUMENTO

ORATIO XIV.

habita Romae pridie Non. Novembr.

MDLXXX.

Qui me a Taciti interpretatione deterrere cupiebant, quinque praecipue, quae illi objicerent, reperiebant. Primum quod illorum temporum hiſtoriam contexuiſſet, quibus vetus illa S. P. Q. R. majeſtas & amplitudo conciderat, quibus illi paullo ante terrarum domini, acerbiſſimo teterrimorum tyrannorum dominatu oppreſſi tenebantur. Non jam amplius Camillos, Curios, Fabricios, Maximos, Laelios, Scipiones, aliaque virtutum, non hominum nomina in hiſtoria repertum iri, ſed degenerem & oblitum virtutis avitae populum, ſed ſenatum ad ſervilem adulationem projectum, ſed propoſita vitiis, quae quondam virtutibus deferebantur, praemia, ſed unius impuri hominis libidinem extincta legum auctoritate dominantem. Quodſi vere dictum eſſet a ſummis philoſophis, Principum mores eſſe ſpeculum civitatis, ceteramque multitudinem ad imperantium exempla componi: quem virtuti locum eſſe potuiſſe in ea urbe, in qua non homines, ſed monſtra ex omni vitiorum fece ac colluvione concreta regnarent? Melius itaque conſulturum eſſe me ſtudiis veſtris, quando Romanam hiſtoriam tractare animus erat, ſi eorum vobis temporum hiſtoriam proponerem, quibus po-

populus R. foris adverſus barbaras gentes, domi adverſus vitia perpetuum bellum gerebat, neque ceteros populos bellica magis virtute, quam innocentia & integritate ſuperabat. Abire in mores, quae diſcuntur in ſcholis: & ea fere quemque imitando exprimere, quibus legendis audiendisque puer aſſueverit. Neque deerant, quod equidem valde miratus ſum, qui non dubitarent mihi auctores eſſe, ſi res ſub imperatoribus geſtas perſequi vellem, ut Suetonium potius, quam Tacitum ſumerem: quem ipſi & meliorem Tacito Latinitatis auctorem, & nitidiori ac floridiori genere orationis uſum dicerent. Erant etiam, qui, quod maximum in hiſtorico vitium eſt, fidem quoque Taciti accuſarent, quod multa mendacia hiſtoriis ſuis admiſcuiſſet. Neque tamen, quamquam ſaepe a me orati ut id facerent, mendacium ipſius proferre ullum poterant: duorum tantum veterum ſcriptorum teſtimonio id pervincere nitebantur: quorum Vopiſcus aliquando mentitum in hiſtoria Tacitum diceret; Tertullianus eum mendaciorum loquacisſimum vocaret. Addebant tertio loco, impium ac nefarium eſſe ſcriptorem, qui Chriſtianae religioni aperte infenſus & inimicus fuiſſet. Aſperum praeterea & inſuavem ac ſpinoſum, & cum cujus difficultate ad eruendas ſententias perpetuo luctandum foret. Poſtremo male Latine locutum: idque non vulgus modo dicere, ſed ipſos etiam praecipuos Taciti amatores confiteri. Cujus igitur libri & corruptisſimorum temporum hiſtoriam, eamque ipſam neque ſatis fideliter ſcriptam, & melius ab alio traditam continerent, & auctoris ſui manifeſtam impietatem proderent, & moleſto atque odioſo propter obſcuritatem, & parum Latino ſermone conſtarent, cauſſam eſſe nullam, cur, tot potioribus omiſſis, in eo potiſſimum conficere hujus anni curriculum vellem. Ad quae omnia reſpondere conſtitui, ne praejudicata multorum opinio cujusquam veſtrum aut animum avocet, aut retardet induſtriam. Primum igitur conſiderandum eſt, respublicas hodie perquam paucas eſſe: nullum eſſe propemodum gentem, quae non ab unius nutu atque arbitrio pendeat, uni pareat, ab uno regatur. Ergo hac ſaltem in parte propius accedit ad ſimilitudinem temporum noſtrorum ſtatus ille rerum, qui ſub imperatoribus, quam qui imperante populo, fuit. Quo autem quaeque hiſtoria rerum noſtrarum ſimilior eſt, eo plura ſunt in ea, quae di-

diſcamus, quae ad uſum conferamus, quae ad vitam moresque referamus. Quamquam autem Dei beneficio aetas noſtra Tiberios, Caligulas, Nerones non habet: prodeſt tamen ſcire, quomodo etiam ſub illis viri boni ac prudentes vixerint, quomodo & quatenus illorum vitia tulerint ac diſſimulaverint; quomodo neque intempeſtiva libertate utentes, vitam ſuam ſine ulla publica utilitate in periculum objecerint, neque tamen foeda ac probroſa laudantes, placere ſibi ullam turpitudinem oſtenderint. Multa ſaepe ſunt in Principibus, quae vir bonus laudare non poteſt, tegere & transmittere ſilentio poteſt. Ad ea connivere qui neſciunt, & ſibi periculum creant, & ipſos Principes plerumque deteriores faciunt. Multi enim, qui vitia ſua latere credunt, ſponte ea paullatim exuunt, ne deteganter: &, dum ſe bonos haberi putant, boni fiunt. Idem, ſi turpitudinem ſuam palam eſſe videant, jam famae ſecuri, quae palam dici vident, palam quoque faciunt: & famam dum bonam deſperant, malam negligunt. Melius autem feret minora & pauciora Principum vitia, qui, quomodo olim viri boni ac fortes plura & graviora pertulerint, cognoverit. Quodſi quis ſub Principibus corruptiſſimis viros ſingulari virtute praeditos extitiſſe non putat, magno in errore verſatur. Vixit ſub Tiberio, ut ceteros taceam, Germanicus, cui ego omni genere laudis ne ex illis quidem veteribus Romanis quemquam antepono. Vixit ſub Claudio Seneca, & Senecae quamquam fortaſſe par nemo, ſimiles tamen multi. Neronis aetas multos habuit, quorum virtutem vix ipſius vitia aequarent. Omninoque ita eſt, ut dicam. Ut palmam ajunt adverſus onera, ſic virtus adverſus vitium contumax ſurgit: & ut in Aetnae montis cacumine, ubi maxime virat flamma, herbam quoque finitimam maximè virere perhibent, quaſi ipſa ſecum contendente natura, & nolente fecunditatem ſoli vicinorum ignium ardore ſuperari: ſic plerumque ubi maxima vitia dominantur, maximae virtutes erumpunt, quae cum illis certamen ſuſcipiant: &, ſi ſuperiores eſſe non poſſint, non tamen hoſtibus ſuis triumphum ſine dimicatione concedant. Non igitur, ſi plerique Imperatores vitioſi fuerunt, idcirco bonis & utilibus exemplis temporum, quibus illi rerum potiti ſunt, hiſtoria caritura eſt, ſed & ipſa improba exempla nos interdum ad virtutem acuent: cautio-

res

res certe & conſideratiores efficient. Ex illa perpetua ſimulatione Tiberii, ex illo vultu ac ſermone alia omnia, quam quae cogitabat, prae ſe ferente, diſcemus caute cum Principibus agere, neque ſemper illorum vultui ac blanditiis fidere. Diſcemus, quae Principes occulta eſſe volunt, ea, etiamſi ſciamus, neſcire, neque altius, quam ipſi velint, in eorum arcana penetrare. Juvabit in Sejano videre, quam in lubrico ſit eorum potentia, qui ſe malis artibus apud Principes omnia poſſe rentur: quamque ſaepe, ubi diu in alios contumelioſe debacchati ſunt, & praecipites decidant ipſi, & alios in idem exitium trahant. Sic ipſa quoque improba exempla proderunt. Sed de his ſatis. Iſtos autem ſatis mirari non poſſum, qui, ubi de Tacito agitur, Suetonium nominare (*) audent. Nihil equidem detrahendi ſtudio dicam: longe enim id & ab ingenio & ab conſuetudine abhorret mea: neque is ſcriptor eſt Tacitus, cui gloria ex aliorum vituperatione quaerenda ſit: ſed inter eum & Suetonium nimium quantum intereſt. In Suetonio nihil eſt, ex quo ejus aut prudentiam, aut eloquentiam, aut eruditionem ullam eximiam agnoſcas. In Tacito quid horum emineat, ideo difficile dictu eſt, quia eminent omnia. Suetonium certe nemo unquam veterum aut inter eruditos, aut inter diſertos nominavit. At Tacitus habitus eſt aetatis ſuae ſine controverſia eloquentiſſimus, &, quae virtus Demoſthenis maximam inter Graecos gloriam peperit, quam illi δεινότητα appellant, eam, ut propriam & peculiarem, Tacito tribuunt omnes. Eloquentiſſimum quidem illum vocat Plinius, & illud eximium in eo fuiſſe ait, ut ἐμφατικῶς diceret. At Suetonium S. Hieronymus laudat. Magnum teſtimonium, ſi laudat. Non enim ſanctitate tantum Hieronymus, ſed & eruditione & judicio praeſtitit. Quomodo igitur laudat? Eadem libertate ſcripſiſſe eum ait Caeſarum vitas, qua ipſi vixerunt. Non magna laus, ſi laus eſt: ſed ego laudem eſſe non puto. Quid enim laudis habet, cum Caeſares in ſumma licentia atque impudentia vixerint, orationis turpitudine ipſorum flagitia aequaſſe, quaeque illi perpetuis tenebris operienda patrarant, ea nu-

(*) Scio, quid Oratori liceat. Sed hoc judicio nihil iniquius vidi. Suetonium defendit Checcotius in Praef. p. 17. bene judicans. Muretum in Hieronymi teſtimonio calumniari.

nudis & praetextatis verbis in luocm & in aſpectum hominum protuliſe? Itaque nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos, & ſpintrias, & cellarios (*), & nubentem Neroni Sporum, Doryphoro Neronem; voces etiam, quas in illis flagitiis miſerint, quaſi haec ſcire, poſterorum intereſſet: quorum commemoratione non ſcriptorem modo, ſed ipſas chartas erubeſcere oportebat: cum haec interim ita ſubtiliter ac particulatim perſequitur, ut docere voluiſe videatur. In Tacito nihil ſimile reperias. Talia aut praeterit, aut ita ſignificat, ut odiſe & abhorrere videas, non, ut illum alterum, cupide in eis immorari. Inter Vopiſcos igitur, & Spartianos, & Lampridios, & ejusmodi vitarum ſcriptores, Suetonius emineat, illa ſe jactet in aula; hoc ceteris melior, quod, aetatis beneficio, melius quam illi Latine loquitur: ad Taciti quidem gloriam aſpirare, aut ſe cum eo conferre ſi voluerit, omnium eruditorum convicio vapulabit. Equidem quod ad me attinet, Suetonii lectionem non minus, quam Catulli aut Martialis, adoleſcentibus perniciosam, etiam confirmatae aetatis viris periculoſam puto. At mendax eſt in hiſtoria Tacitus. Mitto quod, ſi hoc maxime conſtaret, eum hiſtoricorum more aliquid interdum eſe mentitum, non tamen id valde nobis curandum eſe arbitrarer. Non enim, quae ab eo narrantur, ejusmodi ſunt, ut piaculum ſit, quidquam in eis, quod verum non ſit, pro vero credidiſe. Sed tamen quis eum mendacii accuſat? Vopiſcus. Quid iſte Vopiſcus, quid hominis eſt? Quidam Suetonii ſimius, longe tamen ab eo diſtans: qui, cum ſe aliquem videri vellet, affirmavit, neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertineret, non aliquid eſe mentitum: gloriatusque eſt, multa ſe prodidiſe, in quibus Livius, Salluſtius, Cornelius Tacitus, Trogus, manifeſtis teſtibus convincerentur. Magna hujus, quisquis eſt, Vopiſci felicitas: nemo unquam tam curioſe in ipſius mendacia inquiret. Sed tamen quis hoc praeſtare auſit, iis, quae hoc hominis ſomnium in tam luculentis ſcriptoribus reprehenderet, veriora eſe ea, quae ipſe cum ſuis teſtibus protuliſet? Quis autem unquam hiſtoriae ſcriptor hanc notam effugere potuit? Non tantum

(*) *Sellariam*, vel, ut Oudendorpio placet, *ſellaria* commemorat Suetonius Tib. 43. non *cellarios*.

res certe & consideratiores efficient. Ex illa perpetua simulatione Tiberii, ex illo vultu ac sermone alia omnia, quam quae cogitabat, prae se ferente, discemus caute cum Principibus agere, neque semper illorum vultui ac blanditiis fidere. Discemus, quae Principes occulta esse volunt, ea, etiamti sciamus, nescire, neque altius, quam ipsi velint, in eorum arcana penetrare. Juvabit in Sejano videre, quam in lubrico sit eorum potentia, qui se malis artibus apud Principes omnia posse rentur: quamque saepe, ubi diu in alios contumelioſe debacchati sunt, & praecipites decidant ipsi, & alios in idem exitium trahant. Sic ipsa quoque improba exempla proderunt. Sed de his satis. Istos autem satis mirari non possum, qui, ubi de Tacito agitur, Suetonium nominare (*) audent. Nihil equidem detrahendi studio dicam: longe enim id & ab ingenio & ab consuetudine abhorret mea: neque is scriptor est Tacitus, cui gloria ex aliorum vituperatione quaerenda sit: sed inter eum & Suetonium nimium quantum interest. In Suetonio nihil est, ex quo ejus aut prudentiam, aut eloquentiam, aut eruditionem ullam eximiam agnoscas. In Tacito quid horum emineat, ideo difficile dictu est, quia eminent omnia. Suetonium certe nemo unquam veterum aut inter eruditos, aut inter disertos nominavit. At Tacitus habitus est aetatis suae sine controversia eloquentissimus, &, quae virtus Demosthenis maximam inter Graecos gloriam peperit, quam illi δεινότητα appellant, eam, ut propriam & peculiarem, Tacito tribuunt omnes. Eloquentissimum quidem illum vocat Plinius, & illud eximium in eo fuisse ait, ut σημεῖα diceret. At Suetonium S. Hieronymus laudat. Magnum testimonium, si laudat. Non enim sanctitate tantum Hieronymus, sed & eruditione & judicio praestitit. Quomodo igitur laudat? Eadem libertate scripsisse eum ait Caesarum vitas, qua ipsi vixerunt. Non magna laus, si laus est: sed ego laudem esse non puto. Quid enim laudis habet, cum Caesares in summa licentia atque impudentia vixerint, orationis turpitudine ipsorum flagitia aequasse, quaeque illi perpetuis tenebris operienda patrarant, ea nu-

(*) Scio, quid Oratori liceat. Sed hoc judicio nihil iniquius vidi. Suetonium defendit Checcotius in Praef. p. 17. bene judicans, Muretum in Hieronymi testimonio calumniari.

nudis & praetextatis verbis in lucem & in aſpectum hominum protuliſſe? Itaque nihil apud Suetonium frequentius legas, quam exoletos, & ſpintrias, & cellarios (*), & nubentem Neroni Sporum, Doryphoro Neronem; voces etiam, quas in illis flagitiis miſerint, quaſi haec ſcire, poſterorum intereſſet: quorum commemoratione non ſcriptorem modo, ſed ipſas chartas erubeſcere oportebat: cum haec interim ita ſubtiliter ac particulatim perſequitur, ut docere voluiſſe videatur. In Tacito nihil ſimile reperias. Talia aut praeterit, aut ita ſignificat, ut odiſſe & abhorrere videas, non, ut illum alterum, cupide in eis immorari. Inter Vopiſcos igitur, & Spartianos, & Lampridios, & ejusmodi vitarum ſcriptores, Suetonius emineat, illa ſe jactet in aula; hoc ceteris melior, quod, aetatis beneficio, melius quam illi Latine loquitur: ad Taciti quidem gloriam aſpirare, aut ſe cum eo conferre ſi voluerit, omnium eruditorum convicio vapulabit. Equidem quod ad me attinet, Suetonii lectionem non minus, quam Catulli aut Martialis, adoleſcentibus perniciosam, etiam confirmatae aetatis viris periculoſam puto. At mendax eſt in hiſtoria Tacitus. Mitto quod, ſi hoc maxime conſtaret, eum hiſtoricorum more aliquid interdum eſſe mentitum, non tamen id valde nobis curandum eſſe arbitrarer. Non enim, quae ab eo narrantur, ejusmodi ſunt, ut piaculum ſit, quidquam in eis, quod verum non ſit, pro vero credidiſſe. Sed tamen quis eum mendacii accuſat? Vopiſcus. Quid iſte Vopiſcus, quid hominis eſt? Quidam Suetonii ſimius, longe tamen ab eo diſtans: qui, cum ſe aliquem videri vellet, affirmavit, neminem ſcriptorum, quantum ad hiſtoriam pertineret, non aliquid eſſe mentitum: gloriatusque eſt, multa ſe prodidiſſe, in quibus Livius, Salluſtius, Cornelius Tacitus, Trogus, manifeſtis teſtibus convincerentur. Magna hujus, quisquis eſt, Vopiſci felicitas: nemo unquam tam curioſe in ipſius mendacia inquiret. Sed tamen quis hoc praeſtare auſit, iis, quae hoc hominis ſomnium in tam luculentis ſcriptoribus reprehenderet, veriora eſſe ea, quae ipſe cum ſuis teſtibus protuliſſet? Quis autem unquam hiſtoriae ſcriptor hanc notam effugere potuit? Non tantum

(*) *Sellariam*, vel, ut Oudendorpio placet, *ſellaria* commemoret Suetonius Tib. 43. non *cellarios*.

tum apud Theopompum, & apud Herodotum, hiſtoriae patrem, dicuntur eſſe innumerabiles fabulae: ſed & ipſe Thucydides, qui ea ſcripſit, quibus interfuerat, mendacii a nonnullis accuſatur. *Thucydides quoque*, ait Joſephus libro primo adverſus Apionem, *ut multa mentitus, a nonnullis accuſari ſolet: qui tamen accuratiſſimam rerum temporibus ſuis geſtarum ſcripſiſſe hiſtoriam videtur.* Aut igitur ne hoc Tacito noceat, aut Thucydidi quoque, & Livio, & omnibus denique hiſtoriarum ſcriptoribus noceat. At Tertullianus, non, ut Vopiſcus, aliqua Tacitum mentitum eſſe dicit, ſed eum mendaciorum loquacisſimum vocat. Hoc loco peto a vobis, ut me quam poteſtis, attentisſime audiatis. Eadem enim opera & ad id, quod ex Tertulliano adfertur, reſpondebo, & id, quod Tacito graviſſimum objicitur, diluam: eum religioni noſtrae inimicum atque infenſum fuiſſe. Ea in vetuſtiſſimis illis verae ac ſalutaris religionis noſtrae proſeminatoribus ac propagatoribus pietas fuit, (quae utinam etiam hodie in omnibus nobis eſſet!) nihil ut ferrent, nihil auribus acciperent, quod Chriſtianum non eſſet; quae cum Chriſtiana pietate pugnarent, ea omnia reſpuerent, rejicerent, averſarentur, exſecrarentur. Tertullianus igitur, qui quaedam apud Tacitum legisſet adverſus Chriſtum ipſum, Deum ac Dominum noſtrum, & adverſus Chriſtianos impie dicta, quasdam etiam fabulas, quae tum de ſanctisſimo viro Moyſe, deque religione Judaeorum, vulgo inter imperitos & veritatis ignaros circumferebantur, ad ea reſpiciens, Tacitum mendaciorum loquacisſimum vocavit: eademque res magnam Tacito apud multos conflavit infamiam. Sed nos ſi hoc tempore nihil legendum putamus, niſi quod cum Chriſtiana religione conſentiat, omittamus ſane omnes illos veteres Graecos Latinosque ſcriptores. Exulet a Chriſtianorum ſcholis Homerus, exulet Heſiodus, & uno verbo, omnes antiqui poëtae. Nemo eſt enim ex illis, qui non deorum infinitam quandam multitudinem inducat. Nemo Platonem attingat: ejus enim ſtudio depravatus eſt Origenes; & fortaſſis ex eodem fonte fluxere Manichaei. Nemo Ariſtotelem legat, qui quae de mundi aeternitate, quae de hominis animo diſputat, eis nihil poteſt Chriſtianae religioni magis eſſe contrarium. Repudientur Ciceronis cum pleraque alia, tum libri praecipue de fato, de divinatione,

one, de natura deorum: manifesta enim impietatis & ἀθεότητος semina continent. At illi vixerunt antequam Christus nasceretur: ideoque eis facilius ignosci potest. Primum, si opus sit, docere possim, hanc excusationem non valde ad id quod agitur pertinere. Non enim si antiquiores fuerunt, idcirco minus pravas opiniones inferre in animis legentium possunt. Sed demus hoc aliquid esse. Tollatur igitur Suetonius: in Nerone enim de Christianis contumelioſe & impie scripsit. Non legantur epistolae Plinii: ostendunt enim eum non tantum abhorruisse a religione nostra, sed etiam judicia exercuisse adversus Christianos, & eorum nonnullos adhibitis tormentis ad ejurandam Christi militiam compulisse. Deleatur gravissimus & utilissimus scriptor, Plutarchus: easdem enim, quas Tacitus, de Moyse & Judaeis fabulas habet. Quintilianum rhetoribus adimamus: contumelioſe ipse quoque de Moyse loquitur. Jurisconsultis Ulpianum: librum integrum scripsit de poenis, quibus Christiani afficiendi forent. Philosophis Porphyrium, Simplicium, Averroëm: quis non eorum se Christiani nominis hostem profesſus est? Medicis Galenum, historiarum studiosis Ammianum Marcellinum, Eunapium, Zosimum: omnes hi alieno a Christianis animo fuerunt, idque scriptis suis testatum ac consignatum reliquerunt. Quodsi eos non tamen propterea rejicimus: quid in Tacitum iniquiores esse volumus? An quisquam nostrum ita infirmus est, ut periculum sit, ne in fide Christiana titubare incipiat, si Tacitum Christianum non fuisse cognoverit? Doleamus potius illius vicem, & grati adversus Deum simus, qui animos nostros majori luce perfuderit. Restant duo ex iis, quae Tacito ab imperitis objici solere dixi: quod obscurus & asper in scribendo sit, & quod male Latine loquatur. Equidem cum istos de obscuritate Taciti querentes audio, cogito, quam libenter homines culpam suam in alios conferant, quantoque facilius omnia alia accusent, quam semetipsos. Simul mihi venit in mentem senis cujusdam, de quo urbane Seneca narrat, eum, cum aetatis vitio minus commode oculis uteretur, in quodcunque cubiculum ingressus esset, dicere solitum, illud parum luminosum esse: majores fenestras fieri oportuisse. Habeo & ipse, utinamque diu habeam, amicum, hominem inprimis eruditum, ita senem, ut annos prope jam, quemadmodum

dum ait Juvenalis, dextra computet. Is cum ſurdaſter aetate factus ſit, ſaepe mecum vero ac ſerio queſtus eſt, pravam conſuetudinem inoleſcere: homines quotidie ſummisſius, quam ſolebant, loqui. Idem hic quoque evenit. Qui ipſi tenebras in oculis circumferunt, obſcuritatem Taciti accuſant. At aſper eſt, inquit alius: & Alciatus, amicum ſibi hominem Jovium laudans, non eſt veritus vocare hiſtorias Taciti ſenticeta. Ejusdem plane judicii fuit laudare Jovium, & Tacitum vituperare. Nihil tam diſſimile, quam inter ſe hi duo. Non diſplicere non poterat Tacitus, cui tanto opere Jovius probaretur. Quomodo autem potuit homo tam teneris pedibus tam multa ſpatia per Taciti vepreta conficere? Nos vero huic molli ac delicato culcitam ſubſternamus & pulvinos roſae ac violae plenos: eique a Deo precemur, ut quicquid calcaverit hic, roſa fiat. Videre mihi videor meretricem Terentianam in coena pitiſantem, & dicentem:

aſperum,
Pater, hoc eſt: aliud lenius ſodes vide.

Ferat huc ocyus aliquis calicem mulſi, ut fiere pupus hic deſinat, & contractam ex Taciti aſperitate moleſtiam levet. Offeramus ei aliquid Jovii, qui ſe oblectet. Is enim mollis totus eſt, neque quicquam habet aſperitatis illius, quae iſtum in Tacito offendit. Non fluit modo, ſed & diffluit. Sic erant olim, qui Virgilii verſus, ut horridos ruſticanosque, culparent, magisque probarent illa molliora & lenius cadentia,

Berecynthius Attis,
Et raptum vitulo:

noſtis cetera: recitare enim piget, &, ut iſti ad aſperitatem pavent, ſic ego ad ineptias nauſeo. Infanti melimela: mihi autem miſceatur crater ille πιπίζων. Sed iſtae fatuae de Tacito conqueſtiones aſſecutum eſſe eum, quod volebat, oſtendunt. Imitandum enim ſibi Thucydidem propoſuerat, ejusque ſe in ſcribendo ſimillimum eſſe cupiebat. In Thucydide autem & obſcuritas & aſperitas notatur a Graecis, & utraque inter virtutes illius, non inter vitia numeratur Quamquam enim nuda & perſpicua oratio delectat, interdum tamen in ſcribendo certi cujusdam gene-

generis laudatur obſcuritas, quae orationem a vulgari loquendi conſuetudine abducens, ex ipſa peregrinitate dignitatem ei majeſtatemque conciliat, & attentionem legentium continet. Hoc quaſi velum eſt, quod profanis obtenditur. Sic templa ſubluſtria ingredientes ſacro quodam horrore perfundunt. Aſperitas autem illa idem plane eſt, quod in vino amarities; quae in quo eſt, id optime ferre vetuſtatem putatur. Eam Graeci ita eſſe in Thucydide perpetuam notarunt, ut, cum ille in piaculi Cylonii narratione aliquid ex ea de induſtria remiſiſſet, leonem riſiſſe (*) dicant. Sequitur poſtrema reprehenſio eorum, qui, cum Tacito cetera concedant, male eum Latine locutum dolent: cujus calumniae Andreas Alciatus & Aemilius Ferretus, quorum tamen uterque multum operae ad illuſtrandum Tacitum contulerat, primi auctores fuerunt. Quodſi ipſi tam bene Latine ſcripſiſſent, quam ſibi videbantur, nonnihil fortaſſe nos illorum commoveret auctoritas. Nunc cum uterque eorum nonnulla quidem ita ſcripſerit, ut eadem Venus, eadem Suadela, quae in Bartoli labris ſeſitaverat, horum quoque labris inſedisſe videatur: in quibus autem cultiores ac comptiores eſſe voluerunt, oſtenderint tamen, ne quid gravius dicam, ſe aliarum rerum, quam deliciarum Latini ſermonis, intelligentiores fuiſſe: quid eſt, cur quisquam, eorum de re, in qua non multum ſtudii poſuerant, judicium magni faciat? Boni Jurisconſulti fuerint: nihil enim impedio: Latinitatis certe non admodum idonei exiſtimatores fuerunt. *εὖ ἄρα πως ἦν, Ἐν πάντεσσ' ἐτέτοισι δαήμοσι φῶτα γενέσθαι.* Audacter, dicet aliquis, de talibus viris judicas. Audacius ipſi de Tacito judicarunt. Qui autem nos ſumus, ſi omnes in unum conferamur, quicunque hac tempeſtate Latine loqui videmur, ut de ſcriptore ſapientiſſimo, natoque iis temporibus, quibus adhuc Romana lingua florebat, (plane enim floruit usque ad Hadrianum,) habito diſertiſſimo aetatis ſuae, ſequius judicare audeamus? At aliter loquitur, quam aut Cicero, aut Caeſar. Credo: aliud enim dicendi genus adamarat. Ne Ciceronis quidem tempori-

(*) Scholiaſtes Thucydidis ad I. 126. Τὸ διαγέλασε τὸ κατὰ τὸν Κύλωνα τὸν ταῦτα τινὲς θαυμάσαντες, εἶπον ὅτι Αἴων ἐγέλασεν ἐνταῦθα. Ex quo loco Αἴων, tanquam vetus ſcriptor, in Indicem Auctorum, qui a Schol. laudantur, ridicule relatus eſt.

poribus, omnes, qui diſerti habebantur, Ciceroniani erant. Multa in Cicerone Brutus, multa Calvus, multa Pollio, quaedam etiam Atticus, non probabant. At multis vocibus, multis loquendi generibus utitur, quibus veteſtiores uſi non erant. Primum quae hac in re culpa eſt? Non Cicero & multa novavit ipſe, & aliis, ut alia novarent, auctor fuit? Cujus eſt illud praeclare dictum? *Quod Catoni licuit, id cur non liceat Varroni?* Licet huc addas: Quod & illis & aliis licuit, cur non licuerit Tacito?

> *Ego* (ait Horatius) *cur acquirere pauca,*
> *Si poſſum, invideor? cum lingua Catonis & Enni*
> *Sermonem patrium ditaverit: & nova rerum*
> *Nomina protulerit.*

Nobis hodie minor ejus rei licentia eſt, qui Latinam linguam non aliunde quam e libris petere poſſumus. Illi ſolutiores ac liberiores, quorum etiam nutrices Latine loquebantur. Deinde quis hodie pro certo affirmare audeat, cum tanta veterum ſcriptorum facta jactura ſit, ea, quae quibusdam apud Tacitum nova videntur, non apud veteres quoque in uſu fuiſſe? Si quis hodie in Germania aut in Polonia natus, qui Italiam nunquam vidiſſet, nunquam hominem Italum loquentem audiiſſet, paucos tantum quosdam libros Etruſco ſermone ſcriptos legiſſet, eosque utcumque intellexiſſet, & omnium vocularum, quae in eis legerentur, indicem confeciſſet, deinde incideret in aliquem Florentiae natum, & educatum, qui inter cives ſuos diſertiſſimus haberetur, & eum notare vellet tanquam male loquentem, quod quaedam diceret, quae ipſe in illis paucis libris, & in illo ſuo praeclaro indice non haberet, quis noſtrum in tali ſpectaculo riſum tenere poſſet? Atqui nihilo minor noſtra ſtultitia eſt, qui in tanta veterum ſcriptorum diſperditione, tam longo temporum intervallo, tanta Latini ſermonis oblivione & ignoratione, optimae notae ſcriptores damnare non veremur: quorum coqui & muliones multo melius, quam omnes nos, Latine & intelligebant, & loquebantur. Sed hunc ſermonem nimis in longum duci video. Ego vobis hoc omni adſeveratione confirmo, multa in Tacito nova iſtis videri, quae ex ultima antiquitate repetita ſunt, quaeque

que apud Catonem, Varronem, Salluſtium, quaedam etiam apud Ciceronem ipſum, leguntur; quaedam fortaſſis novata, ſed ita ut elegantius non potuerint; quaedam parce ex Graeco fonte detorta, quibus oratio ipſius, tanquam modice aſperſo ſale, ſuaviſſime condiatur. Et hoc quoque habet ſimile Thucydidis, in quo Graeci Critici quasdam voces antiquas, quasdam ab ipſo cuſas & novatas notant. Executus ſum omnia, quae propoſueram. Quodſi docui, & Tacitum in pulcerrimo argumento eſſe verſatum, & fruſtra fidem illius in dubium vocari; neque debere nos abſterreri ab eo legendo, quod iniquus Chriſtianis fuerit; & puerile eſſe, quod quidam de obſcuritate ipſius & aſperitate conqueruntur; & deſipere, qui eum male Latine locutum putant: quaeſo obteſtorque vos, ne oblatam vobis hoc tempore evolvendi praeſtantiſſimi ſcriptoris occaſionem, fruſtra eam fortaſſis olim deſideraturi, amittatis.

CUM

PERVENISSET AD ANNALIUM LIBRUM TERTIUM.

ORATIO XV.

habita Romae III. *Non. Novembr.*

MDLXXXI.

Quotannis mihi evenire conſuevit, auditores, ut, cum poſt illam ſollemnem quatuor menſium vacationem, quae nobis ob aeſtivos calores tribui ſolet, redeundum eſt ad munia, torpeat animus, titubet lingua: ut neque quid dicam, facile reperire poſſim; &, cum quid reperi, verba quibus id explicem, abdere quodammodo ſe ac refugere, non, ut prius, ultro ſe offerre, & ſuapte ſponte fluere ac decurrere videantur. Id ſi mihi evenit, qui & quadraginta propemodum annos in hoc publico dicendi ac docendi munere verſatus ſum, & id ipſum tempus, quod

ad otiandum conceditur, ita conſumo, vere ut dicere liceat, nunquam me minus otioſum eſſe, quam cum maxime eſſe licet otioſo: quid putatis evenire iis, qui, ut alia omnia majora habeant, uſum quidem certe tantum in dicendo non habent? Neque me fugit, hac in re culpam videri aliquam poſſe etiam ingraveſcentis aetatis, quae, decreſcente in dies naturali calore, ſpiritus quoque ipſos torpore quodam alligat, nec corpus modo, ſed & ingenium ſegnius reddit: ſed tamen, dum ſuperioris vitae curſum relego, recordor, quod nunc ſeni contingit, idem fere, jucundum cum aetas florida ver ageret, contigiſſe. Satius igitur, & magis ingenui animi fuerit, culpam nusquam alio derivare, ſed, ut Graeci dicunt, αἰτιᾶσθαι τὸ αἴτιον, & fateri, illud quicquid eſt incommodi ac difficultatis, non aliunde, quam a nimis diuturna ceſſatione proficiſci. Quid enim? nonne idem etiam adoleſcentibus evenit? Qui ſi aut pilae luſu, aut armorum tractatione, aut equitatione, aut aliis, quibus aetas illa ducitur, unum aut alterum menſem abſtinuerint; ea cum repetunt, primis illis diebus, neque corpus eadem, qua prius, agilitate flectere ac movere poſſunt: &, quibus magiſtros antea provocabant, ad ea rudes accedere, eaque tum primum diſcere ac meditari videntur. Qui ſermo ob eam cauſſam a me hoc tempore ſuſceptus atque inſtitutus eſt, adoleſcentes, vos ut commonefaciam, quantum adſiduitas profit, quantum intermiſſio noceat. Illa vires aluntur ac gliſcunt: hac carpuntur, ac deteruntur. Illa te quotidie paullatim proficere ac progredi ſentias: hac non paullatim, ſed magno impetu retro referri, & in pejus ruere animadvertas. Non enim eadem celeritate diſcimus, qua obliviſcimur. Ut qui ex alto aliquo puteo aquam haurit, ubi magno molimine ſitulam prope ad os putei evexit, ſi paullum modo funem laxaverit, it ſitula, & deorſum concitatiſſimo lapſu provolvitur: ſic qui multis vigiliis, multisque ſudoribus aliquam ſibi facultatem in hoc ſtudiorum genere comparavit, ſi tantillum de ſolita contentione remiſerit, peſſum it quicquid partum erat, *longique perit labor irritus anni.* Neque enim ſubſiſtere ſaltem licet, quod, ut in malis, tolerabilius foret: ſimul atque progredi deſieris, regrediaris neceſſe eſt. Pecunia ſi otioſa jaceat, ut non creſcat, certe non imminuitur, neque quidquam aliud domino perit, quam quod lucri fieret ea occupata. At in artium noſtrarum

rum ſtudiis ſi quam temporis partem languori ac deſidiae dederis, non id modo perdis, quod interea diſcere potuiſſes: ſed bona magnaque pars eorum, quae jam didiceras, evolat. Agricolae, ne continua ſatione emacient ſolum, tonſas, ut poëta loquitur, novales alternis ceſſare patiuntur: agrique, qui hoc modo interquieverunt, uberiores ex ſe fruges efferre ſoliti ſunt. Alia ingeniorum ratio: nihil ea magis lactificat, quam avidus & inexpletus exactor: ceſſatione ſterileſcunt. Ergo ut in levioris operae ſtudio proditum eſt, egregium artificem nunquam ſolitum praetermittere ullum diem, quin lineam duceret: ſic eloquentiae laudem ambienti praecipit M. Fabius, quotidie dicendum eſſe aliquid, & quidem audientibus doctis. Sed relanguit jam pridem hominum induſtria; reſtinctus eſt vetus ille ad honeſtas artes ardor animorum; nobiles illae exercitationes, quibus apud antiquos, laudabili aemulatione, juvenes inter ſe de conſequendo eruditionis ac ſapientiae principatu contendebant, ita ex uſu & conſuetudine ſublatae ſunt, ut earum vix umbram ac veſtigium retineamus. Ut igitur Virgilius ait, minora in dies produci hominum corpora, quam antiquis temporibus fuerint: quod & tanto ante Homerus dixerat: ita videmus, eruditionem hominum quotidie decreſcere; ut illi hodie ordines ducant, qui olim vix in gregariis militibus locum obtinere potuiſſent. Nam ut illos heroas omittam, Platonem, Xenophontem, Ariſtotelem, Theophraſtum, qui mihi videntur immenſitate quadam ingenii omnem rerum naturam complexi, non tantum ſupra aequales ſuos extitiſſe, ſed etiam poſteris omnem conſequendi ſui ſpem ſuſtuliſſe: quis poſt Plutarchum extitit, qui verae ac ſolidae eruditionis copia & varietate ita cum eo comparari queat, ut non longiſſimo intervallo abfuturus ab eo ſit, quemcunque illi proximum eſſe volueris? Quem ille poëtam veterem, quem oratorem, quem hiſtoriae ſcriptorem non ita triverat, ut edidiciſſe videretur? Quam philoſophiae partem non ita tractaverat, ut nemo poſtea tantum in una eminuerit, quantum ille in omnibus? Nam quod quidam nuper magni in vulgus nominis, ſed non magni pretii medicus in quodam inſulſo ac ridiculo libro ſuo dicere auſus eſt, Plutarchum grammaticum modo, non etiam philoſophum fuiſſe, uſus eſt videlicet ea libertate, quae inſanis tribui ſolet, ut, cum quidlibet in quem-

libet dixerint, nemo laboret. Oſtendit cerebrum ſuum, ſi quod mŏdo illi cerebrum erat, medico eguiſſe, cum illa ſcriberet. Sed ut abeam a Plutarcho, quem ſua magnitudo extra telorum jactum poſuit, ut, qui eum allatrant, canum lunam allatrantium ſimiles eſſe videantur: eum igitur ut omittam, & paullatim ad tempora noſtra propius accedam: quis poſt Claudium Galenum fuit, qui ad illius aut admirabilem in omni genere doctrinam, aut ſingularem eloquentiam acceſſerit? Quis multis jam annis philoſophus veterum Ariſtotelis hypophetarum, Alexandri, Ammonii, Themiſtii, Simplicii, & talium, aut acumen ingenii, aut doctrinae abundantiam, aut orationis dignitatem adaequavit? Qui, cum de rebus in naturae obſcuritate retruſis ac reconditis ita diſſererent, ut ſe a vulgo quam longiſſime abducerent, tam multis quaſi gemmis multiplicis ac variae eruditionis diſtinguebant atque illuminabant diſputationes ſuas, ut etiam qui a ſeveritate philoſophiae abhorrebant, ipſo tamen dicendi genere caperentur. Themiſtii quidem orationes dum lego, nullum ei ſophiſtarum, qui hoc unum agebant, ut compte ac polite dicerent, antepono. At hodie plerique eorum, qui ſe pro philoſophis venditant, cum ea docent, quae cum didiceris, duplo ſtultior ſis quam priùs: tum in dicendo ita ſunt hiſpidi atque agreſtes, ut eos illud quicquid eſt pinguium litterarum, in culina, non in ſchola, didiciſſe arbitreris. Adhuc de Graecis loquor: & fuit ſane laus haec mundioris ac nitidioris doctrinae perdiu Graecorum propria. Illic elegantiae ſedes, litterarum domicilium, muſeum orbis, eruditionis emporium, Muſarum ac Gratiarum omnium auguſtiſſimum quoddam ſacrarium fuit usque eo, dum miſera gens ultione, ut opinor, divina, quia ſe ab Eccleſiae Romanae obedientia, id eſt, a Chriſti jugo ſubduxerat, ab impuriſſimo tyranno (*) ſub jugum teterrimae ſervitutis redacta eſt. Ex illo tempore obmutuerunt illae luſciniae, quae caelum ac terras cantu ſuo mulcebant; conticuit vocalis ille Sirenum chorus; illi nitidis-

(*) Forte Muretus ſcripſit, *importuniſſimo tyranno*, ut Cicero & Livius loquuntur. Vulgatum tamen explicari poſſe fateor. Ceterum hic locus habet turpem Pontificis Romani adulationem, etiam contra hiſtoriae fidem. Graecos enim, ante imperium ſuum everſum, in barbariem lapſos eſſe, quis eſt, qui neſciat?

tidisſimi fontes, qui totum hominum genus elegantiore doctrina irrigabant, exaruerunt. Romani & ſerius attigerunt litteras, &, ſi verum amamus, aliis rebus, melioribus forſitan & praeſtantioribus, (nihil enim impedio, ſed certe aliis,) occupati, minus operae ac ſtudii ad philoſophiam, & ad totum hoc manſuetiorum artium genus contulerunt. Neque non tamen hi quoque habuerunt ſuos, qui planum facerent, hominibus noſtris ad Graeciam hac quoque in parte adaequandam, non tam ingenium, quam voluntatem defuiſſe. Et hac quidem, quam dico, eruditionis copia & varietate duo praecipue commendantur a veteribus, P. Nigidius Figulus, & M. Terentius Varro. De quibus, quanti fuerint, eo minus judicare poſſumus, quod alterius prope omnia, alterius plane omnia ſcripta perierunt. Tanta fuit in hominibus inſequentis aevi ſocordia, tanta caecitas perverſitasque judicii, ut, cum multa ſtudioſe ac diligenter conſervata ſint, quae perire praeſtiterat, ea perierint, ex quibus plurimum utilitatis percipi poterat. Sed ex iis, qui ſuperſunt, duos praecipue admirari ſoleo, philoſophum Senecam, & naturalis hiſtoriae ſcriptorem Plinium. Quorum ille, cum ſe Stoicorum ſectae addixiſſet, non tamen ceteras philoſophorum diſciplinas neglexit, neque Zenone, Chryſippo, Cleanthe, Panaetio, ceterisque ſuis contentus fuit: nec illos modo majorum gentium, Democritum, Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, ſed hos quoque minutos, &, ut cavillator aliquis vocaverit, patellarios philoſophos, Epicurum, Metrodorum, aliosque ex eadem popina, & iisdem hortis, ita verſavit, ut quicquid boni ex eorum unoquoque aut ad orationis ornatum, aut ad obſcurarum & involutarum rerum intelligentiam, aut ad vitam moresque formandos exprimi poterat, id omne ſumma diligentia excerptum, libris ſuis aptiſſime & elegantiſſime inſperſerit. Cumque Stoicorum, qui ante eum fuerant, arida, ſtrigoſa, & impolita, & quaſi dumis ac vepribus obſita haberetur oratio, ipſe contra in ea comenda, pectenda, polienda ita exquiſitus & accuratus fuit, ut nimius in eo cultus ac luxuries reprehenderetur. Neque ulla magis alia res Quintilianum, gravem alioqui & ſapientem ſcriptorem, adduxiſſe videtur, ut de Seneca minus honorificum judicium faceret, quam quod iniquo animo ferebat, immodico illius amore, veteres Oratores juventuti excuti

de

de manibus, ipſumque, quod ne Seneca quidem voluiſſet, plerisque jam prae eo ſordere Ciceronem. Nam illud alterum hominis ſomnium, ſive Gellium (*) eum, ſive Agellium vocari placet, qui voluit ipſe quoque attollere ſe, & neſcio quid de Seneca loqui, nulla re magis, quam contemptu ac ſilentio, refutandum arbitror. Injuriam facit Senecae, ſi quis pro eo tam infirmis obtrectatoribus reſpondendum putat. Illum vero promum condum rerum omnium ſcitu dignarum, illud receptaculum ingenuarum artium, illum eruditionis Oceanum, C. Plinium, quis unquam ſatis pro dignitate vel admirari, vel celebrare poterit? Qui nullum unquam librum vidit, quem non legerit; nihil cognitu dignum legit, quod non excerpſerit; nihil excerpſit, quod non in litteras retulerit. Itaque unum ipſius opus, quod de plurimis extat, naturalis hiſtoriae, inſtar ingentis bibliothecae videri poteſt. Sed quo admirabilior & praedicatione dignior illorum induſtria eſt, eo magis accuſanda noſtra omnium ignavia: qui tot adminiculis fulti, tanta librorum copia inſtructi, tot tamque illuſtribus exemplis ad imitandum propoſitis, torpemus tamen, & in inerti atque inglorio conſeneſcere otio malumus, quam per illorum veſtigia gradientes, explere animos noſtros illo ſuaviſſimo paſtu cognitionis ac ſcientiae, & quanto homines ceteris animantibus antecellunt, tanto ſupra vulgus hominum eminere. Non amamus litteras, auditores, non amamus ſtudia doctrinae; nihil altum, nihil arduum, nihil glorioſum cogitamus; quod ſi faceremus, jungeremus noctes diebus, noctibus dies, & diſcendi cupiditate incenſi, omnes corporearum voluptatum illecebras, omnem laboris aſperitatem prae doctrina contemneremus. An mercatores opum parandarum gratia, tam multas, tam longinquas, tam periculoſas peregrinationes ſuſcipiunt; domum, uxorem, parentes, liberos relinquunt; ventis, fluctibus, piratis ac praedonibus vitam ſuam committunt; perpetuum prope ſibi exilium indicunt: nos, ſi ita ſapientiam amaremus, ut illi opes amant, ullum ejus comparandae cauſſa laborem refugeremus? Venatores in nive pernoctant, famem, ſitim, frigus, vigiliam ferunt, cum apris, cum urſis, aliisque indomitae feritatis animalibus de vita ſaepenumero decernunt

(*) Gellium defendit Checcotius in Praef. p. 16.

nunt ac dimicant: nos, si quanto illi ad praedam, tanto ad eruditionem ardore ferremur, ullam nobis, ne ad eam perveniremus, difficultatem obstare pateremur? Insanum ac libidinosum adolescentem, cum ad puellam, quam amabat, aliter pervenire non posset, singulis noctibus mare illud, quod Europam ab Asia dividit, natando transire solitum accepimus. Quod in eo stulta & inconsulta cupiditas potuit, ut, dum potiretur amoribus suis, nihil tanti putaret: cur idem in nobis amor virtutis ac scientiae, si eam vere & ex animo amaremus, non efficeret? Ita est profecto, ut dicam (*), auditores. Nihil amori difficile, nihil arduum, nihil impervium est. Neque illi poëtae frustra alas addiderunt. Volat, si quo aliter perveniri non potest. Sed amor sapientiae nullum vestrum ad ossa tetigit, nulli vestrum medullam animae facibus suis perusit. Quid, quaeso, est? quid iste sibi quorundam fremitus vult? Aequo animo accipietis istam contumeliam, juvenes, an mendacii coarguere ac convincere me connitemini? Utinam velitis, carissima mihi capita! posse enim scio. Utinam vobis Deus istam mentem immittat, ut quasi coitione quadam ac conspiratione facta, mecum hoc anno contendere instituatis, plusne ego laboris & operae ad docendum, an vos studii & alacritatis ad discendum conferatis! O insuavem mihi & injucundam pugnam, si vicero: acceptam & exoptatam, si victus discessero. Habituri autem sumus hujus certaminis nostri agonothetam, Gregorium Pontificem modis omnibus maximum: qui, ut Achilles Homericus praemia & victoribus ponit & victis, ita ipse, pro suo erga honestas artes incredibili amore, & vobis, si vincetis, & mihi, si vincar, ampla praemia constituturus est. Quamquam ego quidem, dum vos victores videam, nullum mihi aliud praemium posco: plus enim jam pridem sum illius inexhausta liberalitate, quam quantum promerebar, consecutus. Tu vero, Paule Foxi, vir & generis nobilitate, & splendore vitae, & dignitatis gradu, & virtute atque doctrina illustrissime, suscipe patrocinium nostrum. Confirmato sanctissimo seni, & floridissimam hanc juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem vides, tum ipsius virtutis pulcritudine invitatam, tum tuo ac tui similium exemplo incitatam, flagrare studio earum artium, quarum ipse praecipuus

(*) Imo, *ut dico.*

puus fautor eſt; & me, quamquam aetate jam ad ſenium inclinata, & quietis aliquid, poſt confecta tam multa ſtipendia, poſtulante, moriturum potius, quam commisſurum, ut tam prolixae ipſius ac beneficae erga me voluntati per ignaviam & fugam laboris parum reſpondisſe videar. Ite adoleſcentes: jam enim, ut diei tempus eſt, diutius detinendi non eſtis: curate animos: & craſtino die hac ipſa hora ad perſequendos mecum Taciti annales laeti atque alacres convenite.

CUM

INTERPRETARI INCIPERET EPISTOLAS CICERONIS AD ATTICUM.

ORATIO XVI.

habita Romae pridie Non. Novembr.

MDLXXXVI.

Ludere quibusdam fortasſis, & devexa jam in ſenium aetate, cauſam minuendi laboris quaerere videbor, qui usque antehac in graviſſimis praeſtantiſſimorum ſcriptorum libris, eorum qui ad me ventitabant, induſtriam exercere ſolitus, hoc anno Ciceronis epiſtolas ad Atticum mihi ſumpſerim interpretandas. Ita enim vulgo perſuaſum eſt, omnem epiſtolarum lectionem leve quiddam ac ludicrum eſſe, magisque ad pueriles animos aliquo litterarum guſtu imbuendos, quam ad retinenda graviorum virorum ſtudia accommodatum. De qua opinione, vera nec ne ſit, quaeremus poſtea. Nunc hoc dico: ſi maxime fatear, quaeſiiſſe me rationem aliquam, qua, ſine ulla utilitatis publicae deminutione, pars mihi laboris aliqua demeretur, qui tamen eo nomine me reprehendat, nimis eum agreſtem atque inhumanum fore. Nam cum me populus Rom. hos prope jam viginti annos viderit ita perpetuo mandatum mihi munus obeuntem, nemo ut unquam, qui

qui quidem hanc provinciam ſuſtineret, aut plures, aut graviores ſcriptores, aut majori omnium aetatum, omniumque ordinum concurſu interpretatus ſit: quae invidia fuerit, natu jam grandiorem, minusque in dies perferendis laboribus idoneum, mollioris ac remisſioris operae aliquid ſumere? Ut corporum, ſic & animorum non eaedem exercitationes omnem aetatem decent. Curſus, lucta, jaculatio, diſcus, harpaſtum juvenilibus viribus ac lacertis conveniunt: ſenibus apricatio, ambulatio, geſtatio, magis congruit. Veterani olim, quanquam ſub ſignis haberentur, graviorum tamen laborum immunes erant. Roſcius fabularum actor ita excellens, ut ex eo, quicumque artificio aliquo longe praeſtabat ceteris, in ſuo genere eſſe Roſcius diceretur: hic ergo Roſcius, cum ad ſenectutem pervenisſet, incidiſſe numeros (*) ac cantus, ipſasque remisſiores fecisſe dicitur tibias. Quod hiſtrioni licuit, cur honeſtisſimarum artium doctori non liceat? His & ejusdem generis aliis argumentis uterer, ſi, quod hujus factum eſt, mea cauſſa factum eſſe profiterer. Sed longe alia mihi mens fuit, cum hoc conſilium cepi. Judicavi, paucisſimos libros poſſe reperiri, ad praeſtandum id, quod a me exigitur, quodque ego omni ope efficere molior, accommodatiores. Certe enim mandatum mihi publice eſt, ut vos, quantum in me fitum eſt, ad eloquentiam informem. Recte autem & vere dicebat Caeſar, delectum verborum eſſe originem eloquentiae. Idemque multo ante eum Ariſtoteles docuerat, qui, cum elocutionis praecepta Graece traderet, primam illius virtutem eſſe dixerat Ἑλληνίζειν. id eſt, Graece ita loqui, ut oratio nihil barbarum, nihil inſolens, abſonum, peregrinum habeat, ſed & ſingularum vocum elegantia, & earum ſtructura ac collocatione, natam eſſe ſe in media Graecia oſtendat. Qui ergo Latina lingua eloquentes eſſe meditantur, iis hoc primum elaborandum eſt, ut Latine, pure, & quam maxime ex veterum Romanorum uſu ac conſuetudine loquantur. Nolite autem putare, laudem illam, quae quaſi ſanitate, & integrita-

te,

(*) Muretus imitatione ſua probaſſe videtur Lambini conjecturam in Ciceronem de Leg. I. 4. *Roſcius familiaris tuus in fenectute numeros in cantu ceciderat, ipſaſque tardiores fecerat tibias.* ubi vulgo editur, *cetinerat.* Sed nihil certi.

te, ac caſtimonia Latini ſermonis continetur, aut parvam, aut facile parabilem eſſe. Cum, poſt reſtitutas a Medicea potisſimum familia litteras, infinita quaedam vis extiterit hominum in omni genere eruditorum: cumque & noſtra & patrum memoria homines ſummis ingeniis praediti tam multam in Latine loquendi ſtudio operam poſuerint, ut id prope unum operis habere viderentur: paucisſimi tamen, quorum ſcripta, non dico ſermonis vitiis careant: nam hoc quidem illorum nemini contigit: ſed aliquam ſaltem priſcae illius & nativae Latinitatis imaginem contineant, extiterunt. Ut Graeci proverbio dicunt, multos eſſe, qui thyrſum ferant, ſed paucos Bacchos: ita multorum falſa quadam Latini ſermonis ſpecie inducta & oblita oratio eſt, paucorum Latina. Duo in Italia ſummi viri duces ceteris ad hanc laudem capeſſendam, & quaſi anteſignani fuerunt, Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus: qui etiam propter ejusdem ſtudii ſimilitudinem Chriſtophorum Longolium, Belgam, in deliciis prope atque in amoribus habuerunt. Non ita multo poſt magno in pretio fuerunt duo hujus facultatis praecipui doctores, Patavii quidem Lazarus Bonamicus, in hac autem urbe Romulus Amaſaeus: quorum in illo foecunditatem ingenii admirareris, diligentiam & accurationem (*) requireres; in hoc nihil admodum, quod ad boni & ex omni parte perfecti doctoris commendationem pertineret, deſiderares. Brevi igitur innumerabilis quaedam hominum multitudo per Italiam effloruit, qui illorum exemplo incitati, horum diſciplina ac praeceptis exculti, ad hanc bene Latine loquendi ac ſcribendi laudem incredibili ſtudio incumberent: cum & Venetiis Jovita Rapitius, & Patavii Benedictus Lampridius, & alii praeſtantes viri ſitienti juventuti fontes eloquentiae recluderent, & a principibus maximi honores iis, qui Latinam linguam egregie praeter ceteros callerent, proponerentur. Et tamen in tanto ardore animorum, tanta ingeniorum contentione atque aemulatione, tantis propoſitis praemiis, nemo adhuc ex-

(*) Malim, *curam*. Eſt quidem *accuratio* ſemel apud Ciceronem Brut. 67. Sed ſemel aut rarisſime dictis abſtinere, prudentius eſt, quod ſaepe accidit, ut talia, melioribus libris inſpectis, vitioſa reperiantur. Idem intelligi volo de vocabulo *attentio* apud Cic. de Orat. II. 35. quo Muretus uſus eſt ſaepius.

extitit, cui ſimpliciter & ſine ulla exceptione ea laus tribui poſſit, ut bene Latine ſcripſiſſe dicatur. Proxime quidem veterum gloriam acceſſerunt & ii, quos modo nominavi, & alii ſatis multi: neque immerito commendati ſunt aut is, qui pauca quidem ſcripſit, ſed in ſcribendo omnium politiſſimus, maximeque limatus, idemque ab omnibus ineptiis remotiſſimus fuit, Joannes Caſa, aut vir in ſcribendis epiſtolis Latinis ſingulari lepore ac venuſtate praeditus, Paulus Manutius. Qui tamen quemadmodum illud conſecuti ſunt, ut haec laus vere ac merito propria Italiae haberetur, eique ceterae omnes nationes ſcribendi elegantia facile cederent: ita illud negari non poteſt, multos naevos, multasque maculas, quod bona omnium venia dictum ſit, illorum omnium ſcriptis aſperſas eſſe, quae planum faciant, illos vidiſſe quidem quid optimum eſſet, & viam quae ad illud ferret ingreſſos longe proceſſiſſe: ſed longe tamen ab eo, quo intendebant, ſubſtitiſſe. Neque hoc eo dico, ut de ſummorum virorum gloria quidquam propterea detraham: quos & admiror ipſe, & ad eorum perſequenda veſtigia cohortari vos volo. Sed ut intelligatis, minime vulgarem eſſe eam laudem, quam tot ac tales viri, tantis laboribus, tantoque ſtudio, plenam tamen ac ſolidam conſequi non potuerint. Nunc quod dicturus ſum, nolim a quoquam durius accipi, ſed ita potius, ut profectum ab optimo erga vos animo, & a ſingulari quadam mea erga nomen Italicum voluntate. Qui enim in Italia diutius aliquando, quam in Gallia, ubi natus ſum, vixerim, & jam pridem in hac orbis terrarum nobiliſſima urbe ſedes ac domicilium collocarim, facere neque poſſum, neque debeo, quin & Italiam totam, & praecipue urbem Romam pari, ac patriam, pietate ac ſtudio colam. Doleo igitur, & indignor, cum, quae laus, noſtra ac patrum memoria, propria, ut dixi, Italorum fuit, ut ſoli ex omnibus Latina lingua perite ac ſcienter uterentur, eam nunc ita obſolevisſe, ac propemodum evanuiſſe video, vix ut jam tota Italia pauci quidam ſenes, qui eam utcumque ſuſtineant, reperiantur. Interea exterae nationes, &, ut vulgo in Italia vocantur, barbarae hanc poſſeſſionem gloriae, tamquam a vobis pro derelicta habitam, occuparunt: jamque non obſcure Latinae linguae uſum & intelligentiam migraſſe ad ſe, relicta Italia, gloriantur. Hanc vos tantam indi-

gnitatem feretis aequo animo, juvenes, ac non potius omnes nervos ingenii contendetis, ut ſtolidam illam agreſtium hominum, vobis inſultantium, ſuperbiam retundatis? Expergiſcimini, expergiſcimini, adoleſcentes, &, ſi quid in vobis Romani ſanguinis, ſi quid avitae virtutis eſt, incumbite ad eam gloriam, quae veſtri generis ac nominis propria eſt, ex alienarum gentium manibus extorquendam. Mihi credite, ſi ſemel penitus imbibatis id perficere, ſi ſocordia & ignavia valere juſſis, naviter opus hoc urgere inſtituatis, ſi frenum, ut dicitur, mordeatis, brevi futurum eſt, non modo ut nuper amiſſa ornamenta recuperetis, ſed etiam ea magnis ac luculentis acceſſionibus locupletetis. Ego quidém, quoniam ad pure & emendate loquendum, quod hujus conſilii atque incepti fundamentum eſt, nullius omnino libri lectionem utiliorem, quam epiſtolarum ad Atticum, judico, quoniam eas Latinae linguae ſtudioſis pervolutandas, manibus atque oculis conterendas, ad verbum, ſi fieri poſſit, ediſcendas cenſeo, idcirco earum interpretationem ſuſcepi, nihil veritus eorum ſtultitiam, qui ſpecioſa utilibus anteponentes, ita me, quaſi quiddam hujus loci auctoritate inferius ſuſceperim, criminantur. At iidem me ſuperioribus annis, cum Ariſtotelis libros de moribus, cum Platonis libros de republica, nuper etiam cum Tacitum interpretarer, ita calumniabantur, quaſi, omiſſis iis, quae juventuti utilia forent, ea quaererem ac conſectarer, in quibus oſtentare me, & venditare populo poſſem. Quid iſtis canibus facias? aut quomodo te aliter, quam contemptu, ab eorum latratibus vindices? Praeclare Ariſtoteles, cum idem ab aliis avarus, ab aliis prodigus haberetur, argumento id eſſe ait, eum liberalem eſſe. Ita iſti, cum me nunc ut nimis ſublimia petentem, nunc ut me juſto inferius demittentem culpare inſtituunt, ut mihi quidem tum demum medium ſecare videar, efficiunt. Magis me movent exempla eorum, qui memoria noſtra primos ordines in litteris duxerunt: quorum ut quisque doctiſſimus habitus eſt, ita plurimum operae in his epiſtolis collocavit. Nunquam me pigebit eis in libris exerceri, in quibus duo ingentia decora Italiae, Petrus Victorius, & Paulus Manutius, acutiſſimus Jurisconſultus Antonius Goveanus, Sebaſtianus Corradus, Leonardus Malaſpina, lumen & ornamentum Galliae Hadrianus Turnebus,

bus, aliique, quos enumerare longum eſt, ita deſudarunt, ut praecipuam ſibi materiem gloriae ex eis emendandis & illuſtrandis quaeſiiſſe videantur. Quos ſi duces non ſequerer, unum tamen opponerem, cujus auctoritas frangere, debilitare, obterere omnes contra ſentientium rumuſculos poſſet. Hujus enim conſilii mei non approbatorem modo & adſtipulatorem, ſed auctorem, ac laudatorem habeo illum uberrimum diſciplinarum omnium fontem, Gulielmum Sirletum, Cardinalem, cujus auctoritati dum paream, nunquam magnopere, quid alii de me judicaturi ſint, laborabo. Sequitur nunc, ut iis obtrectatoribus reſpondeam, qui omnem epiſtolarum lectionem leve quiddam ac prope nugatorium eſſe ajunt: quo, tamquam lacte, pueruli, non, ut ſolido cibo, etiam grandiores ali debeant. In quibus hoc primum eſt quod admirer: cum ſermonis uſum unum de praecipuis a Deo in hominem collatis muneribus eſſe fateantur, quomodo de ſcriptione epiſtolarum aliter ſentire poſſint. Ut enim ſermone inter praeſentes, ita epiſtolis inter abſentes animi ſenſa communicantur. Per epiſtolas mercatura exercetur, qua ſi careremus, innumerabilibus commodis careremus; per epiſtolas pater cum liberis, vir cum uxore, fratres ac propinqui inter ſe, tum quoque, cum multi inter eos montes multaque maria interjecta ſunt, ita colloquuntur, ut una omnes domi eſſe videantur; per epiſtolas & indicuntur & geruntur bella, paces componuntur, inter remotiſſimas nationes conſtituuntur ſocietates, foedera feriuntur; amicitia, quae condimentum vitae eſt, quo ſublato, vita quidvis potius quam vita fuerit, nullo magis adminiculo, quam mutuis epiſtolis, continetur. Itaque ſi epiſtolarum uſus tolleretur, commercium quoque & naturalis illa hominum inter ipſos ſocietas tolleretur. Sunt iſta, dicet aliquis: ſed tamen epiſtolis ſua quisque negotia committit; graves & arduae diſputationes, & ad quas percipiendas doctore opus ſit, epiſtolis mandari non ſolent. Hoc ſi quis de toto epiſtolarum genere dicere audeat, ablegabo eum ad Platonis, Iſocratis, Senecae, & talium epiſtolas, quaeramque, nunquid illas quoque de rebus vulgaribus, & cuilibet fine doctoris opera perſpicuis ſcriptas putet? jubebo inſpiciat illam, quae a Cicerone ad Q. Fratrem in Aſiam miſſa eſt: qua vir non eloquentiſſimus tantum, ſed etiam tractandae reip. peritiſſimus,

omnia complexus est, quae praestari debent ab iis, qui magnis provinciis summo cum imperio praesunt. Nam illo quidem argumento vix in tam levi causa utendum puto, quod praecipua religionis nostrae mysteria a sanctissimis illis aeternae veritatis doctoribus, qui nobis ad aspiciendam viam, qua iretur in caelum, facem praetulerunt, epistolis inclusa sunt. Quisquamne ita impie temerarius est, ut, cum illorum procerum, Basilii, Nazianzeni, Cypriani, Ambrosii, Hieronymi, Augustini, Gregorii, & similium epistolas si minus legerit, extare tamen audierit, totum epistolarum genus contemnere audeat? At in his Ciceronianis nihil simile; scriptae enim sunt de rebus fere domesticis ac familiaribus simplici & sponte fuso dicendi genere, ad hominem usu domestico & intima familiaritate conjunctum. Hoc si faterer, tamen eas dignas, quae diligenter & accurate legerentur, esse contenderem. Vere enim hoc sapientissimus scriptor Xenophon principio ejus libelli, qui Convivium inscribitur, scriptum reliquit, magnorum virorum non seria tantum, sed & joca cognoscere operae pretium esse: quod ex his quoque utilissima ad vitam exempla capiantur. Narrat alicubi Horatius, Scipionem & Laelium interdum discinctos, dum olus decoqueretur, ludere & nugari: Cicero, etiam legendis ad Lucrinum conchis & umbilicis animum relaxare solitos. Quis nostrum non quolibet pretio emat, ut interesse talibus ludis queat, & eas fabellas audire, quibus tales viri inter se jocabantur? Praeclare Plutarchus in Alexandro, *Non*, inquit, *ut quaeque maxime illustris actio est, ita maxime ingenium hominis patefacit; imo vero interdum exiguum aliquod factum dictumve, aut jocus aliquis, magis detegit hominis mores, quam urbium expugnationes, & pugnae, in quibus multa hominum millia ceciderunt.* An, cum principes viri publicis se negotiis subduxerunt, &, exclusis admissionibus, paucos quosdam deligunt, quibuscum libere ac familiariter jocentur, invidemus iis, qui admittuntur ad interiores illorum sermones, eosque beatos esse, ac caelum digito contingere putamus: nos si ad Ciceronis & Attici arcana penetrare, eosque nunc jocantes, nunc inter se qua publicis, qua domesticis de rebus colloquentes audire liceat, parvi id esse ducemus? Sed longe aberrant a vero, si qui res tantum domesticas, & familiares jocos his epistolis contineri putant.

Hi-

Hiſtoria illorum temporum, quibus imperium orbis terrarum immutatum eſt, & vel everſa, vel certe converſa ea reſpublica, quae ita bonis legibus atque inſtitutis fundata erat, ut in perpetuum duratura videretur, non aliunde melius, quam ex his libris, percipi poteſt. Tum praeterea Ciceronis admirabilis prudentia, & ſcientia reip. tractandae, nusquam ſe magis, quam in his epiſtolis, prodit. Quod ne quis me temporis cauſſa confingere arbitretur, praeſtantis viri & illorum temporum aequalis, Cornelii Nepotis verba ipſa recitabo, quibus ſuum de illis judicium poſteritati conteſtatum ac conſignatum reliquit. Qui in Attici vita eum inter Ciceronem & Atticum ſummam conjunctionem animorum fuiſſe dixiſſet, *Ei*, inquit, *rei ſunt indicio, praeter eos libros, in quibus de eo facit mentionem, qui in vulgus ſunt editi, ſexdecim volumina epiſtolarum, ab conſulatu ejus usque ad extremum tempus ad Atticum miſſarum: quae qui legat, non multum deſideret hiſtoriam contextam eorum temporum. Sic enim omnia de ſtudiis principum, vitiis ducum, aemulationibus in repub. perſcripta ſunt, ut nihil in iis non appareat: & facile exiſtimari poſſit, prudentiam quodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolum, quae vivo ſe acciderunt, futura praedixit, ſed etiam, quae nunc veniunt, cecinit ut vates.* Haec Nepos, cujus non vanam eſſe praedicationem, res ipſa quotidie oſtendit. – Ad eas cauſſas, quas attuli, cur in his epiſtolis mecum pervolutandis cupide verſari debeatis, accedit haec quoque, quam, dubitavi equidem, num adferre deberem, ne vineta mea, ut ajunt, caedere, & de ea ipſa facultate, cujus opinio, falſa fortaſſe: neque enim impedio: ſed opinio tamen, ad aliquam me provexit hominum famam, quippiam detrahere viderer. Sed vincat veritas, quae aliis omnibus rebus praeponderare debet, praeſertim cum de commodis veſtris agatur. Hodie, adoleſcentes, ſi verum amamus, omnis prope uſus eloquentiae, praeterquam in ſcribendis epiſtolis, ita de medio ſublatus eſt, ut nec vola nec veſtigium appareat. Dominabatur olim in judiciis: regnabat in conſultationibus: vincebat fere ea cauſſa, quae eloquentiorem patronum nacta erat.

Sed haec prius fuere: nunc recondita,
(Ut de phaselo ait Catullus,)
Senet quiete.

Judicia, Romae saltem, ita exercentur, ut in eis nullus plane locus eloquentiae sit. In deliberationibus de magnis & seriis rebus, quid quisque dicat, non quam ornate dicat, attenditur. Recte omnino: neque enim negari potest: sed tamen isto modo magna differtis hominibus subtracta materia est. Eloquentia, quasi aetatis beneficio immunitatem consecuta, jussa est oblectare se in his nostris scholasticis ac pulverulentis disputationibus, in sacris concionibus, quae ad populum habentur, & interdum in gratulationibus, quae fiunt ad principes, aut in eorum funeribus exornandis. Ita ex illis tribus Aristoteleis dicendi generibus solum epidicticon, quod olim minimi pretii habebatur, in usu relictum est. Mansit tamen illud, ut, qui bene, id est, tum diserte, tum prudenter, & ad res, ad personas, ad tempora accommodate epistolam scribunt, facillime ad intimam principum familiaritatem perveniant, & ad maximarum rerum tractationem adhibeantur, maximis plerumque honoribus augeantur. Hac facultate cum alii, tum Jacobus Sadoletus, & Petrus Bembus viam sibi ad dignitatem summae proximam munierunt. Nolo de viventibus dicere, ne aut adulari videar, aut aliter eos laudem, quam ipsi fortasse laudari se volunt. Vos, adolescentes, (vestra enim res agitur, & satis jam verborum factum est,) adjuvate attentione vestra industriam meam: & mihi hoc credite, integritatem Latinae linguae, cognitionem antiquitatis, prudentiam in rebus gerendis, ex nullo Ciceronis libro posse a vobis melius aut facilius, quam ex his epistolis, comparari. Cuperem, Paule Foxi, vir non tantum in primis illustris, sed ad illustrandum hoc saeculum nate, novo quodam & minime vulgari modo, tibi, quem nihil obsoletum, nihil vulgare delectat, gratias agere, quod talis tantusque vir, omissis negotiis, quibus assidue distineris, honoris mei caussa, hodie, multum deprecante me, ne id faceres, huc tamen venire volueris. Sed cum animum in omnes partes versavi, nihil, quod te dignum sit, excogitare possum. Tacebo igitur, & hoc toto genere gratia-

tiarum actionis ſuperſedebo. Niſi forte hoc ipſum novum quoddam gratias agendi genus eſt, cum is, qui beneficium accepit, magnitudinem illius verbis a ſe coaequari non poſſe confitens, conticeſcit.

REPETITURUS LIBROS ARISTOTELIS DE MORIBUS.

ORATIO XVII.

habita Romae pridie Non. Novembr.

M D L X X X I I I.

Primum quidem Deum immortalem veneror, auditores, ut, ſi hos viginti annos, quibus huic muneri praefui, pro ſingulari erga me populi Rom. caritate ac benevolentia, proque maximis in me cum aliorum Pontificum, tum praecipue Gregorii XIII. Principis immortalitate digniſſimi, beneficiis, eo ſemper animo fui, ut de utilitate veſtra non minus ſaepe, quam de mea, cogitaverim, ut nunquam rationes meas veſtris antepoſuerim, ut ſemper eam docendi rationem tenere ſtuduerim, non quae aut minus laboris, aut plus oſtentationis habitura, ſed quae vobis plus verae ac ſolidae eruditionis paritura videretur: ita me, quod reliquum eſt aetatis, in ejusdem muneris procuratione placide ac tranquille exigere patiatur; deinde autem, ut vobis omnibus inſpiret amorem erga honeſta ſtudia, & cupiditatem ea in iſto aetatis flore diſcendi, quae vobis aliquando tum privatim, tum publice & utilitatis & dignitatis plurimum allatura ſint. Quod cum peto, non tantum veſtra, ſed etiam mea cauſa peto. Nam cum quietis ac tranquillitatis meae, cujus & ſemper natura amans fui, & hac ingraveſcenti aetate quotidie magis indigeo, magna pars in eo poſita ſit, ut a vobis attente ac libenter audiar: non dubito, quin id facile impetraturus ſim ab iis omnibus, qui ipſi prius a ſe, ut ſe ament, neque unquam per ludibrium & pervicaciam animi & ſuis & alienis commodis obſtare cupiant, impetrarint. Quam ſpem cum de vobis, hujus annui curriculi noſtri principio, ut ſi

unquam alias, aut potius majorem quam unquam alias, animo perceperim: obſecro obteſtorque vos, auditores, ut vel mea cauſa, vel veſtra, vel etiam tot virorum dignitate praeſtantium, quos hodierno die huc convenisſe, & induſtriae meae judices atque arbitros, & modeſtiae veſtrae teſtes ac ſpectatores futuros videtis, eam unius horae attentione ac ſilentio comprobetis. Etenim qui pulcerrimos, & a me ſemper in prima commendatione habitos, libros Ariſtotelis de moribus ad Nicomachum, quos viceſimo abhinc anno ex hoc ipſo loco interpretari coepi, nunc denuo, (quod Deo volente ac propitio fiat!) interpretari conſtituerim, cum ſciam, hoc conſilium meum non prius, quam heſterno die, plerisque veſtrum notum esſe potuisſe; ideoque multos esſe, qui non modo meditati ac parati, ut par eſt, huc venire, ſed vix libros ſibi proſpicere potuerint: decrevi hodie, quae illorum librorum propria ſunt, non attingere, ſed univerſe ac communiter de tota ſtudiorum noſtrorum ratione disſerere, & quaerere, verane, an falſa ſint ea, quae plerique putant de cauſis, cur hodie neque tam docti, neque tam diſerti homines, quam olim fuerunt, reperiantur. Saepe enim interfui querelis eruditorum & ingenioſorum hominum, qui de temporum noſtrorum infelicitate quererentur: quod cum & ingenia nihilo quam antiquitus deteriora ſint; & aliis majoribus, & magis arduo ac difficiliore in loco poſitis virtutibus, aetas noſtra facile vetuſtatis gloriam aequaverit; ſi quidem & rei militaris ductandorumque exercituum, & reipub. in pace atque otio tractandae ſcientia, ſatis multi memoria noſtra, qui nulli veterum cederent, extiterunt: hac molliore, ut videtur, & parabiliore eloquentiae & eruditionis laude, nemo prorſus exoriatur, qui antiquitati controverſiam facere audeat; ſed praeclare ſecum actum esſe ducant, ſi qui hoc tempore multo ſudore multisque vigiliis hoc conſecuti ſunt, ut a veterum praeſtantia non longisſime abesſe videantur. Atque illud quidem facile conveniebat inter omnes, non eandem esſe diligentiam in hominibus noſtris, quae in veteribus illis, quos admiraremur, fuisſet; merito abesſe nos ab illorum gloria, quorum non imitaremur induſtriam; labore venalia esſe praeclara omnia: inique facere qui induſtriorum praemia peterent otioſi; neque esſe quod quisquam noſtrum ſibi blandiretur, aut cujusquam e noſtris ſtudium & diligentiam cum illa ve-

veterum pertinaci & indomita discendi cupiditate contenderet. Illos incensos & inflammatos amore doctrinae, omnibus sibi aliis voluptatibus interdixisse, rei familiaris curam abjecisse, cibo, potu, somno saepissime (*) abstinuisse, omne sibi tempus perire ratos, quod non in studio poneretur, non modo valetudinis dispendio, sed ipsius vitae periculo bene emi putantes, quod tam ferventer adamassent. Nos quod somno, quod voluptatibus, quod avaritiae, quod ambitioni temporis supereſt, collocamus in literis: & cum quidvis potius agamus, miramur, impares esse nos iis, qui hoc unum agebant. Memoriae proditum est, cum populus Athenienſis decreto cavisset, ut capite lueret, si quis Megarensis pedem in Attu intulisset, Euclidem, qui indidem erat, Socratemque ante id decretum audire coeperat, cum sermonibus illius carere nollet, quotidie, cum advesperasceret, tunica longa muliebri indutum, & versicolore pallio amictum, capite atque ore velato, Megaris Athenas ad Socratem commeare, & sub lucem eodem ornatu ad suos redire solitum. Tanti putabat studiosissimus adolescens, aliqua saltem noctis parte Socratem audire, ut ea de caussa & singulis noctibus amplius quadraginta millia passuum conficere, & vitam suam in apertum discrimen exponere non vereretur. Mirum non est, tanto nos eis inferiores esse doctrina, quanto doctrinae amore inferiores sumus. Sed de neglectu bonarum artium, & de illo quasi torpore ac veterno, qui jam pridem juvenum nostrorum animos occupavit, & dixi saepe alias, & dicturus sum; si forte dicendo eum excutere, & aliquos eorum, qui me audient, excitare ad vigilantiam possim. Alteram caussam esse dicebant, quae profectus nostros impediret, quod multo durior ac difficilior esset nostra, quam veterum, conditio. Illi enim eum sermonem, quo in discendis tractandisque bonis artibus usuri essent, a nutricibus cum lacte bibebant, a populo condiscebant, neque aut Athenienſibus, ut Attice, aut Romanis, ut Romane loquerentur, sudandum; neque aut consulendi magistri, aut libri pervolutandi erant; a poëtis, quorum lectione pueriles aetas oblectari, & ad humanitatem informari solebat, & in quibus interpretandis nullum fere aliud Grammaticorum munus erat, quam ut fabulas explicarent, & aliquas, si forte,

(*) In vulgaribus Edd. de scioli correctione *sapientissime* legitur.

te, peregrinas voces, quas illi glosſas vocabant, & interdum genera quaedam dicendi abſtruſiora, & a vulgari loquendi conſuetudine remotiora indicarent: ab eis igitur, prout cujusque ingenium aut voluntas ferebat, aut ad politicos ſive rhetores deducebantur; aut imbuti prius mathematicis diſciplinis, ad dialecticos & ad phyſicos ſeſe applicabant: & verborum cura liberi ac ſoluti, ad res modo ipſas intelligendas ac pervidendas omnem induſtriam ac diligentiam conferebant. Qui eloquentiam adamarant, iis theatra, iis forum, iis curia pro ſchola; qui causſas diſerte agebant, qui ad populum verba faciebant, qui ſententiam de publicis negotiis dicebant, pro magiſtris erant; unum aliquem ex eis deligebant, quem colerent, quem ſectarentur, cujus ad exemplum ſe conformarent, cujus conſuetudine & diſertiores fierent, & ſapientiores. Nos non unam, ſed duas peregrinas linguas diſcere cogimur, neque peregrinas modo, ſed jam pridem extinctas quodammodo ac ſepultas. Nam ſi aliqua urbs, aut aliqua gens eſſet, in qua vulgo homines Graece Latineve loquerentur, mitteremus eo pueros noſtros, ut, cum a teneris unguiculis ſermonis uſum combibiſſent, grandiusculi de rebus modo ipſis cogitarent. Nunc nobis diutius luctandum ac ſudandum eſt circa principia, & in ipſis, ut ita dicam, carceribus, quam priſcis illis, ut a carceribus ad metam pervenirent. Nobis, antequam Latine aut Graece balbutire poſſimus, multa cura, multis vigiliis, multis magiſtris opus eſt, & iis plerumque magiſtris meliorum inopia utendum, qui ad id, quod ſe docere profitentur, aliis ipſi magiſtris indigerent. Ita quam illi facultatem ac copiam ſine ullo labore a matribus, & a nutricibus, & a populo hauriebant: ejus nos ut umbram aliquam conſequamur, meliorem aetatis partem in eo conſumere cogimur. Itaque gravis illa conqueſtio, qua nobilis olim poëta uſus eſt in deploranda bellorum civilium calamitate:

Heu quantum terrae potuit pelagique parari,
Hoc quem civiles hauſerunt ſanguine dextrae;

ad noſtra quoque ſtudia non inconcinne accommodari poteſt. Sic enim & nos dicamus licet. Heu quantum rerum ac ſapientiae parari potuit eo labore, qui neceſſario nobis ad intelligentiam uſumque linguarum capiendus fuit. Haec una ratio tantum apud nonnullos potuit, ut publice perſua-

ſuadere conati ſint, inutile eſſe totum illud ſtudium, quod in Graecis ac Latinis litteris poneretur; ſua cuique lingua philoſophandum, ut & illi feciſſent. Non enim Democritum, Platonem, Ariſtotelem aut Hebraeorum, aut Aegyptiorum ſermone in diſputando aut in ſcribendo uſos eſſe, ſed eo, qui popularibus ſuis notus eſſet; neque Demoſthenem Perſica aut Macedonica, ſed Attica lingua habitum eloquentem; meram inſaniam eſſe, tantum operae ac temporis perdere, ut eum ſermonem intelligamus, eoque utamur, quo uti homines multis abhinc ſaeculis deſierunt (*). Ne Demoſthenem quidem aut Ciceronem curaſſe, illum, quomodo Cecropis aut Theſei, hunc, quomodo Euandri aut Romuli temporibus cives ſui locuti eſſent; ſuae quemque non gentis modo, ſed & aetatis ſermone contentum eſſe oportere. Addebant, id eo facilius factu eſſe hominibus Italis, quod praeclara illa Graecorum Latinorumque monumenta jam pleraque omnia in eam linguam, qua vulgo utimur, converſa eſſent: ut, illo peregrinitatis quaſi cortice ac putamine detracto, nucleis veſci, & ut oſſe confracto ſuccum ac medullam ipſam exſugere liceret. A qua opinione quoniam ita diſſentio, ut avocandis a Graecae ac Latinae linguae ſtudio adoleſcentibus ipſa fundamenta diſciplinarum convelli ac labefactari putem; neque ullam peſtem praeſentiorem, aut ullum certius exitium omnibus ingenuis artibus adferri poſſe arbitrer, quam ſi linguae illae, quae quaſi ſacraria quaedam earum ſunt, negligantur: exponam hoc loco breviter cauſſas judicii mei, efficiamque, ſi potero, ut, linguas quidem illas omni ſtudio digniſſimas eſſe, ſed multa hoc tempore in earum tractatione peccari, liquido intelligatis. Duae praecipue mihi quidem cauſſae eſſe videntur, adoleſcentes, cur & Graecam & Latinam linguam amare, & in earum utraque praecipuum ſtudium ponere debeamus. Una, quod Graece & Latine, Graece quidem & plures & praeſtantiores, ſed tamen Latine quoque ſat multi, ejusmodi viri ſcripſerunt, ut propter admirabilem quandam ſapientiam, qua illi tanto ſupra ceteros mortales floruerunt, ut aliarum gentium homines cum eis collati, idiotae quidam & agreſtes fuiſſe videantur, digniſſimi ſint, ad quos intelligendos omnis ab omnibus elegantioris ingenii hominibus opera conferatur. Nam ſi Platones, Xeno-

(*) Conſtructionis ratio poſtulat. *deſiſſent.*

nophontes, Aristoteles, Theophrastos, addo huc etiam Plutarchos, Galenos, sed quo plures nomino, eo plures occurrunt digni qui nominentur, si tales etiam viros Italia extulisset, qui cogitationes suas perscripsissent eo sermone, quo vulgo Italia utitur: non ego quidem propterea, ne sic quidem veteres illos sapientes patres ac duces negligendos dicerem; sed tamen aequiore animo ferrem, si quis Graeco sermone accuratius discendo superfedere vellet. Nunc cum domi nata & vernacula omnia tanto jaceant infra illorum dignitatem, quanto imae maximeque depressae convalles infra editissimorum, caeloque, ut poëtae loquuntur, minantium montium cacumina: quis iste tam mollis ac delicatus, quis tam ab omni vera pulcritudine aversus est, qui laborem non maximum, neque fortasse tantum, quantus vulgo putatur, ad illos maximos viros intelligendos capiendum neget? Quod & ipsum de vetere Latina lingua dictum accipi volo. Nam ita me ille amet omnium praepotens Deus, auditores, ut ego vobis de meo sensu libere atque ingenue loquar. Si ex Latinis scriptoribus neminem haberemus, praeter Ciceronem, Virgilium, Senecam, Livium, Plinium, Tacitum; & constat multos esse alios, qui in idem album referri queant: sed si eos solos haberemus, justa tamen mihi caussa videretur, cur ad eos intelligendos linguam Latinam avide discceremus. Nunc accedit alia longe gravissima, quae nos incendere utriusque studio debeat. Nam cum earum linguarum, quarum usus eruditis cum vulgo communis est, unaquaeque & certis & angustis limitibus circumscripta teneatur, harum, de quibus agimus, usus toto propemodum terrarum orbe diffusus est. Italice loquentem soli Itali intelligent; qui tantum Hispanice loquatur, inter Germanos pro muto habebitur; Germanus inter Italos nutu ac manibus pro lingua uti cogetur; qui Gallico sermone peritissime ac scientissime utatur, ubi e Gallia exierit, saepe ultro irridebitur; qui Graece Latineque sciat, is, quocumque terrarum venerit, non intelligetur tantum, sed apud plerosque admirationi erit. Atque haec caussa vel maxima est, cur Graece aut Latine potius, quam Italice aut Gallice, scribere, quicumque id egregie praestare possunt, debeant. Nam qui scribunt, aut utilitatem publicam, aut gloriam suam sequuntur. Si utilitatem publicam: certe multo pluribus proderunt, si ea lingua scribant, quae apud omnes gentes, quibuscum modo ali-

aliquid nobis uſus aut commercii eſt, intelligatur. Gloriam quoque ſuam longius, latiusque diffundent, ſi ea ſcribant, quorum pulcritudo ab omnibus populis ac gentibus percipi queat. Ut igitur peregrinantibus optabile eſſet, reperire genus aliquod numorum, cujus eadem apud omnes aeſtimatio eſſet; multoque libentius uterentur iis, quam illis, qui tertio aut quarto quoque die, cum detrimento & cum moleſtia mutandi ſunt, cum ibi tantum utiles ſint, ubi imperat is Princeps, cujus in ditione cuduntur: ita nemo non videt, quanto commodius ſit, uti ea lingua, quae in omni gente ac natione reperit aliquos, & quidem non ex fece vulgi, ſed ex quaque honoratiſſimos quosque, a quibus ſine interprete intelligatur, quam iis, quae ſimul atque pedem ex hac aut illa provincia extuleris, alios atque alios interpretes requirunt. Quomodo ex hac florentiſſima & nobiliſſima urbe in omnes terrarum partes, quomodo ex omnibus terrarum partibus in hanc urbem legationes mitterentur, ſi aliam linguam, quam eam, cujus apud ſuos publicus uſus eſt, nemo didiciſſet? Quomodo in illo auguſto ac ſacroſancto Cardinalium collegio de graviſſimis rebus, & quas ſaepe iis ſolis notas eſſe expedit, qui ſententiae dicendae jus habent, deliberaretur, ſi quot ex nationibus conſeſſus ille conſtat, totidem interpretes adhibendi forent? Qua in re majorem Latinae quam Graecae linguae utilitatem eſſe fateor: intelligitur enim a pluribus. Itaque ad uſum Latina potior eſt; ad doctrinae copiam Graeca. Argumenta, quibus nituntur, qui contrariam ſententiam tuentur, infirma prorſus & imbecilla ſunt. Ajunt, veteres illos, qui tanta in admiratione ſunt, ſua quemque lingua philoſophatos. Ego autem ita reſpondeo: ſi illis quoque temporibus lingua aliqua fuiſſet communis omnium, qui ubicunque eſſent, eruditorum, ignota ceteris, quales hoc tempore Graecam & Latinam eſſe conſtat: non eſt dubium, quin ea potius cogitationes ſuas explicaturi fuerint, quam ea, quae vulgo quoque communis eſſet. Nam ut poëtae vulgus ſibi inviſum eſſe profitentur: ita ipſi quoque ad myſteria philoſophiae turbam admittendam non putabant; ideoque obſcurabant ea de induſtria, alii numeris, alii allegoriis, alii tenebroſo quodam dicendi genere, ut oſtenderent, ſe ſapientiae tantum ſtudioſis ſcribere: quae cauſſa fuit Ariſtoteli, cur libros quosdam ſuos & editos eſſe, & non editos diceret.

Ajunt,

Ajunt, Graecam Latinamque linguam jam pridem mortuas esse. Ego vero eas nunc demum non tantum vivere & vigere contendo, sed, si in tralatione perstandum est, firma valetudine uti, postquam esse in potestate plebis desierunt. Quam diu enim populari imperio regebantur, id est, quam diu penes populum erat, ut ait Horatius, arbitrium & jus & norma loquendi, assidue agitabantur, fluctuabant, nihil habebant certum, nihil stabile, unum saeculum eodem vultu durare non poterant: nunc ex quo ad optimates, ut ita dicam, redactae sunt, & certis a scriptoribus petuntur, certis regulis ac praeceptionibus continentur, multis jam saeculis fixae atque immutabiles permanent. Si in vulgi potestate mansissent, hodie Ciceronem non intelligeremus: quemadmodum ne Ciceronis quidem temporibus intelligebantur ea, quae regnante Romulo aut Numa scripta erant; immo vero ipsas XII. tabularum leges pauci, qui intelligerent, reperiebantur. Et videmus, quae vulgari lingua abhinc quadringentos annos scripta sunt, hodie non intelligi.

Ut sylvae foliis, (ait Horatius,) *pronos mutantur in annos,*
Prima cadunt: ita verborum vetus interit aetas,
Et juvenum ritu florent modo nata, vigentque.

Illae igitur linguae quotidie moriuntur, quotidie nascuntur, quae pendent ex libidine imperitae multitudinis: quas autem ex populi servitute eruditorum usus vindicavit, illae non vivunt tantum, sed immortalitatem quodammodo & immutabilitatem adeptae sunt. At, quod temporis in linguis discendis consumitur, melius rebus ipsis cognoscendis impenderetur. Hoc argumentum ita demum aliquid valeret, si ab aliis scriptoribus verborum elegantia, ab aliis rerum cognitio peteretur. Nunc ita nobis a Deo consultum ac prospectum est, ut, qui Graece Latineque politissime scripserunt, iidem etiam sapientissime scripserint: ut non ab aliis verba, ab aliis rerum cognitionem petere oporteat; sed utraque ex iisdem fontibus eodem tempore haurire liceat. At omnia aut e Graeco sermone in Latinum, aut etiam ex utroque in eum, qui laniis quoque & salsamentariis notus est, conversa sunt; ita ut aut neutro illorum opus sit, aut certe altero tantum. Heu me miserum! Cur non hujus loci consuetudo fert, ut possim, quan-

quantum cuperem, arbitratu meo dicere? Quomodo ego iſtos acciperem, qui interpretibus fidunt? Sed quando id facere temporis anguſtiae prohibent, polliceor vobis, me, quae dabitur dicendi occaſio, in hoc argumento verſaturum eſſe, & oſtenſurum, quam neceſſe ſit, in craſſiſſima rerum ignoratione perpetuo verſari eos, qui praeſidio interpretum freti, Graecae ac Latinae linguae ſtudia negligunt; ſimulque indicaturum, quibus in rebus a plerisque in ſtudiorum cauſſa peccetur; quaeque verae cauſſae ſint, cur aetas noſtra tantopere veteribus cedat. Vos, auditores, efficite, ne vobis prior illa cauſſa, quam dixi, torporis ac negligentiae noceat. Afferte huc amorem doctrinae: afferte diligentiam & attentionem: ego, ut quotidie vobis res attentione dignae affatim ſuppetant, providebo. Idque eo magis, quod in his Ethicorum libris tantum usque a puero ſtudii poſui, ut, niſi aliquid exſpectatione veſtra dignum praeſtitero, recuſare non debeam, quin hujus loci amplitudine parum dignus habear. Vos vero, ornatiſſimi viri, ignoſcite, ſi, quod a vobis tam benigne auditus ſim, ne gratias quidem vobis agendas putem. Nam ſive oratio mea vobis moleſta fuit, eo moleſtior erit, quo eam longius protraxero; ſive, quod magis cupio, quam ſpero, jucunda, videor jam vobis gratiam aliqua ex parte retuliſſe.

DE
VIA AC RATIONE TRADENDARUM DISCIPLINARUM.

ORATIO XVIII.

Plerique eorum, qui quotannis ex hoc loco verba faciunt, laudare litteras & ingenuas artes, vosque, adoleſcentes optimi, ad eas toto pectore amandas, ac colendas exhortari atque incitare conſueverunt. Quorum ego neque conſilium reprehendo, neque tamen omnia in eo poſita eſſe cenſeo. Nam ut, ſi quis bonae valetudinis commoda exponat, eaque dicendo amplificet, atque exaggeret, & ad eam omni ſtudio conſervandam homines cohorte

tetur, neque tamen admoneat, quo genere victus, quibusque exercitationibus ea maxime comparari ac contineri debeat, non valde utilis videri possit illius oratio: ita parum prodest, aut laudare eas artes, quas certe nemo usque eo perfrictae frontis est, ut vituperare audeat, aut ad eas cohortari eos, quos illarum studiis deditos esse constat, nisi indicetur etiam via, qua quis ad illas facillime ac certissime pervenire posse videatur. Ego igitur, quando mihi a te, Laurenti Blanchette, vir clarissime, munus hoc impositum est, non laudabo litteras: satis eas homines eruditissimi, collegae mei, ex hoc ipso loco his proximis annis ornate, copioseque laudarunt; ne multum tum (*) quidem temporis ponam in his nobilissimis adolescentibus ad eas cohortandis: & ipsi per se satis eas amant, neque oratione mea melius incitari possunt, quam si te, Blanchette, intueantur, de te cogitent, in te oculos, animumque defigant, cui litterarum tractatio senilem in isto aetatis flore non modo gravitatem, ac prudentiam, sed dignitatem quoque atque auctoritatem comparavit. Quaenam igitur orationis meae futura materia est? quibus de rebus dicens hunc ornatissimorum virorum, atque hanc honestissimorum juvenum coronam, quam ex ore meo pendentem video, demulcere & delinire conabor? Exponam breviter, ac perspicue, a carceribus, ut dicitur, ad calcem, ei, qui semel imbiberit in litteris & in bonarum artium scientia excellere, quam studiorum viam ac rationem tenendam putem. Quod dum facio, quidam ex vobis decursum jam a se & confectum curriculum agnoscent, alii, quod iter ad veram gloriam ferat, me monstrante, cognoscent. Attente ut me audiatis, ne orandos quidem esse vos puto. Frustra id postulem, nisi attentionem mihi res ipsa, de qua dicere ingredior, conciliaverit. Principio igitur positum sit, Graecae, Latinaeque linguae cognitionem instrumentum esse ad parandam doctrinae copiam, hoc quidem tempore plane necessarium. Id qui negant, aut quid verum sit, non vident, aut contendendi studio in oppugnando eo, quod verum est, ostentare ingenii acumen volunt. Quare puer is, quem informare, ac describere ordimur, honesto loco natus, modicis opibus instructus, ea corporis firmitate, ut studiorum laborem perferre possit, ingenio neque agresti, & hi-

(*) Tum temere repetitum ex voce praecedenti.

hiſpido, nec molli, & effeminato, ſed eleganti, & ad honeſtatem propenſo praeditus, ſextum aetatis ingreſſus annum, Graecarum Latinarumque litterarum formas, nomina, poteſtatem, per ludum jocumque condiſcat, &, ut id libentius faciat, non metu, ac verberibus, ſed praemiolis, quibus aetas illa capi ſolet, identidem excitetur. Ubi annum in eo poſuerit, ut & Graece, & Latine ſatis facile, atque expedite legat, jam ſeptimo primis illis, maximeque Grammaticorum utriusque linguae praeceptis imbuatur, nomina, & verba flectere, ac variare, & inter ſe ſine vitio conjungere ac copulare diſcat. Huic uni rei annum ſeptimum tribui velim. Octavo incipiat jam aliquid audire, aliquid legere, idque ejusmodi, ut & ad formandos mores non nihil conferat, & voluptatem potius adferat, quam magnam ullam animi contentionem requirat. In hoc genere apud Graecos excellunt Aeſopi fabulae, & Phocylidis carmina: Latini talium ſcriptorum inopia laborant, niſi quis easdem illas fabulas ab optimo, & eruditiſſimo viro, Gabriele Faerno Latinis verſibus elegantiſſime expreſſas, illi aetati proponendas putet, & addendum, ſi quod exiguum poëma puris verbis vitae praecepta continens reperiatur. Biennium conſequens, id eſt, nonum, ac decimum annum, ita libentiſſime poſuerim, ut puer matutinis quidem horis libros Xenophontis de inſtitutione Cyri, quibus nihil purius, aut ſuavius reperiri poteſt, pomeridianis autem Caeſaris potiſſimum commentarios legat, qui mihi unus ex omnibus Latinis ad illam nitidiſſimam Xenophontis ſimplicitatem proxime videtur accedere. Undecimus annus comoediis detur, ita tamen, ut ex Terentio, Plautoque, & multo magis ex Ariſtophane, quidquid inquinare puerilis animos poteſt, aut reſecetur, aut omittatur. Quod idem de omni ſcriptorum genere ſemel a me dictum accipi volo. Duodecimo Theocriti, Moſchi, Bionis Idyllia cum Virgilii Bucolicis, Heſiodus cum Georgicis, cum Aeneide utrumque Homeri poëma copuletur. Neque hos libros totos a praeceptoribus exponi arbitror debere. Cum tantum cujusque a praeceptore audierit, ut ſine cortice, quod ajunt, nare poſſit, quod reliquum eſt ſuo ipſe privato ſtudio perſequatur. Huic rei biennium ſuffecturum puto. Illud interea ad magiſtri curam, & ſollicitudinem pertinet, ut puer loquendo quidem quoti-

die, ſcribendo autem alternis ſaltem diebus exerceatur. In ipſo pubertatis ingreſſu primum exercebo eum in eis, quae Graeci vocant progymnaſmata, id eſt, praeludia quaſi quaedam, & praecurſiones ad eloquentiam, de quibus extat aureolus libellus Theonis Sophiſtae, qui, ſi quid ego auctoritate poſſem, quotannis exponeretur in ſcholis, & ad praecepta, quae illic traduntur, juvenes perpetuo exercerentur. Sed & hoc genus exercitationis, & omnis propemodum recta, & antiqua inſtituendae juventutis ratio non tantum intermiſſa jam pridem, ſed oblivione obruta, ac ſepulta eſt: quae ſi revocaretur, paucis annis exiſterent homines vere copioſi, & eloquentes; iſti autem clamatores, qui nomen eloquentum geſticulatione pantomimica, & volubilitate linguae, & impudentia ſibi pepererunt, ita jacerent, ut eos audire nemo poſſet. Ita igitur exercitatus adoleſcens totum ſe Ciceroni dedat, ingurgitetque ſe in illum uberrimum, & abundantiſſimum eloquentiae fontem, retinens perpetuo illam, quam a principio inſtituimus, conſuetudinem, ut Graeca cum Latinis, ſimilia cum ſimilibus conferat. Ciceronis epiſtolas cum leget, evolvat eodem ſtudio Platonis, Iſocratis, Demoſthenis, aliorumque Graecorum epiſtolas, quae in duo volumina congeſtae reperiuntur. Ad libros de rhetorica ſcriptos adjungat Ariſtotelis libros ejusdem argumenti, quaeque eadem de re Dionyſius Halicarnaſſeus, Demetrius Alexandrinus, Hermogenes, Longinus, aliique Graeci litteris prodiderunt. Ciceronis orationes cum Demoſthenis, Aeſchinis, Lyſiae, aliorumque veterum orationibus comparet; dialogos de philoſophia cum dialogis Xenophontis, & quibusdam Platonis. Interea oblectamentum ſibi ex alio genere poëtarum petat, Pindarum cum Horatio; Euripidem, Sophoclem, Aeſchylum cum Seneca; Apollonium cum Valerio Flacco; epigrammata Graeca cum Catullo, & Martiale committat. Idem faciat in hiſtoricis, Herodotum, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, cum Livio, Salluſtio, Tacito conferens. Et quoniam neque hiſtoria, niſi cognito orbis terrarum ſitu, neque hic ſine aliqua mathematicarum artium cognitione percipi poteſt: his quoque utrisque temporis aliquid impertiat. Cum ad plenam, ut juris auctores loquuntur, pubertatem, id eſt, ad annos octodecim pervenerit, graviora meditetur: ac primum qui-

quidem analytices, & dialectices praecepta non ex barbarorum lacunis, ſed ex Ariſtotele ipſo, & Graecis Ariſtotelis interpretibus hauriat, in eisque vere, ac ſerio biennium exerceatur. Hoc modo praecultus, ac praeparatus adoleſcens, ſi totam aetatem exigere in otio litterario volet, abunde habet quod agat: nunquam deerit, quo paſcat animum, etiamſi ei ad multa ſaecula vivendi ſpatium prorogetur. Sin aut ad medicinam, aut ad juris ſcientiam, aut ad theologiam applicare ingenium cogitat: medicus quidem futurus, in phyſicis; jurisconſultus in ethicis, ac politicis; theologus, in utrisque ſeſe prius diligenter exerceat; hic tertius Hebraicas praeterea litteras diſcat; tum eorum quisque ad ea, quae dixi, ſtudia accedat. Quocunque enim ſe, naturae ſuae ductum ſecutus, contulerit, dubitandum non eſt, quin ut longiſſime, antequam annorum illum numerum expleat, quem Lycurgus (*) adamaſſe dicitur, quique ſolus poſt ſenarium intra centum perfectus eſt, talis in ſuo genere futurus ſit, qualem in ſuo fuiſſe Roſcium Cicero praedicat, qualem apud inferos eſſe Tireſian ait Homericus Ulyſſes: quem ſolum ſapere dicit, ceteros umbrarum in morem vagari. Expoſui vobis, adoleſcentes, iter non ad inanem ſcientiae opinionem, ſed ad veram, & ſolidam eruditionem; arduum illud quidem, & difficile, ſed cogitate, nullo modo fieri poſſe, ut ad excelſa & ſublimia per plana veniatur; & alioqui credite hoc mihi, ſummum in ſtudiis laborem ſumma voluptate condiri. Quodſi quis ea, quae dixi, praeſtare omnia non poteſt, praeſtet certe quisque quod poteſt. Cum alia multa, quae ſaepe ex hoc loco audiſtis, ad amandas litteras incitare vos debent, tum mirifica plane, ac ſingularis erga eas Gregorii XIII. optimi, ac maximi Pontificis, voluntas. Qui non tantum pulcerrimos fontes aperuit, quibus urbem, prius aquae penuria laborantem, multo & ornatiorem, & ſalubriorem, & commodiorem reddidit, ſed alios longe pulcriores, & utiliores fontes diſciplinarum reeluſit. Quid enim aliud ſunt tot illa Neophytorum, Graecorum, Germanorum, Britannorum, aliarumque gentium, ac nationum collegia, quam totidem aperti, & expoſiti omnibus religionis & bonarum artium fontes, ab inexhauſto pontificiae li-

(*) De hoc loco diſputat Checcotius Praefat. p 69.

liberalitatis fonte manantes? Quid ſcholae noſtrae, quae quotidie tot eruditiſſimorum hominum vocibus perſonant, quibus ipſe majora, quam quisque ante eum Pontifex, praemia ſtatuit, quid aliud, quam incredibilem ipſius erga bonas artes amorem, voluntatemque declarant? Quid tanta multitudo hominum, doctrina, quam opibus, inſtructiorum, quibus ipſe ſubſidia vitae large, prolixeque ſuppeditat? ut non verius Bononia ſtudiorum mater, quam is civis, quo ipſa maxime gloriatur, ſtudiorum pater vocari queat. At tu, Laurenti Blanchette, vir clariſſime, quando nos ipſe in fide, ac patrocinio tuo eſſe voluit, quantum apud eum potes, quod te plurimum poſſe ſcimus, tantum confer ad paternam ipſius erga nos voluntatem magis, magisque in dies confirmandam. Multa jam ipſius benignitate conſecuti ſumus; ego quidem plura & majora, quam ut ea me unquam promeriturum eſſe confidam: ſed alia quaedam ſunt, nec iniqua, nec inuſitata, quae, ut alibi conceduntur, ſi hic quoque concederentur, mirabiliter & profeſſorum, & ſtudioſorum adoleſcentium animi ad omnia egregia accenderentur. Ea tibi, cum voles, expoſituri ſumus, & per te aliquid nos effecturos eſſe confidimus. Suſcipe cogitationem te dignam; para tibi immortalitatem apud omnes litterarum amantes, & gratiam, & gloriam; perfice, ut eae artes, quae in te tantum ornamentorum contulerunt, ipſae viciſſim ornamentorum aliquid tibi ſe debere fateantur.

AD

AD

ILLUSTRISSIMOS ET REVERENDISSIMOS S. R. E. CARDINALES, IPSO DIE PASCHAE, CUM SUBROGANDI PONTIFICIS CAUSSA CONCLAVE INGRESSURI ESSENT.

ORATIO XIX.

habita Romae anno

MDLXXXV.

Magnum vobis hoc tempore negotium impositum est, Patres amplissimi, & tantopere ad salutem & tranquillitatem universae Christianae reip. pertinens, ut haud sciam, an ullum (*) sit eorum omnium, quorum, pro summa dignitate, quam in Ecclesia obtinetis, vestra procuratio est, quod singulari quadam & extraordinaria praepotentis Dei ope magis indigere videatur. Declarandum enim vobis ac decernendum quodammodo est, quis Ecclesiae in terris summo cum imperio praeesse ac praesidere; quis in puppi sedens, clavum tenere, & periculosissimae navigationis cursum regere ac moderari; quis pastores ipsos pascere debeat; cujus, ut supra vulgarem hominum conditionem elati, responsa pro oraculis, nutus pro ratione, jussa pro legibus futura sint. Quanquam igitur ea sapientia estis, vix ut quicquam vobis subjici possit, quod non ipsi animo prius conceptum, meditatumque teneatis: non iniquo tamen animo ferre debetis, vos, ex veteri con-

(*) Ex Latinitatis ratione scribendum: *an nullum*. Vide Heusinger. ad Nepot. Timol. 1. & Ernestum ad Cic. ad Div. IX. 9. de Senect. 14. Nec dubito, quin ita scripserit Muretus. Certe sic est supra p. 187. in Aldina, ubi vulgares Editiones habent, *an ullus*. Qui nunc Latine scribunt, dici vix potest, quoties ad hunc scopulum offendant.

consuetudine, quid in eligendo Pontifice vobis sequendum sit, etiam ab infimis hominibus admoneri. Nam & nemo ita sapiens est, quin audiendo sapientior fiat: & ea est Dei benignitas, ut saepe rudibus & imperitis ea dicenda suggerat, quae audita etiam sapientibus profint. Dicturus igitur tanta de re, obtestor vos per eum, in cujus nomine huc convenistis, ut mihi exigui temporis attentionem ne denegetis. Atque ut hinc potissimum ordiar; ut arduum ac difficile Episcopi munus est, ita ardua quaedam in Episcopo, & inventu difficilia requiruntur. *Oportet*, ait sanctus Paulus, *Episcopum talem esse, ut in eo nullus pateat reprehensioni locus.* Quod si in aliis Episcopis requiritur, quanto magis in eo, qui, quanto Episcopi sacerdotibus, tanto ipse ceteris Episcopis antecellit? Quando autem quisquam reperietur dignus, qui in illum honoris ac dignitatis gradum evehatur, si omnes, in quibus aliquid culpari poterit, repudientur? Sed hoc non ita rigide ac praefracte accipiendum, etiam vetusti Patres monent. Nostra enim omnium, qui vivimus, ex bono maloque permista natura est: & aut angeli essemus, si nulla nos improbitatis macula contaminaret; aut & Deo & hominibus intolerabiles, si nulla vitiorum nostrorum sordes admista bonitas temperaret. Non igitur quaerendus, qui simpliciter omni virtutis genere excellat, nullo, ne levissimo quidem, vitio aspersus: quem ab omni nota ac reprehensione integritas vitae nullis unquam violata maculis vindicet; nunquam enim res ad exitum perduceretur: sed qui & praecipuis virtutibus inter aequales emineat, & vitiis, ut non omnibus, at iis certe careat, quae in privatis hominibus singulas familias, in Principibus maxima plerunque imperia evertunt. Apud Xenophontem barbarus quidam adolescens, cum equum eximiae bonitatis, quem habebat, libenter se alicui spectatae virtutis viro donaturum esse dixisset, idque apud Cyrum professus esset: *Ego vero*, ait Cyrus, *ostendam tibi, quomodo, etiamsi clausis oculis jeceris, aberrare a tali viro non possis;* simulque eum glebam humo sublatam in confertissimum agmen amicorum, quos assidue circum se habebat, jacere jussit; &, *Quemcunque*, inquit, *ex eis contigeris, illi equum tuum dono dato, neque metus ullus sit, ne aberraveris: omnium eadem est virtus, eadem temperantia, eadem multis spectata documentis fortitudo.* Si

de

de vobis, Patres amplisſimi, idem dici poſſet, ut e veſtro nobilisſimo honoratisſimoque conſeſſu, nec aetate, nec uſu atque experientia rerum, nec auctoritate alius alio magis idoneus eſſet ad hujus muneris gravitatem ſuſtinendam, non magna deliberatione opus foret, neque ullam in partem, quis ei ex vobis praeficeretur, admodum interesſet. Sin verius eſt, ut in ſtellis alia aliam nitore & claritate vincit, ſic e vobis alium alio eſſe iis bonis & ornamentis, quae Pontifici conveniunt, inſtructiorem ac ſuperiorem: & orandus ſummis precibus Deus, ut judicia veſtra dirigat; & vobis intendenda omni ſtudio mentis acies, ut ex omni numero veſtro eum potisſime, qui aptisſimus, & publice utilisſimus futurus videtur, deligatis. Ignoſcite, quaeſo, ſi quid paullo liberius dixero. Non enim ea nunc res agitur, ut auribus ſerviendum ſit; dicenda quae urgent, quae tempus, quae rei magnitudo poſtulat. Omnis cogitatio cognationis, amicitiae, utilitatis privatae, ab hac deliberatione procul abeſſe debet: ne, ſi quis ita eligitur, & ipſe, dum erigitur, corruat, & alios ſecum in idem exitium praecipites trahat. Si navigaturi de gubernatore navis eligendo conſultarent, nemo reperiretur usque eo improvidus, ut eum, qui ſibi aut amicisſimus, aut ſanguine conjunctisſimus, ac non eum potius, qui intelligentisſimus, exercitatisſimus eſſet, ei muneri praefici vellet: & deſiperet, ſi quis, in communi naufragio, quaeſticulum aliquem ſuum ſibi ſalvum ac proprium fore putaret. Una navis, qua omnes vehimur, Eccleſia eſt: quae quantis hoc tempore procellis ac tempeſtatibus agitetur, nemo non videt. Et erit quisquam ita non imprudens modo, ſed inhumanus, & impius, qui in tantis periculis, publicae ſaluti ac tranquillitati quidquam anteferendum putet? Exulent a veſtris omnium animis talia omnia, Patres amplisſimi: &, aliis omnibus circumciſis atque amputatis, ea tantum in futuro Pontifice, quae bono Pontifici neceſſaria ſunt, requirantur. Videntur autem quinque praecipua eſſe, quae in eo ſpectari oporteat: Sanctitas morum, Prudentia, Doctrina, Caritas, quae, ut verisſime dixit Apoſtolus, perfectionis vinculum eſt, & Auctoritas. De quibus ſingulis ubi, quam breviſſime fieri poterit, dixero, finem dicendi faciam. Primum igitur requiritur Sanctitas morum. Nam quo ore audebit aliena vitia reprehendere, qui ipſe propriis ma-

consuetudine, quid in eligendo Pontifice vobis sequendum sit, etiam ab infimis hominibus admoneri. Nam & nemo ita sapiens est, quin audiendo sapientior fiat: & ea est Dei benignitas, ut saepe rudibus & imperitis ea dicenda suggerat, quae audita etiam sapientibus profint. Dicturus igitur tanta de re, obtestor vos per eum, in cujus nomine huc conveniistis, ut mihi exigui temporis attentionem ne denegetis. Atque ut hinc potissimum ordiar; ut arduum ac difficile Episcopi munus est, ita ardua quaedam in Episcopo, & inventu difficilia requiruntur. *Oportet*, ait sanctus Paulus, *Episcopum talem esse, ut in eo nullus pateat reprehensioni locus.* Quod si in aliis Episcopis requiritur, quanto magis in eo, qui, quanto Episcopi sacerdotibus, tanto ipse ceteris Episcopis antecellit? Quando autem quisquam reperietur dignus, qui in illum honoris ac dignitatis gradum evehatur, si omnes, in quibus aliquid culpari poterit, repudientur? Sed hoc non ita rigide ac praefracte accipiendum, etiam vetusti Patres monent. Nostra enim omnium, qui vivimus, ex bono maloque permista natura est: & aut angeli essemus, si nulla nos improbitatis macula contaminaret; aut & Deo & hominibus intolerabiles, si nulla vitiorum nostrorum sordes admista bonitas temperaret. Non igitur quaerendus, qui simpliciter omni virtutis genere excellat, nullo, ne levissimo quidem, vitio aspersus: quem ab omni nota ac reprehensione integritas vitae nullis unquam violata maculis vindicet; nunquam enim res ad exitum perduceretur: sed qui & praecipuis virtutibus inter aequales emineat, & vitiis, ut non omnibus, at iis certe careat, quae in privatis hominibus singulas familias, in Principibus maxima plerunque imperia evertunt. Apud Xenophontem barbarus quidam adolescens, cum equum eximiae bonitatis, quem habebat, libenter se alicui spectatae virtutis viro donaturum esse dixisset, idque apud Cyrum professus esset: *Ego vero*, ait Cyrus, *ostendam tibi, quomodo, etiamsi clausis oculis jeceris, aberrare a tali viro non possis;* simulque eum glebam humo sublatam in confertissimum agmen amicorum, quos assidue circum se habebat, jacere jussit; &, *Quemcunque*, inquit, *ex eis contigeris, illi equum tuum dono dato, neque metus ullus sit, ne aberraveris: omnium eadem est virtus, eadem temperantia, eadem multis spectata documentis fortitudo.* Si

de

de vobis, Patres amplisſimi, idem dici posſet, ut e veſtro nobilisſimo honoratisſimoque conſesſu, nec aetate, nec uſu atque experientia rerum, nec auctoritate alius alio magis idoneus esſet ad hujus muneris gravitatem ſuſtinendam, non magna deliberatione opus foret, neque ullam in partem, quis ei ex vobis praeficeretur, admodum interesſet. Sin verius eſt, ut in ſtellis alia aliam nitore & claritate vincit, ſic e vobis alium alio esſe iis bonis & ornamentis, quae Pontifici conveniunt, inſtructiorem ac ſuperiorem: & orandus ſummis precibus Deus, ut judicia veſtra dirigat; & vobis intendenda omni ſtudio mentis acies, ut ex omni numero veſtro eum potisſime, qui aptisſimus, & publice utilisſimus futurus videtur, deligatis. Ignoſcite, quaeſo, ſi quid paullo liberius dixero. Non enim ea nunc res agitur, ut auribus ſerviendum ſit; dicenda quae urgent, quae tempus, quae rei magnitudo poſtulat. Omnis cogitatio cognationis, amicitiae, utilitatis privatae, ab hac deliberatione procul abesſe debet: ne, ſi quis ita eligitur, & ipſe, dum erigitur, corruat, & alios ſecum in idem exitium praecipites trahat. Si navigaturi de gubernatore navis eligendo conſultarent, nemo reperiretur usque eo improvidus, ut eum, qui ſibi aut amicisſimus, aut ſanguine conjunctisſimus, ac non eum potius, qui intelligentisſimus, exercitatisſimus esſet, ei muneri praefici vellet: & deſiperet, ſi quis, in communi naufragio, quaeſticulum aliquem ſuum ſibi ſalvum ac proprium fore putaret. Una navis, qua omnes vehimur, Eccleſia eſt: quae quantis hoc tempore procellis ac tempeſtatibus agitetur, nemo non videt. Et erit quisquam ita non imprudens modo, ſed inhumanus, & impius, qui in tantis periculis, publicae ſaluti ac tranquillitati quidquam anteferendum putet? Exulent a veſtris omnium animis talia omnia, Patres amplisſimi: &, aliis omnibus circumciſis atque amputatis, ea tantum in futuro Pontifice, quae bono Pontifici necesſaria ſunt, requirantur. Videntur autem quinque praecipua esſe, quae in eo ſpectari oporteat: Sanctitas morum, Prudentia, Doctrina, Caritas, quae, ut verisſime dixit Apoſtolus, perfectionis vinculum eſt, & Auctoritas. De quibus ſingulis ubi, quam breviſſime fieri poterit, dixero, finem dicendi faciam. Primum igitur requiritur Sanctitas morum. Nam quo ore audebit aliena vitia reprehendere, qui ipſe propriis ma-

deat? Quare si quem avarum, si ambitiosum, si crudelem ac sanguinarium, si libidini ac voluptati mancipatum vixisse constaret: ejus ne habenda quidem ratio in his sacrosanctis comitiis esset. Avarus civitates exhauriret, nova quotidie populis onera imponeret, sacra ac profana omnia venalia haberet, omnem turpitudinem congerendae ac coacervandae pecuniae causa susciperet, nihil amplum aut magnificum agitaret animo, non de gloria Dei, aut utilitate publica, sed de arcis & saccis suis implendis perpetuo cogitaret. Non est, Patres amplissimi, non est ejusdem ingenii, pecuniae servire, & hominibus imperare. Duos impuros homines, Stratoclem & Dromoclidem ajunt olim tractationem reipub. messim auream vocare solitos. Non est credibile, quenquam ex vobis ita animatum esse: sed tamen procul absit a gubernaculis Ecclesiae, si quis Pontificatum messim sibi ac suis fore auream putat. Ambitiosus omnia perturbaret, nihil usquam quietum esse pateretur, bellis orbem terrarum concuteret; dum suorum titulos, ditionem, dignitatem augeret; Sedis apostolicae dignitatem in quodlibet discrimen adduceret. Quid? crudelem & recenti semper cruore gaudentem, ultionis cupidum, ignoscendi nescium, cui pro virtute ira sit, pro consilio furor, pro ratione impetus: quomodo blandissimo illi ac lenissimo Patris nomini responsurum esse censetis? Quid? si quis se voluptatibus vinciendum ac constringendum dedit, earumque turpissimo famulatu nexus & irretitus, in earum coeno, tanquam sus, perpetuo volutatur, quid ab eo boni sperari, aut quid mali potius non metui potest? Libere, vobis audientibus, de vitiis loquor. Nusquam enim tutius est accusare vitia, quam cum ex eis qui audiunt nemo est, qui ea, quae dicuntur, suspicari possit ad se pertinere. Si quis igitur est, (quales plerosque omnes ex vestro amplissimo splendidissimoque collegio esse compertum est: sed tamen fieri nullo modo potest, ut non & e vobis aliqui excellant,) qui tota vita nullam significationem avaritiae dederit, qui sive in magnis opibus natus, sive e tenuibus ac modicis ad ampliores copiosioresque perductus, omnem pecuniae fructum in sublevandis egentibus positum duxerit; qui arcam suam nunquam turpiter afferentibus, honeste petentibus semper apertam habuerit; qui ad gloriam suam nihil, ad Dei gloriam omnia perpetuo retulerit; qui

ex

ex fuga atque abſtinentia voluptatum maximam ſibi voluptatem captaverit; qui veram animi magnitudinem in ignoſcendis, non in ulciſcendis injuriis conſiſtere judicaverit; ejus demum mores aptisſimi ſunt ad perſonam illius, qui & harum & omnium virtutum exemplar perfectisſimum fuit, in terris ſuſtinendam. Secundo loco dixi requiri prudentiam, quam, vere Ariſtoteles ait, eſſe propriam virtutem imperantium. Eam aeterna illa veritas, Chriſtus Dominus ac Deus noſter, cum morum integritate ac ſinceritate conjunxit, his verbis: *Eſtote ſimplices, ſicut columbae, & prudentes, ſicut ſerpentes.* Sed videndum eſt, ut, quid prudentia ſit, recte intelligamus: neque ita eam accipiamus, ut vulgus ſolet. Vulgus enim eum prudentem vocat, qui multa ſimulare ac diſſimulare novit, multa mentiri; eos, quibuscum agit, commodi ſui cauſſa, fallere ac circumvenire: & quod ſibi propoſuit, multas vias reperire, quibus id quoquo modo adipiſcatur. Illa vero prudentia non eſt, ſed calliditas, verſutia, malitia; aut, ſi prudentia eſt, carnis prudentia eſt, quam ſe perditurum minatur Deus; quam mortem eſſe Paulus affirmat. Vera prudentia eſt, & cognoſcere quid petendum fugiendumque ſit: & quibus viis tum ipſe eo pervenire, tum alios eodem perducere commodisſime poſſit; nihil temere atque inconſiderate agere, ſed unaquaque in re, quid rerum, perſonarum, locorum, temporum varietas poſtulet, dijudicare. Miſerum, qui alium fallit, ſi ſe idcirco eo, quem fallit, prudentiorem putat. Fallit ipſe ſe, & induit multo pernicioſiorem in laqueum, quam quo implicare alium parat. Quanto prudentior, qui neminem fallit? Deo enim ſimilior eſt, qui neque fallere, neque falli poteſt. Dixi praeterea in Pontifice requiri caritatem; quam Apoſtolus & martyrio & fidei montes transferenti anteponit; ſine qua nihil Deo acceptum eſt: Deus enim ipſe caritas eſt. Pontifex autem, cum communis pater & ſit, & vocetur, hoc ipſo nomine admoneri debet, paterna ſe caritate erga omne hominum genus eſſe oportere. Addidi doctrinam & eruditionem: quam qui Pontifici neceſſariam non putant, magno in errore verſantur. Jubetur Aaron in veteri lege geſtare ſupra pectus ſuum doctrinam & veritatem; jubetur nunquam in ſanctuarium ingredi ſine ſonitu: quo ſignificatur, voluntatem Dei ab eo debere populis praedicari. *Labia ſacerdotis*, ait Mala-

chias, *cuſtodiunt ſcientiam.* Paulus ad Timotheum, Epiſcopum eſſe oportere, ait, aptum ad alios docendos. Haec, ajunt quidam, Pontifex etiam indoctus per alios obire poterit. Iſto modo poterit etiam bonus lyricen eſſe, qui per alium canat: & bonus medicus, qui aegrotos per alium curet. Sed ſatis ſit. Breviter enim de auctoritate dicendum, quam ultimo loco poſui: quaeque ex iis, de quibus ante dictum eſt, efflorеſcit. Auctoritatem autem voco potentiam, apud principes & apud populos, firma & diuturna virtutis & doctrinae opinione quaeſitam. Ea Pontifici hoc praecipue tempore neceſſaria eſt, propter eas gentes, quae a fide & obedientia ſanctae Romanae Eccleſiae deſciverunt, quae revocari ad ſanitatem vix poterunt, niſi ejus, qui praeerit, auctoritate moveantur. Agite igitur, Patres amplisſimi, proponite vobis ante oculos communem noſtrum omnium parentem Eccleſiam, ex veſtro nutu pendentem, & quid a vobis ſtatuatur, ſumma cum cura ac ſollicitudine exſpectantem. Illa vos Chriſto genuit, illa educavit, illa ad ſummo proximum honoris gradum provexit; nulla vobis major cognatio, quam cum Eccleſia; omnes omnium caritates una illa complexa eſt: quae nunc dilacerata, diſtracta, divulſa, obſecrat vos, ut aliarum omnium rerum obliti, de ſua tantum tranquillitate, qua veſtra quoque continetur, cogitetis. Deus omnium bonorum auctor eam vobis omnibus mentem atque animum inſpiret, ut non caeco & temerario, & invitos etiam, ut interdum fit, ac quid agatur neſcios, rapiente paucorum motu, ſed certo maturoque judicio, ejusmodi Pontificem concordibus ſuffragiis quam primum deligatis, qui diſperſa colligat, lapſa erigat, depravata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat, efficiatque, ut neque Pii Quincti admirabilem illam ſanctimoniam vitae, & excelſitatem animi, aut Gregorii decimi tertii inexplebile propagandae religionis ſtudium, & effuſam, atque incredibilem, & omnibus ſaeculis deprae-dicandam in omnes gentes caritatem ac beneficentiam deſideremus.

IN

IN FUNERE HIPPOLYTI CARDINALIS ESTENSIS

III. *Non. Decemb. anno*
MDLXXII.

ORATIO XX.

Quod acerbisſimum, maximeque luctuoſum ſpectaculum nobis omnibus objici poterat, Patres ampliſſimi, vosque ceteri viri ornatiſſimi, id ſummi ac praepotentis Dei voluntate, & inevitabili humanae conditionis neceſſitate nobis hodie in hoc templo conſtitutum videmus. Jacentem enim eum intuemur, qui nos omnes jacentes erigere; exanimem, qui exanimatis aliquo caſu nobis animum addere ſolebat; vita carentem, qui nobis, aliisque quamplurimis vitae ſubſidia benigniſſime ac liberaliſſime ſubminiſtrabat. Merito igitur lacrymis omnium oculi madent; merito undique omnia ſuſpiriis, gemitibus, lamentationibusque circumſonant; merito non homines modo, ſed ipſi hujus aedis ſacrae parietes omnia moeroris ac triſtitiae inſignia oſtentant. Sed quoniam neque conqueſtionibus noſtris quidquam proficere jam poſſumus, & divinae providentiae decreta aequo animo ferre debemus: repetamus aliunde aliquam hujus aegritudinis, ac miſeriae levationem; & Hippolyti Eſtenſis, communis noſtrum omnium parentis, ac patroni, virtutibus, ac laudibus grata commemoratione renovandis, dolorem ex ipſius morte conceptum, ſi poſſumus, leniamus. Miſera quidem haec ipſa, & acerba conſolatio eſt; quanto enim magis ejus, quod amiſſum eſt, excellentia perſpicitur, tanto plus doloris ex illius amiſſione percipitur: ſed neque animus ulla in cognitione (*) conquieſcere hoc tempore facilius poteſt; & rerum ab eo praeclare geſtarum recordatio hoc ſaltem nobis ſolatium adferet, quod magis nos confirmabit in ea ſpe, quam merito omnes concepimus, ut eum non tam

(*) Non dubito, quin Muretus ſcripſerit, *cogitatione.*

tam nobis ablatum, quam a te, Deus optime maxime, ad meliorem vitam vocatum esse credamus. Atque utinam doloris magnitudo disertos, ac copiosos faceret! non dubitanter me, patrone optime, ac clementissime, dignam plurimis, ac maximis tuis erga me beneficiis orationem habiturum esse profiterer. Nunc mihi misero omnia, praeter egregium celebrandi, ac praedicandi tui studium, desunt; aegritudine obstupefactus est animus; oculi lacrymando defessi; vox ipsa pectore, ac faucibus intercluſis exitum reperire vix potest; si quid in me ingenii fuerat, si quam modicam dicendi facultatem exercitatio attulerat, quae tibi majora veris pro amore erga me tuo videbantur, ea, moriente te, omnia conciderunt. Connitar tamen quantum potero, & omnem difficultatem pietate superare conabor. Sive enim aliquid effecero, gratus erga te, quoquo modo potui, fuisse dicar; sive etiam in medio cursu defecero, hoc ipsum mihi gloriae ducam, quod de tuis laudibus dicere cupientem obruerit atque oppresserit dolor. Nunc, quaeso, obtestorque vos, quicumque adestis, ut ad breve tempus intermittatis gemitus vestros, mihique ex innumerabili copia eorum, quae de illo dici possunt, pauca libanti, abductos tantisper, & avocatos ab atrocitate tanti vulneris animos adhibeatis. Primum igitur, si splendorem, & claritatem generis ad commendationem pertinere volumus, quod ita fere natura comparatum est; ut qua in familia multi praeclari, virtuteque, & rerum gestarum gloria insignes viri floruerunt, ex eadem qui sunt, eorum vestigia cupide persequantur: quae tota Italia gens Estensium Principum familiae, vel illustrium virorum multitudine, vel traditi a majoribus imperii magnitudine, & antiquitate anteponi potest? Sed in hac parte non immorabor: nam plura dicere & in re tam nota supervacaneum est, & temporis angustiae prohibent, & qui suis ac propriis laudibus abundat, ei ornando aliena conquirere, alienum atque absurdum videtur. Quamlibet obscura, & abjecta familia natus fuisset Hippolytus, eam ipse illustrare, & ad summum dignitatis culmen extollere potuisset. Illustrissima autem, & splendidissima natus cum esset, ita se gessit, ut non minus ipse lucis ac dignitatis majoribus suis attulisse, quam ab eis accepisse videatur. Cum autem in eo jam tum puerulo mirifica quaedam, & ad omnem virtutem, & praecipue ad prudentiam in-

indoles emineret: ita eum pater optimus, ac sapientissimus Princeps, diligebat, ut nulla de re majoris momenti, nisi adhibito filiolo, deliberaret. Eo praesente, legatos ad se missos audiebat: eo praesente, legationes decernebat: interesse eum volebat, quoties de bello, de pace, aliisque maximi momenti negotiis consilia caperentur. In illa igitur sapientiae schola, atque officina educatus, brevi tempore tantam sibi cognitionem, atque intelligentiam eorum, quae ad populos recte gubernandos pertinent, comparavit, ut adhuc adolescens, exercitatissimos senes consilii maturitate superaret. Itaque cum in Galliam confirmata jam aetate profectus esset, apud Franciscum regem, non solum nomine, sed omnibus regiis virtutibus omnium nostrae memoriae regum facile primum, non tam propter gentis nobilitatem, aut propter affinitatem, quam propter singularem quandam tractandarum rerum scientiam, tantum auctoritatis consecutus est, ut in illo amplissimo, & opulentissimo regno, secundum regem de Hippolyti potissimum Estensis consilio, & sententia omnia gererentur. Neque vero minus apud Henricum secundum valuit, qui ministros omnes per universam Italiam suos, sive legatos, sive exercituum praefectos, uno verbo, cujuscumque generis essent, ex ejusdem nutu, ac voluntate pendere, neque quidquam, nisi eo consulto, quod quidem alicujus momenti esset, administrare voluit. Illam vero nobilissimam, totique Christianae reipublicae salutarem legationem, qua in Gallia difficillimis, ac periculosissimis temporibus functus est, quomodo aut silentio praetermittere, aut de ea pro dignitate verba facere potero? Grassabatur per totam Galliam infinita quaedam facinorosorum hominum colluvies, qui, capta occasione, propter teneram Karoli regis aetatem, impune sibi omnia licere arbitrati, capitales, ac nefarias de religione opiniones publice in vulgus disseminabant. Jamque res eo progressa erat, ut non infimae tantum plebis animos suis illis venenis imbuissent: sed & ex ipsis Principibus non paucos eadem errorum foeditate contaminassent. Exponebantur propalam, & omnium manibus terebantur Lutheri, Calvini, & aliorum impiorum hominum scripta. Hieronymi vero, & Augustini, & Gregorii, & Ambrosii saluberrimae lucubrationes ab omnibus propemodum & officinis, & bibliothecis exulabant; in ipsa aula, ac comitatu regio

quo-

quotidie habebantur haereticorum frequentisſimae conciones: omnia execrandis illorum cantionibus perſtrepebant. Deteſtandis in Deum, & in Divos illarum peſtium vocibus Catholicorum aures aſſidue verberabantur. In tam perturbato, ac periculoſo rerum omnium ſtatu Pius Quartus, Pontifex maximus, divino, ut credibile eſt, inſtinctu, nihil ſatius eſſe judicavit, quam ut Hippolytus Cardinalis Ferrarienſis, primo quoque tempore legatus in Galliam mitteretur. Suſcepit onus legationis Princeps maximo animo praeditus: neque deterritus eſt, aut imbecillitate valetudinis, aut longitudine itineris, aut anni tempore, (erat enim ardentisſima aeſtas, qua tempeſtate etiam qui firmisſimi ſunt, neque Romam venire, neque Roma exire tutum putant,) aut periculis, quae ſibi noctesque diesque, & aperta vi, & ex inſidiis ab haereticis imminere intelligebat. In ea legatione alios ex haereticis auctoritate deterruit, alios, oſtenſa aliqua ſpe commodorum, eo, unde abierant, reduxit, multa diſſimulavit, multa pertulit, multa palam & directo, multa latenter & artificioſe molitus eſt, quae ad illius regni ſalutem pertinebant: neque prius deſtitit, quam, pulſis ex aula haereticis, revocatis autem iis, quorum & erga Deum, & erga regem fides conſtiterat, bellum denique apertum haereticis indiceretur. Itaque ut in ſeminibus arborum cauſſa eſt, ita omnium, quae poſtea in Gallia pro religione fortiter, ac feliciter geſta ſunt, illa legatio caput ac principium fuit. Illud autem admirabile eſt, quod, cum alii graviſſimi, & prudentiſſimi homines, toto, quod ajunt, caelo in illius negotii tractandi ratione ab eo diſſentirent, ipſe adverſus aliorum omnium ſententiam ſuo unius conſilio uſus, ipſo rerum exitu docuit, multo ſe quam illos plura vidiſſe, multoque prudentius cogitaſſe. Vellicabatur interea invidorum ſermonibus, ac rumuſculis, qui modo patientiam illius, ac lentitudinem reprehendebant, modo etiam quaedam ab eo, optimo animo, & ſapientiſſimo conſilio facta, in deteriorem partem interpretabantur. Quos ille deſpiciens, & operi propoſito conſtanter inſtans, eorum maledicentiam ipſo rerum exitu ita refutavit, ut veriſime de eo dici illa poſſint:

Unus

Unus homo nobis cunctando reſtituit rem:
Non ponebat enim rumores ante ſalutem.
Ergo magisque magisque viri nunc gloria claret.

Sed in hac temporis anguſtia multa breviter attingenda ſunt, quae ſingula integros libros deſiderarent. Atque haec quidem, quae hactenus dixi, ad declarandam ipſius prudentiam pertinent. Quid? ceterae virtutes, quales in eo, & quam ſingulares fuerunt? Quis unquam illo in tota ratione vivendi ſplendidior, ac magnificentior fuit? Quae in Gallia, quae in Italia, & quam ſumptuoſa aedificia extruxit? Quam multa ingenioſe, & ſolerter excogitata ab antiquis, ſed poſtea per poſterorum ignaviam, oblivione obruta, quaſique ſepulta revocavit? quam multos egregios artifices ad nova excogitanda propoſitis praemiis excitavit? quis unquam Princeps, quis Principis alicujus legatus, quis denique magnus, clarusque vir apud eum diverſatus eſt, quin ſibi non a ſplendido Cardinali, ſed a praepotenti aliquo rege exceptus videretur? Et interea in pauperes, & egentes homines, quam liberalis, ac munificus fuerit, ſcitis ipſi cives Tiburtes, qui, ut illa perpetua, & quotidiana taceantur, meminiſtis, eum quotannis, cum morbi, ut fit, aeſtate in vulgus graſſarentur, quotidie mittere ſolitum, qui omnes aegrotantium domos circumirent, neque eorum, quae aut ad valetudinem recuperandam, aut ad alendam interea familiam neceſſaria eſſent, quidquam eis deeſſe paterentur. Meminimus & ipſi, ut ſe hac quoque in parte legatus in Gallia geſſerit, cum quicquid pecuniae ex legatione proveniret, numum ex eo nullum attigit, ſed totum in pauperes erogandum, diſtribuendumque mandavit. Eruditos autem, & exoultos litteris homines, nemo unquam amavit ardentius, nemo plures domi habuit, nemo largius, aut prolixius fovit. Horum diſputationibus epulas ſuas condiebat, in eis audiendis quicquid a gravioribus curis dabatur otii, ſtudioſiſſime collocabat. Jam & in eos, & in omnes domeſticos, ac familiares ſuos tanta erat facilitate ac comitate, ut communis videretur omnium parens. Cum eis familiariſſime colloquebatur, urbaniſſime jocabatur; peccantes paterna potius caritate, quam herili poteſtate atque imperio corrigebat. Nullius autem rei aeque facile obliviſcebatur, atque injuriarum. Scimus

mus quicumque cum eo paullo familiarius viximus, multos, a quibus ipse pro summis beneficiis summas injurias retulerat, cum eos sine ulla molestia, arbitratu suo posset ulcisci, novis postea beneficiis auctos ab eo, & cumulatos fuisse. Pietatis autem, & religionis in Deum, & plurima toto reliquo vitae tempore, & certissima, ac luculentissima testimonia morti proximus dedit. Qui cum sibi ex hac vita migrandum esse sentiret, nihil territus, sacerdotem accersi jussit, cui peccata sua ita confessus, ut eorum vere se, atque ex animo poenitere, omnemque spem sibi in divina bonitate, ac misericordia constitutam esse ostenderet, interjectis aliquot horis sacrosanctum Domini nostri Jesu Christi corpus religiosissime accepit. Inde cum testamentum, nisi quantum certorum hominum invidia impediit, benevolentiae, ac caritatis erga omnes suos plenissimum condidisset; posteaque, viribus magis, ac magis deficientibus, sacro oleo, adhibitis ex ritu Christiano precibus, inunctus esset: languida, & moribunda voce ex Davidicorum psalmorum versibus, qui interea recitabantur, cum plura non posset, extrema saltem quaeque verba pronuncians, cum incredibili eorum omnium, qui aderant, dolore extremum Deo spiritum reddidit. O me infelicem, quanto mihi res secus cecidit, quam a principio cogitaram? Brevis enim haec virtutum ipsius commemoratio, quam mihi levationi fore speraveram, ea mihi pectus effodit, ea vulnus adegit altius, ea dolorem dolore cumulavit. Quid aliud agere possumus, quicumque tali patrono orbati ac destituti sumus, quam ut lugeamus, ut modis omnibus testemur dolorem nostrum, ut quod vitae reliquum est in moerore, ac lacrymis transigamus? Immo vero aliud & possumus, & debemus. Quamvis enim qui tam pie, tamque Christiane & vixerit, & diem suum obierit, eum caelo jam receptum esse sperandum est: quia tamen rari admodum ita puri egrediuntur ex corporis vinculis, ut non eis poenarum aliquid post mortem luendum supersit; earumque tum aliis piis actionibus, tum praecipue fusis ex animo precibus, & tempus contrahi, & ardor mitigari potest: facere omnes omnia debemus, ut ei modis omnibus opitulemur. Agite igitur quicumque Hippolytum Cardinalem Ferrariensem, & vivum amastis, & mortuum amatis, conjungite mecum preces vestras, & sublatis in caelum

lum manibus ac mentibus liberationem ipsius, ex loco purgandis post mortem animis destinato, si forte ibi adhuc detinetur, a Deo optimo maximo efflagitate. Nullius enim mortuo auxilium defit, cujus vivi nulli unquam auxilium defuit. Christe Jesu, humani generis conditor, & asfertor, qui nos alios pro aliis orare voluisti, qui tuorum preces nunquam irritas fore pollicitus es, respice hanc multitudinem afflictam, ac dolore confectam, & per illa vulnera, quae pro nobis pertulisti, per illum sanguinem, quem pro nobis in ara crucis effudisti, per illam mortem ignominiae plenam, quam pro nobis sponte subiisti, tribue hoc nostris omnium concordibus votis, ut famulum tuum Hippolytum Cardinalem Ferrariensem a poenis, si quibus adhuc obnoxius est, liberatum, eum in locum quam primum perducas, ubi aeternis tecum gaudiis perfruatur. Ite domum (*), cives Tiburtes, nunciate liberis vestris, nunquam, neque ipsos, neque ipsorum liberos cujusquam majoris, aut omni ex parte praestantioris Cardinalis exequias esse visuros.

IN FUNERE JOANNIS EPISCOPII, MILITIAE MELITENSIS MAGNI MAGISTRI.

ORATIO XXI.

habita Romae.

Praeclare a vobis & ex dignitate vestri ordinis factum est, nobilissimi & fortissimi milites, quod optimo principi, Joanni Episcopio, Magno sodalitatis vestrae Magistro, funus quibuscunque potuistis rebus ornatissimum amplissimumque duxistis, quodque & pietatis in eum vestrae, & doloris, quem vobis mors ipsius objecit, plurimas, maximeque luculentas significationes dedistis. Quamquam enim ille & ea tum manu, tum consilio gesserat, & ad eos honores virtute pervenerat, ut abunde ad glori-

(*) Imitatur dictum Metelli Macedonici in Scipionis Aemiliani funere, quod est apud Plinium H. N. VII. 44. *Ite, filii, celebrate exsequias. Nunquam civis majoris funus videbitis.*

riam vixisse videretur; & eo progressus erat aetatis, ut a vita tamquam ex arbore, non per vim evulsus, sed suo tempore ipsa maturitate collapsus esse videatur: quorum tamen vita quo diuturnior, eo publice utilior visa est, eorum mors nunquam non acerba & immatura videri potest. Sed quando parens ac procreator rerum omnium, Deus universum hominum genus eadem mortalitatis lege devinxit; ostensaque, si per ipsius praecepta gradiamur, certa spe melioris vitae, commorandi nobis hic diversorium, non habitandi dedit: grates ei potius agere debetis, quod talem vobis Ducem ac Rectorem dederit, quodque vos illius virtute, ac bonitate tam diu frui voluerit, quam iniquiore animo ferre, quod eum, quanquam viridi & cruda senectute, consumptis tamen corporis viribus, tot laboribus, periculisque jactatum, ex hoc inquieto ac turbulento salo, in illum, ut quidem spes est, placidissimum portum perpetuae quietis ac tranquillitatis eduxerit. Nemo eo animo navigat, ut semper naviget; nemo militare discit, ut numquam militare desinat; nemo ea mente laborem suscipit, ut alios ex aliis labores perpetuo excipiat: sed & qui navigat, portum; & qui militat, victoriam; & qui laborat, quietem atque otium spectat: quo qui pervenere, gratulari eis amici, non dolere illorum vicem solent. Vita haec jactationis ac periculi plena navigatio est: militia omni aerumnarum ac laborum genere exercita; inexhausta molestiarum undique succrescentium seges: quam ut quisque optime novit, ita minimi facit; quam is demum tutissime possidet, qui de ea, cum Deus voluerit, ponenda saepissime cogitat; quae neque stultis unquam longa est, neque sapientibus brevis. Non ut in ea diu maneamus, sed, ut ex ea feliciter exeamus, optandum est. Nunquam viveremus, si hic perpetuo viveremus. Et tamen non tantum venia tribuenda est illis lacrymis, quas obitus majorum virtute praestantium ex illorum, qui cum eis conjuncte, amanterque vixerunt, oculis elicit, sed etiam laudanda ac depraedicanda eorum pietas, qui quacunque ratione possunt, funera ipsorum ornare & cohonestare conantur. Nam & se, quibus artibus illi floruerunt, earundem studio flagrare declarant, & ceterorum animos ad cupiditatem ejusdem gloriae inflammant. Quae cum a vobis abunde & cumulate Joanni Episcopio praestita sint, nondum tamen vestrae in eum pietati satisfactum esse duxistis, nisi existeret aliquis,

quis, qui hodierno die publice verborum aliquid faceret: ne quid omnino, quod ad exornandam ac celebrandam ipsius memoriam a vobis praetermissum diceretur. Id munus quoniam a me potissimum obiri volueritis, parebo voluntati vestrae, & summa tantum capita strictim ac modice attingam, laudes ipsius brevi ac perspicua oratione complectar. Primum igitur ex sodalitatis vestrae legibus, atque institutis, certissimum ac firmissimum argumentum capere posse videor, quo eum, & antiquo ac nobili ortum genere, & eximia quadam, minimeque vulgari virtute praeditum fuisse confirmem. Nam cum legibus vestris cautum sit, ne quis in ordinem vestrum admittatur, quin prius eum & aeque ab atavis & paterna & materna stirpe nobilem esse liquido constiterit: quis est, qui cujus in pectore aut in humero candidam illam crucem, velamentum atque insigne ordinis Hierosolymitani, videat, quemque suffragii jus habere in comitiis vestris sciat, de illius nobilitate dubitare amplius possit? Eodemque modo de virtute argumentari licet. Nam cum in mandandis honoribus, in eoque praesertim deligendo, qui vobis summo cum imperio praesit, nullius rei, praeterquam cognitae spectataeque virtutis, rationem habere soleatis: dubitari de Magni Magistri virtute non potest, quin eadem opera de vestra in ferendis suffragiis fide ac religione dubitetur. Sed haec quidem, quanquam magna sunt, huic tamen cum multis aliis communia sunt. Illa propria, quod septemdecim annos natus, (quae ipsa aetas Romanis olim moribus ad auspicandam militiam constituta erat,) cum immanissimus hostis Rhodum ita obsessam teneret, vix ut illius servandae spes jam amplius ulla superesset: generosus adolescens, cui virtus & pietas tenerum pectus acribus stimulis perpetuo foderent, relicta patria, relictis suis, iter ingressus est, eo animo, ut, cum Rhodum venisset, aut opis aliquid pro virili parte afferret obsessis, aut cum eis adversus barbaros dimicans, juvenili sanguine Christo, humanae salutis auctori, litaret. Quo in itinere Mesanam advectus, cum conscensa triremi adversis usus tempestatibus, cursum tenere nequiisset, venit interea in Siciliam, amissa Rhodo, vir aeterna memoria dignissimus, Liladamus, vestrae sodalitatis illo tempore Magister: qui adolescentuli virtutem efferentem se, & foras emicantem admiratus, adactum sacramento, & cruce candida ornatum, ritu vestro inauguravit, posteaque

cum Romam, cum in Galliam, cum in Hiſpaniam, cum in Melitam proficiſceretur, numquam a latere ſuo diſcedere paſſus eſt. Quid virtutis, quid conſtantiae, quid militaris diſciplinae ex aſſiduo ac diuturno talis viri contubernio avidiſſimum per ſe omnis honeſtatis juvenem hauſiſſe credendum eſt? Mortuo Liladamo, alumnus illius diſciplinae, Epiſcopius totos ſexaginta annos ita in coetu veſtro verſatus eſt, nulla ut interea adverſus hoſtes Chriſtiani nominis expeditio ſuſcepta ſit, cui ipſe non interfuerit; in qua egregiam operam reipub. non navaverit; in qua non ita ſe geſſerit, ut ſemper inter paucos ſingularis ipſius virtus emineret. Teſtatur illius virtutem Peloponneſus; teſtatur Africa: quae illum, altera in Methones, Conones, Naupacti; altera in Tunetis & Turris Regiae expugnatione, & in illo calamitoſo Cirtenſi praelio ſpargentem in hoſtes funera, nec illorum, nec ſuo ſanguini parcentem viderunt. Sed & poſtea, cum in Gallia eſſet, & Melitam obſideri audiiſſet, tanta celeritate, ut evolaſſe eum, non iter feciſſe diceres, per mediam hoſtium claſſem cum aliquot militibus, quibus ipſe praeerat, in inſulam magno cum periculo, ſed majori etiam hoſtium admiratione penetravit. Multa properanti praetermittenda ſunt, quae vel ſingula, niſi copia obſtaret, ſatis amplam ad dicendum materiam ſuppeditare poſſent. Dandis igitur aſſiduis induſtriae virtutisque documentis, & multis maximi momenti publicis muneribus fortiter, prudenter, feliciter obeundis, ita ſibi conciliavit omnium animos, ut, qui maximus honos ſuffragiis veſtris deferri poteſt, anno poſt ſalutem hominibus reſtitutam 1572. pridie Kalend. Februarii ſine ullo ambitu abſens communi conſenſu delectus ſit, qui ſummam poteſtatem in univerſam ſodalitatem obtineret. Quo ex tempore patentiorem campum exercendae virtutis ſuae nactus, ita implevit omnes boni principis numeros, ut veſtram in eligendo ſapientiam, ipſius in regendo ſapientia comprobarit. Nam ut a cultu divini Numinis principium ducam, quod fundamentum omnis virtutis eſt, numquam ille ullum diem abire paſſus eſt, quo non rei divinae intereſſet, quo non ipſe manibus ſuis cibum tredecim egenis hominibus porrigeret ac miniſtraret. Templum etiam pecunia ſua amplisſimum & ornatisſimum extruxit, ſacerdotibusque, qui rem divinam quotidie in eo templo facerent, mille ducentos aureos numos annuos adtribuit, ibidemque in mo-

monumento pulcerrimo eorum, qui ante se in eodem magistratu fuerant, corpora condidit ac collocavit. Et pietas igitur ipsius, & magnificentia cum ex eis, quae dixi, tum e multis ejusdem generis aliis percipi potest. Quid ego nunc comitatem, affabilitatem, humanitatem praedicem? quae tanta erat, ut neminem aut aspectu, aut colloquio suo arceret, omnium postulata libenter cognosceret, nihil justa petentibus denegaret. Si quid negare cogebatur, ea tamen utebatur lenitate sermonis, ut eos quoque, quibus negabat, aequos a se, placatosque dimitteret. Liberalitatem autem ipsius multis & privatim, & publice salutarem fuisse constat: nam, & suis opibus multorum inopiam sublevavit, & viduarum, ac pupillorum quasi communis parens fuit, & multas virgines, multasque mulieres honesto loco natas, quae, propter paupertatem, conditionem reperire non poterant, dote de suo data collocavit. Quin etiam cum intelligeret, a multis inhonestis mulieribus filias ali, quas, cum adolevisent, in eandem turpitudinem sibi constituerent: occurrendum manifesto periculo ratus, puellas tota insula conquiri ac comprehendi jussit, & in extructum a se, ejus rei causa, coenobium includi, ut illic sancte ac pudice educatae, suo tempore, aut perpetuam virginitatem Deo voverent, aut nuptum, si ita mallent, traderentur. Quid jam Xenodochia, Nosocomia, Orphanotrophia ab illo vel instituta, vel reditibus aucta commemorem? Vox me citius, aut dies, quam materia, deficiat, si singula persequi vellem. In annonae vero difficultate saepe magnam vim pecuniae egentibus tradidit, saepe cum magnam frumenti copiam e remotis locis comportandam curasset, eodem illud pretio distribuit, quo ibi, unde adductum erat, vendebatur. Injuriam vero neque facere ipse, neque cos, qui facerent, perpeti poterat. Judex insontibus optabilis; iis, qui vel per errorem, vel metu aliquo ac calore animi deliquissent, placabilis; in eos, qui certa & obstinata malitia ac pravitate peccassent, plane inexorabilis. Qua severitate, simulque aliis quibusdam, quae silentio involvere satius duco, (neque enim ita eum laudare instituí, ut cujusquam errata detegam,) cum in se nonnullorum odia concitasset, effectum est, ut propter quasdam suspiciones, exacta jam aetate, Romam a summo Pontifice vocaretur. Sed ut exoriente sole nebulas dissipari, & evanescere videmus: sic ipso adventante, omnes

illae nubeculae ſuſpicionum evanuerunt. In urbem igitur ingreſſus eſt eo concurſu omnium ordinum, ea pompa & celebritate, cum ipſe etiam Pontifex eum quam honorificentiſſime excipi juſſit, ut non ad dicendam cauſſam venire, ſed jam tum pulcerrimum de obtrectatoribus ſuis triumphum agere videretur. Divertit ad illud decus, & ornamentum amplisſimi ordinis, Aloyſium Cardinalem Eſtenſem, qui, ut ſanguine regio editus, ita animo plane regio praeditus, eo cultu atque apparatu, dignitatis, ac venerationis plenisſimum ſenem apud ſe habuit, ut admiratio etiam eos caperet, qui, quae in aliis admirabilia videntur, ea Cardinali Eſtenſi uſitata & quotidiana eſſe noverunt. Itaque interdum auditus eſt optimus ſenex, cum jocans (ut ſecura innocentia eſt,) diceret, magnam ſe gratiam debere obtrectatoribus ſuis: illorum enim opera ſibi eos honores Romae habitos, quos ipſe nunquam optare auſus eſſet; plus multo eos ſibi profuiſſe odio, quam obſequio prodeſſe potuiſſent. Ergo cum eum tota civitas in ſinu atque oculis ferret; cum quacumque inceſſerat, quaſi exemplum quoddam antiquae virtutis ac probitatis ſpectaculo eſſet; cum eum Pontifex libenter audiret, libenter videret, eximia quadam caritate complecteretur: dolore lateris correptus, & intra paucos dies abſumptus eſt, tam placide ac leniter, tanta cum teſtificatione pietatis Chriſtianae, ut magnam ſpem omnibus fecerit, non tam illam mortem, quam migrationem ex mortalitate ad immortalitatem fuiſſe. Quem enim paullo ante iis, a quibus graviter laeſus erat, agnito errore, veniam petentibus, tam facile ignoviſſe meminimus; ejus quoque peccatis facile a divina bonitate ignotum eſſe confidimus. Quodſi quid, ut humana fragilitas fert, in ipſo vitae exitu expiandum adhuc, eluendumque ſuperfuit: certo ſperamus, fore, ut tam multis Eccleſiae precibus, tam multis eleemoſynis, tam multis oblationibus & tempus poenae contrahatur, & ardor mitigetur. Nunc vos, milites fortisſimi, qui & vivum tantopere amaſtis, & ereptum tam multis honoribus proſecuti eſtis, unum etiam quiddam illius nomini ac memoriae tribuite, idque non me, ſed ipſum vivum adhuc & ſpirantem a vobis petere exiſtimate. Fuit antiquitus apud multos conſuetudo, quae quisque vivus maxime amaverat, ea cum illo mortuo, aut cremandi, aut ſepeliendi. Vos contra facite. Quae ma-

magnus hic non ſodalitatis modo veſtrae, ſed virtutis & officii magiſter, cariſima, dum vixit, habuit, ea, ut perpetuo conſervetis, operam date. A quibus autem illum toto animo abhorruiſſe ſcitis, eorum reliquias omnes eodem, quo ille tegitur, tumulo condite, eorum fibras elidite, ſemina extinguite. Amavit ille cum alia honeſta omnia, tum concordiam inprimis, & animorum conſenſionem: inteſtina autem odia, & diſcordias ac diſſenſiones ſemper capitales reipub. peſtes judicavit. Agite igitur, viri fortiſſimi, flores ex omni Chriſtiana nobilitate delecti, columina virtutis, terrores Turcarum, firmamenta ac propugnacula Chriſtianorum, deponite omne ſtudium contentionis, delete omnem memoriam offenſionum, conſentientibus ac conſpirantibus animis ad defenſionem Chriſtianae religionis incumbite; omnem iram, omne odium, omnem ulciſcendi cupiditatem in hoſtes illius effundite, quae tam multis hodie, tamque ſaevis tempeſtatibus agitata, in veſtra virtute, ſi concordes ſitis, non minimum ſibi eſſe praeſidium putat. Sepelite cum illo mortuo ea, quae ut in perpetuum ſepelirentur, ſepeliri jam pridem ipſe voluiſſet. Diſſenſionibus enim maxima imperia labefactantur ac corruunt: mutuae caritatis vinculo etiam, quae per ſe parum firma ſunt, continentur.

illae nubeculae ſuſpicionum evanuerunt. In urbem igitur ingreſſus eſt eo concurſu omnium ordinum, ea pompa & celebritate, cum ipſe etiam Pontifex eum quam honorificentiſſime excipi juſſit, ut non ad dicendam cauſſam venire, ſed jam tum pulcerrimum de obtrectatoribus ſuis triumphum agere videretur. Divertit ad illud decus, & ornamentum amplisſimi ordinis, Aloyſium Cardinalem Eſtenſem, qui, ut ſanguine regio editus, ita animo plane regio praeditus, eo cultu atque apparatu, dignitatis, ac venerationis plenisſimum ſenem apud ſe habuit, ut admiratio etiam eos caperet, qui, quae in aliis admirabilia videntur, ea Cardinali Eſtenſi uſitata & quotidiana eſſe noverunt. Itaque interdum auditus eſt optimus ſenex, cum jocans (ut ſecura innocentia eſt,) diceret, magnam ſe gratiam debere obtrectatoribus ſuis: illorum enim opera ſibi eos honores Romae habitos, quos ipſe nunquam optare auſus eſſet; plus multo eos ſibi profuiſſe odio, quam obſequio prodeſſe potuiſſent. Ergo cum eum tota civitas in ſinu atque oculis ferret; cum quacumque inceſſerat, quaſi exemplum quoddam antiquae virtutis ac probitatis ſpectaculo eſſet; cum eum Pontifex libenter audiret, libenter videret, eximia quadam caritate complecteretur: dolore lateris correptus, & intra paucos dies abſumptus eſt, tam placide ac leniter, tanta cum teſtificatione pietatis Chriſtianae, ut magnam ſpem omnibus fecerit, non tam illam mortem, quam migrationem ex mortalitate ad immortalitatem fuiſſe. Quem enim paullo ante iis, a quibus graviter laeſus erat, agnito errore, veniam petentibus, tam facile ignoviſſe meminimus; ejus quoque peccatis facile a divina bonitate ignotum eſſe confidimus. Quodſi quid, ut humana fragilitas fert, in ipſo vitae exitu expiandum adhuc, eluendumque ſuperfuit: certo ſperamus, fore, ut tam multis Eccleſiae precibus, tam multis eleemoſynis, tam multis oblationibus & tempus poenae contrahatur, & ardor mitigetur. Nunc vos, milites fortiſſimi, qui & vivum tantopere amaſtis, & ereptum tam multis honoribus proſecuti eſtis, unum etiam quiddam illius nomini ac memoriae tribuite, idque non me, ſed ipſum vivum adhuc & ſpirantem a vobis petere exiſtimate. Fuit antiquitus apud multos conſuetudo, quae quisque vivus maxime amaverat, ea cum illo mortuo, aut cremandi, aut ſepeliendi. Vos contra facite. Quae ma-

magnus hic non ſodalitatis modo veſtrae, ſed virtutis & officii magiſter, cariſima, dum vixit, habuit, ea, ut perpetuo conſervetis, operam date. A quibus autem illum toto animo abhorruiſſe ſcitis, eorum reliquias omnes eodem, quo ille tegitur, tumulo condite, eorum fibras elidite, ſemina extinguite. Amavit ille cum alia honeſta omnia, tum concordiam inprimis, & animorum conſenſionem: inteſtina autem odia, & diſcordias ac diſſenſiones ſemper capitales reipub. peſtes judicavit. Agite igitur, viri fortiſſimi, flores ex omni Chriſtiana nobilitate delecti, columina virtutis, terrores Turcarum, firmamenta ac propugnacula Chriſtianorum, deponite omne ſtudium contentionis, delete omnem memoriam offenſionum, conſentientibus ac conſpirantibus animis ad defenſionem Chriſtianae religionis incumbite; omnem iram, omne odium, omnem ulciſcendi cupiditatem in hoſtes illius effundite, quae tam multis hodie, tamque ſaevis tempeſtatibus agitata, in veſtra virtute, ſi concordes ſitis, non minimum ſibi eſſe praeſidium putat. Sepelite cum illo mortuo ea, quae ut in perpetuum ſepelirentur, ſepeliri jam pridem ipſe voluiſſet. Diſſenſionibus enim maxima imperia labefactantur ac corruunt: mutuae caritatis vinculo etiam, quae per ſe parum firma ſunt, continentur.

M. ANTONII MURETI OPUSCULA (*) VARIA

TUM SOLUTA, TUM LIGATA

ORATIONE,

partim olim quidem typis edita, at poſtea longae oblivioni tradita, partim vero nondum publici juris facta; quae omnia nunc primum ſequenti ordine prodeunt ex Bibliotheca Cl. Viri,

ANTONII FRIDERICI SEGHETII

VENETI,

& e Schedis ipſius MURETI manu exaratis apud eumdem exſtantibus.

(*) Haec Opuſcula recepimus ex Editione Mureti Operum Patavini quam a. 1740. in 8. curavit vir eruditiſſimus, Joannes Checcotius.

M. ANTONII MURETI ORATIONUM TRIUM DE STUDIIS LITTERARUM,

Venetiis habitarum, ORATIO II. (*) *ab omnibus ejusdem Operum collectoribus (neſcimus quo fato) omiſſa; quae cum aliis duabus edita fuit Venetiis an.* 1555. *apud Manutios, in quarta, ut ajunt, folii parte.*

Quibus Auctor ſequentem praemiſit Epiſtolam, quae pariter inter ejus Epiſtolas adhuc deſiderata eſt:

M. ANTONIUS MURETUS HIERONYMO FERRO,

Patricio Veneto, Patavini Gymnaſii III. Viro, Viro Clariſſimo, S. D.

Diu multumque dubitavi, Hieronyme, vir clariſſime, deberemne, cum has qualeſcunque Orationes divulgare in animo haberem, tibi eas potiſſimum inſcribere. Nam cum mihi proponerem ante oculos ſummam perſonae tuae dignitatem, vix videbar ſatis modeſte fa-

(*) Haec Oratio pertinet ad Hiſtoriam rerum Mureti; quippe unde diſcimus, eum Venetiis paene periclitatum eſſe peregrinitatis; verumtamen abiiſſe victorem. *Ebrem.*

turus, si rem tantulam in tuo tanti viri nomine apparere vellem. Rursum cogitanti noctes & dies de plurimis tuis erga me, maximisque beneficiis, quidam interdum objiciebatur metus, ne forte, non tu quidem, qui meum animum bene, ut opinor, perspectum habes, sed ceteri parum me gratum judicarent, si diutius distulissem, aliquam grati erga te animi significationem dare. Nam si exspectare vellem, dum aliquid excuderem, quod vel dignitati tuae responderet, vel beneficiorum, quae a te accepi, magnitudinem adaequaret; vota mihi plane facienda erant, ut usque ad illud tempus vitam producere liceret. Est autem iniquum, eo nihil reddere, quia plurimum debeas. Simul putabam, tibi non injucundam fore memoriam illius temporis, quo tua mihi singularis humanitas summo & auxilio, & ornamento fuit. Nam cum & novitati a nonnullis, & peregrinitati invideretur meae; tu unus exstitisti, qui caussam meam acerrime susciperes, qui eam collegis tuis, viris omni laudum genere dignissimis, studiosissime commendares; qui auctoritatis tuae pondere plurimorum animos ad me amandam, & aliquo in numero habendum commoveres. Haec me adduxerunt, ut satius ducerem, hoc pusillum testimonium dare observantiae erga te meae, quam in aliquam parum memoris animi suspicionem longiore silentio incurrere. Habeo autem in manibus cum alia quaedam, tum Joannis Grammatici Commentarios in libros priorum analyticorum Aristotelis, quos ab aliis miserrime ac foedissime depravatos, emendare, & in Latinum sermonem convertere molior. Ii, ubi absoluti erunt, in tuo ipsi quoque nomine, si tu patieris, edentur. Vale. Venetiis, ad IX. *Kal. Novembr.* MDLV.

M. AN-

M. ANTONII MURETI

ORATIO II.

DE

STUDIIS LITTERARUM.

Tanta eſt collati a vobis in me beneficii magnitudo, Patres amplisſimi, ut mihi pro eo, ſicuti par eſt, vobis gratias agere cupienti, non mediocris objiciatur metus, ne, cum omnes ingenii mei vires ad gratam illius commemorationem contulero, mea tamen oratio longe multumque a rei ad dicendum propoſitae dignitate abfuiſſe videatur. Etenim quid a me amplius, quid praeclarius, quid honorificentius vel ſperari, vel dicam, etiam optari poterat, quam ut talium virorum judicio, ad excolenda diſciplinis liberalibus hujus nobilisſimae juventutis ingenia idoneus judicarer? An vero fortisſimos olim viros, accepimus, in Olympicis certaminibus tanto ſtudio, tanta laborum tolerantia, tanto denique vitae ipſius periculo ſolam vocem praeconis & coronae teſtimonium petere ſolitos eſſe; earumque rerum adeptione ita eſſe gaviſos, ut eorum nonnulli prae nimia laetitia in mediis gratulantium amplexibus exſpirasſe dicantur: ego in florentisſima omnium, quae ſub caelo ſunt, civitate, nobilisſimorum hominum judicia de me honorificentisſima conſecutus, aut mediocriter mihi gaudendum, aut gaudium ea ex re meum tegendum ullo modo, ac diſſimulandum putem? Nam illi quidem, ut

vo-

votorum compotes fierent, roboris modo, aut velocitatis laudem conſequebantur, quarum utrarumque gloria clariſſimos ſaepenumero viros a ſervis & gladiatoribus ſuperari videmus: mihi vos, Patres amplisſimi, eorum, quae vel praecipua, vel ſola etiam in hominibus bona ſunt, probitatis atque doctrinae teſtimonium praebuiſtis. Quae ſive in me talia ſunt, qualia vos opinamini, faciendum eſt mihi, ut haec veſtra de me in dies duplicetur opinio: ſive, quod magis arbitror, eximia vos naturae veſtrae bonitas, ut multo plus mihi, quam pro meo merito, tribueretis, adduxit; omnibus & corporis & animi nervis eniti debeo, ut, quam exſpectationem in animis civium veſtri de me judicii auctoritas excitavit, ejus aliquam partem labore, diligentia, aſſiduitate ſuſtineam, rebusque ipſis eorum vanitatem coarguam, qui ſuperioribus menſibus, quaſi veſtrae, ſi Diis placet, prudentiae diffidentes, ne munus hoc peregrinis hominibus committeretis, e ſuperiore loco vos admonebant. Quibus ego ita reſponſum volo, non ubi quisque natus fuerit, ſed quibus artibus ſtudium ſuum dederit, quantumque in iis effecerit, in hujusmodi rebus conſiderari oportere. Praeclare enim hoc philoſophi disputant, univerſum hunc terrarum orbem quaſi civitatem eſſe quandam, eſſeque omnes inter ſe homines civili quadam ſocietate copulatos. Quae qui tenent, ii & quoquo gentium venerint, nusquam ſibi peregrini videntur, & ipſi contra, neminem, qui homo ſit, pro peregrino habendum putant. Neque vero haec a me ita diſputantur, quod me patriae poeniteat. Non enim ex Scythia quapiam natus ſum, Cives ornatisſimi, quae tamen ipſa quoque ſuum protulit Anacharſin: non ex Thracia, cujus ex aſperis & ſaxoſis locis Orpheus tamen enatus eſt: non ex immani aliqua & inhoſpitali Barbaria; ſed ex ea provincia, quae cum antiquitus eloquentiae ſtudiis vel maxime floruit, tum hoc tempore, ut uni Italiae facile cedit, ita ceteris omnibus facile excellit. Et vero quanto ſemper homines Galli eloquentiae ſtudio flagraverint, vel ex eo intelligi poteſt, quod, antequam demiſſa caelitus ſapientia impiis falſorum numinum cultibus animos hominum liberaſſet, tota Gallia Mercurium, eloquentiae praeſidem Deum, praecipua obſervantia coluiſſe perhibetur. Quin etiam Herculem non eodem, quo ceterae gentes, ornatu noſtri colebant, ſed innumerabilem quan-

quandam hominum vim ab eo faciebant trahi, catena quadam aurea, quae e lingua ipsius ad aures circumfusae multitudinis pertineret: cum illud videlicet indicarent, nullam esse rem ad ducendos, quo velis, hominum animos dicendi copia potentiorem. Jam quid illud memorem, quod a Strabone proditum novimus, veteres illos Romanos magnam adolescentum suorum partem, Massiliam, quod oppidum in Gallia est, solitos mittere, ut ibi cum morum sanctitatem imbiberent, tum honestis artibus instituerentur? Sed & Lugduni annua eloquentiae certamina celebrari solita poëtae tradunt, & iidem peculiari quodam epitheto *facundam* Galliam nominarunt. Quid in his immoror? Marcus ipse Tullius, eloquentiae Romanae parens ac Deus, qui unus effecit, ut, cum Roma urbium omnium maxima esset, Romae tamen Roma ipsa majus esse aliquid diceretur; ille, inquam, M. Tullius, cujus admirabilem dicendi vim ac copiam nemo satis pro dignitate ne admirari quidem potest, a Gallo se homine Plotio (*) eloquentiae praecepta didicisse profitetur. Idemque Plotius primus omnium Romae ludum aperuisse traditur. Quis porro unquam vel fando audivit, ullam fuisse bene institutam civitatem, in qua peregrini ab erudiendis adolescentibus repellerentur? Quis Quinctilianum ex Hispania oriundum fuisse nescit? at is & per viginti annos Romanam juventutem publice docuit, &, homo Hispanus, Consularia Romae ornamenta sortitus est. Ac ne quis forte nostris hominibus istam summi honoris viam minus patuisse, quam Hispanis, putet, eumdem est honorem Burdigalensis Ausonius Gratiani principis a se eruditi beneficio consecutus. O Athenienſium civitas, humanitatis parens, bonarum omnium artium procreatrix, quantum tu a peregrinorum hominum odio abfuisti! tu Apollodoro Cizyceno, tu Heraclidi Clazomenio, tu aliis peregrinis quam plurimis reipublicae summam saepenumero credidisti. Et quisquam reperietur, qui, cum Romanorum, cum Athenienſium gens omnes, in quibus esset aliqua virtus, nunquam non humanissime complexa sit; Venetorum rempublicam, quae & hac, & ceteris laudibus

(*) Non fuit Plotius Ciceronis magister. Muretus nimis festinanter inspexit Ciceronis hac de re locum apud Sueton. de Rhetor. 2. ut bene demonstravit Checcetius in Praef. p. 19.

bus omnes ſuperiorum temporum reſpublicas una ſuperaverit, ſui nunc diſſimilem in ornandis litteris eſſe oportere arbitretur? Praeclare ille apud optimum poëtam fortiſſimus imperator: *Hoſtem qui feriet, mihi erit Carthaginienſis, Quisquis erit.* Praeclare vos quoque, Patres amplisſimi, cum ego pro virium modulo ſpecimen ingenii mei, jubentibus vobis, dediſſem, viſusque eſſem adhibita diligentia navare aliquid poſſe; quod peregrinus eſſem, nihilo me minus iccirco humanitate veſtra complectendum judicaſtis. Quin etiam ut plus mihi animorum adderetis, ex eo me loco docere voluiſtis, ubi homines ita divino cultui addictos, ut cum ſumma integritate & ſanctimonia vitae ſummam rerum maximarum cognitionem ſcientiamque conjunxerint, quotidianos induſtriae meae teſtes habiturus eſſem. Utinam igitur, Patres amplisſimi, vosque ceteri Cives ornatisſimi, utinam mihi parem aut voluntati erga vos meae, aut beneficiis erga me veſtris facultatem natura tribuiſſet! Efficerem profecto, ut omnes faterentur, nullum unquam beneficium poſt hominum memoriam melius collocatum fuiſſe. Nunc illud tantum vobis polliceri habeo, effecturum me, ut a me neque diligentia, neque aſſiduitas; curaturum, ut ne cetera quidem, quae ad hoc munus obeundum neceſſaria ſunt, magnopere deſiderentur. Veſtrum eſt, adoleſcentes nobiliſſimi, etiam atque etiam proſpicere, ne, cum quae ad animos veſtros omni elegantis doctrinae cognitione complendos pertinent, vobis affatim ſuppetant omnia, tantas opportunitates neglexiſſe, vobisque ipſimet defuiſſe videamini. Cogitate, nihil vobis claritatem patriae, nihil ſplendorem generis, nihil opum ac copiarum affluentiam prodeſſe poſſe, niſi ad haec omnia ſtudium virtutis, & ingenuarum artium tractatio acceſſerit. Nati eſtis in ea civitate, quae una toto orbe terrarum inexhauſtum quoddam illuſtrium virorum ſeminarium exiſtimatur: a qua cum unusquisque veſtrum tantum ornamenti ac ſplendoris acceperit; aequum eſt, ut ad eam omnes vicisſim, pro ſua quisque parte, exornandam, ſtudia omnia, cogitationesque veſtras dirigatis. Plato, quod Athenis natus eſſet, gratias Diis immortalibus agere ſolebat: vos quod Venetiis nati ſitis, eſt quod vobis non mediocriter gratulemini. Effecit Plato, ut Athenienſis civitas, quod eum edidiſſet, merito vicisſim Diis immortalibus gratias agere poſſet: vobis quoque faciendum

dum eſt, ut haec praeclariſima civitas ſibi aliquando, quod vos in lucem protulerit, gratuletur. Qui e vobis nobili loco orti ſunt, caveant, ne plus accepiſſe ſplendoris a majoribus, quam ipſi poſteris reliquiſſe videantur: quibus non ita clari parentes contigerunt, cogitent, nullum eſſe tam obſcurum genus, quod non virtutis ſplendore illuſtrari queat. Praeclare Plato, Καλὸν, inquit, θησαυρὸς αἱ τῶν πατέρων ἀρεταὶ, κάλλιον δὲ ἀντιδῶναι δύνασθαι τὸν τῷ Σθένει λόγον· Ἡμεῖς τοι πατέρων μὴν ἀμείνονες ἐγχείρει εἶναι. *Pulcer omnino theſaurus eſt parentum virtus; ſed multo pulcrius eſt, illud Sthenei uſurpare poſſe: Noſtra quidem virtus longe anteferenda paternae eſt.* Hoc igitur aſſidue volutent animo, quibus datum eſt, ut ad ſummam gloriam recto itinere tendentibus, aſſidue liceat pedem in majorum ſuorum veſtigiis ponere. Ceteri cum alios multos ſibi proponant, tum vel inprimis Themiſtoclem, cui nihil generis obſcuritas obfuit, quominus Athenienſium civitati ſummo ornamento fuiſſe diceretur. Itaque cum ei quidam majorum imaginibus tumens, parentum ignobilitatem objiceret, *At meorum*, inquit, *nobilitas a me initium capiet, tuorum, in te deſinet.* Haec igitur cum animis veſtris cogitantes, arripite alacribus animis oblatam vobis diſcendi occaſionem. Ego quidem hoc, adſtante hac clariſſimorum hominum frequentia, in hoc auguſto, & conſecrato ad Numen colendum loco, ſancte polliceor, nihil me omnino (quantum quidem in me erit) praetermiſſurum, quo veſtra ſtudia ullo modo adjuvari poſſe videantur. DIXI.

SEQUENS FRAGMENTUM (*)

ORATIONIS,

nihil est aliud, quam initium Laudationis Cardinalis ZENI, qui sibi quotannis a Senatu Veneto in Aede S. Marci voluit parentari.

Zena gens, Patres amplissimi, ex omni antiquitate viris omni virtutum genere praestantissimis floruit. Hoc veteres historiae loquuntur, hoc sparsa toto terrarum orbe fama depraedicat, hoc rerum ab ipsis & bello & pace gestarum magnitudo declarat. Nam quae unquam futura est tanta vis vetustatis, quae Rainerii Zeni memoriam ex animis hominum deleat? qui trecentis & eo amplius abhinc annis, cum Jadra, quam merito posse videor hujus imperii Carthaginem nominare, quintum jam a vobis defecisset, propter eximiam fortitudinem pari rei militaris scientia, & singulari erga patriam caritate conjunctam, imperator electus, non prius eam terra marique oppugnare destitit, quam eam denuo in vestram potestatem redegisset. Itaque haud ita multo post in locum Marini Mauroceni demortui concordibus omnium suffragiis, ad principem hujus reipublicae locum evectus est. Quo in honore ita se gesit, ut facile ostenderet, se in una virtute omnem spem laudis collocasse. Etenim Ligures, qui, ruptis foederibus, ingentem adversus nos exercitum comparaverant, viriliter aggressus, admirabili celeritate superavit: captisque septuaginta triremibus, ipsaque praetoria navi, Fliscum, Ligusticae classis praefectum, in triumphum Venetias duxit. Cujus tam praeclarae victoriae ut insigne aliquod in Zena domo ad omnem posteritatis memoriam figeretur, Rainerius dux, repudiato veteri gentilitio stemma.

(*) Quod exstat Venetiis apud Cl. Seghetium manu ipsius Mureti exaratum cum hac a tergo inscriptione: *Al Magnifico M. Antonio Zeno ec.*

mate, & albas lineas duas, totidemque caeruleas, quas e militari vexillo detraxerat, posteris suis stemmatis loco in perpetuum habendas dedit. Andream vero Zenum, Procuratorem, quis unquam tam multis laudibus ornaverit, ut non multo minus, quam ipsius dignitas ferat, eum commendasse videatur? Qui, cum Ligures multo majori, quam unquam antea, conatu bellum redintegrassent, jamque triremibus quadraginta, & navibus decem instructis vehementem populo Veneto incussissent metum, adversus eos aequo navium numero profectus, tantam invicti animi fortitudinem adhibuit, ut brevi tempore captis quinque & viginti hostium navibus, ceteris partim depressis, partim disjectis, in patriam victor cum duobus millibus & sexcentis praeterea captivis redierit. Sed quis mihi ignoscendum putet, si, dum Zenae gentis praecipua ornamenta percenseo, Petrum Zenum, civem optimum, senatorem praestantissimum, imperatorem fortissimum silentio involvam? Tu, tu, Petre Zene, (nihil enim prohibet, te tamquam vivum alloqui, cujus & animus in caelo, & fama in terris semper victura est) tu primus docuisti homines nostros, quam praeclarum esset, Christianae religionis limites extendere, hostes illius ex iis, quas tyrannide oppressas tenerent, regionibus pellere, barbarorum plus quam ferinam immanitatem comprimere, superbiam deprimere, audaciam retundere. Tu Morbasanum, Turcarum tyrannum ea tempestate potentissimum, maximo animo insectatus, temeritatem consilio, copiam virtute, impiam superstitionem vera & minime fucata in Deum pietate superasti. Itaque cum magnam Aetoliae, magnam Joniae partem non tam hujus reipublicae, quam Christi Servatoris nostri imperio adjecisses, Smyrna, oppido munitissimo, sed adversus virtutem tuam non satis munito, omnes barbaros ejecisses, in patriam primus opima ex eis spolia retulisti. Sed quid ago? quis tandem orationi meae modus reperietur, si de omnibus, qui in gente nostra, omni genere virtutum excelluerunt, singillatim dicere instituam? Quorum si vel ipsa nomina, nihil aliud, enumerando persequi velim, temporis me id angustia facere prohibitura est. Faciam igitur quod pictores solent; qui multitudinem aliquam hominum in tabula depicturi, cum aliquot corpora integra expresserunt, reliquorum vertices ipsos, quasi pone latentium, leviter in-

formare ſatis ſibi eſſe ducentes, cetera in cogitatione ſpectatorum relinquunt. Ego quoque cum jam Zenorum aliquot res geſtas, ut potui, breviter expreſſerim, alios nunc aliquot acervatim proponam: de ceteris, quorum ipſa me multitudo deterret, vobis cogitandum relinquam. Itaque Carolum Petri filium virtute & rebus geſtis patri parem: Catharinum, illum Turcarum hoſtem acerrimum, eumdemque hominem eloquentiſſimum; aliosque innumerabiles, qui & mihi, &, ut puto, omnibus vobis veniunt in mentem, praetermittens, ad eum delabar, cujus gratiâ huc omnes hodie conveniſtis.

Il reſto, credo poter mandarvi domane. in queſto mezzo imparate queſto, e conſervatemi nella voſtra grazia.

Di V. M.

Di Padova a' 3. di Maggio

MARC' ANTONIO MURETO.

M. ANTONII MURETI

Epiſtolae tres, hercule, perquam elegantes, quarum I. & II. ex *Autographis* apud Cl. SEGHETIUM Venetiis exſtantibus nunc primum prodeunt.

MURETUS

ANTONIO ZENO S. D.

Omi Zené, quam te, quam fratrem tuum, unaque Natanaelum noſtrum fallit opinio, ſi meam hic vitam jucundam eſſe creditis! Mihine jucunda vita ſit miſero, quem, alterum jam & viceſimum diem, febris quotidie divexat ſaeviſſima? Ego vero & Tityo, & Prometheo, & ceteris, quos apud poëtas eſſe ſcis, bene ac beate eſſe dixerim, ſi mihi eſt bene. Nam, ut ſcias, quae ad meas miſerias nuper facta ſit acceſſio, ſcito, medicos, qui prope

pe pro certo dixerant, me viceſimo die liberum fore, nunc, mutato ſermone, ita loqui, me a. d. eid. Septemb. febre cariturum. & quidem interea vetant quicquam legi, quod vel minimam animi contentionem deſideret. Nam absque hoc eſſet, Zene mi, ne ſit Deus promtior & paratior ad reſtituendam mihi ſalutem, quo jurejurando nullum a me hoc tempore concipi ſanctius poteſt, quam ego promtus ac paratus eſſem ad obſequendum deſiderio tuo. Nunc cum tibi ſatisfacere ſine inſigni valetudinis meae laeſione non poſſim, puto, te non gravate mihi veniam daturum. Orationem tuam ad te remitto. Ego, ſi, bona Salute, hoc morbo liberer, veniam iſtuc, & vobiſcum ero menſem unum, virium reficiendarum cauſſa. Si tempori venero, biduo aut triduo efficiam quod petis. Sed, quod oblitus eram dicere, Epiſtola tua perbella mihi ac perelegans viſa eſt. Quodſi Oratio in eodem genere ſcripta eſt, nae tu, Zene, neque mea, neque cujusquam opera indiges. Ama me, & vale. Fratri tuo, & Natanaelo S. Haec ſcripſi partim in medio ardore febris, partim cum ille jam nonnihil ſe remiſiſſet; inſciis medicis, &, ſi ſcirent, graviter objurgaturis. Sed plus apud me amor tui, quam illorum προσάγματα, valere debet. Ferrariae poſtrid. id. Sext. MDLIX.

Il male m' ha dato tanto tempo, ch' io ho letto la voſtra Orazione. e per Dio ch' ella m'e piaciuta grandemente. Ho mutato alquante paroline, come vederete. Se non foſſe ſtata la malattia, io l'averei polita piu diligentemente. Ma recitatela pur coſi: e moſtratela pure al Clariſſimo Navagero, che voi non potete riportarne ſe non lode grandiſſima. In effetto voi ſete un bravo ingegno, e, ſe ſeguiterete la ſtrada incominciata, vi farete un gran valentuomo. Amatemi, e ſtate ſano.

MURETUS
ANTONIO ZENO SUO.

Scio, hoc tritum & pervulgatum esse epistolarum principium, ut omnes qui ab iis quos amant, litteras acceperunt, ad eas cum respondent, inde potissimum exordiantur, ut eas sibi gratas & jucundas fuisse confirment. Sed hoc mihi, Zene, velim credas, me nunc, non quia ab omnibus ita dici soleat, eo id dicere: immo re vera tantam mihi iis, quas a te modo accepi, litteris objectam esse laetitiam, ut ea me respondere cupientem, nulla potius ex re principium ducere patiatur. Nam cum ipsa per se earum sententia mihi gratissima fuit: (totae enim prope in eo consumebantur, ut ostenderent, memoriam mei a te, & a fratre tuo pie ac diligenter coli) tum earum sermo ita mihi terſus atque elegans visus est, ut jam tibi vel meo periculo polliceri audeam, te, si quo coepisti, gradu perrexeris, brevi tempore, quibusdam, quos tu nunc admiraris, non multo inferiorem futurum. Erit autem mihi glorioſum, te, alumnum disciplinae meae, florere laudibus, & omnium praedicatione talem haberi, qualem ego aliquando fore, tanto ante, non praeviderim modo, sed etiam multis saepe praedixerim. Quare, mi Zene, perge, obsecro te: & puta, tibi jam non cum aequalibus tuis, quorum nonnulli magno meo dolore abjecisse hastas videntur, sed tecum esse certandum: neque, cum usque eo progressus sis, tibi amplius integrum esse aut insistere, aut regredi: praesertim cum in civitate vestra ea proposita sint eloquentiae praemia, quae vel ignavissimos excitare posse videantur. Plura in hanc sententiam scriberem, si opus esse arbitrarer, & si esset otium. Nunc & tu hortatore nihil indiges, & litterae tuae eo tempore mihi redditae sunt, quo ita occupatus eram, ut vix haec ipsa exarare potuerim. Nos enim cras Tibur profecturi sumus, atque illic totam aestatem futuri: quod hac anni tempestate locus ille & alsus inprimis, & salubris, atque amoenus habeatur. Itaque mihi componendae sunt sarcinulae, bibliotheca potissimum; qua si mihi carendum esset, nulla esset loci amoenitas tanta, quae animum meum hi-

hilarare posset. Vale, Zene mi, & me ama. Fratri tuo, & ceteris nostris salutem, inprimis Georgio Contareno. Romae prid. id. Quinct. MDLX.

Scipio de Montibus Carmina variorum Poëtarum collegit, in laudem feminae nobilissimae Johannae Castriotae Caraffae, quae Carmina lingua partim Latina, Italica partim, atque etiam Hispanica, diversis quidem & temporibus, a Doctis Viris conscripta sunt; ceterum edita junctim in Vico Equensi, apud Josephum Cacchium, anno 1585. in quarto, ut nunc loquimur. Is ergo Scipio de Montibus, cum averet, eorum, qui tum florebant, eruditorum monumentis ornare suum opus, non destitit etiam a Mureto petere, uti aliquid in laudem ejus mulieris pangeret. Cui Muretus, aliquanto post, hac Epistola respondit, quae in memorata Carminum Collectione legitur.

M. ANTONIUS MURETUS

SCIPIONI MONTIO,

Viro Illustri, S. D.

Jam pridem ad litteras tuas respondissem, nisi me tenuisset quidam pudor in ipso quasi amicitiae limine quidquam negandi tibi. Et tamen id quod tu petebas, ejusmodi erat, ut a me commode praestari non posse, illi quoque ipsi intelligerent, qui mecum tuo nomine agebant. Nam neque bonus poëta umquam fui; & in ejusmodi argumento versari, quale a te mihi proponebatur, neque canitiei jam meae, neque ei vitae instituto, quod multis abhinc annis amplexatus sum, satis consentaneum arbitrabar. Itaque cum tibi neque negare vellem, neque obsequi possem, quasi salebris impedita quibusdam haerebat oratio. Nunc cum intelligam, & tibi probatam esse excusationem meam, & te tamen sic quoque cupere a me aliquid litterarum, non deero hac in parte officio meo; & quoniam aliud nunc quidem scribendi argumentum nullum est, petam a te, ut ignoscas mihi, quod morem ge-

rere tibi tantopere cupienti non potuerim; & ut aliis rebus, cum tibi commodum erit, experiaris voluntatem erga te meam. Mihi crede, quidquid tibi a me praestari potuerit, si quid modo potuerit, uno posthac verbulo consequeris. Vale. Romae Cal. Aprilis 1584.

Hujusmodi Epistolam aegre tulit Scipio de Montibus. Itaque cum eam edi curasset, operis jam supra memorati pag. 213. tum in Auctorum Indice meminisse voluit repulsae, quam passus fuerat a Mureto, his verbis:

Marco Antonio Mureto *e assai dotto, e scrive molto Latinamente, siccome i molti suoi scritti ne fanno fede: ma la scusa ch' egli si fa con D. Scipione, ch' egli non scrive in questo libro, per esser Prete, e vecchio, e molto vana; perche molti Prelati carichi di molti anni, e di molto senno, e di vita santissima, hanno scritto in verso le cose loro, e sono venuti volentieri a celebrare questa gran Donna, siccome si vede in questo libro.*

M. AN-

M. ANTONII MURETI

AD

D. LAMBINUM,

ET

LAMBINI AD MURETUM

EPISTOLAE.

(*) Has epiſtolas ſumſimus ex libro rariſimo, qui inſcribitur: *Epiſtolae clarorum virorum, quibus veterum auctorum loci complures explicantur, tribus libris a Joanne Michaële Bruto comprehenſae: atque nunc primum in lucem editae. Lugduni apud hered. Seb. Gryphii.* 1561. 8. Muretus etſi harum epiſtolarum editione aliquam nomini ſuo labem aſperſam eſſe dolebat, tamen injuriam a Lambino ortam, quoad ille vixit, tacitam habuit & diſſimulavit. Verum octodecim annis poſt, cum, Lambino mortuo, impune mentiendi facultas eſſet, non dubitavit in Epiſtola ad Jo. Nicotium ſcribere, has ipſas epiſtolas non a ſe ſcriptas eſſe, ſed a Lambino improbe confictas. Vide hac de re accuratiſime diſputantem Monetam ad Menagiana T. IV. p. 222. Checcotius, qui easdem in ſuam Mureti Editionem retulit, ultimam Lambini ad Muretum, qua nulla memorabilior eſt, credo, ut Mureti famae parceret, omiſit,

M. ANTONIUS MURETUS

DIONYSIO LAMBINO MON. STROLIENSI S. D.

NAe tu mirificus homo es. Certo scio, atque hoc magis, ac magis in dies perspicio, & paene oculis cerno, te rerum mearum, commodorumque meorum studiosiorem & cupidiorem esse, quam meipsum. Quare peto abs te, ut tibi persuadeas, te in dies magis, ac magis mihi quodam modo vim afferre, ut te impensius diligam. Et, tametsi mihi jam pridem videbatur meae erga te benevolentiae, meoque in te studio afferre non posse incrementum dies: amorem meum tamen in horas augeri sentio. Sed hunc sermonem in aliud tempus reservemus. Jamjam puerum mittam ad eum, qui ἐπιστολὰς praeest, ut cum primum venerit ille (scis quem dicam) mihi significet. Velim Cardinalis tuus litteras ad alterum meo nomine det commendatitias. Si quid scribet, &, cum scripserit, si compertum habueris, aut certe suboloratus fueris, quid scripserit, mihi gratissimum facies, si totam rem ad me rescribes sine fuco ac fallaciis, more majorum, aut, ut verius dicam, more tuo. De versibus, & epistola ne dubita. Nihil amplius habeo, quod scribam. Card. tuo verbis quam honorificentissimis meo nomine salutem dicito, & toti ejus cohorti. Nam singulos enumerare longum foret. Quod me mones, ut obdurem, & permaneam in mea posteriore sententia: tu vero

ro memorem mones. Ego compedes ne aureas quidem, libens tulerim. Scribam ad te ἀκριβέστατα καὶ λεπτομερέστατα, quae ego, & is, quem supra designavi, inter nos locuti erimus. Vale. Patavii pridie Nonas Febr. anno MDLVIII.

M. A. MURETUS D. LAMBINO S. D.

De litteris tuis libero te metu: omnes mihi sunt redditae. Niketus venit. De sermone, quem ultro, citroque habuimus, πάνυ μυστηριώδης. Paucissimis verbis confecta tota res est. Ita eum a me dimisi, ut ipse quoque fateretur, nullam omnino in me haerere culpam. Id adeo ex ipsius ad Cardinalem Ferrariensem litteris intelligere poteris, quae ad te una cum his in eundem inclusae fasciculum perferentur. Mi Lambine optime & amicissime, quaeso te, quae, quaenam ego tandem verba reperiam, quibus communi hero nostro, amplissimo, atque ornatissimo Cardinali Turnonio gratias agam? Adjuva me, si quid potes. Nam ego quidem magnitudine beneficiorum ipsius in me obstupefactus, haereo. Tantam fuisse in illo heroë humanitatem, ut, quod ego nunquam neque petere, neque sperare ausus esem, id ipse bis jam, primum apud triumviros gymnasii Patavini, deinde apud Card. Ferrariensem suapte sponte fecerit? Itaque, ne vivam, si non dies, noctesque cogito, quibus modis & me gratum ostendere, & conservare tam prolixam ipsius erga me voluntatem queam. Scribere ad eum vehementer cupio. Sed mehercule tantum me ei debere sentio, ut verba mihi desint idonea. Veruntamen constitui scribere, idque quam primum. Interea, mi Lambine, peto abs te, ut cures, ne suam erga me voluntatem immutet. Nam Deum immortalem testor, si is me amare desinet, vitam mihi insuavem futuram. Meas ad Card. Ferrariensem litteras tibi mitto, vulgari Italorum sermone scriptas propterea, quod Niketus mihi, ut ita facerem, auctor fuit: una cum eis Niketi ad eum litteras in eundem fasciculum inclusi. Neutras obsignare volui. Volebam enim te utrasque legere. Si tibi videbitur mea interesse illas Card. tuo & meo recitari, per me facias licet. Usus sum modica παῤῥησίᾳ. Sed quid agas? Non possum eam meo ingenio vim afferre, ut non libere quod sentio, scribam. Posteaquam

quam utrasque legeris, peto abs te, ut eas annulo tuo obsignes, Florentinumque roges, ut in fasciculum tui Cardinalis conjiciat, & Ferrariam perferendas curet. Scribito ad me quam saepissime tuo more. Ego rescribam meo. Vale. Patavii Idib. Feb. anno MDLVIII.

D. LAMBINUS M. ANTONIO MURETO S. D.

Nihil erat, quod scriberem, sed te imitari volui, atque idipsum scribendum esse existimavi. Expecto tuam ad lectorem epistolam, & versus, tum de illo loco τὸν προτιθέντα νόμον διαθῆναι καλῶς, qui est fol. 98. & de nomine διάταξις, quod jam contentionem *Latine reddideram, quid sentias. Nondum venerunt ab illo (tenes quem dicam) litterae. Simul ut venerint, quid in eis scriptum fuerit, odorabor. Sagacem me dices fuisse. Verum quid ad te? Nunc expeditus, nunc liberatus es. Nullus est illi de te querendi relictus locus. Jam vero de Franc. Turnonio Card. is te in ore, is te in oculis. Nunquam hic de litteris sermo habetur, quin continuo de te mentio fiat & honoris, & amoris plena. Omnes ejus familiares & comites tibi omnia laeta & secunda exoptant: teque, quia ad majora natum existimant, tendiculis illis, & plagis, quibus captabaris, extricatum esse, magnopere laetantur. Tuas ad illum acutissimas & prudentissimas litteras Cardinali meo recitavi. Probavit. Easdem paucis quibusdam (quos nosti) legendas dedi. Negant quicquam majore consilio a quoquam fieri, aut scribi potuisse. Gaudent, te tuam libertatem ei homini non commisisse, qui, cum te primum cupide & honorifice arcessivisset, atque ultro appetivisset: deinde fastidiose propemodum exclusisset: idem postea mutato iterum consilio revocarit. Praeterita igitur omnia tibi ita pulchre & honeste ceciderunt, ut nihil intervenire possit, quod tantam εὐτυχίαν conturbet. De futuris, quae sunt πολλὸν τὸ μέσον λύειν consecutura, dormito (si me audis) in utranque aurem. Dii immortales in te omnia naturae bona contulerunt: fortuna te adjuvat, virtus tibi non deest, consilio abundas, ingenio praestas: tantum tibi, ne ab invidis ac malevolis opprimare, magnopere cavendum est. Quod hac una ratione facillime assequeris, si neminem sciens laeseris: si integre, pie, temperanter vixeris: si de-*

ni-

nique totus teres, atque rotundus fueris, ne quid in tua vita criminis, atque adeo ſuſpicionis haerere poſſit. Hoc inſtitutum ſi tenebis, nihil eſt, quod τῶν δυναστῶν τύτων φλοῦτον ἐνδεὴς καὶ τύχην ἀτυχὴς deſideres. Quanquam cui haec ſcribo? nempe ei homini, qui quanti κίβδηλα ταῦτα καὶ παραχάδη εὐτυχήματα aeſtimet, re declararit. Sed videto primum ut tibi conſtes: deinde ut Turnonii Card. qui te tuae virtutis opinione incenſus unice diligit, cohortatio purgatam crebro tibi perſonet aurem. Nihilne praeterea eſt, quod ſcribam? nihil, niſi quod miratus ſum, & miror etiam nunc, te, cum ego de Gallo quodam nuper ad te ſcripſiſſem, hoc eſt, noſtrate, ita mihi reſcripſiſſe, veſtratem hominem. Amabo te, non tu etiam Gallus es? Quid reſpondebis Lemovicibus civibus tuis ex Italia te revocantibus, ac vendicantibus? Gallum te eſſe negabis? Romanum, aut Venetum, aut Patavinum eſſe dices? Audio. Duarum civitatum eſſe jure civili poſſe eſſe neminem, & ſtatim, ut quis in aliam civitatem receptus ſit, illius civitatis, cui ſe dicarit, civem eſſe, ſcio. Sed quando civis Romanus, aut Venetus factus es? Quodſi neque Romanus, neque Venetus, neque alius civitatis civis es, relinquitur, ut aut nullius, aut ejus civitatis ſis, quae te ſuſcepit, quae edidit, quae aluit, quae inſtituit, quae denique talem, qualem nunc admirantur exterae nationes, perfecit, ac perpolivit. Dices te nullo tuo merito ab ingratis Gallis eſſe e patriae finibus ejectum, atque expulſum. Non eſt ita, mi Murete. Non enim, ſi poenam legibus iis, contra quas nihil (ut ego quidem arbitror) commiſeras, conſtitutam, voluntario exilio declinare, quam inimicis tuis jugulum praebere maluiſti: non ſi certorum hominum tuae praeſtantiae, & gloriae invidentium conſiliis occultis, & inſidioſis cedere, quam vitam tuam praecipiti & turbulento judicio committere, tutius eſſe duxiſti, idcirco exul es. Exules ſunt facinoroſi homines, flagitioſi, ſcelerati, ſicarii, venefici, impuri, impii: Te, quem olim Galli litteris dediti praeſentem attentiſſimis, atque avidiſſimis auribus audierunt: nunc abſentem ſollicitis animis deſiderant, & calamitate levatum volunt: quem Veneti per quadriennium, modeſtiſſimum, continentiſſimum, integerrimum, religioſiſſimum, innocentiſſimum cognoverunt: quem principes, & pontifices ſecum vivere, ſibique contubernalem eſſe cupiunt: cujus litteris, ſermone, con-

congressu delectantur: cujus doctrinam cum singulari eloquentia conjunctam admirantur: quem incredibili amore complectuntur, quis exulem appellabit? Dices haec praeclare, & magnifice dici: te interea tamen patria carere. Atqui aliud est carere, aliud perpetuo carendum esse. Non dico hoc temere. Audivi cum diceret Franc. Turnonius Card. sese pro sua erga te benevolentia, habere in animo, omni studio elaborare, ut tibi pateat in Galliam reditus: idque ut obtineas & cum Rege, & cum Pontifice Maximo Pio IV. *diligenter acturum: utriusque autem auctoritate in hac causa usurum, ut tu non solum poena, verum etiam culpa, si quid forte abs te peccatum est, liberatus, in Gallia nostra reliquam aetatem agere possis. Itaque nisi tibi deesse voles: nisi patriam tuam tibi ultro dextram porrigentem, complectique cupientem aspernabere, magnam te video & ejus recuperandae, & vivendi cum tuis facultatem esse habiturum. Atque hac de re ego, Villarius, & Sandrinus nudiustertius accurate locuti sumus, quem sermonem tibi totum perscriberem, nisi ad congressum nostrum potius reservandum esse existimarem. Fuit enim in te & honorificus, & amoris plenus. Cum igitur haec ita sint (fui enim longior, quam debui, atque adeo, quam volui) velim mihi quam primum respondeas, quamobrem, cum ad me scriberes, Gallum hominem vestratem potius, quam nostratem dixeris. Vale, a. d.* X. *Kalend. Mart. in Corneliano.*

M. A. MURETUS D. LAMBINO S. D.

Respondebo iis potissimum tuarum litterarum capitibus, quae mihi videntur maxime responsionem flagitare. Vestratem hominem eo dixeram, quia tu, & ille Belgae estis. Nam quod ad Galliam attinet, ego & Gallus sum, & me, quam diu vivam, Gallum profitebor. Sed gaudeo, te id quod scripseram, in eam partem accepisse, & occasionem hinc tibi natam esse scribendi ad me de honorificis, & amicis sermonibus, quos tu, Villarius, & Sandrinus de me habuistis. Ego quidem neque illis, neque tibi gratias agere debeo, ne pro salute ipsa, cujus mihi vel pariendae, vel restituendae a vobis consilia capiuntur, vili munere defungi velle videar orationis. Vulgaribus & usi-

usitatis beneficiis gratiarum actio debetur: hoc, quo majus homo ab homine accipere nullum potest, ὡς δαιμόνιόν τι, silentio potius est & cogitatione venerandum. Sed quod meam super ea re sententiam requiris, dicam. Ἐγὼ περὶ μὲν τῷ ἐπανέρχεσθαι εἰς τὴν πατρίδα εἶδον πόλλ' ἂν, εἰς ὅσος εἰκεῖν, ἐφράντισα, καὶ αὐτὴν τὴν ἐπάνοδον ὑ περὶ πολλῷ ποιοῦμαι, τὴν ἐμὴν τύχην παραμυθούμενος τῷ τῶ καιρῶ, Πατρὶς γάρ ἐστι πᾶσ' ἵν' ἂν πράττῃ τις εὖ. καὶ μὴν ἄλλο τὴν ψυχὴν διαπίμπτος τὴν τῷ ἐπανέρχεσθαι δύναμιν ἵν μοι τῶν ἐν τῷ βίῳ ποθεινοτάτων εἶναι νομίζω, ac, quod, si liceret, nunquam tamen fortasse facerem, id non licere, vix satis aequo animo fero. Ego autem constitutum in animo habebam, annos aliquot expectare περὶ τῷ τὰ τοιαῦτα κινῆν, atque eniti, ut mea bona existimatio, & fama bonorum mihi ad hanc rem adjumento esset. Veruntamen tuo judicio rem omnem permitto. Interea velim ex te audiat P. Villarius, quantum ego, & mihi conscius sim, & profitear me sibi debere, quamque beatum me futurum putem, si mihi aliquando referendae gratiae potestas detur. Eum igitur, & Jannoctium, & Laureum, & Torodem meis verbis salvere jubeas velim. Vale, mi Lambine, omnium meorum amicorum amicissime. Patavii, a. d. VII. Kal. Mart.

M. A. MURETUS D. LAMBINO S. D.

Tuas litteras hodie accepi. Meas puto heri a prandio tibi fuisse redditas cum iis quas ad Rufillum dabam. Videor mihi tuis omnibus respondisse saltem ad ea capita, quae responsione aliqua indigere videbantur: nisi quod non satis commemini, scripserim, necne περὶ διατάσεως, quam *contentionem* interpretaris, lib. nono de morib. ad Nicom. Quo de nomine, cum me in omnes partes cogitatione converterim, nihil potui reperire melius tuo. Nam de illo loco, qui est in extremo decimo, ὅτι τινα καὶ τὸν πρωτεύοντα, potestne cuiquam (Perionium semper excipio: de quo ita sentio, nihil posse esse tam absurdum, quod non ei interdum & veniat in mentem, & probetur.) Sed potestne cuiquam dubium esse, quin ita intelligendus sit, ut tu censes? Quin Argyropulus quoque & Aretinus a te faciunt. Divus Thomas autem more suo fecit, ut ex interpretatione neque bona, neque vera, bonam tamen & ve-

ram

ram ſententiam eliceret. Itaque eum quoque habes aſtipulatorem. De his hactenus. Litteras Cardinalis Ferr. ad me, & Sandrini ad te, cum tuis accepi. Utrasque remitto. Eas, quas princeps ille clariſsimus mittit ad me, leges: & lectas remittes, ut easdem conſiderem per ocium, & reſcribam. Quicquid conſilii cepero, tu primus eris particeps, & conſcius, quemadmodum amicitia noſtra poſtulat: ex qua equidem majorem in dies & fructum, & ſuavitatem percipio. Simulatque remiſeris, (quod cras fiet, aut perendie) aggrediar ad reſcribendum, ſimulque de eodem oleo, & opera ſcribam aliquid ad communem herum noſtrum, Cardinalem Turnonium. Sed te mihi adjutorem eſſe neceſſe eſt in re levi & puſilla, quam tamen ipſe per me non ſatis commode explicare poſſum: id eſt, in litterarum inſcriptione. Niketus cum ad Card. Ferr. Gallico ſermone ſcriberet, in inſcriptione ſuarum nihil, praeter vocem *domini* iteratam, ad nomina illa ſolemnia & neceſſaria, *Card. Ferr.* adjunxit. Ejusne exemplum ſequi debeo: an magnifica illa verba adhibere Italis uſitata, *Reverendiſſ. Illuſtriſſ.?* Inepta haec καὶ φορτικὰ eſſe intelligo: ſed tamen ne in his quidem minimis rebus ruſticus videri velim. Vale. Patavii a. d. v. Kal. Martias.

M. A. MURETUS D. LAMBINO S. D.

Tuas omnes litteras accepi: hoc primum. Sequitur nunc, ut ad eas reſpondeam. Quando vir clariſſ. Card. Turnonius praeciſe, & ſine ulla exceptione jubet, ut dedam me Hippolyto Eſtenſi Card. Ferrarienſi, geram ei morem τὸν θεῖον. Hoc enim tibi perſuaſum habe, mi Lambine, Cardinalis Turnonii voluntatem mihi, quandiu vivam, inſtar Helicae, aut Cynoſurae cujusdam futuram, ad quam totus conſiliorum meorum curſus dirigatur. Quod imperabit ille, ſi modo in mea poteſtate erit ſitum, faciam, quoquo modo potero. Quin etiam ſi mihi ea imperet, quae facultatem habere non videantur, ea tamen efficere conabor, non perficiendi ſpe, ſed obtemperandi voluntate. Hoc certum, hoc deliberatum, hoc fixum eſt. Hac de re ego ad eum triduo, aut quatriduo ſcribam: ſimulque ad Cardinalem Ferrarienſem litteras dabo. Hoc ipſo die

ſcripſiſſem: verum extra occupationes, quibus diſtrictus ſum, ita me Deus amet, ut cum ad hos populi primores ſcribendum eſt, nihil mihi venit in mentem, quod ſcribam, niſi diu, multumque meditato. Interea pro me ſpondebis, ac recipies Cardinali tuo, me, quod vult, facturum; tum tu priſtinam tuam erga me voluntatem retinebis. De obligatione illa altera noli laborare. Mecum erit iſte labor. Fata viam invenient. Atque etiam confido, me eis ſatisfacturum, qui videantur de me jure queri poſſe. Mittas ad me velim epiſtolam illam Gallicam, in qua de me fit mentio. Nihil praeterea video in tuis litteris, quod reſponſionem deſideret. Amo te immenſum quantum: teque orarem, ut paria redderes, niſi exploratum haberem, te tua ſponte facere. Salutem omnibus meo nomine: ſed inprimis P. Villario. Quid ſibi vult autem tam ſubitus, atque inopinatus veſter ex Italia diſceſſus? Jocone, an ſerio iſta ſcripſiſti? Si quid eſt τῶν ἀποῤῥήτων, taceo: ſin, fac ut ſciam. Vale. Patavii pridie Kal. Mart.

MURETUS LAMBINO S. D.

Jam ſcripſeram ad liberos Valgriſii, cum allatae mihi ſunt tuae litterae. Itaque etſi valde ſperabam, meis precibus nihil opus fore, tamen, quod erant jam ſcriptae litterae, mittendas cenſui: idque feci. Aſſuefieri paulatim aures tuas, quaſique occalleſcere, gaudeo. Manutius heri ad me ſcripſit, ſi quid mutare vellem in notis illis meis ad Terentium, aut ad eas aliquid addere, ut primo quoque tempore facerem: ſe de eis denuo propediem excudendis cogitare. Denuncio igitur tibi, ſi quid adjuvare in ea re me potes, (potes autem plurimum) ut facias. Alliano noſtro, quem talem tibi videri, qualis mihi ſemper viſus eſt, id eſt, optimum, ac modeſtiſſimum virum, inprimisque φιλόφιλον, immortaliter gaudeo; ei igitur plurimum meo nomine ſalutis imperties. Vale, amicorum meorum optime, & integerrime. Id. Mart. Patavio.

MU-

MURETUS LAMBINO S. D.

Sciebam, me illud de *irritandi* verbo alicubi legisse: sed nolebam obstinate contendere, nisi locum etiam ipsum indicare possem. Hodie reperi. Est autem in iis, quae notavit Pierius in librum decimum Virgilii, his verbis: Irritatque virum telis. Impressi codices omnes, irritat, geminato r. scribunt: sonet ut de nare canina littera. Irrito tamen ab ira est. Haec Pierius. Sed tamen scrupulus adhuc aliquis meo in animo insidet, propter verbum, *Prorito*, ne forte ambo ex eodem fonte fluxerint. Tu cogitabis. Sed amabo, quid tibi venit in mentem, ut juberes, a me concerpi, quae in notis illis tuis Terentianis minus probarem? Ego vero omnia ita approbo, ut nihil supra. Itaque, quae ad meum institutum pertinebunt, iis utar: cetera ad usum meum asservabo, idque ἐν ἀσυμπλόκοις. Cucuronis nostri munusculum mihi longe jucundissimum fuit: idque velim abs te ei omni asseveratione affirmari. Profecto quibuscunque locis putabo testimonio meo, ac praedicatione aliquid ipsius nomini celebritatis afferri posse, non deero. Ita enim eum in arte illa, cui se dedit, excellere video, ut sit cum iis, qui principes habentur, meo quidem judicio conferendus. De viginti quattuor illis librorum tuorum exemplis noli laborare. Ego rem, cum tu voles, confecero: idque ad me recipio. In his litteris aliena, ut vides, manu usus sum: quod recenti a prandio ne scriptio mihi non satis firmo obesset, verebar. Saluta mihi communes amicos, & vale. Idib. Apr. Patavio.

MURETUS LAMBINO S. D

Quod ad te rarius scribo, quam aut tu cuperes, aut amicitia nostra fert: peto a te, ne id potius negligentiae, quam negotiorum, quibus assidue premor, multitudini adscribas: nam illud non puto petendum esse, ut ne quid propterea de amore erga te meo imminutum putes. Ego enim si quicquam tale suspicarer, mihi crede, istuc accurrerem, tibique modis omnibus probare conarer, te mihi ita carum esse, ut vix ipse tibi sis carior. Quare noli, si

quid unquam de te bene merui, si me mihi carum vivere cupis, si me salvum vis denique, noli deponere eam voluntatem, quam erga me jam pridem suscepisti. Ego te eximie amare, ita uti tua eximia virtus promeretur, non desinam, nisi ipsemet amare me desinam: quod tuus Aristoteles ait esse τῶν ἀδυνάτων. Propediem mittam ad te Catullum, Tibullum, & Propertium cum scholiis quibusdam meis: in quibus est aliquot locis facta tui mentio. Sed, amice magne, noli quicquam elimatum, aut elaboratum exspectare. Omnia vulgaria ac protrita, & a Decimo Laelio, non a Persio, legi digna. Quae tamen tu, qualiacunque sunt, quia nostra sunt, probabis, & non invitus leges. Vale. Illustrissimo Cardinali si meo nomine salutem dixeris, erit gratissimum. Villarium item, Laureum, Torodem, ceteros mihi diligenter saluta. Donatum Jannoctium nuper vidi Patavii. Nam haec scripsi Venetiis in taberna quadam libraria, cum hodie Patavio venissem, hodie Patavium cogitarem. Iterum vale, ψυχή μου πρόφιλεστάτη. Id. Quinctil. MDLVIII.

MURETUS LAMBINO S. D.

Petrum Paganum, quibus apud te laudibus ornaverim, scis: quamque diligenter & accurate tecum egerim, ut eum in amicitiam tuam reciperes, hominemque & probum, & eruditum, & perstudiosum tui toto pectore complecterere. Ejus ego nunc ex aedibus haec ad te scribo: teque verbis ipsius rogo, si quando erit tibi hac iter, ut eum tibi invisendum, salutandum, etiam, si videbitur, domo ipsius aeque atque si tua esset, tibi utendum putes. Mihi crede, cognosces hominem tua amicitia dignum. Nunc cum ex ipso audierim, fore, ut die crastino Hieronymus Amaltheus, ad suos rediens, hac transeat: cumque ita ferat itineris ratio, ut Corneliano quoque eum iter facere oporteat: putavi objectam esse mihi occasionem, qua tibi, qua vobis omnibus, ac inprimis ipsi amplissimo atque illustrissimo Cardinali rem gratissimam facerem. Hic ille Amaltheus est, quem tibi affirmavi, magisque ac magis affirmo, omnium, qui hodie vivant, Italorum, quos ego quidem noverim, praestantissimum poëtam esse: eundemque medicum ἐκ τῆς τυχόντος, immo, ut

ut ille ait, πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Velim, patefacias ei aditum ad Cardinalem: nam & ille non vulgari se honore a te affectum intelliget, si, productus a te, possit ei καταφιλεῖν τὰς χεῖρας: (agnoscis castrense verbum) &, nisi me valde fallit animus, Cardinalis ipse magnam ex ejus sermonibus percipiet voluptatem. Id autem ut facilius fieret, has ad te litteras scripsi, quae Amaltheo darentur, ut eas ipse perferret. Sed coenandum est. Vale. Tarvisii IV. Kal. Decemb.

DIONYSIUS LAMBINUS M. A. MURETO S. D.

Pontifex Vesontionensis, qui Patavium (ut scis) non ita pridem se contulit, ut juris civilis, & philosophiae, & litterarum humanarum doctoribus operam daret: nudius quartus venit in Cornelianum, Franciſci Turnonii Cardinalis salutandi, & invisendi gratia. Erat in ejus comitatu theologus quidam notus mihi nomine tantum, Gilbertus Cosinus. Is non ita longo, postquam in cubiculum Cardinalis cum Pontifice introivit, tempore, me requisivit, ut videret. Inambulabam tum forte hora diei decima sub dio, qua densissimis diffusae ramis arbores locum ab arbitris remotum, ac liberum opacabant. Comes erat nullus, praeter unum libellum, quem mecum tuleram, ut, si forte deficeret me, quod inter ambulandum animo agitarem, lectiuncula me oblectarem. Aliquot jam spatia confeceram nescio quid meditans nugarum, totus in illis, cum puer currens nunciat mihi, Pontificem Vesontionensem venisse: quendam esse ex ejus comitibus, qui me salutare, & convenire vellet: quodsi in cubiculo meo fuissem, ultro ad me venturum fuisse. Quibus auditis, puerum ad eum praecurrere jubeo, eique renunciare, me in propinquo saltu ambulare, & mox affuturum. Ita praemissum puerum e vestigio consecutus sum. Cosinus autem, simulatque audivit de meo, ubi essem, properanti mihi venit ipse quoque cupide obviam. Cum in congressum venissemus, post illa quae ἐν τῇ ἀπαντήσει dici solent: primum multa ille de me, more hoc insulso, in os, & coram: quae ego (nosti enim me πρὸς πᾶσαν κολακείαν δύσκολόν τι καὶ ἀντίτονον ὄντα) perinvitus, & paene dicam, recalcitrans audivi: deinde non pauca de Genua, Robertello, Fallopio, & ceteris. De te per-

cunctans tandem, & μῆκος φωνῆς (longum enim erat, de aliis dicenti aures tam patientes, & facileis praebere: de te autem ab eo, qui Patavio recens veniret, nihil audire:) Sed Muretus noſter (inquam) quid agit? ut valet? nihilne novi ſcribit, quod alios delectet, ipſum laudibus aeternis illuſtret? Ille vero, inquit, Patavio dies aliquot abfuit: quam ob cauſſam, neſcio: niſi quod Patavii diſſeminatus eſt ab invidis (opinor) hominibus rumor de eo non bellus. Itaque nobiles aliquot adoleſcentes Veneti pudentes & boni, qui cum eo vivebant, recepiſſe ſe ad ſuos dicuntur. Muretus autem, cum paucis poſt diebus illos conſecutus eſſet, hoc conſilio, ut ſe purgaret, atque aliquantum temporis, dum rumor ille deferveſceret, Venetiis conſedisſet: Patavium rediit triſtis ac demiſſus. Diciturque prioribus aedibus, in quibus laxiſſime habitabat, relictis, alias anguſtiores conduxiſſe. Haec cum audiſſem, valdeque ea auditione perturbatus, & propemodum exanimatus obſtupuiſſem, & vix tandem me collegiſſem: quaeſivi, certone ſciret, tuos abs te diſcesſiſſe. Negavit ille ſe certo ſcire. Eorum, quae diceret, rumorem ſibi eſſe nuncium, praeterea neminem. Hoc unum ſe exploratum habere, te Venetias profectum eſſe: ibique dies aliquot conſtitiſſe: deinde Patavium reverſum eſſe: aedes tuas non ea, qua ante, frequentia celebrari. Haec mihi theologus ille, quae me plane perculerunt, atque afflixerunt: neque exiollar, aut recreabor prius, quam ex tuis litteris, quid acciderit novi, cognovero. Quamobrem, ſi me amas, fac ut de toto hoc rumore diligenter ad me ſcribas: ut, ſi verus ſit (quod Dii immortales omen avertant) nos ſubveniamus: ſin falſus (quod ſpero & opto) cura, metuque liberemur, & gaudeamus, & tibi gratulemur. Scis, quanti te Fr. Turnonius Card. quanti te faciamus. Meminiſti, commendationem noſtram tibi ad amicitiam & gratiam Cardinalis colligendam magno adjumento fuiſſe. Si ea de te audiet, quae nos rubore perfundant, quid nobis miſerius? Non enim jam nobis erit integrum, Horatio obtemperare illa praecipienti & monenti, Qualem commendes, etiam atque etiam aſpice, ne mox incutiant. *Tenes cetera. Piget me plura hac de re ſcribere. Vehementer ſollicitus ſum: valde hoc nuncio territus. Tu, ut primo quoque tempore mihi metum, in quo nunc verſor, adimas, videte. Significavi tibi aliis litteris, me libros de moribus*

bus ad Nicomachum a me conversos Lutetiam misisse, ut ibi de integro, & quidem emendatiores, quam Venetiis, excudantur: certiorem etiam te feci de Theologorum Parisiensium severitate, seu potius (non enim puto haec Theologis curae fuisse) inimicorum & invidorum tuorum acerbitate, qui nomen tuum e libris meis tolli jusserunt. Vale. Pridie Idus Sext. MDLVIII. *in Corneliano.*

MURETUS LAMBINO S. D.

Primum de iis, quae istuc allata sunt: metu omni te libero. Ego Patavio pedem non movi: nisi quod nuper negotiorum causa Venetias profectus sum. Mei omnes adhuc mecum sunt: nisi quod tres, cum febre correpti essent, ad suos se contulerunt: ut ibi melius curarentur. Nae ego, mi Lambine, singulari quodam sum ad invidiam fato. Nam quid mirum est, istuc pervenisse falsos quosdam de me rumusculos, cum Venetiis, hoc est, in ea urbe, in qua, haec quam vana essent, oculis videri poterat, eadem illa, quae istuc allata esse scribis, disseminata sint? De libro tuo, nodus est ad solvendum difficilis. Dabitur enim magna occasio hominibus quaerendi, quid acciderit: ut satius fuerit me nunquam initio inseri, quam nunc evelli. Tu cogitabis. Catulli exemplaria duo, antequam Venetiis discederem, curavi danda Donato Jannotio: quorum unum, mea causa, sibi asservaret, alterum ad te ferret. Itaque miror, quid factum sit. Litterae illae tuae superiores ad me non pervenerunt. Posthac cum ad me voles scribere, nihil potius, quam ut ad Cavalcantem mittas. Equidem valde conturbatus sum: ac parum abest, quin cogitem in aliquas solas terras, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. Ejus autem rei mihi sese offert occasio sane luculenta. Sunt enim, qui me honestissimo stipendio, in Graeciam conentur abducere. Quid enim faciam, qui neminem laedens, omnibus omnium invidorum, ac malevolorum dentibus petor? Vitae me prope ipsius odium capit. Tu bene vale, ne ego deterius etiam valeam, si tecum minus belle agatur. Cardinalis saltem Turnonius, columen meum, ne me amare desinat, tu cum Villario, Donato, Laureo, Torode, ceteris, quantum in vobis est, prae-

ſtate. Litteras tuas valde exſpecto. Patavii VI. Kal. Sept. quo ipſo die tuas litteras acceperam, quae tamen a te datae erant prid. Id. Sextiles.

D. LAMBINUS MURETO S. D.

Poſtridie quam tabellarius Cardinalis Turnonii Venetias ire ſolet, tuas poſtremas litteras accepi. Itaque eis non potui citius, quam hodierna die reſpondere, niſi vellem meas incertis hominibus committere. De rumore illo, ſcito, me magno metu, magna cura, magna denique animi moleſtia tuis litteris eſſe liberatum. Dii male faciant iſtis talium ſermonum, qui ad alterius exiſtimationem laedendam valent, artificibus. Atqui, vide quam ſis incautus: immo vero, quam credulus, & ἀνόητος. Is, qui mihi primus hanc fabulam narravit, dicebat, ſe eam Patavii e quodam, qui te quotidie inviſere ſolet, & quo tu familiariſſime uti conſueviſti, accepiſſe: nomen ſe negabat ſcire. Tantum in Mediomatricum finibus natum eſſe dicebat: eumque ſic mihi deſcribebat: brevi collo, capite obſtipo, rufo capillo, ſparſo ore, caeſiis oculis, naribus amplis, atque obtuſis. Huic homini, ſi ſapis, cave quicquam poſthac credas: qui tibi domi tuae blanditur, foris obtrectat: fronte, & vultu amici ſpeciem prae ſe fert, conſilio & voluntate inimicus eſt: verbo & ſermone liberalis, humanus, & officioſus eſt: re, & factis illiberalis, inhumanus, & capitalis eſt: cujus denique blanditiae inſidioſae, oratio infidelis, congreſſus peſtilens & perniciosus. Is quidem, quod in eo fuit, te propemodum perculit, atque evertit. Quod niſi tua innocentia, integritas, veritas denique tibi mature ſubvenisſent, periculum erat, ne macula ſempiterna tuo in nomine, tuaque in fama haereret. Nunc autem tot clariſſimorum & graviſſimorum virorum, quibus tu notiſſimus & cariſſimus es, teſtimonio convictis, atque compreſſis invidorum tuorum obtrectationibus, falſisque criminationibus, tua vivi quidem vox, oratio, conſuetudo praeſtantibus & principibus in repub. viris erit optabilis & jucunda: mortui vero gloria creſcet, & vigebit memoria hominum ſempiterna. De libro, quid futurum ſit, neſcio. Scripſi quidem ad eos, qui Lutetiae negotia mea gerunt, ne patiantur excudi potius, quam tan-

tanta injuria tibi inferatur: Unum vereor, ne, quo tempore meae litterae ad eos pervenient, res jam non sit integra. Quod si accidet, quid consilii capiendum censes? aut quo modo, quod erit ab illis inceptum, revocari, & corrigi: quod factum, infectum esse poterit? Scis, hoc belli tempore, cum ex Italia longo flexu, longoque circuitu per Rhaetos, & Vindelicos itur in Galliam, litteras Romae vix vicesimo die Lutetiam pervenire: ut omittam sexcentos casus, qui in tam longo itinere nec opinato intervenire possunt. Omnino res difficilis, ut scribis: eoque difficilior, quo minus loci consilio relictum est. De invidis, dubium istuc quidem non est, quin ab hoc genere acriter oppugneris. Sed quid tum postea? num tibi iccirco aut Italia, altera tua patria, relinquenda est: aut in peregrinas terras cogitandum? Quasi vero locus ullus sit in orbe terrarum, quem quidem homines incolant, ab invidis purus & vacuus. Nam quod scribis parum abesse, quin solas terras cogites, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audias: consilium tuum laudarem, nisi homo natus esses, non fera: aut si in solitudine homo humanitate politus vitam agere posset. Multa nobis in hac vita, Murete, natura commoda: multa incommoda proposuit. Multa nos suavia & jucunda in vita retinent, multa perpessu aspera, atque acerba vitam odiosam, amaram, atque insuavem reddunt. Sed sapientis est, cum his incommodis tot hujus lucis opportunitates & commoditates compensantem, & comparantem, vitae dulcedine, dum licet, frui: quae in ea sunt aliquanto amariora, animi aequitate condire. Dum hominum genus erit, invidia praestantissimum quenque insequetur & petet. Quam una ratione facillime placabis, si te inertiae, desidiaeque, virtute relicta, dedideris: hoc est, si contemni, & latere, quam in pretio esse, & excellere malueris. Quod te facturum non puto. Novi enim tuos ad virtutem, & veram laudem impetus. Quodsi mutare consilium velles, tibi tamen non liceret. Non enim tibi jam integrum est, tot scriptis, tanquam tuae constantiae obsidibus, implicato, atque irretito, totas vitae tuae rationes conturbare, novamque ac longe dissimilem vivendi viam inire. Reliquum igitur est, ut, quem a puero vitae cursum instituisti, eum constantissime tenere perseveres: vitae integritate, innocentia, continentia, pietate, invidorum morsus & criminationes, quoad ejus fieri queat,

debilites: clarorum, potentiumque virorum amicitia, opibus, auctoritate tuum ocium ſuſtentes, tuas fortunas augeas, tuum caput tegas, tuam vitam munias. Vale. a. d. XV. *Kal. Sept.*

MURETUS LAMBINO S. D.

Mihi iratus es, ſcio: & quidem merito. Nihil enim totos hos duos menſeis ad te ſcripſi. Verum ſi ſcias, quam fuerim occupatus, tantiſper dum Venetiis fui, non in libris meis Variarum Lect. deſcribendis, ſed in ambulationibus, ſeu potius in trajectionibus Venetis, in ſalutationibus obeundis, in ceteris officiis praeſtandis, quibus me hi juvenes patricii diſtrictum tenuerunt, tum te mihi aequum, placatumque praebeas. Dices, me ex meis neceſſariis occupationibus ſemihoram ſuffurari, eamque in ſcribendo inſumere potuiſſe. Quid tibi reſpondeam vis? Dixi me pigrum proficiſcenti tibi: dixi talibus officiis prope mancum. Fateor, me omnium popularium, & tribulium meorum eſſe pigerrimum, maxime in ſcribendis epiſtolis. Quid tum? animi hic morbus eſt. Praeclara vero laude dignus ſit, qui amicos ſuos amare deſinat tum, cum aegrotent. Non continuo, ſi non ſcripſi, te amare, de te dies, noctesque cogitare, de te loqui, de te ſcribere deſtiti. In eo duntaxat peccavi, quod, cum eſſem plurimis, & neceſſariis negotiis impeditus, &, cum mihi ſcribendi deeſſet argumentum, praeter haec communia, & vulgaria, me valere, tuum eſſe, tibi perbene cupere, & ſimilia, quibus apud nos tali neceſſitudine conjunctos, nihil loci debet eſſe, dies aliquot ſcriptionem, & miſſionem litterarum ſolitam intermiſi. In ſumma, ſi cui culpae ſum affinis, ignoſcito: ſin culpa vaco, iraſci deſinito. Sed haec miſſa faciamus. Mitto ad te unum e libris meis Var. lect. Peto abs te, ut errata librariorum corrigas, quomodo vides in eo, quem ad Fr. Turnonium Cardinal. miſi, eſſe correcta. Sublatis illorum mendis, mea tolles, & de iis me admonebis, quemadmodum amicitia noſtra poſtulat. Turnonii Cardinalis mentionem feci cap. 1. lib. VIII tui, locis tribus, ut legendo cognoſces. Plura exempla miſiſſem, quae diſtribuerentur Villa-

lario, Jannotio, Laureo, Torodi. Sed ſudaſſet gerulus, praeſertim his diebus aeſtivis, quibus *rubra Canicula findit Infanteis ſtatuas*. Alioqui ejuscemodi ſunt mei libri, ut unus uni loco ſit ſatis, ſuperque. Si quis e veſtra cohorte pranſus horam legendo perdere volet, tuum ei commodabis. Praeterea hoc tempore frigidum aliquid quaerendum & providendum eſt ad hos calores tam acreis leniendos: & ego in meis libris ſuſpicor pleraque ita frigida viſum iri, ut vel iſtas aquas quantumvis calidas refrigerare poſſint. Sed, quando in aquarum mentionem incidi, tibine profuerunt aquae iſtae Lucenſes, quibus te dies aliquot uſum eſſe audio? Quo (malum) conſilio, aut qua ſpe, cum valeres, tot aquarum cyathos hauſiſti? quaſi vero vinum, praeſertim refrigeratum, hoc tempore non ſit & melius, & ſalubrius. Veruntamen, ſi bene ceſſit, ut ſpero, & cupio, gratulor. Defeſſus ſum ſcribendo, non tu etiam legendo? Vale, mi Lambine, amicorum meorum prime, & me ama: tibique perſuade, te mihi in animo inſculptum eſſe. Non audeo te orare, ut mihi reſcribas, culpae meae conſcius. Verum ſi tua ſponte feceris, tanto humanius, atque amicius feceris. Cucuroni primum ſalutem: deinde dices, me jamjam ei propinare hoc vini albi liquidiſſimi, & optimi poculum: quod quidem vinum ego nunc in hoc cyatho vitreo video trepidare, & flammae vibrantis in morem micare. Ego te quoque ad combibendum invitarem: ſed utrum ſis etiam nunc δέησίς τις καὶ ἔδεσμα πίνειν, an ad victum priſtinum redieris, neſcio. Iterum vale. Ferr. a. d. XIII. Kal. Sext. anno MDLIX.

LAMBINUS MURETO S. D.

Excuſationem tuam, cur tandiu nihil ad me ſcripſeris, accipio. Itaque jam non ſum iratus. Librum unum Var. Lect. Cardinali dedi: alterum mihi ſervo, gratiamque habeo. Librorum menda, quemadmodum tu praeſcripſeras, fuſtuli. Tua, quae me corrigere voluiſti jocans (ſic enim interpretor) nulla reperi. Pauces tantum locos notavi, in quibus abs te diſſentio. Sed eſt, quod tecum expoſtulem. Miror te, cum ſcires me commentarios in Horatium jampridem ſcripſiſſe, & propediem in lucem proferre, atque

que edere cogitare: cumque adeo pleraque in eis partim meo rogatu, partim tua sponte legisses: amicitiam nostram: age, mitto amicitiam: humanitatem, aequitatem, omnium consuetudinem usque adeo neglexisse, ac parvi fecisse: ut mihi meas vindemiolas praeripere, mearumque vigiliarum fructum praecerpere conareris. Nondum queror de iis, quae a me scripta, & tractata, & occupata tu tibi in tuis libris πλεονεκτικῶς *vendicasti. Estne hominis politi, & communem hominum societatem sanctam, & inviolatam tueri cupientis, parteis alienas sibi ultro arrogare, & vendicare? Libros Variarum lectionum scribere cogitabas. Quam multi sunt alii veteres scriptores, e quorum interpretatione & explicatione libros tuos ita concinnare poteras, ut eum scriptorem, quem ego mihi totum explicandum susceperam, non tangeres? At habebas res quasdam singulares, quas si tum non ederes, verebare, ne tibi nullum fructum ferrent, posteaquam commentarii mei exiissent. At erat tuum, qui te amicum meum profitebaris, amici tui gloriae consulere magis, quam tuae. Verum esto. Pauci sunt, qui gloriae jacturam facere velint. Quamobrem tu, cum Venetias venisses nocte fere intempesta, pridie quam inde proficisceremur: & me dormientem e somno excitasses: in cubiculum meum intromisisus, atque adeo in lectum, in quo quiescebam, receptus esses: totam noctem insomnem duxisemus: complures locos e tuis libris memoriter recitasses: nunquam mihi significasti, te quicquam, quod ad Horatium pertineret, in tuis libris attigisse? Quamobrem haec tacebas, & celabas, cum cetera fere omnia mihi aperires, nisi quod facile intelligebas, te mihi in eis injuriam facere, meque, si quid eorum cognovissem, petiturum abs te fuisse pro amicitia nostra, ut illorum locorum editionem in aliud tempus reservares? Omnino magnum cogitatae jam, & meditatae injuriae argumentum est, me de Horatio esse celatum, cum ceteros prope omneis auctores aperuisses. Verum demus, te laudis, & gloriae studio, quo optimum quenque virum duci videmus, inflammatum, in istam fraudem incidisse. Quid ad hoc respondebis, quod ea, quae in municipio Corneliano apud me legeras, cum Cardinalem Turnonium Ferrariam proficiscens invisisses, paulum immutata in libros tuos transtuliisti? Negare id non potes: &, si negabis, testibus te locupletibus conrguam. Quae quanvis te meminisse sciam, tibi ta-*

tamen in his litteris ordine perſcribam. Primus locus eſt Ode II. *lib.* II. Illum aget penna haud metuente ſolvi, *&c. quem ego ex veteribus codicibus emendavi ſublata negatione. Veterisque ſcripturae rationem pluribus verbis in meis commentariis oſtendi. Eamque emendationem una cum explanatione a me auditam magnopere probavit Cardinalis. Ne te quidem celavi: probaſti tu quoque: & paucis poſt menſibus id totum in cap.* VIII. *lib.* I. *Var. lect. retuliſti. Si quid mentior, Deus immortalis mihi perpetuo ſit iratus. Secundus eſt,* Od. XVII. *ejusdem lib.* Nec diis amicum eſt, nec mihi *&c. ex quo* XII. *caput tui libri* II. *concinnaſti. Tertius eſt,* Od. XXI. *lib.* III. Narratur & priſci Catonis *&c. ex quo caput* VIII. *tui lib.* III. *conflatum eſt: ego autem hanc nominis circunlocutionem annotavi ad Od.* V. *lib.* III. *idque tibi Venetiis demonſtravi. Quartus eſt in Od.* XVII. *epod.* Luxere matres Iliae *&c. quem tractas cap.* XIX. *lib.* III. *Eum tibi totum recitavi in Corneliano domi meae. Quintus eſt Ode* VI. *lib.* III. *ex quo confeciſti caput* XV. *lib.* IV. *quanquam quod ad hunc attinet, non ſatis commemini, utrum eum tibi legendum dederim, necne. Hoc ſcio, me ea de re tecum aliquando eſſe locutum: &, cum Horatium in Corneliano una cum Cardinali legerem, verſus Arati, qui cum Horatianis congruunt, in commentariis meis deſcriptos, ei oſtendiſſe locum illum de poëtis non lacesſendis, de quo tu in* περίεργῳ *cap.* I. *lib.* VIII. *ego ſuo loco, nempe ad ſatyr.* I. *lib.* II. *tractavi: cui rei mihi teſtes ſunt Villarius, Laureus, Jannotius, & ipſe Cardinalis, ſi modo memoria tenent. Haec igitur de te queror. Non enim mihi videris in his, non dico amici, ſed viri ſimplicis, & aperti, & candidi (qualis ego & eſſe, & haberi volo) officio functus eſſe. Quod ſi quando Romam proficiſcemur, & ibi te videbo (quod ſpero brevi fore, propterea quod hic pontifex aqua intercutem, morbo inſanabili, praeſertim in ſene, afflictus, & paene confectus, nullis medicamentis excitari, nec recreari poteſt) ego tibi coram probabo, te amicitiam noſtram laeſiſſe. Interea tamen te amare non deſinam: et, cum te convenero, quibus conditionibus voles, mecum in gratiam redibis. Venio nunc ad ea, in quibus abs te paulum diſſentio. Cap.* VII *lib.* I *vocem Graecam* ἀμφιδάλωτος, *Latinae* bimari *reſpondere putas. Non ita mihi videtur.* Διάλωτος *dicerem potius. Praeterea ſi epithetum* ἀμφιδάλωτος,

quod

quod significat locum undique mari cinctum, convenit Athenis, ut apparet ex verbis Xenophontis, quae tu producis, non potest Corinthio, cum Athenarum situs a Corinthi positione plurimum differat. In primo capite lib. II. *Petri Victorii sententiam, & explicationem verborum Aristotelis in primo de arte dicendi refellis. Non est meum, tantas inter vos componere lites. Ego scripturam, quam substituis, non probo. Denique totum illum locum sic legendum arbitror:* Οὐ γὰρ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν παλαιογράφων, οἵ τὰ τοιαῦτα ἐν τῇ τίχῃ τὰν ἀπιέναι τῶ λέγοντος. *Quorum verborum haec sententia mihi videtur esse:* Non enim ita se res habet, ut quidam magistri, qui de arte scripserunt, existimant: qui non ponunt in iis, quae sunt artis, probitatem dicentis. *Verba autem illa* ὁ γὰρ, *sic esse intelligenda, & in eis subaudiendum esse* ὕτως ἔχει, *vel quippiam simile, ut sit* ὁ γὰρ ὕτως ἔχει, *apparet ex illo loco, qui est lib.* III. *non longe a principio:* Οὐ γὰρ, ὡς ἔφη Βρόμιος, ὕδωρ ἀπεχρολογεῖν. *Jam ea, quae sequuntur,* ὡς ὁ συμβαλλομένους, *&c. meminisli, cum Venetiis essemus, & hos libros in manibus haberemus, me tibi dicere, libri veteris scripturam* συμβαλλομένους *mihi videri veram, & rectam. Cap.* XIII. *ejusdem, vocem* scriptum *pro lapide malim per b. scribi, quam per p. & ita Festi vet. cod. Cap.* XIV. *nomen* coaevus, *quo tu uteris, non puto Latinum esse. Nam quod in orat. in Vatinium vulgo legitur,* nunquam puer, aut adolescens inter coaevos fueras? *mendosa scriptura est: legendum enim est* inter coquos, *seu* cocos, *ut noster Adr. Turnebus docuit. In* XVII. *ejusdem libri apud M. Tull. in orat. pro M. Caelio, censes legendum,* ne quam vocem ejiciat, *non, ut in omnibus libris legitur,* ne quam vocem eliciat: *hoc uno fretus, quod putas M. Tullium haec verba Euripidis exprimere voluisse:* ἀλλ' οὐδὲν φείσεται τὸν ξυνεχῆ χρόνον, Τίμας τέ τ' ἴσον μοῖραν φόβῳ δώσει; *Demus ita esse, non tamen iccirco vulgata & recepta lectio immutanda est. Nam haec verba,* non ipsam domum metuet, ne quam vocem eliciat? *sic interpretabor, nonne Clodia metuet domum ipsam, ne ex ea domo vocem eliciat? & ita locutus est in orat. pro Dejotaro:* in qua quaestione dolor veram vocem elicere possit *&c. & de orat.* dolor & ardor animi etiam ex infantium ingeniis elicere voces, & querelas solet. *Manet igitur eadem sententia, quam tu vis ex Euripide esse expressam, scriptura manente. Nam quod addis,* δόξουσα φανὴν,

φωνὴν, *seu* φθογγὴν, *Ciceronem reddidisse Latine* ejicere vocem: *videtur mihi apud eum usitatius esse* mittere vocem. *Cap.* II. *lib.* V. νύκτα ἄστρων τροφὸν, noctem siderum alumnam *Latine interpretaris:* nutricem *dixissem potius. Nam* alumnus & alumna *sine dubio apud probatos Latini sermonis auctores, eos qui aluntur, significant. Cap.* XV. *verbo* insolescendi *uteris*, & *recte*, & *eo usus sum semel in scholiis meis ad lib.* IV. *Aristotelis ad Nicomach. Nam quod suspicatus sum aliquando, verbum esse inusitatum, indicavit mihi P. Magnus tuus & meus, eo verbo Sallustium usum esse in conjurat. Catil. Cap.* XIX. *ita loqueris:* Aeneae autem, propter singularem ipsius pietatem, eos potius quam cuiquam alii, apparuisse, credibile est. *Primum hoc* apparuisse Aeneae, *insolens: deinde* Aeneae eos potius, *perturbatum: ita enim colloeanda verba fuerunt,* Aeneae autem potius, propter, *&c.* eos apparuisse, *&c. Cap* I. *lib.* VI. *Aristotelis locum ex principio lib.* III. *analyt. puto mendo vacare, hoc modo,* ἐπὶ ᾧ γινομένῳ τὰ μὲν πρότερον γινομένοις, τῶν ᾧ καὶ ἅμα λαμβάνοντα τὴν γνῶσιν. *Cap.* V. *non videntur M. Tullius, & Lysias eodem argumento usi esse. Nam M. Tullius quidem ait, non esse verisimile, M. Caelium consilium de Clodia veneno necanda ejus servis creditarum fuisse: quos sciret licentius, liberius, familiarius, cum domina vivere. Lysias autem eum, qui arguebatur sacram oleam incidisse, sic defendit, non esse credibile, id facinus admisisse: quia servos suos, ejus facinoris conscios: & ita non jam servos, sed dominos per totam vitam habiturus esset. Eodem capite* facinoris *nomen, & flagitii confundis: quasi utriusque eadem sit significatio. Atqui ex lectione Latinorum scriptorum intelligere licet,* flagitium *semper locum habere in re turpi, & cum dedecore conjuncta, ut si quis libidinosus, si quis ignavus esse arguatur:* facinus *autem, cum in vitio ponitur, (nam interdum etiam in re laudabili locum habet, & propemodum idem valet, quod factum) vel audaciam, vel immanitatem quandam non sine cruore, aut certe non sine manuum ministerio, atque opera significat. Uno & altero exemplo contentus ero. M. Tull. orat.* I. *in Catil.* Quae libido ab oculis? quod facinus a manibus tuis unquam, quod flagitium a toto corpore abfuit? *idem pro Milone:* cui nihil unquam nefas fuit, nec in facinore, nec in libidine. *In cap* VI. *ita loqueris*, ad spernendam pro patria vitam. *Dixissem* contemnendam.

dam. Nam ſpernere *dicimur, quod rejicimus, repudiamus, reſpuimus.* Contemnere, *quod nobis vile eſt, quod parvi facimus. Itaque ſic loquuntur boni ſcriptores*, contemnere vitam, pecuniam, honores: *non* ſpernere. *Contra*, ſpernere voluptates, amicitiam improborum, ſtudium malarum artium. *Neque vero me movet T. Livius, qui videtur interdum verbo* ſpernendi *aliter uti. Magis me movent Ennius, Lucretius, Plautus, Terentius, Caeſar, M. Tullius, Virgilius, Tibullus, Horatius. In Cap.* XVIII. *Euripidis loci nihil te adjuvant,* καλὸν ὄνειδος, κάλλιστον ὄνειδος. *Dicam enim ita Latine, ſi quis rem laudabilem mihi vitio vertat, verbi gratia, quod tyrannum interfecerim: vel quod falſam religionem oppugnarim, Chriſtianam & veram defenderim:* glorioſum probrum mihi objicis. *Et contra, ſi quis laudet quempiam, quod patriam prodiderit, aut quod alicui virgini generoſae pudicitiam eripuerit: dicam*, turpes & infames eſſe laudes. *Jam de Aulo Gellio alius erit diſputandi locus. Hoc tantum dicam, in oratione Metelli*, pejorem mihi videri poſitum pro minorem, *ut Graeci* χείρονα *dicunt pro* ἥττονα. *Fugit me admonere te de iis, quae ſcribis in cap. ultimo, lib.* IV. *ubi mihi videris dormitaſſe. Nam verborum illorum Euripidis in Electra,* οὐκ ἐχίεις ἱμὰς λιπὼν βίλος, *non eſt ea ſententia, quam tu putas. Ita enim interpretaris, quaſi ſignificet Oreſtes, cum mater flens ipſum oraret, atque obſecraret, ne ſe interficeret, telum ex ipſius manu fugiſſe: id eſt*, Oreſtem *imprudentem matri necem intuliſſe. Quo nihil abſurdius fingi, aut excogitari poteſt: & miror id tibi unquam in mentem veniſſe. Nam haec ſententia eſt potius*: ita miſerabiles & flebiles voces mittebat: ita me ſuis precibus commovebat mater, ut telum, quod ego diſtrictum tenebam ad eam necandam, paene mihi e manibus excideret. *In Cap.* XI. *lib.* VII. *primum non placet, quod* novos *Graece interpretaris* νέους: καινὰς *potius dicam. Sic enim Plutarch. in Catone majore:* ἐνδόντων ἤ τῶν Ῥωμαίων τὰς ἀπὸ γένους δόξαν οὐκ ἔχοντας, ἀρχομένους ἤ γυμνάζεσθαι δι' αὐτῶν, καινὰς προσαγορεύειν, *&c. Deinde ſententia, quam elicis ex his verbis Q. Tullii Ciceronis, de petit. conſulat.* habes enim ea quae novi: (*deles enim verbum* habuerunt) publicanos, totum fere equeſtrem ordinem *&c. mihi probari non poteſt. Quis enim ita loquitur?* habes ea, quae novi, *id eſt, quae ſcio? Dicerem potius:* habes ea, quae tute ſcis.

ſcis *Poſtremo, nihil puto tollendum: ſed addendam negationem*, non: *quae ex ſimilitudine vocis propinquae*, novi, *a librariis praetermiſſa eſt. Itaque totus hic locus ſic mihi videtur eſſe legendus:* Habes enim ea, quae novi non habuerunt *&c. In Cap.* XVIII. *locum Ciceronis, qui eſt in principio ejus libri, qui inſcribitur Lucullus, ſine dubio corruptum, alio modo corrigis, alio Paull. Manutius. Dicam libere. Neque tuam, neque Paull. Manutii emendationem probo. Ego jampridem propius (niſi fallor) accedens ad ſcripturam corruptam, ſic emendavi. Sed praeſtat verba M. Tullii adſcribere:* Nam quod dicunt omnia ſe credere ei, quem judicent fuiſſe ſapientem: probarem, ſi id ipſum rudes & indocti judicare potuiſſent. Statuere enim, quis ſit ſapiens, vel maxime videtur eſſe ſapientis. Sed ut potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententiis, judicaverunt: aut re ſemel audita, ad unius ſe auctoritatem contulerunt. *Totum hunc locum a principio ad illa verba*, ſed ut potuerunt *&c. integrum & incorruptum eſſe conſtat: ab illis verbis ad extremum, plane mendoſus eſt. Sic igitur eum emendandum cenſeo:* Sed ut potuerint, potuerunt omnibus rebus auditis, cognitis etiam reliquorum ſententiis judicare. Nunc autem re ſemel audita, ad unius ſe auctoritatem contulerunt. *Sententia nunc eſt aperta. Scripturae autem non magna fit commutatio. Vocem* potuerint, *quam probabile eſt a librario, propter ſimilitudinem vocis ſequentis, eſſe praetermiſſam, repono: ex his verbis*, judicaverunt aut re, *facio* judicare. Nunc autem re. *Cap.* II. *lib.* VIII. *ita loqueris:* Ira enim ex opinione injuriae naſcitur: *quibus verbis illa Ariſtotelis (opinor) interpretaris, ὀργὴ ἐστιν ἐπὶ φαινομένῃ ἀδικίᾳ: puto planius futurum fuiſſe, ſi dixiſſes:* ira enim ex opinione injuriae acceptae naſcitur. *De illo loco, qui eſt lib.* II. *rhetor. Ariſt.* ἡ γὰρ αὐτὴ δύναμις τῶν ἐναντίων, ἢ ἐναντία, *de quo diſputas cap.* VII. *diſſentiens a P. Victorio, nondum conſtitui, utrius veſtrum ſententia ſit probabilior. Vellem caput* XXI. *de mulieribus eruditis & libidinoſis, admiſcere tibi non venisſet in mentem. Videris ignorare, quam ſit iracundum mulierum genus. Atqui debebat te miſerabilis Orphei (*) caſus erudire, & a mulieri-*

(*) Mordacisſimum dictum: quod quo pertineat, dicere nolim. Recte cepit Moneta ad Menag. T. IV. p. 225

ribus irritandis deterrere. Sed plura quam volueram: ut minus sit mirum, si me dicam scribendo, te suspicer legendo defessum esse. Haec tantum addam. Scis, libros de moribus ad Nicomachum Lutetiae paulo accuratius & emendatius, quam Venetiis, excusos esse. Veruntamen non usquequaque vacant erratis aut librariorum, aut meis. Ego omnes relegi, & perpurgavi mea quidem sententia. Voi primum Lugduni fuero, curabo, ut de integro excudantur. De Graeca voce φορτικὸς, placet, quod mihi coram dixisti in Corneliano, φορτικὸν uno nomine Latino non satis commode exprimi posse, pluribus posse, ut eum vel ineptum, *vel* stolidum, *vel* ridiculum, *vel* tardum, & pinguem, *& similibus interpretemur. Nomen* διαφορὰ, *quod est pag.* III. *male interpretatus sum,* dissimilitudo. Dissensionem *potius vertere debui. Jam de verbo* παρέζειν, *quod est lib.* IV *in editione Parisiensi* praebere & largiri *repositum est: & Graeco* παρέζειν, *quod est lib.* X. *curavi, ut Latinum responderet* sibi comparare, *seu* parare. *Vale, & me, ut soles, ama, & facito, ut intelligam, te libera amicorum oratione offendi non solere. Lucae. Kalend. Sextilibus* MDLIX.

M. AN-

M. ANTONII MURETI

EPISTOLAE

TRIBUS LIBRIS DISTINCTAE:

Quibus admiſcentur paſſim & aliorum quaedam ad Muretum.

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBER PRIMUS.

M. ANTONIUS MURETUS JOANNI NICOTIO, V. CLAR. CONSILIARIO REGIO, S. D.

EPISTOLA PRIMA.

Multae causſae ſunt, Joannes Nicoti, vir clariſime, propter quas magnorum & illuſtrium virorum epiſtolae expetantur. Sunt, quas ſermonis nitor & elegantia, & nativa quaedam pulcritudo, nullo, ut videtur, artificio exculta, nullis pigmentis colorata commendet. Sunt contra, quae & verborum & ſententiarum minime vulgato genere cultum & artificium oſtentent. Nonnullae etiam ita ſcriptae ſunt, ut hiſtoriam quaſi quandam contineant eorum temporum, quibus ii, qui illas ſcripſere, vixerunt. Atque hae, ſive a diſertis, & ingenuarum artium ſcientia expolitis hominibus prodierint, tanto cupidius leguntur; ſive etiam ab iis, qui lepore ac feſtivitate dicendi caruerint, non tamen propterea negliguntur. *Hiſtoria* enim, ait Plinius, *quoquo modo ſcripta delectat.*

Graves quaedam & philoſophicae, officii praecepta tradunt; falſas opiniones evellunt ex animis; quanta in virtute dignitas; quanta in vitiis turpitudo ſit, docent: quo in genere Seneca excellit. Quaedam, etiamſi ad res modo privatas & familiaria negotia pertinent, excitant tamen hominum ſtudia, propter eorum, a quibus ſcriptae ſunt, auctoritatem. Natura enim comparatum eſt, ut, quos admiramur ac magni facimus, eorum omnia maxima minima cognoſcere cupiamus. Recteque ac vere Xenophon, virorum virtute praeſtantium non ſeria modo, ſed & joca digna eſſe, ait, quae memoriae commendentur. Et certe ſi vaſcula quaedam, quibus illi uſi erant, & alia, quae in eorum ſupellectile ac frivolis fuerant, mortuis ipſis, cupidos emptores invenerunt: quomodo lucernam Epicteti mille drachmis, Protei Stoici baculum talento venditum accepimus: multo magis eorum quamlibet tenues & exiles epiſtolae in pretio eſſe debent. Sed ego haec omnia mecum agitans, cauſam tamen reperire nullam queo, cur aliquem epiſtolarum mearum librum videre multi iſtic, ut ſcribis, elegantis ingenii homines concupiſcant. Sive enim Latinas litteras amant, & ad aliquam Latine ſcribendi facultatem pervenire cupiunt: quisquamne eſt, qui, cum extent Ciceronis, Senecae, Plinii epiſtolae, non dicam ex meis, ſed ex cujusquam, qui his mille annis vixerit, Latinae linguae, aut integritatem, aut copiam ſibi petendam putet? Idem etiam de illo qualicunque ſcribendae epiſtolae artificio dixerim. Quid enim aut Plinio limatius, aut Seneca gravius, aut Cicerone in omni genere perfectius optari poteſt? Gravidarum mulierum morbus ille fuerit, quae, neglectis bonis ac ſalubribus cibis, cinere ſe nonnunquam & carbonibus paſcunt. Ne res quidem ipſae adducere, aut invitare quemquam poſſunt ad epiſtolas meas cupide legendas. Homo enim privatus, qui ita in libris ac litteris conſenuerim, nullam ut unquam attigerim reipub. partem, nullam unquam epiſtolam ſcripſi, niſi quae ad mea non magni momenti negotia pertineret. Quis autem ego ſum, ut, quod poſtremo loco poſui, auctoritate quisquam adductus mea, res meas cognoſcere cupiat? Mitto jam, quod cum in ceteris, tum in hoc praecipue genere ita negligens ſum, ut epiſtolas uno impetu fuſas, raro admodum bis legere; certe quidem nunquam bis ſcribere, ſed ut primum fluxerunt,

runt, liturarum saepe ac macularum plenas, ad amicos mittere soleam. Itaque multum negotii habui in iis, quae ad te nunc mitto, colligendis. Nam praeter paucas, quas familiares quidam mei descripserant, ceterae ab iis ipsis, ad quos missae erant, aut ab iis, in quorum manus, mortuis ipsis, pervenerant, corrogandae, quasque ostiatim conquirendae fuerunt. Quas non ullo ordine aut personarum aut temporum, (neque enim res tanti videbatur,) sed ut quaeque allata erat, & cum eis nonnullas ad me a viris doctrina & auctoritate praestantibus scriptas, in unum volumen congerendas curavi; ut tuae vel voluntati obsequerer, vel auctoritati obtemperarem. Tantum enim & amicitiae nostrae, & prudentiae tuae in maximis muneribus publicis obeundis jam pridem spectatae tribuo, ut nulla in re tibi aut volenti negare, aut suadenti adversari fas putem. Quare quid a me postules, aut quid me facere jubeas, ipse videris: certe, quidquid postulaveris, quod quidem in me situm sit, consequeris. Hoc autem aequiore animo passus sum extare aliquas epistolas meas, quod quaedam multis jam abhinc annis editae sunt pro meis, de quibus scribendis ego ne per somnium quidem unquam cogitavi. Confinxerat eas is ipse (*), qui tanquam a me ad se missas divulgaverat, homo eruditus ille quidem, sed improbus, & natura nocendi ac male faciendi cupidus: cum plurima & maxima officia, quibus a me affectus erat, summis injuriis compensare vellet. Qua de re olim a me graviter objurgatus, multis cum lacrymis a me veniam petiit, laqueo digna commisisse se fassus; cum ei sermoni Hadrianus Turnebus, & Joannes Auratus praesentes interessent. Sed mittamus haec. A te pro amicitia nostra peto, des operam, ne quid istic excudatur pro meo, quod meum non sit. Quid enim futurum est, nisi coërceatur istorum audacia, qui superioribus mensibus poëma quoddam de laudibus Joannis Austriaci, quod ego nunquam legeram, pro meo ediderunt? In quo & mihi & ei, cujus illud poëma est, imposita insignis injuria est. Nunc tua po-

(*) Dionysius Lambinus. Vide quae ad illas Epistolas p. 377. annotavimus. Ceterum hic quoque Mureti mala fides apparet in testibus, Turnebo & Aurato, citandis, quorum ille dudum mortuus erat, hic sanguine & amicitia Mureto conjunctus, nullum testimonii dicendi jus habebat. Id quod bene monuit doctissimus Moneta ad Menag. T. IV. p. 226.

potisſimum fide, diligentia, auctoritate, voluntate erga me fretus, nihil tale poſthac eventurum eſſe confido. Vale. Romae. IX. Kalend. Septemb. MDLXXIX.

JOANNES NICOTIUS

LIBELLOR. SUPPLIC. IN REGIA MAG.

MARCO ANTONIO MURETO,

VIRO ERUDITISSIMO,

S. P. D.

II.

Rem periculi mei me feciſſe ex te audio, quod efflagitatione mea, quas ad plerosque amicos tuos dediſti litteras, tandem in manus hominum venire ſinas. Ego vero, mi Murete, id quid periculi ſit, non ſane video: excidiſſe tibi quidem certe ſingularis hujus erga litteratos omnes beneficii gratiam facile perſpicio, qui iſtam clavam de manibus me tibi extorſiſſe tam ingenue fateare. Nulla enim mehercule earum, quas memoras, cauſſa ſatis juſta, ad premendum tibi unquam fuit. Nam quum jam inde ab adoleſcentulo, unus e noſtris hominibus, Romanam illam amplitudinem ac dignitatem, & quovis ſcribendi, & toto ipſius vitae genere ita ſis conſectatus, ut fato tuo civitate etiam Romana donatus fuiſſe videare, quisquam, quaeſo, erit, qui quum tuas epiſtolas leget, non ex orationis venuſtate (Romana iſta quidem prorſus) & eximiarum atque praeſtantium rerum tractatione, ſingularem & voluptatem & fructum capiat? Quae tu ſumme doctus, ad praeſtantes omni probitate atque eruditione viros ſcripſiſti, quotidieque quin ſcribas, efficere plane nequis, non ex earum quidem commentationum genere ſunt, quibus non amplius quodvis, quam familiarium epiſtolarum nomen, merito debeatur. Litteratorum, Marce Antoni, ac ſtudiis, doctrinaeque deditorum virorum inter ipſos per litteras conſuetudo, quid-

quidpiam egregium atque excellens ſemper habuit, perpetuoque habitura eſt. Id adeo quidem, ut illorum, qui olim extitere, etiam σημεῖα ac θαύματα in rebus opera & oleo noſtro dignis eſſe ducamus. Fuit, eritque, quoad quidem mortales terram colent, cuique ſeculo rerum & publicarum & privatarum, tum earum quoque, quas neutrarum expertes facile dixeris, ſua quaedam norma ac ratio, quam, qui id aetatis degunt, multo certe magis e re ſua condiſcant, perceptamque uſurpent, quam quae longe anteactis ſeculis extitit. Memini equidem me, quum in Luſitania Chriſtianiſſimi Regis Legatus eſſem, non tam in rebus Legationis illius commode gerendis antiquis, vel foederibus, quae cum Luſitanorum Regibus, noſtris olim intercеſſere, vel Annalibus utriusque gentis verſandis, quam quorum aetati ferme ſuppares ſumus, adjutum ac ſublevatum fuiſſe. Enimvero, Murete, nonnihil haud ita diſpar in iſto etiam ſcriptorum genere contingit. Nam quum ad conſuetudines hominum inter ſeſe inſtruendas atque ornandas, quae viri omni doctrina eruditi cum ſui ſimilibus per litteras colloquuntur, magnopere conducant; ipſa autem conſuetudinum colendarum ratio ac diſciplina, nequaquam in aetates ſolum, verum etiam prope jam in annos ſingulos varia eveniat: non tam aut Ciceronis quidem ipſius, aut aliorum, quos refers, epiſtolis, qui nunc inter homines agunt, quam aut tuis, aut eorum, qui tui ſunt ſimiles, qui profecto perpauci ſunt, adjuvabuntur. Non ſunt denique ejusmodi tuae epiſtolae, quae ſeclis innumerabilibus manere, ac, ut Scaevola ajebat, caneſcere nequeant. Itaque tu ne tibi deſis, valde te hortor atque moneo. Meo res omnis plane, quandoquidem ita tibi cavere velle videris, periculo eſto. Etſi vero id me tuto jubere facile ſentio: ea lege tamen ac conditione quodvis periculum abfuturum promitto, ſi, quod nunc agis, id tu multo dehinc etiam prolixius ages, quaeque in iſto genere poſthac ſcribes, diligenter ac ſumma fide ad me perferenda curaveris. Quod autem ſcribis, partum a malevolo, neſcio quo, per ſummam fraudem, ſuppoſitum tibi fuiſſe, qui falſo ſe tuum eſſe dictitarit, id equidem adeo immerito tibi accidiſſe, ut debeo, magnopere doleo. At hercle, ille mihi haud ſatis infidioſe eam fraudem adornaſſe videtur. Qui enim ſcripta tua legerit, vix alterius cujusquam, quantumvis affabre effictum commentum, pro tuo agnoſcet.

potisſimum fide, diligenti
me fretus, nihil tale p
Vale. Romae. IX. Kalen

JOAN

LIBELI

MAR

m hominum, pe
ude dolentium
ti ratio co
ii, mod
ſtra o
ir

, in obſcu
animo, lumen ei u
laud ſane luminoſior usqu
, quo illum animo fuisſe intelligo,
ſua face ei praelucere potuisſet. Non, ut u
urbanis, aeque in litterarum morumque ſtudiis
altius quis tollat, actio ullo unquam jure prodita apud
illum unquam populum fuit. Quin τῦ ἀγαθῦ πατρὸς μὴ
ἀλλὰ ἰφικλῆ ἐξεῖναι, tuus ille, aut ſi certe das, etiam noſter
in Nicomachiis docet. Nihil plane erat, quod malevolus
ille jure queri poſſet, ſi tu, doctrina ſingulari ac ingenii
ſi admirabili, in ſublime te efferens, ipſius (qui ne in
ſecundis quidem fortaſſe conſiſtit) feneſtellis officiebas:
quum ipſi pariter altius tollendi, omnium gentium inſtitu-
iis ac moribus, jus eſſet. Ut ille mihi prorſus ignaviter,
ne dicam nefarie, ſibi proſpexiſſe videatur, qui Patriae,
in qua ambo & nati & educati, quod ſummo ornamento
es, erisque, dum Latinae loquentur litterae, id λίαν φθονερῶς
damno ſibi eſſe exiſtimarit. Sed illum jam miſſum facio.
Tu vero, mi Mureie, qua animi magnitudine polles,
hanc fraude tibi injuriam factam magnifice contemne: ac
perge porro, quo jamdiu contendis, ad palmam, quam
ſanctiſſimi mores, & in omni doctrina exantlati labores
tibi mox in manum dabunt. Me tibi vindicem, quoad
vivam, ſi quidem me ad eam rem idoneum cenſes, non de-
futurum, hoc mihi credas, vehementer velim. Vale, &
me, quod facis, etiam atque etiam ama. Dat. Braiae
Comitis Roberti, pridie Kalend. Octobr. MDLXXIX.

M. AN.

ihi pergratum, si ita ad
ipsis patere, ac tuam,
gratius, quam si me
Ama me, mi Ma.
Prid. Idib. April.

I O.

Heri redeuntem me a Baln..
animi, partim valetudinis causa co..
litterae tuae: quae, quam mihi gratae .. sti enim
rere. Mihi crede: quidquid reliquum e.. si ad
ἐκείνῳ τῷ σωματοφύλακι, ὃ αἰεὶ πρόσθεν ἔμαθες, deteri.. ipse
bebant egregiam sane atque illustrem significationem am
teris illius ac perpetui amoris erga me tui; de quo, en li
mihi nunquam, ut dubitarem, contigit: tamen fit, nescio
quomodo, ut omnis illius expressio (*), quasique professio
pergrata mihi, perque jucunda sit. Ego, mi Manuti,
cum de eo, quod mihi contigerat, retulissem ad medi-
cos, meque illis omni ex parte indicassem, neque quid-
quam de tota mea ratione ac consuetudine vivendi reti-
cuissem: nihil aliud reperire potui, nisi id, quod ipse
per me facile suspicabar: nocere mihi, quod tam raro
exirem domo; quodque, ut me impetus ceperat, ita me,
nulla habita ratione temporis, aut ad legendum, aut ad
scribendum darem. Itaque de eorum consilio meditor
paullo laxius ac solutius vivere; & ante cibum ambulati-
uncula modici sudoris aliquid excitare; praetereaque, cum
videbitur, alienis & oculis legere, & manibus scribere:
quem ad usum parare cogito amanuensem quempiam, cui
epistolas inambulans dictem: nisi si quid erit τῶν ἀπορρήτων:
quanquam haec quoque interdum, sed ὐ αἰνίγματα. An-
tea enim solebam statim a prandio calamum in manum
sumere, & horam unam atque alteram epistolarum scri-
ptioni dare: quo, re ipsa comperi, nihil esse pernicio sius.
Cavebo igitur, &, ut mones, parcam mihi, cum mea
causa, tum mehercules etiam tua. Non enim levem,
neque contemnendam jacturam faceres, si quid mihi con-
tingeret. Φίλω γὰρ ὄντι κτῆμα πρώτιστον. Ego vero amicus
tibi

(*) *Expressio* insolens hoc sensu.

Sunt, mi Murete, peſtes quaedam hominum, per ſummam nequitiam ac inertiam, aliena laude dolentium. Quos tu, cui quidem bene beateque vivendi ratio conſtat, propter magnitudinem & animi & ingenii, moderate feras oportet. Hujusmodi ego hominum monſtra a lacesſitis ulciſcenda minime eſſe cenſeo, quibus ipſis invidia, qua miſerrime peruruntur, ſatis ſuperque perenni ſupplicio eſt. Nam monſtro ſane haud abſimile eſt, in obſcuro Patriam jacere malle, quam ferre aequo animo, lumen ei a praeſtantiore quopiam praeferri. Haud ſane luminoſior usquam Gallia noſtra futura erat, quo illum animo fuiſſe intelligo, quam quantum ille ſua face ei praelucere potuiſſet. Non, ut in praediis urbanis, aeque in litterarum morumque ſtudiis, ne altius quis tollat, actio ullo unquam jure prodita apud ullum unquam populum fuit. Quin τῇ ἀγαθῇ πανταλῶς μὲν πᾶσιν ἱρίτοις ἐξεῖναι, tuus ille, aut ſi certe das, etiam noſter in Νικομαχείοις docet. Nihil plane erat, quod malevolus ille jure queri poſſet, ſi tu, doctrina ſingulari ac ingenii vi admirabili, in ſublime te efferens, ipſius (qui ne in ſecundis quidem fortaſſe conſiſtit) feneſtellis officiebas: quum ipſi pariter altius tollendi, omnium gentium inſtitutis ac moribus, jus eſſet. Ut ille mihi prorſus ignaviter, ne dicam nefarie, ſibi proſpexiſſe videatur, qui Patriae, in qua ambo & nati & educati, quod ſummo ornamento es, erisque, dum Latinae loquentur litterae, id λίαν φθονερῶς damno ſibi eſſe exiſtimarit. Sed illum jam miſſum facio. Tu vero, mi Murete, qua animi magnitudine polles, hanc fraude tibi injuriam factam magnifice contemne: ac perge porro, quo jamdiu contendis, ad palmam, quam ſanctiſſimi mores, & in omni doctrina exantlati labores tibi mox in manum dabunt. Me tibi vindicem, quoad vivam, ſi quidem me ad eam rem idoneum cenſes, non defuturum, hoc mihi credas, vehementer velim. Vale, & me, quod facis, etiam atque etiam ama. Dat. Braiae Comitis Roberti, pridie Kalend. Octobr. MDLXXIX.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

PAULO MANUTIO.

III.

Heri redeuntem me a Balneis Aponi, quo me partim animi, partim valetudinis causſa contuleram, exceperunt litterae tuae: quae, quam mihi gratae fuerint, noli quaerere. Mihi crede: quidquid reliquum erat moleſtiae ἐξ ἐκείνης τῆς συμπτώσεως, ἣ σοὶ πρώην ἐμάτης, deterſerunt. Habebant egregiam ſane atque illuſtrem ſignificationem veteris illius ac perpetui amoris erga me tui; de quo, etſi mihi nunquam, ut dubitarem, contigit: tamen fit, neſcio quomodo, ut omnis illius expreſſio (*), quaſique profeſſio pergrata mihi, perque jucunda ſit. Ego, mi Manuti, cum de eo, quod mihi contigerat, retuliſſem ad medicos, meque illis omni ex parte indicaſſem, neque quidquam de tota mea ratione ac conſuetudine vivendi reticuiſſem: nihil aliud reperire potui, niſi id, quod ipſe per me facile ſuſpicabar: nocere mihi, quod tam raro exirem domo; quodque, ut me impetus ceperat, ita me, nulla habita ratione temporis, aut ad legendum, aut ad ſcribendum darem. Itaque de eorum conſilio meditor paullo laxius ac ſolutius vivere; & ante cibum ambulatiuncula modici ſudoris aliquid excitare; praetereaque, cum videbitur, alienis & oculis legere, & manibus ſcribere: quem ad uſum parare cogito amanuenſem quempiam, cui epiſtolas inambulans dictem: niſi ſi quid erit τῶν ἀπορρήτων: quanquam haec quoque interdum, ſed ὁ αἰνίγματι. Antea enim ſolebam ſtatim a prandio calamum in manum ſumere, & horam unam atque alteram epiſtolarum ſcriptioni dare: quo, re ipſa comperi, nihil eſſe perniciosius. Cavebo igitur, &, ut mones, parcam mihi, cum mea causſa, tum mehercules etiam tua. Non enim levem, neque contemnendam jacturam faceres, ſi quid mihi contingeret. Φίλῳ γὰρ ὄντι κτῆμα πολύτιμον. Ego vero amicus tibi

(*) *Expreſſio* inſolens hoc ſenſu.

tibi ſum, & amicus ex animo: quales admodum paucos eſſe, non injuria querebatur Theognis. De Catullo, exiguam tu quidem mihi diem praefinis: ſed tamen dabitur opera, ut ſatisfiat tibi. Torquatus Bembus reſpondit, ſe cognoſcendi mei cupidiſſimum eſſe, mihique libenter gratificaturum, quacunque in re poſſet. Quod ſcribam, aliud nihil occurrit. Etiam atque etiam vale, mi Manuti. a. d. IV. Kalend. April. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

IV.

De Tibullo & Propertio, *Libenter hoc & omne militabitur bellum*, ut ille ait. Ita enim de me meritus es, itaque aſſidue mereris, nulla ut in re unquam a tuo ſtudio diſcrepare debeat voluntas mea. Sed quaeſo te, quid tu facere cogitas? an forte eadem opera Catullum cum commentario meo; Tibullum autem & Propertium ſine ullo commentario emittere, eosque tres unum in librum conjungere? Tale enim aliquid mihi venit in mentem ſuſpicari. Hoc ſi eſt, non equidem reprehendo, neque improbo; etiam librum puto vendibiliorem fore: ſed tamen novum, ut puto, multis videbitur. Sin alia quaedam tua ratio eſt, fac ut ſciam. Nam, ſi ego recte conjeci, καὶ τῆς σῆς σοφιστικῆς ἐπίτηχον, capiam fortaſſe aliquid novi conſilii, quod tibi non diſpliciturum eſſe confidam. Hodie conſtitutum factum erat cum amicis quibusdam, ut ad Torquatum adiremus una: ſed hoc tempus nubilum, caliginoſum, pluvioſum, vereor, ne illis obſtet, quo minus ad me veniant. De loco Plutarchi mihi quoque cogitanti ac ſcribenti, permirum, perque incredibile videbatur. Accuratius igitur cogitabo, & cras, aut ſummum perendie, totam illam rationem minutiſſime, καὶ τῆς ἀκριβολογίας τῇ μεγίστῃ confectam, ad te mittam. Quid amplius? Uxoris tuae fratrem nondum vidi. Hercules quoque tuus ſexto aut ſeptimo abhinc die venit ad me, neque unquam poſtea rediit. Ego autem, quando praeſenti tibi ſtudium in te meum declarare non poſſum, libentiſſime illud, excipiendis, & καθ' ὅσον οἷόν τε, omni genere officii proſequendis tuis declararem. Quare, etſi, quid eorum cauſſa poſſim, non video, aut potius, nihil poſſe me,

me, prope video: tamen erit mihi pergratum, si ita ad eos scripseris, hanc domum aeque ipsis patere, ac tuam, neque quidquam mihi posse accidere gratius, quam si me ipsi aliquid sua causa facere jubeant. Ama me, mi Manuti, & valetudinem tuam cura. Prid. Idib. April. MDLVIII. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

V.

De Torquato (*) vehementer amo te. Exemisti enim mihi scrupulum sane molestum. Nam subverebar, si ad illum scribens, patris mentionem facerem, quo id ipse animo accepturus esset: ideoque avebam videre epistolam tuam; quae me docuit, metum illum inanem fuisse. Illi igitur Tibullum, cujus principium mittam ad te cras, aut summum perendie. Interea operis, quod agant, non defore, tuarum litterarum sermo declarat. De Propertio videbimus. Summopere cuperem, si commode fieri posset, ut Tibulli principium cum Catulli fine eodem folio conjungeretur. Cujus meae cupiditatis quae causa sit, facile te suspicaturum puto. Esset, ut opinor, munus hoc pacto οὐκ οἶδ' ὅπως ἀνυπαίτητον καὶ μυσταγώγητον. Nihil tamen nisi tuo commodo velim. Quod tot versus deletos miraris, dicam tibi, quid factum sit. E libris, quos ad me misisti, neuter erat, qui non in primo illo folio tam multa ad marginem adscripta haberet, ut verendum esset, ne librarii fallerentur. Concerpsi igitur unum e meis, sed tam multa in eo menda reperi, ut coactus sim mutare consilium. Quod autem numerus versuum non congruebat, eo factum est, ut aliquot delendi fuerint. Nam quod ita cecidit, ut a pentametro inciperet pagina, non consilio factum est, sed casu. Potest autem facile corrigi Characteres tui Graeci sane luculenti; ac dolerem Gallorum nostrorum vicem, quos a te ceteris omnibus rebus jam pridem victos, typorum quoque Graecorum elegantia superatum iri video, nisi plus te, quam plerosque illorum, amarem. Edendi autem Syriani consilium cui

(*) Bembo, cujus mentio clara & supra Epist. 3. cuique dedicavit postea Tibullum suum, infra lib. II. Epist. 12. *Thomas.*

cui tandem diſpliciturum, diſpliciturum vero? immo cui, qui quidem homo ſit, non ſummopere placiturum putas? Germanum illum iterum tibi commendo. Bonus vir eſt, & litteratus: & bene apud eum beneficium collocabis. Sed ego captus dulcedine quadam ad te ſcribendi, non ſentio tempus effluere. Vale. Hercules Podocatharus miratur, te ad binas litteras ſuas nihil reſpondere: neque non tamen facile ſuſpicatur, id quod eſt, te non libenter ſcribere, niſi urget neceſſitas, cum manu tua nunc quidem ſcribere neceſſe habeas. Salvebis ab eo, & a Molinio noſtro. De epiſtolis tuis, noli laborare. Brevi eas habiturus es. Iterum vale. Prid. Non. Maji. Patavio. Anno MDLVIII.

EIDEM MANUTIO.

VI.

Si Pegaſi ſint iſti tui operarii, tamen fieri nullo modo poteſt, ut uno die chartas quinque deſcripſerint, quas heri te accepiſſe oportet: at tuae hodiernae litterae ſignificant opus eis deeſſe. Itaque quid cogitem, neſcio. Chartas quinque, cum iſtic eſſem, apud te reliqui; alteras quinque nudius tertius miſi: tu, ut omnia jam confecta eſſe ſignifices, eras tria folia impreſſa miſſurum eſſe de te dicis. Iterum tibi dico: quid cogitem, neſcio. Nam, ſive illa ad te perlata ſunt: deeſſe illis, quod agant, non poteſt; ſive non ſunt, verendum eſt, ne eodem modo aut intercipiatur, aut pereat, ſi quid amplius miſero. Itaque nihil amplius mittam, dum, quid illis factum ſit, cognovero. Vale. x. Kalend. Maji. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

VII.

Miror, quid acciderit, quod a te nihil hoc triduo litterarum; praeſertim cum adhuc ad binas meas nihil reſponderis; quarum alteras accepiſti cum indice eorum, quae in Catullo peccaverant librarii: alteras cum tertio folio Tibulli. Utinam ne vera ſint ea, quae mihi veniunt in mentem. Nam, vere ut dicam, ſummus amor erga te meus interdum vereri me cogit de firmitate valetudinis tuae,

tuae. Quaeso te, eripe mihi hanc molestiam: & si apud te est, ut volumus, ad intermissum scribendi institutum redi. Ego, cum primum a te litteras accepero, mittam ad te & Tibulli reliquum, & scholia. Vale, III. Id. Maji. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

VIII.

Ego vero te nihil de me tam improbe suspicatum, certo scio: teque omnia scripsisse ἁπλέστατα καὶ ἀφιλίστατα, persuasissimum habeo. Sed quod ea de re scripsi, jocatus sum, non tam in te, quam in me ipsum. Sed quando tu ita vis, omittantur sane haec nomina. Catulli quod reliquum est, ad te mitto. Cetera urgeo. In iis, quae accepi, non admodum multa librariorum menda sunt: nonnulla tamen, sed levis momenti, in Ode Sapphonis tria aut quatuor, quae sane excidisse nollem. At haec relinquamus. Cogito, cui Tibullum, cui Propertium, ex more, dicare debeam: neque satis explicare me possum. Nam ex iis, qui mihi veniunt in mentem, alii σεμνότεροι sunt, alii κενώτεροι. Adolescentes homines velim, ingenio eleganti & non alieno ab his litteris, & totum φιλοδόξους magis, quam φιλοχρημάτους. Omnino Venetiis (*) exeundum est. Nam ista littora plane littora sunt: frustra ares, frustra seras. Tu, si potes, consilio me adjuva. Nam mehercule, si nihil aliud ostendatur, potius amiculo cuipiam meae sortis hoc munusculum deferam, qui me amet, qui mihi bene cupiat, qui mihi saltem gratias agat, quam cuiquam ex istis splendidis, qui omnia sibi ultro deberi putant. Quaeso te, quando ego neque defugio, neque defugiam unquam, quicquid tu voles laboris, suscipe hanc cogitationem caussa mea, &, quid facere debeam, mone. Novi te, ut in ceteris, ita in his quoque rebus acutissimum & sagacissimum. Ubi tu τῇ ἀκρίσει γνώμῃ,

(*) Dedicaverat Catullum suum Bernardino Lauredano, Patricio Veneto, (quaere lib. II. Ep. 10.) aucupans aliquod praemium; sed spe frustratum fuisse, declarant nimirum, quae hic sequuntur. *Thomas.*

μὴ, ut ſoles, conſilium dederis, quicunque erit eventus, aequiſsimo animo feram. Valè. a. d. v. Kalend. Maji. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

IX.

De Propertio quietus eſto. *Libenter hoc & omne militabitur bellum, in tuae ſpem gratiae.* Neque quod dixeram, eo dixeram: ſed tu aliorſum accepiſti: tantum enim loquebar περὶ τῆς ἀσφαλείας. Accipio tamen, quod das, fore, ut tui iſti Pegaſi minus incitate volent. Mitto ad te epiſtolam ad Bembum, ἀνεπιχειρήτως. Mihi crede, ſemel ſcripſi, ſemel relegi: ſed eo fidentius, quod ad te mittitur, tanquam Ariſtarchum, quidquid minus placuerit, ἀβελίσσεται. Per me quidem non interpoles modo eam licet, verum etiam de integro cudas. Tanto melior erit, ſi tua erit; ac ne ſic quidem mea eſſe deſinet. Nam in hoc quidem genere τὰ τῶν φίλων. Quid amplius? Reliqua Tibulli cras mittam, ac fortasſis etiam ſcholiorum partem, ut guſtum aliquem futuri operis capias. Tabellarii urgent. Vale. Molinius te ſalutat. Poſtrid. Non. Maji. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

X.

Cum Venetiis diſcederem, reliqui apud Sixtum Medicem, optimum & humaniſsimum virum, cujus, ut ſcis, hoſpitio uſus eram, libros aliquot tuos, itemque volumen unum mearum variarum lectionum: quae omnia puto jam pridem ad te perlata eſſe. De Dionyſio injeci jam mentionem Cardinali: cum ipſe me de te, tuisque rebus perhumaniter interrogaſſet. Tu, ſi me audis, videbis, ut ne res in longum differatur. Nolim enim contingere, ut alius quispiam occupet. De ſene illo impuro quid vis tibi reſpondeam? Denuo confirmaſſe ſe dicitur. Omnino tamen ſi homo bulla, eo magis ſenex. Sed, o incertam conditionem noſtram! ille exſuccus, exanguis, exhauſtus,

ſtus, ſenio confectus, & ipſe orbis ſenium, qui jam jamque animam efflaturus videbatur, vivit tamen: vivit? imo vero; ſed nolo cetera, quae leviter immutata, pulcre, ut opinor, quadrarent. At Gallorum Rex, integra aetate, firma valetudine, maximis viribus, florentiſſimis rebus ſuis, inopina morte perculſus eſt. Quo quidem caſu valde acciſae ſunt ſpes noſtrae, magnaque hic & animorum & vultuum facta mutatio. Sed omittamus haec. Cum hic ſunt ſtudioſi nominis tui, & ſcriptorum tuorum admiratores maximi: tum M. P. Medicus ὁ τῶν πχίλων, homo & Graecarum & Latinarum litterarum ſcientia excultus, & philoſophus, &, ſi quaeris, mehercules etiam poëta valde bonus, ita te amat, ut nihil ardentius fieri poſſe videatur. Eſt autem natura comparatum, ut, quos amamus, ab iis etiam nos amari velimus. Cupit igitur ad amicitiam tuam mea opera pervenire: & ea re ſcripſit ad te epiſtolam, quam ad te cum his litteris mitto. Videor facturus injuriam humanitati tuae, ſi te orem, ut ad ipſius litteras reſpondeas. Puto enim ſponte facturum. Sed tamen, quia & ego hominem valde amo, & ipſe te magnopere obſervat, mecumque diligentiſſime egit, ut id a te peterem, peto & quaeſo. Quid jam? quid aliud? Nihil, niſi ut valetudinem tuam cures, & me ames, & Aldum noſtrum ſalutes meo nomine; quem ego, mediusfidius, in oculis fero. Vale. a. d. XIV. Kal. Sext. Ferrar.

EIDEM MANUTIO.

XI.

Heri ad te ſcripſiſſem, ſed volui gratificari Lazaro Mocenico, adoleſcenti optimo, ingenioſiſſimo, ſtudioſiſſimo; quod & ipſe incenſus erat cupiditate cognoſcendi tui, & eum ego cupiebam a te cognoſci, de quo me tam ſaepe praedicantem audiiſſes. Hic enim eſt unus propemodum, de quo ego mihi omnia ſumma polliceri audeo: neque metuo, ne me ſpes fallat. Quaeſo te, complectere eum mea cauſſa quam poteris humaniſſime: dignus eſt enim omni benevolentia atque amore. Ingenium ſummum, induſtria mirifica, mores optimi atque incorruptiſſimi. Denique quicquid dici de illa aetate honorifice poteſt, id me de eo dixiſſe, & merito dixiſſe tibi perſuadeto. Ac-

cipies ab eo, quod supereſt Tibulli, & ſcholia mea in primum librum: de quibus cupio audire judicium tuum. Quid eſt, quod hodie ad me Molinius ſcripſit, mira quaedam eſſe, quae tu mihi, cum iſtuc venisſem, dicturus eſſes? Si me amas, quicquid eſt, ſcribe. Ego enim, niſi quid aliud acciderit, nondum me iſtuc venturum puto. Vale. XV. Kal. Junii Patavio.

EIDEM MANUTIO.

XII.

Ego vero Herculi quidem, optimo atque honeſtiſſimo adoleſcenti, ſua & tua cauſſa; tibi vero, tua & mea ex animo gratulor. Nam & ipſius ſtudiis & valetudini tuae praeclare conſuletur, & ego epiſtolas a te accipiam non crebriores tantum & longiores, verum etiam, ita me Hercules amet, nitidiores & alacriores. Vel illa, quam hodie accepi, quam feſtiva eſt? quam hilaris? quam tua? Itaque Molinius exultat quotidie addi aliquid ad laborem ſuum (*): ſoletque mihi ſaepe in ſermonibus dicere, ingenium tuum ſibi agrorum Siculorum ſimile videri: e quibus

Aeſtiva quantum decerpunt luce capellae,
Tantum fecundus gelida ros nocte reponit.

Heri miſi ad te reliquam partem ſcholiorum in Tibullum. Nam in quartum librum cur hoc tempore nihil ſcribam, magna cauſſa eſt. Propertium urgeo: cujus principium paucis diebus ad te mittam: id eſt, cum Tibulli, quod ab operis deſcriptum eſt, accepero. Columbinum tuum, miſi, qui ad me accerſeret: ſed is negavit ſe domi eſſe. Cras, ſi non modo columbinis, ſed aquilinis etiam feratur alis, non effugiet colloquium meum. Vale, mi Manuti, κἀμοὶ, ὅπερ ἴσθας, ἀπφιλῶν διατέλει. VII. Kalend. Junii. Mira illa, de quibus mihi Molinius ſcripſerat, ſi potes, ſcribe, aut aperte, aut συμβολικῶς.

EI-

(*) Molinio enim, qui hanc in rem detulerat operam ſuam, deſcribendae dabantur Manutianae, ut edituro eas Manutio remitti poſſent. Intelliges e libri III. Epiſt. 6. *Themſ.*

EIDEM MANUTIO.

XIII.

Si nihil est aliud, praeter occultam quandam coitionem, factam a duobus civibus, amicis nostris, ad dejiciendum eum, qui successit in Polyphemi (*) locum: causa nulla est, cur id tantopere celatum velis. Nam hic quidem res omnium sermone celebrata est. De Ferrariensi, neque nihil est, quod audisti, neque tamen mihi adhuc, quid facere debeam, constitutum est. Omnino (†) cuperem aliquam περιαγωγήν. Non quin placeat magis in dies Patavium: sed quid intelligam, scio te quoque intelligere. Neque vero ita multum laborarem, Sigonione, an mihi etiam: si quaeris, mihi quidem magis arrideret ea conditio, qua nunc est Sigonius: idque cum aliis de causis, tum quia tecum essem. Spes est, aliquid super hac re ante Octobrem a III. viris constitutum iri. Neque sane facere aliter possunt, nisi paullatim Patavinam scholam exinaniri velint. Exspectabimus igitur, &, si res succedet, ut volumus, gaudebimus: tin, humaniter feremus, & prospiciemus rationibus nostris. Propertium urgebo, ut jubes. Scholia in Tibullum, cum inibi erit, ut excudantur, velim ad me paullo diligentius inspicienda mittas. In carminibus, quibus celebratur hortorum Deus, jambica quaedam sunt, quae ab omnibus tribuuntur Tibullo. Unum etiam ejusdem argumenti epigramma reperio in antiquo Tibulli libro. Hanc igitur appendiculam adjiciemus, si voles. Quartus liber tam multa habet, quae non intelligam, ut in aliud tempus differre satius putem. Valde me pupugit, quod scripsisti de simiolo illo Parisiensi: nunquam putassem sub tanta simplicitatis specie latere tantam perfidiam. Mihi paucis diebus ad illum alterum necessario scribendum est: egoque, si tibi ita videbitur, libenter faciam, ut inferam litteris meis testimonium meum judicii de eo tui. Tu maximo animo contemne ista omnia, ut

(*) Polyphemi nomine Franciscum Robortellum designari, haud vana suspicio est. Declaravi rem pluribus in praefatione ad Manutianas, b. 1. *Thomas.*

(†) Ad haec verba notavi aliquid dicto loco b. 2. *Thomas.*

ut facis, & ad valetudinem tuam vel conservandam, vel confirmandam omne studium confer. Vale. IV. Non. Jun. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

XIV.

Cum constituissem hodie ad te scribere, hesterno die non scripsi, quod, ἀτρικτον ἀκτὸν, stomachum mihi moverant versus, quos ad me miseras; de quibus tamen valde amo te. Defunctus enim, ut semper, amici officium es, cum ea, quae ad me tantopere pertinerent, mihi non ignota esse voluisti. Sed impurum ego illum, si vivo; etsi rectius tu: qui tetra haec & impura animalia ut despiciam, mones. Coram igitur colloquemur. De Dulcio, cum enim significari puto, consilium tuum sequar. Ad te scribere aliquid te dignum, mihi hoc crede, gestit animus: & est ἐνθύμιον praeclara, aut innumerabiles potius ἐνθύμια. Sed ita pridem versus facere desiti, ut valde metuam, ne nihil succedat. Tentabo tamen, etsi nunc propter hoc consilium de migratione, animo non sum valde apto ad poëticas hilaritates. Erat & ad Petrum τὸ ξυρόκρεον (*) (finge aliquod ejusmodi nomen aut Latinum, aut vernaculum: ita, quem dicam, intelliges,) ode una jam pridem scripta: de qua, quid faciam, nescio. Nam neque cum homine in eam suspicionem adducto, nisi prius de illius innocentia constiterit, quidquam mihi esse negotii volo: & perire eam, etsi nihil est, nollem. Ad haec exspecto, quid sentias. Nunc est, quod te magnopere oratum velim. In iis litteris, quas ante hos xv. dies ad Petrum Morinum dederam, narrabam, deferri mihi conditionem opimam & honorificam inprimis: neque, quaenam esset, exprimebam; ajebam autem, me eam neque accipere, neque plane repudiare audere, nisi bene penitus perspecto ejus, qui me ad se vocat, animo. Nunc cupe-

(*) Ξυρὸς, *siccus*, Ital. *secco*: κρέας, *caro*. Opinor indicari *Petrum Carnesecum*, quem Thuanus lib. XXXIX. f. 779. scribit a Pio V. Pontifice Anno 1566. damnatum ad ignem, quod cum sectariis (sic vocat) coluisset amicitiam. Multa ejus mentio in Epistolis M. A. Flaminii a Camerario editis, ubi *Carnisecca* vocatur. *Thomas.*

perem, (ac vide, quam improbus sim, qui te quoque mea caussa improbum fieri velim,) cuperem igitur, epistolam ad me bene longam eo argumento scriberes, ut laudares consilium meum, qui & lucro praesenti, quod, ut scis, offerebatur, & tranquillitati studiorum meorum, & aliis ejusmodi rebus, hujus familiaritatem, ἢ θεραπείαν, ἢ ἄλλο ὅτι ποτὲ ἀνομαζόμενον μᾶλλον ἂν λέγοιτο, antepositurum. Erit tibi campus amplissimus amplificandi conditionem illam, quam repudio; & tamen ex contentione ostendendi, quanto sit haec honestior ac splendidior; dicendi de hominis ipsius laudibus; etiam de iis, qui cum eo sunt: si quis eorum tibi nominatim appellandus ac celebrandus videbitur: idque cum ad meas rationes accommodatissimum fuerit, tum tibi fortasis non inutile ad gratiam ipsius recolligendam, & ad medicinam faciendam animo nonnihil, ut scis, exulcerato. Vellem etiam certo praediceres fore, ut magnos aliquando ex eo industriae meae perciperem fructus. Puderet eum fortasse olim, facere te ψευδόμενον. Eam autem epistolam ad ipsum finem tuarum imprimi vellem. Hoc a te vehementer peto. Ea lege tamen, si tibi quoque hoc e re utriusque nostrum fore videtur. Cras cetera Vale, mi optime & optatissime Manuti. Epistolae tuae nullae praeterea sunt: quas quidem edi oporteat. Sunt enim in aliis pleraque omnia τῶν ἀποβήτων. Iterum vale. Hodierna elegantissima est, sed ut videtur, non divulganda. Nicolaum tuum, aut nostrum potius, ἀντιστάζομαι.

EIDEM MANUTIO.

XV.

Valde recreatus sum iis litteris, quas a te hodie accepi. Etenim qui natura in omnibus rebus meis δύσκολος πάνυ & μετρίως esse soleam, tantum ex indignatione quadam superioribus diebus concepta ad illam naturalem δυσκολίαν adjeceram, ut non tantum aliis omnibus asper, morosus, ἀκοινώνητος, verum etiam mihimetipsi odiosus atque invisus esse coepissem. Sed redibo ad me, meque amabo, ne quid non amem, quod ames tu, in quo est, quidquid usquam est, amabile. Rasarium, & illud alterum hominis somnium πολλὰ εἰρωζειν jubeo. Quanquam quae indig-

ntas est, me a tam indoctis, tamque abjectis nebulonibus oppugnari? hoccine saeculum? Mihi crede, nisi sustentaret me voluptas ea, quam ex amicitia nostra capio, evaderem aut Athenlensis ille μισάνθρωπος, aut Bellerophon Homericus, qui

κακπεδίον τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο,
ἣν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων (*)

De Pola, quid ego tibi, mi Manuti, gratias agam? aut quibus verbis istam animi tui magnitudinem plane regiam praedicem? Ecquod erit unquam tempus, cum ego tibi, cum liberis tuis, aliquam beneficiorum partem reponam? Sed quo tu liberalior es, & amantior mei, eo me majore studio cavere decet, ne majorem commodi mei, quam tuarum virium, rationem habuisse videar. Neque enim aequum est, ut propter me peregrinum hominem, cui nihil est, praeter animum bonum & fidem, quicquam de tua re familiari detrahatur. Omnia perpeti satius est: non deerit, unde vivam; &, si hoc deerit, non deerit, unde moriar. Satis diu vixero, si, antequam e vita migrem, insigne aliquod voluntatis erga te meae testimonium edere potuero. Quanquam quid est, cur hoc sperare debeam? Animus tibi, Manuti, animus pro praemio accipiendus est: quo tu si contentus esse nolles, ad meas maximas acerbitates, accederet illa omnium gravissima, quod homini uni omnium optimo, & de me optime merito, gratiam referre non possem. Vale. a. d. VII. Kal. Septemb. Patavio. Scripseram jam nescio quid litterarum Ferrariam, ad Petrum Morinum. Id cum, cui traderem, nescirem, visum est, ad te mittere. Tuum erit, aliquam viam videre, qua illae & tuto & celeriter perferantur. Id, opinor, per Vincentium Valgrisium commodissime facere poteris. Ille enim solet interdum ad Morinum ipsum scribere. In eis litteris illud etiam adscripsi; cum quid scribere ad me vellet, ut ad te mitteret: te mihi diligenter curaturum. Id, ut facias, peterem a te, si opus esse existimarem.

EI-

(*) Homer. Iliad. ζ. Latine sic expressit Cicero III. Tusc. p. 204.

Qui miser in campis maerens errabat Aleis,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans. Thomas.

EIDEM MANUTIO.

XVI.

Moriar, si quicquam unquam feci invitus: sed tamen effugere non possum, quin tibi de Tibullo parum obsequar. Etenim quae in eo libro maxime videntur operam meam requirere, ea ego aeque intelligo, atque si scripta non essent. In ipso quasi limine, ejus generis nonnulla sunt. Neque tamen despero fore, ut aliquando vel casu incidam, vel labore & diligentia perveniam ad aliquid, quod lucem eorum nonnullis adferat. Itaque quantum me amas, tantum a te peto atque contendo, ut me hac in parte animo meo obsequi sinas. Nam quod vereri videris, ne dem sermonem hominibus malevolis, libero te hoc metu. Malo, si alterutrum necesse sit, silentium meum culpari, quam audaciam notari. Crede hoc mihi, non sine summa molestia facio, ut tibi petenti negem. Sed tamen jam pridem convenerat inter nos, ne quid tu a me peteres, nisi quod vires ferrent; quid autem illae ferant, ego unus omnium optime novi. Misi, qui Columbinum accerseret. Is se cras sub lucem ad me venturum esse dixit. Agam cum eo de re tua accuratissime, & pecuniae, quantum opus erit, numerabo. Si fieri posset, ut sex aut septem Tibulli regia charta describerentur, esset mihi summopere gratum. Hac de re ipse statuas. Vale, & me ama. Postr. Id. Jun. Patavio. MDLVIII.

EIDEM MANUTIO.

XVII.

Obsecro te, quid tu tibi vis cum istis inscriptionibus: *Mureto meo, & si nolit: sed malo volentem.* Ego tuus esse nolo? aut omnino esse is, quem & esse me & haberi cupio, nisi tuus sim, possum? *Ego vero* (tuum enim tibi regeram) *tuus sum, & si nolis: sed malo volentis.* Quanquam illud verius, nostrum utrumque utriusque esse, neque quicquam esse alteri altero carius; idque quoniam ita uterque vult, alter etiam debet. An vero me aut oblitum esse, aut obliviscì posse putas, quid tibi debeam? Itaque valde me sane conturbasti: & miror,

quid tibi in mentem venerit, ut id faceres. Quae errata ſunt in Tibullo, & Propertii principium, ſine ulla dubitatione, cras mittam. Nunc eo non poſſum, quod omnes mei abſunt domo, non redituri, ut opinor, ante coenae tempus: & quatuor illa Tibulli folia ſunt in cubiculo Molinii; quod ipſe abiens obſeravit. De Propertio etiamnum incertus ſum; ſed facilis jactura. Nunc ad Columbinum: in quo cupio me falli, ſed multa concurrunt, quae ſuſpicionem faciant, eum non optima fide tecum agere, & vulpina potius calliditate, quam columbina ſimplicitate praeditum eſſe. Primum, quod totum illud genus hominum, qui ex alienis litibus victitant, quaeſticulosque ſibi ex aliena ſtultitia colligunt, mihi ſane ſuſpectum eſt; iſte autem tuus, (nam quaeſivi,) homo tenuis eſt; cujus generis, niſi adeſt probitas eximia, in tractandis numis ſubleſta eſt, ut Plautus loquitur, fides. At haec καθολικώτερα ſunt, & a me ne animadverterentur quidem in eo, quem tu perveterem amicum vocas, niſi alia accederent. Ad me nunquam, niſi ter quaterve evocatus, venit; & ſaepe, cum ſe venturum conſtituit, fallit. Libellis tribus ſibi opus eſſe dixerat ad iter; poſt, quinque petiit; cum ad rem ventum eſt, aureum praeterea numum popoſcit, & abſtulit; biduo aut triduo ſerius profectus eſt, quam dixerat; cum, tanquam mox in iter ſe conjecturus, a me diſcesſiſſet; qui ſe mox ut rediſſet, ad me venturum pollicitus eſſet, non niſi biduo poſt venit, & quidem ter accerſitus. Deinde σκώψας καὶ ἀναβολὰς: ſe ita rem conſtituiſſe, ut certiſſimum ſit, his duodecim aut quindecim diebus pecuniam tibi numeratum iri; melius nihil potuiſſe fieri. Mandavi ei, ut ad te de re tota quam primum quam accuratiſſime ſcriberet: isque ita ſe facturum recepit: neque tamen fecit, quantum litterarum tuarum ſermonem audio. Omnino ὅλη ἀπίθανος καὶ ἀλιτήριος negotium. Ego eum denuo conveniam, & urgebo. Litteras, quas ad Duditium ſcribis, curabo. Vale. a. d. VI. Kalend. Quintil. Patavio. Duditius, cum haec ſcripſiſſem, venit ad me, & litteras tuas accepit.

EI-

EIDEM MANUTIO.

XVIII.

Iteradum eadem iſthaec mihi. (*) Tam ὄχλοι ſunt iſtic leges, ut, quo de loco neminem noſtrum ἰδιωλεῖν cogitare oportere, eum ad locum ὁ πολλὰς δ' ἰφθίμους (†) tam facile pervenerit? Quos equidem puto, ſi forte is, cui Graece e venali ſilentio nomen eſt (‡), Bononiam iverit, eadem prudentia ἐν τῷ Ἀθηναίῳ ἱερατεύσειν in locum illius ſuffecturos. Ecquid tibi videor σοφῶς αἰνίττεσθαι? Sed tamen τὰς τῶν ἡμερῶν. Redeamus igitur domum. Mihi vero idem plane videtur, quod tibi: nihil eſſe ad rationes meas accommodatius, quam ſi iſtic aliquid, quale volumus, confici poſſit. Quare a te jam non magnopere poſtulo, ut de me agas; ſtudere te illi alteri cuperem. Video enim, eadem via mihi quoque aliquid confectum iri. De te quidem (ſi ego tuos ſenſus bene cognitos habeo) non eſt, quod Bononienſes cogitent. An tu conditionem quietam, opimam, cum prope certa magnarum rerum exſpectatione conjunctam, interpoſita praeſertim & tua & mea fide, illorum cauſſa relinqueres? teque abjecta valetudinis cura, ſuſcipiendo laborioſiſſimo munere, in praeſentisſimum vitae diſcrimen abjiceres? De Bargaeo injeciſti ſcrupulum. Nam ſi ille profeſſus fuerit, video petitionem amico illi noſtro difficiliorem fore. Absque eo quidem certus, ut opinor, eſſet. Te omnia mea cauſſa facturum non dubito, mi Manuti. Scio enim te, quam conſtanter, quos ſemel complexus es, fovere pergas. Sed gratisſima mihi tamen eſt, quam tuis litteris expreſſiſti,

(*) His verbis & Cicero auſpicatur libri XIV. ad Attic. Epiſt. 16. Habes ea & IV. Acad. p. 22. itemque II. Tuſc. p. 184. *Iteradum*, ut *faciteadum* & ſimilia, dictum cenſet G. Fabric ad Terent. Adelph. A. III. ſc. 5 Nizol. in Indice legit: *iterandum*. *Thomaſ.*

(†) Achillem neſcio quem (an Statium Luſitanum?) innuere videtur. Certe Homerica illa (Initio Iliad.) de Achille dicta ſunt. Luſitanum autem iſtum perſtringit etiam Ludov. Carrio II. Lect. antiq. 11. Omitto conjecturas alias. *Thomaſ.*

(‡) Sigonium interpretor, de quo vide & infra lib. III. Epiſt. 1. & in Manutianis lib. III. Epiſt. 6. quae cum praeſente omnino conferenda. Σιγὴ, *ſilentium*, ἀνίσμα, *emo*. *Thomaſ.*

ſifti, ſignificatio voluntatis tuae. Ego, ut me aliquando merito amaſſe dicaris, omni ope conabor efficere. Vale. De Philopono oblitus fueram; puto illum apud me eſſe. Prid. Non. Septemb. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

XIX.

Adoleſcentes (*), qui ad te has litteras perferent, ſi genus requiris, nobiliſſimo ac ſplendidiſſimo inter ſuos orti ſunt loco; ſi bona animi, & ſtudia laudandarum artium ſpectas, conjecturam facere vel ex eo potes, quod, cum ipſis domi in ſummis deliciis, & in maxima rerum omnium affluentia vivere liceret, longinquas peregrinationes ſuſcipere, ſeſeque excolendi ingenii cauſſa infinitis difficultatibus objicere maluerunt. Ii, cum judicarent idem, quod omnes, qui recte ſentiunt, judicant, ingenii & eloquentiae gloria Italiam ceteris nationibus; in Italia autem longe unum ceteris omnibus Paulum Manutium antecellere: neque ſe ſtudio ſuo ſatisfacere poſſe arbitrati ſunt, niſi in Italiam venirent; neque cum in Italiam venisſent, niſi Pauli Manutii aſpectu & collocutione fruerentur. Quod autem de ſcriptis utriusque noſtrum intellexerant, quanta inter nos voluntatum ac ſtudiorum conjunctio eſſet: ſtatuerunt, ſe id, quod cuperent, nullo modo melius quam per me, conſequi poſſe, mecumque egerunt, ut eos tibi quam diligentiſſime commendarem. Ita igitur facio, petoque a te, ut, ſi ulla unquam apud te mea commendatio valuit, quod ſcio valuiſſe quam plurimas, huic plus etiam quam ceteris, tribuendum putes, adjiciasque ad illam humanitatem, qua omnes excipere ſolitus es, quidquid, rogante atque obſecrante me, adjici poteſt. Vale. Poſtrid. Non. Sept. Patavio.

(*) Hi ſunt, opinor, de quibus lib. III. Epiſt. 9. quam cum hac juvabit contendere. *Tiraq.*

EI-

EIDEM MANUTIO.

XX.

Tibulli primum folium accepi. Scholia mitto locis aliquot leviter immutata. Lectionem non perfacilem foro operis puto, tum propter alia, tum propter crebras interpositiones. Sed in te spes est, etsi, ne vivam, si non interdum ac saepe vereor, ne mea scribendi negligentia noceat oculis tuis. Quaeso tamen a te, ut hanc molestiam mea causa devores, curesque, quod commodo tuo facere possis, ne tam multa hic peccentur, quam in Catullo. Ideo admonere te visum est, quoniam in primo illo folio, quod accepi, novem librariorum errata sunt; levia quidem nonnulla: sed plura animadversione digna, quale est charta tertia: *Sit dives, jure furorem:* cum scribendum sit: *Sit dives jure, furorem*, & cetera. Multum autem ad sententiam interest, utrubi nota illa hypodiastoles collocetur. Illud etiam gravius, quod charta quarta, ubi vulgo legitur, *Capiti*, cum ego e veteribus libris emendassem, *Capite:* nescio qui factum est, ut tui vulgatam scripturam retinuerint. Si me amas, jube eos omni diligentia in exemplar a me emendatum intueri; pertinet ea res non mediocriter ad utrumque nostrum. Columbinus tuus profectus est, quo scis. Ego nudius tertius ei, mox, ut dicebat, iter ingressuro, aureum numum (tantum enim opus esse dicebat) dedi. Puto hodie reversurum. Quid actum sit, faciam te confestim certiorem. Propertium, sunt qui suadeant, ut mittam ad Franciscum Gonzagam. Qua de re aveo scire, quid tibi videatur. Valetudinem tuam cura diligenter. Salve a Molinio. II. Kalend. Quintil. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

XXI.

Venit ad te altera mea ad Pontificem oratio: quam cupio aeque placere tibi, atque iis placuit, qui me dicentem audierunt: quod, cum mihi venit in mentem tuarum plane Atticarum aurium, & polituli illius ac limatuli judicii, vel sperare, improbum puto; cum cogito, quantum me

me ames, quàmque esse soleas mearum rerum, non aequus modo existimator, verum etiam benignus prolixusque laudator, ne posse quidem aliter evenire arbitror. Brevi, ni fallor, accipies & tertiam. Quodsi progrediemur ad hoc exemplum, poterimus olim Pontificiarum orationum quasi εμφάτικον quoddam conficere. Me a te amari certo scio: neque dubitare te, quin ego tibi in amore respondeam. Salve a Ludovico Beccatello Archiepiscopo. Molinio meo multam salutem. Vale. A. D. 4. Kal. Jan. MDLX. Romae.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

PAULO SACRATO.

XXII.

Feci nuper nescio quid verborum de nobili illa victoria, qua Turcae a nostris ad Naupactum superati sunt, tanto hominum concursu, quantum ipse non facile credidisses. Quamvis autem res erat nihili, tamen ita multi quotidie petebant describendi sibi potestatem fieri, ut satius visum sit, semel, quidquid esset, librariis permittere: praesertim cum magistratus populi R. judicarent, id ad ipsius populi dignitatem pertinere. Exemplum unum ad te mitto, quod semel inspectum cum Paludino, Canalio, Jacobo Canano, Antonio Mohtecatino, ceterisque communibus amicis communicare poteris: ut sive placuerit, capiatis ex eo aliquid voluptatis; sive minus, intelligatis tamen, conservari a me, ut decet, memoriam vestri. Vale. Romae. 7. Kalend. Januar. MDLXXI.

EIDEM

EIDEM SACRATO.

XXIII.

In multis, tenuibus illis quidem, sed ipsa assiduitate molestissimis occupationibus meis, usus eram ea libertate, quam tu mihi dederas, ne prius ad litteras tuas responderе necesse haberem, quam Episcopus Hadriae isthuc rediret. Quod dum exspecto, etsi quibusdam & meis & ipsius familiaribus negotium dederam, ut me tempestive de discessu ipsius admonerent: prius tamen eum abiisse rescivi, quam de abitu cogitare cognossem. Factum id non modo eorum, quibus id mandaveram, negligentia: sed & consuetudine quadam multos jam menses a me susceptа, nunquam, nisi cum urget necessitas, exeundi domo, & perraro veniendi in aedes Cardinalis: non quin & ipse me libenter videat, & ego eum, qua debeo, observantia colam: sed tanta me satietas, tantum odium & aulae & rerum aulicarum cepit, ut nunquam mihi magis solus videar, quam in illa turba: nunquam melius comitatus, quam cum me solus in bibliothecam abdidi. Itaque cum Cardinale ipso ter, opinor, aut ad summum quater collocutus sum, postquam huc venit. Multi fortasis hanc aut asperitatem, aut rusticitatem vocabunt. Vocent sane, ut libet. Mihi aegre est, quod non jam pridem ita vivere coeperim. Et tamen vivente Hippolyto Cardinali alia ratio erat. Referta erat domus hominibus eruditis, ex quorum convictu ac sermone aliquid perpetuo discerem. Ipse, quanquam doctrina mediocri, magno tamen & excelso ingenio, & mirifice dedito studiis nostris. Itaque domus ipsius Academia quaedam videri poterat. Hic amat quidem & ipse mirifice homines bonarum artium scientia excultos: sed sua ei comitas damno est. Dum enim omnes blande excipit, cum omnibus humane colloquitur, facilem se atque obvium omnibus praebet, excitat quidem admirabiles amores sui: sed a tam multis gratiam ipsius ambientibus perpetuo obsidetur, ut ei vix ad curandum corpus satis temporis supersit. Quid quaeris? Ego qui quotidie cum illo altero suavissimis sermonibus horas aliquot transigere consueveram, nunc in alium quendam orbem mihi delatus videor. Sed haec musanda sunt; quae tamen semel in

tuum

tuum hominis amicissimi sinum effundere volui, putans in eo aliquid levationis fore. Nunc ad alia venio. Quod tam saepe me in epistolis tuis tamque honorifice appellas, gratiam habeo: etsi video, te multo plus amori, quam judicio tribuere. Sed hoc ipsum non minus jucundum est, sentire me a te unice diligi. Quod nunc praeterea scribam, nihil habeo, nisi forte illud scire vis, me hoc anno, si Deus volet, explicaturum publice libros Politicorum Aristotelis: in quibus videor mihi navaturus operam, & multa ab aliis interpretibus non animadversa dicturus. Hoc te puto malle, quam quid de bello aut pace dicatur, & quae ejus generis vulgo a circumforaneis hominibus disseminantur. Ἔκαστος γὰρ τῶν ἐαυτοῦ κακῶν. Vivamus, mi Sacrate, vivamus, & consenescamus in studiis nostris, contemnentes ea omnia, quae vulgò maximi fiunt. Deum & aeternitatem cogitemus. Alia omnia fluxa & caduca sunt. Vale. Romae 3. Id. Julii. MDLXXVII.

FRANC. DUARENUS

M. ANTONIO MURETO,

Viro doct. S. P. D.

XXIV.

Cum nihil a te post discessum hinc tuum, vel etiam de te accepissem, mi Murete, ac ingenti desiderio tenerer, de statu rerum tuarum aliquid cognoscendi, equidem literis tuis tam opportune mihi redditis, magnopere delectatus sum. Illud vero meam auxit voluptatem non mediocriter, quod ex eis intellexi, te mei memoriam absentis summa cum fide & benevolentia retinere. Verum hoc mihi asperfit molestiae epistola tua, quod dolorem illum, aut gravissimum moerorem potius, non obscure testetur, quem tibi ista peregrinatio attulit. At eo magis vicem tuam doleo, quod ante annos, ut opinor, duos & viginti istorum Scytharum συνδρομὰς & barbariem expertus sum: quos ne nunc quidem respicere, sed ἀγνοεῖν illum suum adhuc tueri ac

mor-

mordicus retinere demiror. Sed hanc materiam atque segetem gloriae, integram tibi Deus, opinor, reservat, ut hostibus, qui bello tentati a nobis & lacessiti sunt, profligatis, ac de possessione jurisprudentiae expulsis, splendidum aliquando de iis triumphum agas. Id quod jam praesentire ac prospicere mihi videor, si ad eas copias, quibus abundas, aliae paulo firmiores atque instructiores accesserint: quas tibi parare, si nervos in ea re contendas tuos, perfacile est. Ac spero fore, ut haec cogitatio & παλιγγενεσια consolationem tibi non minimam adferat; cupio quidem certe. Nam & nos quoque superioribus annis, cum eadem cura sollicitaremur, qua te nunc angi video, ea spes valde confirmavit, nec nos omnino frustrata est. Etsi enim ne hic quidem confecta adhuc res sit, tamen eventus jam propemodum vicit exspectationem nostram: adeo plausibile apud nos populareque est, quod Scythae vestri insolenter, contumaciter, superbe contemnunt atque oderunt. Mitto Principis in nos scholamque nostram studium incredibile: de quo pluribus tecum, si opus fuerit, alias. Itaque quod in extrema epistola scribis, unum istic esse doctorem Cotelium, qui colat nos, ac scriptis nostris faveat, ad id ego glorioſius forte & audacius, sed tamen vere, nisi fallor, respondere possum, quod Homericus Agamemnon Achilli, πολλ' ἐμοιγε καὶ ἄλλοι. In quibus & Cotelium tuum, immo nostrum, numerari, vehementer laetor. Qui si talis est, qualem esse eum mihi facile ex tuis literis persuadeo, nae εἷς ἐμοὶ μύριοι, ut paucis, quod de eo homine sentio, dicam. Verum quia plerique studiosorum, quibus noti sunt doctores, qui istic sunt, mihi affirmarunt, neminem in ea urbe jus profiteri isto nomine: tu velim, Anacharsis hic quisquis sit, paulo plenius me literis edoceas. Quanquam profecto malim, si rationes tuae ita tulerint, huc ad nos mature te recipias, ut de rebus omnibus coram inter nos conferamus. Qua de re & certius & subtilius ad te scribam, cum te mihi totum patefeceris, & quid consilii habeas (nam de animo dubitare me non sinit epistola tua) aliquanto apertius mihi declaraveris. Sic enim habeto, nos quae te velle, quaeque ad te pertinere significaveris, ea summo studio diligentiaque curaturos esse. Vale, mi Murete. Avarici Biturig. ipso Hilarium die. MDLIII.

LUCAS

LUCAS FRUTERIUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

XXV.

Ingratus merito, ne dicam improbus, videri posſem, Murete doctiſſime, ſi cum a te non ſemel, verum ſaepius humaniſſime acceptus fuerim, ne literario quidem officio tantum in me ſtudium tuum compenſare ſtudeam. Deterruit certe me hactenus & ruſticus quidam pudor, &, ut quod ſentio liberius exponam, ingenii mei non obſcura tenuitas. Nunc vero cum didici ex ſcriptis tuis, ingrati vitio laborare non modo eum, qui, beneficiis ampliſſimis & honorum inſignibus acceptis ab aliquo, τὸν δὲ ἴσον δὲ ἔργον, ut ait ille, ὀφλω, ſed & illum, qui praeſtanti ingenio & ſingulari doctrina virum, in ea loca, ubi & ipſe ſit, appulſum, non e veſtigio liberali quodam ſcripto boneſtat: merito ſane & ego in vitio ſim, niſi te pòſt tot colloquia, tot ſermones ultro citroque habitos, non quidem opere aliquo laborioſo, (qui enim poſſim?) ſed epiſtola tamen officioſa munerer. His ego rationibus cum animo meo diligenter expenſis, eo deveni audaciae, ut te, & Galliae totius & Italiae tuae clariſſimum ſidus, literarum mearum eruditate, ab opiparis illis & ſuavibus Graecorum & Latinorum epulis avocare non dubitem. In bonam tamen ſpem adducor fore, ut his meis legendis aliquid temporis lubens volensque ſis impenſurus. Quanquam autem non ea ſint, quae in doctiſſimas tuas aures, oculosque veniant: da nihilominus hoc humanitati tuae, quam non obſcure hactenus & intelligere & agnoſcere potui, ut iſtaec officii mei in te certiſſima argumenta, non alieno vultu amplexus videare. Semper enim hoc in doctis viris deſideravi, & etiamnum deſidero, ut, cum ingenio plurimum valeant,

Meretur haec Epiſtola Philologicis Fruterii addi, quas repraeſentat Gruterus Tomo v. Lamp. p. 384. ſeqq. *Thomaſ.*

ant, & posſint, comi non minus alloquio ſint, & in omnes ſapientiae ſtudioſos obvia voluntate. Quod quidem in Mureto ſuo deſiderare Fruterius nec poteſt, nec debet. Non poteſt certe, quia humanitatem illius ſemper promptiſſimam expertus eſt, & in dies experitur ampliorem; non debet autem, quia mentiri nec novit, nec veritatem odiſſe poteſt. Et haec quidem in mei excuſationem adducenda putavi, Murete doctiſſime, ut intelligeres, quam religioſe voluntatem in me tuam conſervare, &, ſi fieri poteſt, auctiorem reddere cupiam. Nunc autem, ut quanti apud me ſit virtus, & ingenium tuum, exploratius tibi innoteſcat, libuit quaedam ex optimis quibusque auctoribus per me nuper animadverſa judicio tuo, ut politiſſimo, ſic humanitatis plenisſimo, exactius ponderanda relinquere: & hoc quidem non eo conſilio, ut te omnium rerum peritiſſimum anagnoſten docere videar, quod certe vel cogitare nefas eſſe duco: ſed tantum ut ex te cognoſcere poſſim, ſintne in his meis aliqua, quae vero eſſe conſentanea putes; quinimo, ut quae a me ſi non corrupta, certe non emendata ſunt, diligenti tuo ſtudio nobis aliquando ſaniora reddantur. Satis vero mihi eſt, loca quaedam obſcure depravata, qua poſſum, luce donare, vel certe tibi indicare. Tuum erit vicisſim, ea in ſuam lectionem reſtituere: quod tibi quam facile ſuccedat, non obſcure teſtantur variarum lectionum praeclariſſima opera, quae mihi quidem, multo ante quam in familiaritatem tuam veni, ſemper cariſſima fuere, & nunc, cum divino illo amicitiae tuae bono affectus ſim, cariora in dies futura. Sed tandem ad rem: ne multa verborum cruditate offenſo ſtomacho, Theriacam Victorii haurire, non Varronis mulſum bibere (*) videaris.

Feſtus itaque Pompejus, quem ego auctorem inſigniter diligo, tum ob rerum omnium jucundiſſimam varietatem, tum verborum antiquitatem doctiſſimam, multis quidem partibus auctior & integrior ex Italia prodiit, non tamen omnibus in locis ſui ſe ſimilem oſtendit: quod partim Paulo

(*) Aenigma hoc eſt, quod facile ſolvet, qui lib. IV. Var. Lect. Mureti Cap. 14. legerit. Apud Nonium legebatur hoc e Varrone: *Vel maxime illic didici, ſitienti theriacam mulſum.* His verbis perſuaſus Pet. Victor. credidit theriacam olim bibi ſolitam, lib. I. Var. Lect. 22. Sed Muretus corruptum eſſe Varronis locum oſtendit, legique jubet: *ſitienti videri acam* (i. e. aquam) *mulſum. Themeſ.*

lo illi Epitomario, partim temporis injuriae debemus. Sed ut tandem, quod agimus, probemus, locus est in P. littera, qui satis quidem obvius est & expositus, sed tamen haud fideliter editus, si modo nec aetate impeditur judicium meum, nec ipse mihi plus justo indulgeo. Dicit Festus: Petisere antiqui pro petere dicebant, ea quidem forma verbi, qua sunt lacesere & incesere: sed ut mihi videtur, tum significabant saepius petere, ut petisant, saepius petant. *Legendum mihi nuper visum est:* ut petisiunt saepius petant (*), *alioqui insulsum erit, quod Festus dicet. Nam cum subjiciat,* petisere *saepius petere esse, non opus est, ut opinor, id tertium repetere, & inculcare, saepius jam explicatum, quinimmo simile quoddam verbum adjunxisse debuit, quod fecisse ipsum vel dejerare ausim. Nunc, ut ad reliqua veniamus, facilfora praemittemus, alia, quae exactiori probatione indigent, in finem rejiciemus. Festus* carisam *apud Lucillium vafram significare vult, malim ego* catisam *dixisset. Nam catos pro callidis & ingeniosis apud veteres fuisse vel Cato testari potest. At dicat aliquis, catisam ductui litterarum non respondere. Fateor quidem, dummodo nec* caprisam *satisfacere loco huic concedas, quod ab aliquo difficultatem sentiente ad marginem Veneti codicis adjectum est. Quod vero ad religiosum illum ordinem litterarum, nihil est. Nam veteres Festi omnino sunt confusissimi, ut facile credam, Festum Acrostichidem illam Alphabeticam observasse; non tamen in syllabis curiosulum fuisse. Alio in loco* Hirrire, Garrire, *genus vocis est canis rabiosae. In margine est* ringere *pro* garrire: *& certe* garrire *quid ad canes pertineat, non video: nisi forte, quod* r *litteram canibus esse peculiarem velint Grammatici.* Herire *quidem vetus est & prope ignotum,* rabire *quoque si tibi arridebit, vetus esse incipiet, & obscuritate cum* hirrio *contendere.*

Nunc in aciem producantur validissima illa bellorum robora, quae in Triariorum vicem succedant, ut illis prioribus suapte natura parum solidis in auxilium veniant. A veteribus nobis exordium erit: quia scimus eam Romanorum prudentiam fuisse, ut longo usu bellorum exercitatos,

(*) Sic habent codices, quos inspeximus. Sed sequentia docebunt, fuisse a Fruterio substitutum aliud verbum. Quod quale fuerit, alius divinet. Hoc addo: ipsam Festi lectionem neutiquam sollicitandam videri. *Thomas.*

tos, & annorum successibus prudentiores in belli cataſtrophen rejicerent. Prodeant itaque vetuſtiſſima illa ſuccrescentis Urbis volumina. Numae nimirum Pompilii ſanctiſſima inſtituta, quae ut ſunt antiquiſſima, ita quoque antiquis ſcripta verbis fuiſſe negari non poteſt. Feſtus, cum, quae Pellices *dicantur, diſerte oſtendit, poenam, quae huic mulierum generi per Numam eſt conſtituta, ſubjungit his verbis:* Pellex aram Junonis ne tangito. Si tanget, Junoni crinibus demiſſis agnum foeminam caedito. *Hanc ego legem ut non eſſe corruptam arbitrer, vetuſtati tamen ſuae reddendam exiſtimo: quod qua ratione faciendum putem, ſubſcribam.* Pellex aram Junonis ne tagito, ſi tagit, Junoni crinibus demesſis arnum foeminam caedito. *Veram eſſe & genuinam legis hujusce correctionem affirmare tibi nec auſim, nec poſſim: non auſim quidem, quia id glorioſulum videri poſſit; non poſſim vero, quod ſingulorum exactam rationem nondum invenerim: hoc tamen polliceri auſim, aut talem omnino, aut ſimilem eſſe debere legis hujusce ſententiam. Quod autem pertinet ad ſingula, non tibi novum eſſe debebit, ut nec futurum ſcio, ſi* tagito *repoſuerim &* tagit *vel* taget, *cum vel Feſto teſte notiſſimum ſit, veteres ita loquutos, qui Pacuvii Teucrum citat, & hunc verſum adducit:* Ut ego ſi quisquam me tagit, tagam. *Ceterum quod crines* demesſos, *non* demiſſos *velim, ratio eſt, quod hac lege non levem quandam poenam imponi pellicibus ſciam; tum quod exiſtimem, Numam ut ſapientiſſimum, ita & politicum maxime fuiſſe, neque omnino ſanctiſſima conjugii foedera temere violari voluiſſe; quinimmo graviter admodum in hujusmodi nuptiarum corruptelas animadvertiſſe, ut juſſerit eas Junoni, quae & ipſa pellex eſt, arnum foeminam crinibus demesſis immolare: crinibus vero demesſis, ut quod in foeminis honorificum eſt maxime, iis auferret. Alioqui obſervare videor, in ſacris comptiſſimas fuisſe matronas, & laetiſſimo cultu, quod indicat Tibullus, cum puellam ſuam Junoni ſacrificaturam inducit, & Deae commendat. Sic autem ſcribit:*

Natalis Juno, ſanctos cape thuris acervos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi eſt hodie, tibi ſe laetiſſima comſit:
Staret ut ante tuos conſpicienda focos.

Hoc ego in loco non Tota, *ſed* Lota *legam cupidius.* Arnum *foeminam ſcripſi, quod ſciam ex Feſto ſic veteres nominaſſe. Lex alia eſt ejusdem Numae apud Pompejum, ubi quid differentiae ſit inter* occiſum & necatum *meminit. Lex autem talis eſt*: Si hominem fulminibus occiſit, ne ſupra genua tollito. *In hac Numae conſtitutione aliquid deſiderari videtur; aut enim dicendum eſt:* Si hominem fulminibus occiſit, *nimirum* Jupiter; *aut hoc pacto legendum:* Si hominem fulmen Jovis occiſit, ne ſupra genua tollito. *Fuit tempus, cum ſic legerem:* Qui hominum fulminibus occiſus eſt, ne ſupra genua tollitor. *Tu, quid ex his duobus ſit ſanius, judicabis. Mihi ſat eſt, tibi vel indicaſſe quid ſentiam.* Supra genua tollere, *eſſe puto, ad ſepulturam tradere. Nam Feſtus & aliam legem Numae adducit, quae de eadem re agens ſic habet:* Homo ſi fulmine occiſus eſt, ei juſta nulla fieri oportet. *Videtur autem mos fuiſſe olim, qui & nunc Galliae quibusdam in partibus eſt, ut reſtibus quibusdam, vel lineis mantilibus feretro circumvolutis, earumque extremitatibus manui obvolutis, funus ultra genu ſuſtollerent; ſicque in locum communem Mettia porta transferrent. Hic ego finem legibus eſſe dabo, ſi unam modo adjecero, non quidem ex Feſto, ſed Macrobio, qui libro primo Saturnaliorum, cum de noctu concubia diſputat, Decemviros ait in* XII. *tab. inuſitatiſſime* nox *pro* noctu *uſurpaſſe, & hanc legem citat:* Si nox furtum factum ſit, ſi im aliquis occiſit, jure caeſus eſto. *Ego cum hunc locum legerem, miratus ſum, cum de perſona non admoniſſet lex, tamen ſubjungere,* ſi im aliquis occiſit, *ſtatimque ſuſpicatus ſum, legi poſſe hoc modo:* Qui nox furtum factum iit, ſi im aliquis occiſit, jure caeſus eſto. *Quam conjecturam meam ſi calculo tuo dignabere, Murete doctiſſime, erit quod gaudeam; ſin minus, patiar certe vel tantulum temporis ſubitae huic emendationi datum eſſe. Legibus modum impoſuiſſe me fateor: ſed tamen omnibus Feſti difficultatibus, nego. Sunt enim, praeter eas, quas tibi adferam, vel plurimae.* Silicernium *genus eſſe farciminis docet Feſtus,* quo, *inquit,* fletu familia purgabatur. Dictum autem ſilicernium, quia cujus nomine ea res inſtituebatur, is jam ſilicem cerneret. *Caecilius:* Credidi ſilicernium ejus me eſſe eſurum. *Quid ſibi Pompejus velit non video, cum dicit,* quo fletu familia purgabatur: *niſi forte diſtinctio interponenda eſt poſt* quo, &

in-

intelligamus farcimine, fletu familia purgabatur. *Haec levia sunt, illud gravius. Multa & accurata cogitatio effecit, ut legendum putarem*, quovis esu, *quod ipsum & litterarum ductus, & Caecilii versus probant. Donatus in Adelphis sic de silicernio meminit:* Silicernium coena est, quae infertur Diis manibus: quod eam silentes cernant, id est, umbrae possideant; vel quod qui haec inferunt, cernant, neque degustent: *quod quidem meae sententiae opponi videtur. Tuum quidem judicium esto, ego vel somniis istis meis facile cesero; tu vero variis tuis lectionibus, quas propediem auctiores exspecto, admiscere poteris haec loca, genuinae lectioni suae per te data. Properabam ad alia Festi loca, & ecce venit in manus meas & alia* XII. *Tab. constitutio, quam eo libentius tibi indicavi, quod & in eam Auratus tuus cogitationem & conjecturam suam interposuerit. Talionis mentionem fieri in* XII. *inquit Verrius hoc modo:* Si membrum capserit, ni cum eo pacit, talio esto. *Auratus cum legit conjecturam meam, statim legi posse putavit hoc modo:* Qui membrum capserit *& cetera, &* capserit *interpretabatur* privaverit, *ut in illo*, talpae oculis capti. *Verbum non addam de homine & optimo & doctissimo, tantum a te petam, ut, quid tu de his legibus sentias, rescribas. Nulli certe felicius id negotii committi potest, ne Trebatio quidem alicui. Satis enim superque ostendisti in divinis illis operibus tuis, quantum tibi omnes Latini & Graeci auctores & debeant & debere velint amplius, si illos melius quidem jam habentes in ipsissimam sanitatem restituere pergas. Extremum adjiciam, quod in Festo corrigendum puto.* Taminia, *inquit*, uva silvestris generis videtur Verrio dicta, quod tam mira sit, quam minium. *Legendum existimo*, quod tam rubra sit, quam minium. *Mecum facit Plin. lib.* XXIII. *c.* 1. *ubi sic de Taminia scribit:* Matureſcit Astaphis, cum vindemia nigrescit, cum Taminiae rubentes norimus acinos.

Nunc subjiciam loca quaedam, quae & obscura sunt, & correctione indigent; quali vero non dicam, quia nescio, nec multum scire laboravi: tibi vero facillimum erit ea ingenii tui divinissima acie penetrare, & suis e tenebris eruere. Ait Festus, Redarguisse, *Scipionem Aphricanum per e literam protulisse, eundemque* pertisum *dixisse, non* pertesum, *de quo meminerit Lucillius, cum ait:* Quo facetior videare, & scire plus quam ceteri pertisum

hominem, non perfesum dicere ferunt, nam genus. *Primum quidem manifesto scribendum* Rederguisse *videtur, eum id ajat Festus. Tum Lucillii versus quadrati videntur, quibus tamen nigra est cauda. Tu his lacunis felicissime impletis, nobis pro tenebris oblatis, lucem reddes. Locus alius est eodem in Festo aeque deploratus; cui quidem aliquid opis attuli, quod tibi eum indicavi: tuum vero erit, qua es humanitate, nobis eum saniorem dare.* Sponsis bene, beneque volueris in precatione augurali, Mesala augur ait significare spoponderis volueris. *Cum hunc locum attentius legissem, sensi tandem Mesalam, qui formulam quandam precationis antiquae referret, ea verba utpote obscura explicare voluisse, cum dicat* sponsis *significare* spoponderis & volueris. Volueris *dico ego vel nil cernere me, vel aetate impediri judicium meum, aut locum hunc corruptum esse; quomodo tamen corrigendus sit ignoro, nisi forte* vulsis *legas aut* volsis, *itaque precere*, Bene sponsis, beneque volsis. *Alia sunt, quae mihi sunt obscurissima, sed ea coram agentur latius. Nondum tibi molesta esse desinit infantia mea, quam revera simplicius erit & rectius garrulitatem appellare; quia non tam infans est, quam indecenter loquax nimis. Sed dabis hoc observantiae in te meae. Dii enim meliora, quam ut tantum temporis, perire cupiam tibi, dum singula haec inspicias; quinimmo nisi ea essent, quae studiosis olim omnibus, mihique inprimis utilissima forent, omnino te ab optimarum rerum studio avocare inanibus istis somniis nollem. Sed audi, quaeso, quod restat. Macrob. libr.* II. *Saturn. cap.* VII. *cum de Laberio equite Romano agit, quem Caesar Julius quingentis millibus invitarat, ut prodiret in scenam, & ipse ageret mimos, quos scriptitarat, hos ejus versus subjungit, quos tamen librariorum culpa corruptos nobis edidit. Sunt autem hi:*

Necessitas, cujus cursus transversi impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me detrusit pene extremis sensibus?
Quem nulla ambitio, nulla unquam largitio, *& cetera.*

Hi versus ut sint venusti multum, tamen venustiores futuri videntur, si unius litterae mutatio accesserit. Legerem itaque libens tertio illo in versu: Quo me detrusit pene extremis censibus? *Erat enim Laberio praemium a Caesare*

fare oblatum quingentorum millium. Quod tu quidem immane esse pretium nosti. Quin addit, se, cum juvenis esset, nulla largitione, nullis honoribus de statu moveri potuisse. Sic scriberem ego, de te nondum certior, sed brevi, ni fallor, futurus. Intelligere possim, extremis sensibus, *in senecta aetate: sed nil ad rem, quia subjungit statim,*

Ecce in senecta ut facile labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submissa placide blandiloquens oratio!

Sequitur:

Ego bis tricenis annis actis sine nota,
Eques Romanus e lare egressus meo,
Domum revertar mimus?

Sic legi debere & versus ratio & ipse orationis contextus ostendunt.

Paulo post est:

Fortuna immoderata in bono aeque atque in malo,
Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen nostrae famae frangere, *& cetera.*

Haec omnia sunt corruptissima. Quid enim est literarum laudibus floris cacumen famae frangere? *Legendum putarem,* Ludionum laudibus *vel* lusibus *potius: sic enim locum quendam Propertii emendavit Auratus noster, ubi agitur de Spartae laudibus, quae nudas puellas in gymnasium mittebat cum viris decertaturas. Sic habet versus:*

Quod non infames exercet corpore laudes.

Auratus ludos *legit. Sic itaque Laberii versus repono:*

Fortuna immoderata in bono aeque atque in malo,
Si tibi erat libitum Ludionum lusibus
Florens cacumen nostrae famae frangere,

vel certe florum cacumen, *quod erit*, floridum. *Nam* florus *dixisse veteres pro eo quod* floridus *nunc est, explo. ratum habeo. Sequitur:*

Cur cum vigebam membris praeviridantibus,
Satisfacere populo & tali cum poteram viro,
Non me flexibilem concurvasti, ut carperes?

Nec hic quidem bene habet carmen. Nam qui tandem ille est trimeter, Non me flexibilem concurvasti, ut carperes? *lego*, ut ceteros, *vel* coeperas. *Certe quiddam hujusmodi substitui debet. Extremum addit Fruterius, non minus, ut sperat, Mureto suo gratum futurum, quam vel alia omnia. Cum haec scriberem, incidi in librum quendam sodalis mei, ad cujus frontem amylo vel potius visco librario impactum erat folium quoddam membranae, in quo reperi haec, quae subscribam: (videbatur autem Grammatici cujusdam fragmentum aliquod, de quo tamen affirmare non possum:) sic habent ea:* Inveni marum pro marium, quod tamen in raro est usu, genitivus apud Naevium in carmine belli Punici: Senex fretus pietate dominum adlocutus summi Dominum regis fratrem Neptunum regnatorem marum. Ejus ablativum Caesar quinto belli Gallici ponit: Paulo latiores, quam quibus in reliquis utimur maribus. *In vulgatis codicibus, statim a principio hunc in modum legas:* Ad onera & ad multitudinem jumentorum transportandam paulo latiores, quam quibus in alio mari uti consueverant. *Certe, si hic est locus, quem citat Grammaticus ille, mirum est tam sui dissimilem esse: sed fieri potest, ut in alio Caesaris libro sit hic versiculus. Tu vel optime id scies, qui optimos quosque auctores tibi familiares habeas, inprimis vero Caesarem. Haec pauca sunt de multis, Murete doctissime, quae ad te scribenda putavi, partim ut ἐχαριτώμην, qua tetrius esse vitium nullum puto, a me amolirer, partim etiam, ut, quo in te animo esem, non ignorares. Bene vale, Galliae tuae & Italiae totius clarissimum decus. Cuperem omnino, Murete optime, ut his meis non voce, sed tabellis respondere digneris; quod in suffragiis tabellariis factum nosti. Deus ero, si vel literulam a te extorqueo. Iterum vale, & nos ama.*

MURE-

MURETUS JACOBO CANANO MEDICO S.

XXVI.

Convalui. Hoc me gratius, aut optatius tibi epistolae principium reperire nullum posse, certo scio. Febris fuit tertiana duplex, qualem tu a me tertio abhinc anno Ferrariae depulisti: nisi quod haec mitior, & remissior fuit. Itaque octavo me die, postquam corripuerat, reliquit. Curatus sum non medicamentis modo, sed & missione sanguinis, de consilio Angeli Justiniani nostri, qui medicamenta non solum ipse praescripsit, sed & magnam partem eorum sua manu confecit, ac concinnavit. Omnino & ipsius, & omnium qui hic sunt; sed praecipue ipsius, & Petri Normesini, mirificum quendam expertus sum in me amorem, miram in curanda valetudine mea sollicitudinem, sedulitatem, assiduitatem. Neque ita hos praedico, ut non ceteris quoque plurimum debere me fatear. Nam & Bartholomaeus Ferrus, (puto te ante nescivisse id nomen Theologo nostro esse,) & Hieronymus Lippomannus, & Abbas Rosettus contendere quodam modo inter se videbantur, quis pluribus atque expressioribus indiciis studium erga me patefaceret suum. Mihi crede, tanti erat aegrotare. Nunc confirmatus avide exspecto, quid vos istinc scribatis de nostro in Italiam reditu. Quanquam enim tuae litterae certa prope & explorata nunciant: non desunt tamen hic, qui sponsione certare parati sint, nos in Gallia hybernaturos. Alii aliter putant, sed tamen dubitationis aliquid affert, quod hic nondum pro certo auditum est, Nichettum abiisse. Qui si media hyeme redierit, (& jam vix videtur aliter fieri posse,) tamenne se alienissimo anni tempore, asperrimo caelo, inviis viis, tam longinquo itineri commissurus est Cardinalis? Ita disputant quidam; qui mihi non satis cognitum habere ipsius ingenium videntur. Ego enim hoc ipso argumento utor, cur magis augurer fore, ut abeamus. Herus enim noster, qua est magnitudine animi, hanc ipsam occasionem arripiet declarandi omnibus

hominibus, virtutem & constantiam suam neque aestatis ardoribus, neque asperitate hyemis retardari. Quare si aliud nihil obstiterit, ibimus, vel si caelum ruat. Meam voluntatem si exquiris: equidem negare non possum, quin tanto mihi desiderio sit Italia, quanto fortasse nemini nostrum: sed ad res meas multo accommodatius esset, exspectari a nobis tempus illud,

gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris se gleba resolvit.

Mea enim maximi momenti negotia citius explicari non queunt. Sed *quod fors ferat*, ut ille ait, *feremus aequo animo*. Iter hyeme capessendum si fuerit, incommoditatem reditus celeritate compensabimus; sin exspectandum ver, commoditate temporis ad conficienda quae volumus, desiderium Italiae leniemus. Sed utut futurum est, obsecro obtestorque te per amicitiam nostram, ut expiscere, si potes, aliquid certi, idque ad me scribas quam poteris certissime. Permagni mea interest, scire quid futurum sit, propterea quod consilium mihi ad rationem itineris dirigendum est, & aliud capiendum, si properatur profectio, aliud, si differtur. Cura igitur pro eo, quanti apud te sum, ut mittas ad me aliquid exploratì. Id si tacitum haberi voles, nemini indicabitur. Mi optime & optatissime Canane, vale, & ama me, ut facis. Salutem quibus videbitur. Nostri omnes te salutant. E Karoliloco, prid. Non. Oct. MDLXII.

EIDEM CANANO.

XXVII.

Ego vero jam subverebar, ne mea haec nova ad te scribendi ratio parum tibi probata esset: adeoque, (vide quanto in errore versatus sim,) meditabar excusationem. Sed gaudeo contra cecidisse, quam putaveram. Nunc tu a me, & crebras, & longas litteras exspectato: ea tamen lege, ut mihi liberum sit, nullo ordine, nullo delectu, quicquid in buccam venerit, scribere. Litterae tuae omnes mihi redditae sunt: neque facile credas, quantam mihi voluptatem attulerint. Quanquam enim

enim non ſum ſolitus valde magnam curam ſuſcipere de iis, quae ad me nihil pertinent; neque quisquam usquam eſt minus, quam ego ſum, rerum novarum curioſus: libenter tamen intelligo progreſſus iſtius calamitoſiſſimi belli, praecipue cum ea nunciantur, quae ſpem adferunt aut victoriae, aut honeſtae alicujus compoſitionis. De recepto Avarico jam hic auditum erat multo ante, quam tuas ea de re litteras acciperem. Sed videor per nebulam inaudiſſe quiddam, quod haud ſcio, an litteris committere debeam; indicabo leviter. Etenim ſi falſum eſt, nihil periculi fuerit, etiamſi tu, quid ſit, non aſſequare; ſin verum, quamvis leviter admonitus, facile totam rem intelliges. Fuere igitur hic, qui pro certo ac comperto affirmarent, potuiſſe oppidum per vim capi, invitiſſimis hoſtibus, nulla deditione, nullis conditionibus, niſi quorundam aut ſcelerata colluſio, aut ſtulta clementia, alienae virtuti impedimento fuiſſet. Quod ſi eſt, facile fuerit jam nunc proſpicere, qui futurus ſit exitus. Neque enim dubium eſt, quin ſuum quisque inſtitutum conſervaturus ſit ad extremum. O mi Canane, qui tandem finis hujus tam moleſtae peregrinationis futurus eſt? Quando erit, ut ad Eridani, aut, quod malim, ad Tyberis ripam inambulantes, concinere poſſimus illud Euripidis:

Suavis eſt laborum praeteritorum memoria.

Sed, pedibus nobis ne conficiendum ſit iter, metuo; ſi verum eſt, quod modo huc allatum eſt, equos omnes furto ſublatos eſſe. Malam peſtem illi abigeo, quisquis eſt. Sed quid eſt, quod ait Balbus, ferventius, quam unquam antehac, agi de pace? Utinam quidem eveniat! ut nobis tanto maturius in Italiam redire liceat, antequam incidamus in hyemem. Sed haec, ut opinor, ſomnia ſunt: quae tamen cuicuimodi erant, ſcribenda tibi fuerunt. Aliud enim nihil erat, quod ſcriberem. Praeclaras illas hiſtorias, quas tibi ſuperioribus litteris promiſeram, neque vacat ſcribere, neque nunc quidem ſatis tutum eſt. Sed, mihi crede, mirificus homo eſt ille noſter: neque magis in quoquam deprehendi verum eſſe id, quod ex te ſaepiſſime audivi, vitandam eſſe ei familiaritatem eorum omnium, apud quos conſervare auctoritatem ſuam vellet. Noſtri omnes te ſalutant. Saluta mihi

hi tu iſtic, quos videbitur; Contarellum praecipue, & Gerardinum. Vale. Karoliloci, XII. Kalend. Octobr. MDLXII.

EIDEM CANANO.

XXVIII.

Verum eſt quod audiſti. Trepidatum hic eſt ab omnibus: neque ſane injuria. Quis enim conſtare animo poſſet, cum audiret, fuſum ac fugatum eſſe exercitum regium, pedites conciſos, equitatum disjectum ac diſſipatum, ex ducibus ipſis alios interfectos, alios vulneratos, Comitem ſtabuli captum. Mihi crede, habent juſtam excuſationem timoris. Nam mea quidem, ut mox audies, non eadem cauſa eſt, quae ceterorum. Sed cum hic ita crederetur, nihil propius eſſe, quam ut ad hanc domum diripiendam turma aliqua militum accurreret: Theologus noſter, homo, ut ſcis, minime bellicoſus, qui videret ſibi adverſus illos homines nihil in Theologia ſua praeſidii fore, quanta maxima celeritate potuit, collegit ſarcinas ſuas, & iter in Belgium cepit. Comitati eum ſunt Abbates duo, neque de iis quicquam poſtea audivimus. Ceteri, ut ſcire te puto, Lutetiam ibant, ſed cum in itinere alium nuntium accepiſſent, huc omnes multa jam nocte redierunt. Ego biduo ante Bellovacum profectus eram; quo me Cardinalis miſerat. Ita autem fors tulit, ut eodem plane temporis puncto, quo illi redibant, ego quoque redirem. Quo factum eſt, ut prius rediſſe ſciverim, quam abiiſſe ſcirem. Hilaratis igitur omnium animis, multum inter coenam riſimus; multa in eos, qui remanſerant, plura in eos, qui fugerant, jocati ſumus; mecum omnes praeclare actum eſſe dicebant; qui quaſi proſpicerem ac divinarem quid futurum eſſet, & fugiſſem ab acerbitate prioris nuntii, & ad poſterioris laetitiam accurriſſem. Nunc hic ego & Petrus Normeſinus ſuaviſſime vivimus, venatu, aucupio, piſcatu, &, quod caput eſt, bonis ſermonibus: neque vobis invidemus, quos iſtic ambitio aureis compedibus alligatos tenet. Unum me male habet, Theologi abſentia: quem deſidero, & ut diſcipulum magiſter, & ut magiſtrum diſcipulus. Operas enim permutare inter nos coeperamus, ut ego eum Graecas litteras, ipſe me Theologiam docerret.

ret. Valde magnam voluptatem mihi attulerunt litterae tuae, quod & laeta nuntiabant, & omnia accuratisſime ac minutisſime perſequebantur. Conſerva, quaeſo te, iſtam conſuetudinem: ſed noli exſpectare, ut tecum paria faciam. Tibi enim quae ſcribas, plurima quotidie ſuppetunt: mihi quod ſcribam fere nihil eſt, niſi hoc ipſum, nihil eſſe quod ſcribam. Ego & Petrus Normeſinus te communiter ſalutamus, atque a te petimus, ut noſtro amborum nomine Contarellum ſalutes. Vale. E Karoliloco. A. D. VII. Kal. Jan. MDLXII.

EIDEM CANANO.

XXIX.

O triſtem nobis & acerbum nuntium de Rege Navarrae! Quem nos hic etſi acceperamus ex aliis: ſuſtentabamur tamen aliqua ſpe, donec allatae ſunt litterae tuae. Quas ego utrasque heri veſperi acceptas communicavi cum omnibus noſtris: neque eorum quisquam fuit, qui non ita certo ſtatucret, cum tu ita ſcriberes, fieri aliter non poſſe, quin plane deplorata eſſet optimi & religioſiſimi Principis ſalus. Cujus interitu quantam plagam Gallia, quantam cauſſa religionis acceperit, vereor, ne paucis diebus magno noſtro malo ſentiamus. En quos fructus civilia bella pariant! Hoc unum miſerae Galliae reſtabat mali, ut veteres illas Thebanas calamitates in ſuo ſanguine renovatas videret. Quid enim intereſt? niſi quod illic ejusmodi fratres contendebant, ut utrumque cadere expediret; quod & contigit: hic cum e duobus fratribus alter errore ductus, & quaſi praeſtigiis quibusdam occaecatus, contra patriam, quodque gravius eſt, contra Deum arma ferat; alter nihil unquam habuerit antiquius, quam ut & fratrem reduceret, & famam caputque illius modis omnibus conſervaret: ei allata nex eſt, cujus in vita & fraterna ſalus, & magna ex parte totius regni tranquillitas nitebatur. Quodſi, qui pro patria dimicantes mortem oppetiverunt, eorum memoriam ſummo cum honore omnes anni conſequentes excipiunt; ſi conſecrari ac prope divinis honoribus affici poſt mortem ſolent, qui Chriſtianae religionis defenſionem vita ſibi priorem ac potiorem eſſe duxerunt: quos tandem hono-

nores satis amplos congerere posteritas in eum principem poterit, qui, pro quarum rerum utravis mortuum esse satis est ad immortalitatem comparandam, pro earum utraque pugnans, anima spoliatus est? Nunc ille caelo receptus, ex alto res mortalium despicit; & ut nuper auctoritate, consilio, manu communem Dei & Karoli regis causam tuebatur, ita nunc precibus ad Deum, cujus aspectu fruitur, fusis, eandem fovere ac sustentare non desinit; inprimisque, ut credibile est, filiolo suo ejusmodi duces ac consiliarios precatur, qui ipsum in paternae potius constantiae, quam in maternae pervicaciae imitationem deducant. De fratribus autem, quos sibi superstites reliquit, pro altero petit, ut quam citissime mutetur; pro altero, ne unquam mutetur. Addit alia iis congruentia, quae nos sperare fortasse posumus, optare quidem sine ulla dubitatione debemus. Vides, quam & ipse otiosus sim, & esse te putem: qui & tecum, poëtarum more, de iis, quae aguntur in caelo, fabuler, & tibi ad haec legenda otium suppetere existimem. Sed tua quidem conditio melior, qui desinere ubi vis, deinde si quando neque dormire vis, & sommus urget, repetere intermissam lectionem potes: mea deterior, qui homo cum piger ad omnia, tum ad scribendum pigerrimus, cogor haec, tanquam ad clepsydram, scribere. Etenim tum denique admoneor, cum aliquis statim profecturus est. Duplex autem mihi imponitur difficultas: quod & subito scribendum est, ne officio desim, cum tu ad me creberrimas de omnibus, quae istic geruntur, amantissime & accuratissime perscriptas litteras mittas; & multa scribenda, quo te expleam: cum in hac solitudine novi nihil, nisi ea, quae istic adferuntur, audiamus. Dabis igitur veniam nuganti mihi, &, quia res non suppetunt, verba fundenti. Scio enim, te inanes, dum longas, epistolas anteponere aut nullis, aut brevibus. Nunc ad alia venio: hybernaturos in Gallia esse nos, jam, ut opinor, exploratum est; neque id mihi valde molestum erit, dum aut Lutetiae, aut in aliquo alio oppido esse liceat. Nam horum quidem nemorum jam pridem taedet; neque mihi quidquam longius videtur, quam dum tecum sim: ut more nostro legamus una aliquid quotidie, seu novi quid suscipere libeat, seu potius Taciti annales persequi; quos ego totos in hoc secessu devoravi. Interea peto a te,

ut

ut, quemadmodum inſtituiſti, ſcribas ad me, quod commodo tuo fiat, quam poteris ſaepiſſime. Non enim facile credas, quam dulces mihi ac jucundae ſint litterae tuae. Saluta mihi amicos omnes, inprimis Contarellum: cui dices, me de libello ad me miſſo maximas gratias agere, & mandata ipſius diligenter curaturum eſſe. Haec ego ad ipſum ſcriberem: ſed novi hominis occupationes. Itaque ſcribere mehercules ad eum non audeo, niſi cum eſt neceſſe. Salve ab omnibus noſtris, & valetudinem tuam cura. E Karoliloco, poſtrid. Id. Nov. MDLXII.

HORATIUS CARDANETUS MURETO

S. P. D.

XXX.

Mitto ad te, Murete eruditiſſime, omniumque politiorum literarum decus, (liceat mihi, quod ſentio, ac potius, quod docti omnes ſentiunt, ſine ulla aſſentationis ſuſpicione vere loqui,) paucas aliquot epiſtolas tuas, ad me humaniſſime ac elegantiſſime ſcriptas, quas Lucas Sempronius noſter, optimus juvenis, & utriusque noſtrum ſtudioſiſſimus, tuo nomine a me petiit. Deſcripſit eas libenter & eleganter Balthaſar Anſideus, tuu ne, an meus dicam? utriusque certe quantum alter alterius eſſe poteſt. Agnoſces facile ipſius manum, qui ſuperiore anno in deſcribendis variis lectionibus operam tibi ſuam navavit: tui quidem admirator ac laudator eſt mirificus. Si de tuarum epiſtolarum editione cogitas, recte cogitas. Nihil enim detrahent de eloquentiae tuae fama, quam luculentiſſimae tuae orationes tibi pepererunt. Excellis tu quidem, Murete, ac mirus es in omni ſcriptionis genere, ſeu carmen pangas, idque variis numeris; ſeu ſolutam texas orationem; ſeu poëtam, ut Catullum, interpreteris; ſeu oratorem, ut Ciceronem, explices; ſeu Graecos vertas, ut Ariſtotelem: quicquid denique quoquo modo literis mandes, elegans eſt, politum, ingenioſum, eruditum, omnibus numeris abſolutum. Tua me ſcripta omnia capiunt, tenent, revocant, nulla unquam eorum ſatietas. Vel ipſae epi-

epiſtolae, quas properanter exarare te ſcio, quam venuſtae, quam ſaepe eruditae, quam ſemper urbanae! Quod ſi volumen ipſarum legatur, ſtudioſorum manibus teretur, ac, ſi ullius foret ponderis auctoritas, judiciumque meum, ad eas edendas te cohortarer. In quo Politianos, Bembos, Sadoletos, Manutios, (mitto alios,) imitabere. Neque levius tibi ſcriptionis genus videatur, tuoque ingenio, ac eruditione indignum. Proponam enim graviſſimos doctrinaque principes viros, qui minus ſunt illud aſpernati, laudemque ſibi ex eo quaeſiverunt, Plinium, Ciceronem, Platonem. Memini etiam epiſtolam me tuam legere, in qua de bene ſcribendae epiſtolae difficultate diſputas; hanc autem ſemper ſequitur laus. Illud igitur tui judicii erit, quo excellis. Verum hoc hactenus. Ego, quod jam diu literarum officium intermiſi, hanc arripui occaſionem. Velim exiſtimes, tantum me tibi tribuere in literis, quantum alii nemini. Niſi igitur impudentior ſim in petendo, mitte ad nos aliquod ex tuis ſcriptis, quod tanquam ſacrum, Balthaſar & ego cuſtodiemus, nec emanabit unquam te invito. Appellarem te crebro per literas, ſed partim vereor, ne interpellem nugis, quamquam officioſis; partim per valetudinis infirmitatem, docendique moleſtas occupationes, quibus invitiſſime diſtringor, haud commode licet. Cupio tamen conſuetudinem repetere, mercaturamque iſtam exercere, quam tu mihi aliquot abhinc annos propoſuiſti: quam ſi exercuiſſem, multum feciſſem lucri. Quod ſi minus mihi licuerit, dabo negotium Balthaſari meo, omnium, quos cognoverim, bonarum omnium literarum cupidiſſimo ac ſtudioſiſſimo, qui jam adeſt cum tuis epiſtolis deſcriptis, ac faſciculum obſignabit. Vale, mi Murete, atque ab eo ſalve. Lucam Sempronium ſenel a me tibi commendatum, quo primum tempore ad Urbem venit, nunc iterum commendo, non quod ipſe a me petat, ſed mea tantum benevolentia, in ipſum ſuſcepta ob eximiam ejus probitatem. Quibuscunque rebus illi commodaveris, mihi commodaveris. v. *Id. Jan.* MDLXXIX.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

HORATIO CARDANETO SUO.

XXXI.

Quidni enim te meum vocem, Horati optime & humanissime, cum & ipse te singulariter diligam, & me ita tibi carum esse sentiam, ut nulli te veterum amicorum meorum in me amando cedere profitearis? Quod quidem ego, ut, quia summe cupio, facile mihi persuadeo, vere a te atque ex animo dictum esse: ita causas, quibus te ad istam voluntatem erga me suscipiendam adductum esse scribis, non agnosco. Immo vero majorem in modum a te peto, ut si, cum me ac mea diligentius inspexeris & excusseris, animadvertes, non esse in me eam eruditionem, eamque eloquentiam, quam tu fortasis aliquando credidisti, nolis me luere ac sufferre poenas erroris tui: neve, quasi vitiosum aliquid aut morbosum pro sano emeris, ex aedilitio edicto agere ad redhibendum velis. Si me ita amabis, ut hominem & honestis studiis deditum, & ingenuum, apertum, simplicem, rectum, minime fucatum, minime tectum, in primis φιλόφιλον: praestabo tibi ea omnia cumulate, neque unquam in ejusmodi rebus fallam opinionem tuam. Eo tu si praeterea aliquid addideris, ut multarum rerum scientiam, ut eloquentiam, ut cetera id genus: ipse, quomodo tibi caveas, videris; ego ea neque polliceor, neque praestabo. His legibus initam mihi esse tecum & constitutam amicitiam volo, quas a te quoque non gravate acceptum iri puto. Atque equidem cum multis de causis antea amaverim Gisbertum Oddum, adolescentem optimum, & pleno gradu ita tendentem in ea studia, quibus nos delectamur, ut, quod serius in eam viam ingressus est, assiduitate & diligentia compensaturus esse videatur: habebo posthac cariorem etiam hoc nomine, quod is conciliator, quasique συνεκτικὸς hujus nostrae conjunctionis fuit. Magna sane cum voluptate

ptate repeto memoria tempus illud, cum ipſe mecum de doctrina tua, deque ſuaviſſimis moribus, & creberrime & amantiſſime loquebatur. Addebat etiam nonnulla de ſtudio quodam & amore mei tuo, quem ſibi ex tuis ſermonibus cognitiſſimum eſſe dicebat. Ego autem & audiebam ea libenter, & ei fidem habebam non invitus: ut ad credenda, quae jucunda ſunt, faciles natura omnes ſumus. Itaque iisdem ex eo ſaepe & conſtanter audiendis, ſic jam incalueram, ut quemadmodum in aridiſſimam, ſiccisſimamque materiam nulla poteſt incidere tam parva ſcintilla, quae non maximum ſubito incendium excitet, ita nulla poſſet a te dari tam puſilla tamque tenuis ſignificatio eorum, quae de Gisberto audieram, quae non ad me totum mirifico quodam tui amore inflammandum ſatis habitura virium videretur. Adhuc haec erant, cum afferuntur a te ad Gisbertum litterae, non ſolum ſcriptae eleganter ac polite, quod tibi proprium ac perpetuum eſt, verum etiam illum amorem in me, de quo tam multa tam ſaepe audieram, omni ex parte ſpirantes. Quid quaeris? ita exarſi, ut nihil fieri poſſet ardentius. Succeſſerunt primis illis alterae, tertiae, aliae deinceps, eadem omnes ſuavitate perfuſae, iisdem inſignes amoris notis. Nonne igitur inhumanus ſim, planeque ferreus, niſi tam amanter a te ultro appetitus ac provocatus, tibi in amore reſpondeam? Sed non committam, ut eo nomine accuſari poſſim: ſemperque ſine ulla retractatione, ſi quid accidet, in quo amicitia mea tibi aut uſui, aut ornamento eſſe poſſit, ne qua in parte veri amici officio defuiſſe videar, ſtudioſiſſime operam dabo. Quod ad litteras tuas tardius fortaſſis tua exſpectatione reſponderim, ſcito, eas mihi nudius tertius tandem redditas eſſe. Vale. Poſtrid. Non. Decembr. ex Urbe. MDLXIV.

EIDEM CARDANETO.

XXXII.

Volo tecum, Horati, ſi modo ab eo voluntas tua non abhorret, quaſi mercaturam quandam inſtituere litterarum: ut quando iisdem fere in ſtudiis noſtrum uterque verſatur, ſi quid & bellum atque elegans, & non vulgare, neque protritum, dum, ut longinqua littora, ita veterum

rum ſcripta luſtramus, reperiſe videbimur, id in commune conferamus, & alter cum altero communicemus. Hoc feciſe veteres illos, quos *ende caelo*, ut Cicero in legibus loquitur, *merita locarunt*, Hippocratem Coum, & Democritum Abderiten, Platonem Athenienſem, & Tarentinum Archytam: tum e noſtris (quanquam illos quoque quidni noſtros vocare liceat?) ſed tamen ex illis, quos uſitatius noſtros dicimus, idem inter ſe Ciceronem ipſum, Nigidium, Atticum, Varronem factitaſe, fatis aperte ipſorum monumenta declarant. Quorum ego exemplum, quantum in me eſt, renovare cupiens, ad hanc te ſocietatem, Horati, voco: quam niſi refugis, non dubito fore, ut ex ea primum uterque noſtrum; deinde etiam alii, non eorum modo, qui nunc ſunt, ſed etiam, ut Homerico verbo utar, τῶν ὀψιγόνων; ſi non magnos atque uberes, aliquos tamen aliquando capiant fructus. Ejus autem, niſi tibi ſecus videtur, eae leges ac pactiones erunt. Primum, ut quidquid alterutri noſtrum quocunque in ſcriptore antiquo occurrerit, quod aut ſit, aut videatur obſcurum, ambiguum, depravatum, de eo, ut ipſi alterius ſententiam exquirere jus faſque ſit. Deinde ut is, qui ſententiam rogabitur, re diligenter penſitata, cum amicis etiam, ſi videbitur, communicata, quidquid aut commode cogitare ipſe, aut ex aliis expiſcari potuerit, aperiat. Tum, ut ſi alterutri aliqua alterius opinio non probabitur, liberum ei ſolutumque ſit, cauſſas, cur eam non probet, exponere, isque qui reprehendetur, aut potius admonebitur, non modo non laedi ſe ac violari in eo, verum etiam beneficium ſibi tribui putet. Poſtremo, ut quidquid alter ab altero acceperit, nunquam neque privatim, neque publice id ſe ab eo accepiſe diſſimulet: quin potius uterque omni ope omnes alterius ornandi atque amplificandi occaſiones, non tantum oblatas arripiat, ſed etiam ſtudioſe diligenterque perquirat. Haec ſi faciemus, alter alterius induſtriam acuemus, ingenium excitabimus, & diſcemus denique vicisſim, & vicisſim docebimus. Gisberto quidem noſtro, quem ego adoleſcentem quotidie plus amo, quod ipſe quotidie honeſta ſtudia plus amat, praeſens ex hac noſtra negotiatione lucrum paratum eſt. Ego enim, qui cum ad cetera omnia, tum ad ſcribendum ita piger ſum, ut nemo magis, eo poſthac, cum ad te ſcribam, amanuenſi uti cogito.

gito. Nam & ipſe cum laborem cauſa mea libenter capit, tum hoc ſtudiis ſuis inutile non fore arbitratur. Vale. III. Kalend. Jan. MDLXIV.

EIDEM CARDANETO.

XXXIII.

Reſpondebo tibi breviter, ut & poſtulas, & occupationes meae cogunt. Non te praeterit, apud optimos utriusque linguae auctores reperiri quaedam ſeu de induſtria, ſeu ab aliud cogitantibus peccata, quae Grammatici modo ἀναπόλυθα, modo σολοικοφανῆ vocant: cum illi non ipſam conformationem orationis, aut vocum convenientiam, ſed id modo, quod ſenſum eſt, reſpiciunt. Exempla ſcio tibi non deeſſe: ſed tamen ut videas, me tecum ἀπχνῶς καὶ ἀδόλως agere, congeram quae in mentem venient Terent. Hecyra: *Nam nos omnes quibus eſt alicunde aliquis objectus labos, Omne quod eſt interea tempus, prius quam id reſcitum eſt, lucro eſt.* Ut omnia conere, non reperies, cum quo cohaereat illud, *nos omnes.* Salluſtius: *Sed antea item conjuravere pauci contra rempub. in quibus Catilina fuit: de qua quam verisſime potero dicam.* Idem: *Interea ſervitia repudiabat, cujus initio ad eum magnae copiae concurrebant.* Idem: *Familia noſtra cum populo R. bello Carthaginienſi amicitiam inſtituit: quo tempore magis fides ejus, quam fortuna, pendenda erat, quorum progeniem.* Idem: *Abundantia earum rerum, quae prima mortales ducunt.* Atque ut in aliis, ita in hoc quoque Salluſtius Thucydideus fuit. Apud illum enim talia ὅσα κόνις. Plautus: *Hos quos videtis ſtare hic capteivos duos, Illi qui aſtant, ii ſtant ambo, non ſedent.* Sed ne apud Plautum quidem talium modus eſt. Hujus generis ſunt & illa Homerica,

Τίπτον φίλε.

Et:

Ἐννῆμαρ μὲν ἀνὰ στρατὸν ἄχετο κῆλα θεοῖο.
Τῇ δεκάτῃ δ' ἀγορήνδε καλέσσατο λαὸν Ἀχιλλεύς.

Et

Et:

Ἔθνια πολλ' ἐρυθῶν ἀγαλλόμενον πλησίον ἦεν.

Et illud Virgilianum:

Craſtina lux, mea ſi non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutulae ſpectabis caedis acervos.

Et:

Pars pedes ire parat campo, pars arduus altis
Fertur equis.

Poſſum e Sophocle, Euripide, Pindaro, aliis quamlibet multa congerere: ſed ne longior ſim, &, ne tibi homini eruditiſſimo videar diffidere, pauca tantum tibi in memoriam ex ipſo Cicerone revocabo. Ita igitur eſt in ſecundo Tuſculanarum: *Etenim ſi orationes, quas nos multitudinis judicio probari volebamus, (popularis eſt enim illa facultas, & effectus eloquentiae eſt audientium approbatio,) ſed ſi reperiebantur nonnulli, qui nihil laudarent, niſi quod ſe imitari poſſe confiderent*, &c. Scio eſſe locum quendam, ubi ad Atticum ſcribens, cum *epiſtolam* dixiſſet, ita reliquum orationis contexuit, quaſi *litteras* dixiſſet, non *epiſtolam*. Sed nunc non venit in mentem. Inſpice diligenter locum illum ex Catone majore, ubi citantur hi duo verſus Caeciliani:

Tum etiam in ſenecta hoc deputo miſerrimum,
Sentire ea aetate eſſe odioſum ſe alteri.

& vide, cum quo ea, quae ſtatim ſubjungit, cohaereant: *Jucundum potius, quam odioſum.* Neque enim hoc dicit: *miſerum eſt, ſentire, ſe jucundum potius, quam odioſum*: ſed hoc: *ſi quis commodus ſenex ſit & humanus, eum jucundum potius eſſe, quam odioſum.* Quae tamen ſententia, ſi verba tantum ſpectes, effici nullo modo poteſt. Revocabo te ad illos ipſos libros de Oratore. Ita igitur loquitur in jocorum tractatione: *Ex eodem hoc vetus illud eſt, quod ajunt, Maluginenſem illum M. Scipionem, cum ex centuria ſua renunciaret Acidinum con-*

ſulem, praecoque dixiſſet, Dic de L. Manlio: virum bonum, inquit, egregiumque civem eſſe arbitror. Vide quam conveniat, *Malucinenſem illum*, cum verbo *inquit*, quod poſtea ſubjunxit. Eodem igitur modo cum dixiſſet: *etenim ceterae fere artes*, & cetera: ita dixit poſtea, *cujus terminis ſepta teneatur*, quaſi non *bene dicere* dixiſſet, ſed *ars bene dicendi*, quod orationis ἀκολουθία poſtulare videbatur. Habes verboſam & inſuavem epiſtolam, ut ſcriptam a properante, & occupato: etiamque ut tibi moleſtia duplicetur, mea manu ſcriptam, ut fortaſſis etiam in legendo aliquid tibi negotii futurum ſit. Gisbertus enim noſter, propterea quod ei hodie ad fores herilis cubiculi aſſidendum eſt, ut ſtatis vicibus omnes cubicularii ſolent, operam mihi dare non potuit. A te peto, ut me ames: quod cum facies, mutuo te facturum eſſe ſcito. Vale. Romae VI. Kalend. Mart. MDLXV.

EIDEM CARDANETO.

XXXIV.

Ad eas literas, quas a te amoris plenisſimas nuper accepi, ſtatim reſpondiſſem, ſi otioſus fuiſſem. Sed eram occupatus in recognoſcendo volumine quodam orationum mearum, quod a me his ſuperioribus diebus librarii extorſerunt verius, quam impetrarunt. Omnino enim conſtitueram, nihil poſthac ſcribere: ſed me, ut conſilium mutarem, amicorum nimis bene de me ſentientium non cohortationes modo, ſed preces aſſiduae coëgerunt. In eo igitur eram occupatus, cum accepi litteras tuas: & ſimul cogitavi, ſi paullo ſerius reſponderem, damni nihil in mora fore. De loco illo Ciceronis non puto te dubitare, quin ſententia tua vera ſit. Nam vel id ipſum, quod ais videri poſſe obſtare, magis etiam eam, ſi accurate inſpicias, confirmat. Si quid aliud erit, de quo ſententiam meam cognoſcere cupias, ſcribito: non committam, ut quidquam a me, quod ego quidem praeſtare poſſim, fruſtra petas. Amo enim te vehementer, tum quod multis nominibus dignisſimus es qui ameris, tum quod ita me amas, ut inhumanitatis notam effugere non poſſim, niſi tibi in amore reſpondeam. Vale. Romae, prid.

prid. Idib. Aprilis die ipso natali meo, quem tu mihi fauſtum ac felicem precare. MDLXX. Saluta mihi Gisbertum meum: etſi ei ſubiratus ſum: quod quiddam a me ſibi in arcanis commiſſum continere non potuit. Veniam iſthuc, ut ſpero, menſe Majo proximo, & praeſens ab eo poenas repoſcam. Qui enim tantum triduum domi ipſius eſſe decreveram, ulciſcendi cauſſa, totos ſex dies manebo. Ad eum ſcribere nunc non licet per occupationes: propediem ſcribam.

EIDEM CARDANETO.

XXXV.

Nemini aut mirabilius eſt, aut moleſtius, quam mihi, tam diu differri adventum ad vos meum. Sed neſcio quo modo ter jam contigit, ut, cum in viam dare me vellem, jamque ſarcinulas componerem, ſubito extiterit aliquid improviſi atque inopinati impedimenti. Itaque nihil amplius ea de re vobis habeo polliceri, niſi illud certe mihi excuti nullo modo poteſt: veniendum tamen, & quae obſtant, omnia qualibet ratione ſuperatum iri. Sed ἀγγελίου πράγμα alieno arbitrio vivere; praecipue ſi quis ei ſerviat, qui pro ſuo commodo omnia aliorum incommoda non nauci faciat. Equidem manibus pedibusque, ut dicitur, omnia faciam, ut vobiſcum una eſſe poſſim ante Kalendas Julias: ſed ſi id non potero, certe quidem menſe Septembri, ſi vivam, iſtic ero. Vos interea me, ut facitis, amabitis, & ad me ſcribetis, ubi commodum erit. Ego vos viciſſim amabo, de vobis ſaepiſſime & cogitabo & loquar; ſi quid erit, quod veſtra cauſſa efficere poſſim, ſtudioſe atque amice omnia procurabo. Vale. Romae, IX. Kalend. Jun. MDLXX. Marcello Veſtrio S. Qui etiam meo nomine, niſi moleſtum eſt, Paulum Aemilium Comenſem ſalutabit. Vereor, ne ad te perlatae non ſint litterae, quas ipſo meo natali die ſcripſeram. Nulla enim in tuis earum mentio.

EIDEM CARDANETO.

XXXVI.

Valde tardi effecti ſunt tabellarii veſtri: qui quadrageſimo demum die litteras huc iſtinc adferant. Idem mihi accidit haud ita pridem in litteris quibusdam Gisberti Oddi, quae cum ſcriptae ab eo eſſent menſe Novembri, perlatae ad me ſunt ineunte Januario. Sed hoc tamen commode, quod hodie potiſſimum: ut, qui dies unus ex omnibus ſumma hilaritate ab omnibus traduci ſolet, eo potiſſimum hilararer jucundiſſimo ſermone litterarum tuarum, & recordatione amoris erga me tui; ſimulque quoniam ab interpellatoribus nihil eſt periculi, (ludis enim & ſpectaculis omnes hodie detinentur,) vacui temporis ad reſpondendum aliquid haberem. Igitur de me meisque ſtudiis jam cognoſce te aliquid puto ex iis litteris, quas proxime ad Gisbertum dedi: ſatis enim ſcio earum te ſtatim participem factum. Terentianum illud, *ſi ſit opus*, joci cauſa dictum eſt: quaſi evenire ullo modo poſſit, ut hoc quoque facto opus ſit. Ergo *ſi ſit opus; ſi quis a me id fieri poſtulet; ſi quis hoc ſibi a me officium tribui petat; ſi quis in eo me ſibi gratificari velit; ſi quid eveniat, ut publice interſit eum laborem a me capi*; &, ſi cogites, multa nos quoque vulgo ita jocantes dicimus. *Quando ita jubes, ſedebo*, cum tamen nemo jubeat. *Honoris tui cauſa ad prandium ibo*, quaſi qui id facit, non ſua potius cauſa faciat. *Hodie in prandio pulcre tibi operam dedi*, quaſi qui bene ac libenter veſcitur, non ſibi potius operam det, quam amico. Ex eodem genere eſt illud, *ſi ſit opus*, de quo ſatis jam multa. *Albedo*, Latinum non eſt, non magis quam *Nigredo*. Sed ita ſumus omnes, etiam qui paullo melius Laine loqui putamur, quam vulgus ſolet. Dum confidimus, nos jam eam facultatem conſecutos, ut vel aliud agentes emendate loquamur, multa inepta, & ne in pueris quidem ferenda effundimus. Iſti praecipue delicati, qui omnia ſibi praeter Ciceronem putere ajunt; qui, ſi ſine Nizolio poſſint unam aut alteram epiſtolam ſcribere, germanos ſe eſſe Cicerones putant; qui Senecam contemnunt, Plinium irrident, Tacitum damnant, ad inferiorum vero temporum ſcriptores etiam nauſeant;

qui

qui me aut mirantur, aut miſerantur, aut irrident, quod ex Apulejo ipſo, aut Sidonio quaedam petenda eſſe dicam ad uſum Latini ſermonis: illi igitur ipſi ſaepe ita & loquuntur, & ſcribunt, ut non eos modo, quos ipſi tantopere abjiciunt, quos prae ſe contemnunt, ſed eorum piſtores ac coquos multo Latinius locutos fuiſſe conſtet. Ad omnia epiſtolae tuae capita reſponſum eſſe arbitror. Vale. III. Kalend. Martii. MDLXXI. Romae. quo ipſo die litteras tuas accepi, quibus adſcripta erat dies VII. Kalend. Febr. ne me tam ſero tibi reſpondiſſe mireris.

EIDEM CARDANETO.

XXXVII.

Poſtquam ad te nuper ſcripſi de illo Terentiano, *ſi ſit opus*, venerunt mihi in mentem alia, quae apertius confirmarent explicationem meam. Simile igitur eſt illud ex Adelphis:

Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis. M. *probe.*
Et tu nobiſcum una, ſi opus ſit.

Et illud Catulli ex epigrammate in Vettium:

Iſta cum lingua, ſi uſus veniat tibi, poſſis.

Sed nolo alterum verſum adſcribere, neque puto eſſe opus. Quamvis igitur ſperabam, ſententiam meam ita tibi probatam eſſe, ut nihil praeterea argumentis opus foret: tamen ne hanc quidem ad te ſcribendi occaſionem praetermittendam putavi. Vale, & Gisbertum mihi ſaluta, & ſi quos iſtic praeterea noſti amantes mei. Romae, poſtrid. Non. Mart. MDLXXI.

PETRUS JOANNES PERPINIANUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.

XXXVIII.

Onus Aetna gravius mihi videntur ſuſtinere, qui alteri fidem ſuam adſtrinxerunt, niſi ejus, aut cui, aut pro quo ſpopondérunt, humanitate ſubleventur. Scis, credo, quid velim. De verſibus illis in D Mariam Lauretanam, qui eos a te optabat, propter ſingularem exſpectationem elegantiae & doctrinae tuae, is me urgere non ceſſat. Ego, tametſi, inſcio & inconſulto te, me temere recepiſſe intelligo: tamen hanc temeritatem in ſpondendo meam tua eximia, in re perficienda, humanitate compenſatum iri confido. Si quid poſſunt fontes & pomaria Tiburtia, ſi quid iſte feceſſus otii a quotidianis occupationibus tuis attulit, oro te atque obſecro, ut oſtendas, me mannullum apud te gratiae locum obtinere. Quaedam tecum communicare cupiebam: ſed ea melius, ut ſpero, coram, ubi ad nos redieris. Nam ſummus noſtrae Societatis magiſter ſtatuit, ut Romae anno proximo manerem. Noſtri omnes te ſalutant. Vale. Ex urbe, XVIII. Kalend. Sept. MDLXIV.

M. ANTONIUS MURETUS
S. D.

PETRO JOANNI PERPINIANO
SOCIETATIS JESU.

XXXIX.

Cupio equidem & meam & tuam fidem liberare: ſed mihi adhuc multa, ne id facere poſſem, obſtiterunt. Primum quod quem locum, quodque tempus otii, & quietis plenisſimum putabam fore, in eo me & multa, & longisſime a ſtudiis meis abhorrentia negotia occupatum, atque exercitatum habuerunt. Nam, ut cetera

ta-

taceam, his paucis diebus bis mihi Romam eundum fuit; quod etsi leve videri potest, tamen eae mihi profectiones octo amplius dies abstulerunt. Deinde quod multos jam & menses, & annos intermissi poëtica studia, ut etiamsi quid olim fuisset in me ejus facultatis, quod sane aut nihil, aut pertenue quiddam, & perexiguum fuit: effluxisse id tamen, & exaruisse necesse sit. Postremo (δεῖ γὰρ πάντα λέγειν,) tardiorem me, ac timidiorem facit exspectatio illa, quam de meis versibus concitatam esse scribis. Scis enim quam inutilis (*) ea atque aliena sit placere cupientibus. Nam si illud a me postulatur, ut tuorum elegantiam aequem, a te ipso mihi versura faciunda fuerit. Utut est, meditabor tamen prope diem aliquid: sed si me amas, (quod quidem ita mihi perspexisse videor, ut quin ita sit dubitare non debeam,) minue, obsecro, quantum potes, istam exspectationem: ac perspice, ut ille amicus tuus a me, tanquam a malo nomine, ut numos, ita versus, etiamsi neque optimae notae erunt, neque justi ponderis, aequo tamen animo accipiendos putet. Bene factum, quod te Societatis vestrae magister Romae retinendum judicavit. Mihi crede, magnam molestiam cepisses e discessu tuo. Nunc spero fore, cum istuc rediero, ut fruar tua suavissima, mihique optatissima consuetudine, quam ego quanti faciam, spero te re ipsa aliquando cogniturum. Vale. Tibure, XVI. Kalend. Sept. MDLXIV.

PETRUS JOANNES PERPINIANUS M. ANTONIO MURETO S. P. D.

XLI.

Tuum tandem reditum exspectare non possum. Timeo namque, ne sit ille tardior: mihi autem maturato est opus. Quonam, inquis, adeo festinas, ut pauculos hos dies exspe-

(*) Muretus imitatione sua probare videtur vulgatam lectionem Terentii Andr. 1. 5. 52. Sed ibi rectius editur: *Nec clam te est, quam illi utraeque res nunc utiles.* Vide Rivium & Bentlejum.

ſpectare non poſſis? Nusquam equidem; noli metuere, ne mutata Magiſtri noſtri ſententia mihi ſit ex urbe proficiſcendum: rem totam a principio audies. Praepoſitus iterum Rhetoricae ſcholae, a qua me ſolutum penitus ac liberum eſſe arbitrabar, de praefecti noſtri ſententia ſtatui Ariſtotelis de arte dicendi libros explicare: ut ſi nihil tanti magiſtri ſubtilitate dignum in lucem potuero proferre, quod ita plane futurum eſſe video, certe conatus ipſe in re perdifficili nonnihil ab auditoribus gratiae & benevolentiae conſequatur, ſummique Philoſophi nomen, apud omnes illuſtre, languidiora juvenum ſtudia vehementius excitet ad diſcendum. Multa igitur ita, ut fit, legenti & meditanti mihi, quae ad eorum librorum explicationem uſui fore viderentur, quaedam occurrerunt, quae meum animum ita dubium & incertum habent, ut non facile ſit ſtatuere quid ſequar. De his tuam ſententiam exquirere decreveram, ubi redisſes. Verum, ut dixi, timeo, ne ſerius, quam mihi eſt opus, revertare. Quare agam tecum per litteras abſens, quod verbis praeſens agere non poſſum, & quid ex te ſcire velim, paucis perſcribam. Non enim dubito, tametſi longe abes a libris, quin omni me dubitatione, nullo negotio ſis liberaturus: eo magis quod de quibus ambigo, ea tibi jam dudum quaeſita, cogitata, tractata eſſe ſcio. Primum itaque velim cognoſcere, quid tibi videatur de partitione artis Ariſtoteleae in III *libros: praeteritumne putes hoc opus, quod nemo Ariſtotelis eſſe negat, a Laërtio, qui duorum tantum librorum fecerit mentionem; an in numero librarios fuiſſe mendoſos; an in duas duntaxat partes totum illud quaſi corpus ab auctore diſtributum, ab aliis poſtea in tres fuiſſe diviſum? num quidnam aliquando legeris apud antiquos Ariſtotelis interpretes, aut alios idoneos auctores, ex quo perſpici poſſit, quot in libros partitus ipſe fuerit hanc artem bene dicendi tam accurate conſcriptam. Deinde* περὶ τῶν ἐξωτερικῶν καὶ ἀκροαματικῶν συγγραμμάτων *ecquid comperti habeas? Nam ut a Ciceronè, Gellio, Plutarcho, Galeno, Ammonio, Simplicio diviſionem hanc operum Ariſtoteleorum confirmantibus, diſſentiam, nullo praeſertim duce, nullo auctore, cujus nomen grave apud alios eſſe debeat, animum inducere non queo; argumenta contra ſentientium qua ratione refellam, non video. Cur enim in* I. *libr* Νικομαχίων, *libros de anima, quos ſubtilitatis plenos eſſe omnes confitentur,* ἐξω-

πρό-

πρακτικὰς appellat? Cur hos ipsos de moribus libros ad Nicomachum modo vocat ἐξωτερικὰς, ut in III. πολιτικῶν libr. modo ἀπὸ τῶν ἐξωτερικῶν sejungit; cum in ipsis τὰ ἐξωτερικὰ, veluti genere prorsus diversa, citet? cur τῶν ἀκροαματικῶν nulla usquam mentio? Quod enim octo libri τῆς φυσιολογίας, καὶ φυσικῆς ἀκροάσεως inscripti sunt, eam ego inscriptionem idcirco Aristotelis ipsius non esse suspicor: quod nusquam illi ab eo libri hoc nomine citantur. Postremo doceri cupio, an Dialecticae nomen sic ab Aristotele aliquando usurpetur, ut non τὴν τοπικὴν solum, sed totam omnino Logicam comprehendat. Alexander enim in prooemio τοπικῶν, tres tantum tradit hujus verbi significationes: de hac vero vulgari notione, prorsus nihil. At mihi in hoc, quod subjiciam, loco primi de Rhetorica libri, καὶ ᾧ συλλογισμῷ ἁπλοῦς ἅπαντες, τῆς Διαλεκτικῆς ἐστὶν ἰδίῳ, ἢ αὐτῆς ὅλης, ἢ μέρους τινὸς, non alia notio ei videtur esse subjecta. Nolim tibi esse molestior: his nunc ero contentus. Si quid est aliud, de quo scire velim quid sentias, id ad tuum in Urbem reditum reservabo, ne jure queri possis, ne in otio quidem tibi licere esse otiosum. De versibus, quos avidissime exspecto, nae tu prudentissime feciſti, qui tandiu nostros animos tenueris exspectatione suspensos, ut tanquam poculum aquae frigidae longinqua siti exarescentes, sic nos illi multum cupientes, & diuturno desiderio flagrantes insolita quadam suavitate perfundant. Accipio tamen excusationem, modo quam citissime, quod commodo tuo fiat, eos ad me mittas. Nam quod vereris, ut exspectationem de re concitatam possis explere, vide, ne, dum modestus haberi studes, parum de nobis amice existimare videaris. Quid enim? hic tu nos intelligentiae communis expertes esse putas, ut quantum a quoque sperandum sit, videre nequeamus? aut tam parum studiosos tui, ut quemadmodum nobis satisfacias, vehementer sit tibi laborandum? Facis tu quidem, quod te decet; ut nihil a te, nisi summa industria elaboratum, atque perfectum exire patiaris: verum, sic habeto, tantam esse omnium nostrum erga te benevolentiam, eam de ingenio, & doctrina tua existimationem, ut si quid minus dignum tuo nomine editum a te fuisse videremus, id quod accidere nullo modo posse intelligo, sed si quid a te elucubratum scriptorum tuorum dissimile forte legeremus, noluisse te potius tantum con-

contendere, quantum posses, quam quantum contendisses, efficere non potuisse crederemus.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

FRANCISCO BENTIO

SOCIETATIS JESU.

XLI.

UTRAQUE litterae tuae mihi gratissimae fuerunt: hae posteriores eo etiam gratiores, quod subdubitabam, ne aegre tulisses, nihil a me ad illas Senenses responsum esse, etsi videbar satis respondisse, cum quae petebas, ad te miseram. Mihi enim videtur melius petenti respondere, qui silentio facit quod rogatur, quam qui verborum affatim rependit, rei nihil. Gaudeo te Perusiam venisse, unde (opinor) crebrius a te litteras exspectare potero. Cupio autem scire, quem potissimum scriptorem explicandum susceperis. Nam, si nihil aliud, exacuam industriam tuam: teque fortasis ad locos quosdam diligentius, quam ab aliis solent, tractandos excitabo. Cave enim putes, quidquam mihi accidere posse jucundius, quam videre te μαιήτην, ut ita dicam, disciplinae meae alumnum, florentem laudibus, & quotidie longius progredientem in ea via, quam me tibi olim monstrare memini: etsi tu quidem, ut a me discessisti, multo, quam ego sum, meliores magistros nactus es. Sed quid tum? blandior mihi φρονηματίᾳ, & quia te olim nescio quid docui, videor mihi te, quantus quantus es, aut potius quantus futurus es, produxisse. Sed ut haec missa faciam, scin tu, me nuper a Pontifice iterum antiquo, ut ait Horatius, inclusum ludo? Cum enim Caesarius multorum jam stipendiorum veteranus missionem impetrasset, egerunt mecum primum Cardinales, deinde etiam αὐτὸς ὁ ἀρχιποιμὴν, ut eam provinciam susciperem. Multa argumenta allata sunt

sunt, quae me moverent, sed unum ἄλογον καὶ ἄφρονον, quod pro ducentis aureis annuis quadringentos proposuerunt: homini autem egenti, & propter imminentem senectutem paullo ad rem attentiori, nullum medicamentum adhiberi potuit efficacius. Itaque redibo jam ad veteres illos congerrones meos, Ciceronem, Horatium, ceteros, & mihi quodammodo repuerascere videbor. Tumultuantur tamen, qui ex me Pandectas audiebant, & negant se quenquam alium ferre posse: plerique etiam, nisi me habeant, Jurisprudentiae se multam salutem dicturos esse profitentur. Ipsi viderint. Ego ludibundus quadringentos illos quotannis in arcam, δὶς βίλοντος, concludam, ut fit aliquando unde otio frui possim. Beatum te, qui eam vivendi rationem ingressus es, ubi a talibus curis animus liber est. Noli tamen putare, a me ipso haec ita curari, ut angar: λαμβάνω τὰ δίδομενα, & quia usque huc paullo negligentior fui, ex illa negligentia ita aliquid detraho, ut nihil detraham ex hilaritate. Adolescentem, qui mihi litteras tuas reddidit, vidi perlibenter: & mihi, quantum ex una collocutione existimandi potestas fuit, visus est tua commendatione dignissimus. Saluta mihi, si quos istic nosti studiosos mei. Vale, mi Benti optime & suavissime, & me ama. Romae, v. Kalend. Sept. MDLXXII.

GUILIELMUS CANTERUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

XLII.

Etsi satis audacter facere videor, vir doctissime, cum te litteris meis interpello: quoniam tamen hunc libellum (*) proximis his mensibus edidi, putavi me non satis ex officio facturum, nisi cum eundem ad te mitterem, tum veniam

(*) Novas suas Lectiones innuit: in quibus illud Athenaei, de quo paulo post, fulgentium quaere lib. XII. c. 2. *Thomas.*

contendere, quantum posses, quam quantum contendisses, efficere non potuisse crederemus.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

FRANCISCO BENTIO

SOCIETATIS JESU.

XLI.

UTRAQUE litterae tuae mihi gratissimae fuerunt: hae posteriores eo etiam gratiores, quod subdubitabam, ne aegre tulisses, nihil a me ad illas Senenses responsum esse, etsi videbar satis respondisse, cum quae petebas, ad te miseram. Mihi enim videtur melius petenti respondere, qui silentio facit quod rogatur, quam qui verborum affatim rependit, rei nihil. Gaudeo te Perusiam venisse, unde (opinor) crebrius a te litteras exspectare potero. Cupio autem scire, quem potissimum scriptorem explicandum susceperis. Nam, si nihil aliud, exacuam industriam tuam: teque fortasis ad locos quosdam diligentius, quam ab aliis solent, tractandos excitabo. Cave enim putes, quidquam mihi accidere posse jucundius, quam videre te πολυφόνον, ut ita dicam, disciplinae meae alumnum, florentem laudibus, & quotidie longius progredientem in ea via, quam me tibi olim monstrare memini: etsi tu quidem, ut a me discessisti, multo, quam ego sum, meliores magistros nactus es. Sed quid tum? blandior mihi χρηστομαθεῖ, & quia te olim nescio quid docui, videor mihi te, quantus quantus es, aut potius quantus futurus es, produxisse. Sed ut haec missa faciam, scin tu, me nuper a Pontifice iterum antiquo, ut ait Horatius, inclusum ludo? Cum enim Caesarius multorum jam stipendiorum veteranus missionem impetrasset, egerunt mecum primum Cardinales, deinde etiam αὐτὸς ὁ ἀρχιερεύς, ut eam provinciam susciperem. Multa argumenta allata sunt

sunt, quae me moverent, sed unum ἄλογον καὶ ἄφρονον, quod pro ducentis aureis annuis quadringentos proposuerunt: homini autem egenti, & propter imminentem senectutem paullo ad rem attentiori, nullum medicamentum adhiberi potuit efficacius. Itaque redibo jam ad veteres illos congerrones meos, Ciceronem, Horatium, ceteros, & mihi quodammodo repuerascere videbor. Tumultuantur tamen, qui ex me Pandectas audiebant, & negant se quenquam alium ferre posse: plerique etiam, nisi me habeant, Jurisprudentiae se multam salutem dicturos esse profitentur. Ipsi viderint. Ego ludibundus quadringentos illos quotannis in arcam, διὰ φιλοπονίαν, concludam, ut sit aliquando unde otio frui possim. Beatum te, qui eam vivendi rationem ingressus es, ubi a talibus curis animus liber est. Noli tamen putare, a me ipso haec ita curari, ut angar: λαμβάνω τὰ δίδομενα, & quia usque huc paullo negligentior fui, ex illa negligentia ita aliquid detraho, ut nihil detraham ex hilaritate. Adolescentem, qui mihi litteras tuas reddidit, vidi perlibenter: & mihi, quantum ex una collocutione existimandi potestas fuit, visus est tua commendatione dignissimus. Saluta mihi, si quos istic nosti studiosos mei. Vale, mi Benti optime & suavissime, & me ama. Romae, v. Kalend. Sept. MDLXXII.

GUILIELMUS CANTERUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

XLII.

Etsi satis audacter facere videor, vir doctissime, cum te litteris meis interpello: quoniam tamen hunc libellum (*) proximis his mensibus edidi, putavi me non satis ex officio facturum, nisi cum eundem ad te mitterem, tum veniam

(*) Novas suas Lectiones innuit: in quibus illud Athenaei, de quo paulo post, fragmentum quaere lib. XII. c. 2. *Thomas.*

niam a te rerum tuarum peterem. Etenim, cum id, quo libellus noſter eſt exornatus maxime, (Athenaei fragmentum dico,) a te primum in manus noſtras devenerit, poſtquam tu id cum Aurato noſtro communicaras: nemini potius hoc totum, quidquid eſt, mitti debuerat quam tibi. Jam quod ea fuerim audacia, ut rem a te κεφαλὴν ἔχων *habitam publicare ſim auſus, non miraberis, ſi quanta debeat eſſe ſtudioſorum hominum inter ipſos rerum omnium communitas, tecum cogitaris. Huc acceſſit, quod non leviter ſuſpicabar fore, ut alii, niſi ego praevertiſſem, eam gloriam, cujus ego te participem jure feci, ſibi ſolis eſſent praerepturi. Quanquam nihil magnopere video, cur ea res gloriae tuae, quae jam pridem eſt toto orbe clariſſima, multum addere ponderis potuerit. Quis eſt enim in omni, quae incolitur, terra ita barbarus & omnis expers elegantiae, ut Muretum non cognoſcat, amet, exoſculetur? Ego certe,* ὁ τῶν λόγων ὅσον οὔπω γενόμενος, *tanti te, libere ut loquar, facio, quanti haud ſcio an alium neminem. Sed ut ad ipſum redeam libellum; in eo ſi forte alicui majorem videbimur habuiſſe veritatis quam hominum rationem, ſuggeret tibi, ſpero, memoria tua, qua vales plurimum, quid de veritate Socratem Plato ſenſiſſe tradiderit. Quid, quod eam praebent optimae litterae ſuis cultoribus libertatem, ut in utramque partem ſine periculo diſputare poſſint? nec enim hic opus eſt* τὸν ἀδέα ψυχῆς δεσμόν. *Quocirca, ſi hoc a te conſecutus fuero, vir doctiſſime, ut nihil hujus libelli editione offenſum te ducas, non admodum timebo, ne quis de me conqueratur alius: ſperabo potius, me, quod ille dicebat, ſine invidia laudem deinceps invenire, & amicos parare poſſe. Et quoniam non facile fortaſſis me, qui ſim, agnoſces: velim tibi Aurati tui atque mei in mentem veniat, cujus ego convictu, cum tu ante annos duos in Galliam veniſſes, fruebar. Fruterii quoque, cum quo me aliquando, ſi non es oblitus, vidiſti. Si quid etiam dignaberis reſcribere, (quanquam nos tantum boni non meremur,) ad Oporinum, vel Petrum Pernam, Typographos Baſileenſes, litteras curabis. Bene vale, vir doctiſſime, & eum te a nobis haberi crede, ut quod aliquando de nobis Auratus, condiſcipulorum comparatione, ludens dicere ſolebat, id merito tibi doctorum omnium reſpectu tribuamus. Quid hoc? inquies.* τὰ δ' ἄλλα κομιδῇ τοῦ Μυρίου. *Francofurti nundinis autumnalibus anni* MDLXIV

ALE-

ALEXANDER JUSTINIANUS M. ANTONIO MURETO S. P. D.

XLIII.

Te post tuum discessum Venetiis in febrim incidisse, aegre sane tuli, ut debui: idque statim meis litteris significassem: sed praeter morbum, tibi molestus esse nolui. Nam indies experior, quam molesta aegrotantibus omnia pene esse soleant. Ceterum, mitescente jam morbo, nullum παραμυθίας λόγον, *in tam magno praesertim elatoque animo, adversum omnem fortunae temeritatem, mihi locum relinqui video: & fortasis, ipso jam fugato, convalescenti gratulandum potius. Aliquid scrii ad te scriberem, nisi id mihi Medicorum legibus* τῶν ἀναγκαιοτάτων *interdictum scirem. Scribam alias, & quod toties recepi, tandem cumulatissime praestabo; praesertim cum* χρῆναι ἀντὶ χαλκείων *a te sperare liceat. Interim cura ut valeas. Ego vero, & Joannes Datianus noster, valemus, teque plurimum salutamus, &, cum primum per valetudinem tuam licuerit, a te litteras exspectamus. Vale. Venetiis, prid. Kal. Octob.* MDLVIII.

EIDEM MURETO.

XLIV.

Veteris illius familiaritatis ac necessitudinis, quae mihi maxima tecum olim Venetiis intercessit, minime te oblitum esse opinor, neque tot annorum συνουσίας, *ex animo tuo nostri memoriam effluxisse debuit. Plurimum sane momenti ad vulgaris cujuspiam amicitiae diuturnitatem in assiduitate litterarum positum esse non diffiteor: mutuam vero inter nos benevolentiam, certo judicio semel susceptam, eam ipsam virtutem, quae genuit, & continuisse & conservasse certo scio. Nam illam sane* παροιμίαν, *quam*

Athenaeus jure μισοδωροτάτην *appellat, ad cujus praefcriptum* πλὴν φίλοι γάρτοι εἰς οἰκίαν φίλοι, *tibi probari nequaquam eredo: cum amicitiam non locorum ſpatiis, ſed amicorum moribus metiendam eſſe non ignores. Quodſi ad meam erga te benevolentiam, accesſionem quoque mearum litterarum a te deſiderari, mihi ſignificaveris, non ſolum hoc officii genere tibi poſthac ſatisfaciam, ſed etiam ejus longo tempore a me praetermiſſi uſuram cumulatiſſime reddam. Quanti vero te faciam, quamque tui ſim memor, teſtem habes Joannem Biſonerium, quem tibi cum* morum probitate, *tum doctrina ſingulari conciliatum eſſe audio. Eum, mi Murete, ſic velim tua humanitate complectare, ut ea omnia, quae in me, ſi Romae eſſem, conferres, in eum conferas. Eſt enim mihi amicisſimus tuique amantisſimus, neque te unquam poenitebit in eum beneficium contuliſſe. Experieris, mehercle re ipſa & grati animi juvenem, & commodorum memorem. Exſpectabo litteras tuas, quibus & me a te amari adhuc intelligam, &, ſi quid Genuae a me agi voles, certior fiam. Vale. Genuae. VII. Kalend. Aprii.* MDLXXV.

MARTINUS BELLIVICEIUS (*) PANNONIUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

XLV.

Juvenis quidam patiens Gallus, vir clariſſime, qui Roma huc venerat, ſcribendarum ad te litterarum anſam mihi praebuit: quarum quidem auctor, vel ſi ſaepius eas percurreris, vix tuo innoteſcet animo. Cum enim menſe Martio te & Paulum Manutium Romae ſalutarim, quid miri, ſi usque ad hoc tempus in tanta temporis intercapedine,

(*) Berzevicaeus vocatur Epiſt. 73. hujus libri, & lib. II. Epiſt. 5. Thuan.

dine, memoria tua, quae gravissimis studiis continuo fatigatur, excidérim? Hoc etsi persuasum habeo, non tamen dubito, quin facile in tui memoriam redigar: praesertim si & album tuum, in quem nomen meum relatum esse voluisti, intueberis, & memineris, quibus verbis Huberti Giphanii, Lucretii editionem collaudaveris: cum adjiceres, nihil esse quod non Giphanii causa libenter faceres. Quare cum tibi in mentem rediisse nomen meum existimem, ad juvenem illum revertor. A quo cum quaesissem, quid rerum ageres, an quicquam de Plautina editione cogitares, quam nos jam dudum, & ceteri omnes, qui elegantiorum litterarum cupiditate tenentur, avidissime exspectant: a Philosophia naturali ad civilem hanc nostram Philosophiam, quam tu ante aliquot annos, humanarum litterarum causa, intermiseras, te contulisse respondit. Qua in re cum tuum factum vehementer probavi, tum ratus sum, ad studium juris illustrandum, maximum adjumentum allatum iri, si tuum exemplum hujus aetatis Jurisconsulti imitarentur, quos & barbarorum interpretum inanissimas controversias toto animi impetu consectari videmus, & omnes suum studium ad calumnias litium, & ad turpem & invidiosum quaestum conferre. Sed quod Cujacius & tu homines Galli in studiis sapientiae consecuti estis, id non sine numine divino vobis evenisse credo. Idem sentire videtur Giphanius, Cujacio amicissimus, & tibi charissimus. In hac enim nostra Academia Patavina superioribus diebus fuit, atque de te saepius honorifice loquutus est, & nullo in sermone libentius eum versari vidi, quam cum de Plauto loqueretur: existimans scilicet, quod res est, bene actum cum studiosis litterarum fore, si tam bonus Latinitatis auctor tua diligentia, doctrina, opera nitidior & emendatior in lucem proferretur. Cupit sane esse in tua gratia, quam humanitate tua fretus, tuis verbis ei non solum pollicitus sum, sed etiam spopondi. Itaque non erit tuae bonitatis committere, ut sponsorem appellet, cum ipse facile possis dependere. Unum est, quod a te contendendum mihi putem, ut duas orationes tuas ad me mittas: quarum altera de laudibus juris studii scripta abs te nuper est, altera in Collegio Pontificum habita. De Plauto fac promissa appareant. Diutius enim deberi potiris & ingeniosis hominibus non potest. Et hercle tua

maxime gloria agitur. Vale, & ſalvebis a Giphanio, qui Venetiis apud Oratorem Regis Galliae degit. Patavio. Kal. Dec. MDLXIV.

M. ANTONIUS MURETUS

FRANCISCO TURNONIO, S. R. E. EPISCOPO CARDINALI,

S. P. D.

XLVI.

Si tempus ad te ſcribendi usque eo differre voluiſſem, Franciſce Turnoni, Cardinalis amplisſime, dum par a me aliqua tuis erga me plurimis maximisque beneficiis reperiretur oratio: magnopere mihi metuendum erat, ne & in eo quaerendo, quod nunquam conſequi poſſem, inani ipſe me labore torquerem, & immodica ſilentii diuturnitate ſuſpicionem tibi aliquam anguſti & humilis animi, neque ſatis, quantum a quoque acciperet, ſentientis afferrem. Cum igitur, diem aſſidue ex die ducens, ſine dubio diutius, quam par fuerat, reticuiſſem, plane obſtupefactus admiratione iſtius erga me tam prolixae, tamque beneficae voluntatis tuae: confirmavi me tandem, & ad haec pauca, quoquo modo poſſem, ſcribenda me contuli: quibus, quod tam multis, tamque claris & illuſtribus ſignis, me, quamvis nihil prorſus tale promeritum, tibi tamen non vulgariter carum eſſe declaraveris, gratias, quando nihil praeterea neque tu exſpectare, neque ego praeſtare poſſum, tibi agerem immortales. Eſt omnino haec tota gratiarum actio perpuſillum quiddam, perque tenue; praeſertim ſi comparetur cum magnitudine eorum beneficiorum, quibus tu me a te ornatum eſſe voluiſti: ſed eam tamen, cum haec ſcriberem, pro certo atque explorato habebam, tibi non ingratam, neque injucundam fore: cum, ut ſcis, ne Dei quidem bonorum omnium auctoris infinitam in nos beneficentiam ullo alio modo remu-

muneremur. Officiorum vicissitudo eas amicitias continet, quibus inter se ejusdem sortis homines, aut certe non admodum dispares devinciuntur: Vobis, quos supra ceterorum conditionem evectos, in ipso rerum humanarum fastigio divina providentia locavit, illud cum corporibus caelestibus commune est, quod ut illa efficientiam quidem suam declarant in inferiora haec, viresque in ea exercent suas, sed ab eis nihil vicissim accipere, &, ut Graeci sua lingua dicunt, pati queunt: sic vos potestatis quidem copiarumque vestrarum documenta sublevandis inferioribus, datis; ipsi vicissim quicquam ab eis, praeter laudem ac praedicationem, testem grati ac memoris animi, percipere non potestis. Ago igitur tibi quam maximas gratias, Cardinalis clarissime, humanissime, optime, agamque, dum vivam, tibique a summo hujus universitatis effectore ac gubernatore Deo assiduis votis fausta ac felicia omnia precabor; non quod me dignum existimem, cujus vota ab eo attendantur: sed quod tu dignissimus, pro cujus salute atque incolumitate, etiam eorum, qui per se nullo numero habendi sunt, preces non negligantur. Ita igitur faciam: conservabo diligenter memoriam ejus humanitatis, qua tu me immerentem, talis tantusque vir, complexus es: utque tuo de me amplissimo atque honorificentissimo testimonio, quantum in me erit, respondeam, modis omnibus operam dabo. Illustrissimo quidem Cardinali Ferrariensi, ad quem, tua potissimum auctoritate adductus, me, cum primum potero, conferam, commissurus non sum, ut unquam venire possit in mentem, quod fidem tuam in me recipiendo secutus sit, poenitere. Vale. III. Non. Feb. MDLVII. PATAVIO.

EIDEM TURNONIO.

XLVII.

Non puto ulla mihi excusatione apud te utendum esse, quod ad te rarius scribam. Nam tum demum peccare ipse mihi viderer, si tanti me facerem, ut tibi, tanto viro, tantisque assidue occupationibus impedito, frequenter litteris meis obstreperem. Ideoque contineo me: &, cum quotidie de te cogitem, votaque, uti debeo, pro

maxime gloria agitur. Vale, & ſalvebis a Giphanio, qui Venetiis apud Oratorem Regis Galliae degit. Patavio. Kal. Dec. MDLXIV.

M. ANTONIUS MURETUS

FRANCISCO TURNONIO, S. R. E. EPISCOPO CARDINALI,

S. P. D.

XLVI.

Si tempus ad te ſcribendi usque eo differre voluiſſem, Franciſce Turnoni, Cardinalis amplisſime, dum par a me aliqua tuis erga me plurimis maximisque beneficiis reperiretur oratio: magnopere mihi metuendum erat, ne & in eo quaerendo, quod nunquam conſequi poſſem, inani ipſe me labore torquerem, & immodica ſilentii diuturnitate ſuſpicionem tibi aliquam anguſti & humilis animi, neque ſatis, quantum a quoque acciperet, ſentientis afferrem. Cum igitur, diem aſſidue ex die ducens, ſine dubio diutius, quam par fuerat, reticuiſſem, plane obſtupefactus admiratione iſtius erga me tam prolixae, tamque beneficae voluntatis tuae: confirmavi me tandem, & ad haec pauca, quoquo modo poſſem, ſcribenda me contuli: quibus, quod tam multis, tamque claris & illuſtribus ſignis, me, quamvis nihil prorſus tale promeritum, tibi tamen non vulgariter carum eſſe declaraveris, gratias, quando nihil praeterea neque tu exſpectare, neque ego praeſtare poſſum, tibi agerem immortales. Eſt omnino haec tota gratiarum actio perpuſillum quiddam, perque tenue; praeſertim ſi comparetur cum magnitudine eorum beneficiorum, quibus tu me a te ornatum eſſe voluiſti: ſed eam tamen, cum haec ſcriberem, pro certo atque explorato habebam, tibi non ingratam, neque injucundam fore: cum, ut ſcis, ne Dei quidem bonorum omnium auctoris infinitam in nos beneficentiam ullo alio modo re-

mu-

muneremur. Officiorum vicisſitudo eas amicitias continet, quibus inter ſe ejusdem ſortis homines, aut certe non admodum diſpares devinciuntur: Vobis, quos ſupra ceterorum conditionem evectos, in ipſo rerum humanarum faſtigio divina providentia locavit, illud cum corporibus caeleſtibus commune eſt, quod ut illa efficientiam quidem ſuam declarant in inferiora haec, viresque in ea exercent ſuas, ſed ab eis nihil vicisſim accipere, &, ut Graeci ſua lingua dicunt, pati queunt: ſic vos poteſtatis quidem copiarumque veſtrarum documenta ſublevandis inferioribus, datis; ipſi vicisſim quicquam ab eis, praeter laudem ac praedicationem, teſtem grati ac memoris animi, percipere non poteſtis. Ago igitur tibi quam maximas gratias, Cardinalis clarisſime, humanisſime, optime, agamque, dum vivam, tibique a ſummo hujus univerſitatis effectore ac gubernatore Deo aſſiduis votis fauſta ac felicia omnia precabor; non quod me dignum exiſtimem, cujus vota ab eo attendantur: ſed quod tu dignisſimus, pro cujus ſalute atque incolumitate, etiam eorum, qui per ſe nullo numero habendi ſunt, preces non negligantur. Ita igitur faciam: conſervabo diligenter memoriam ejus humanitatis, qua tu me immerentem, talis tantusque vir, complexus es: utque tuo de me amplisſimo atque honorificentisſimo teſtimonio, quantum in me erit, reſpondeam, modis omnibus operam dabo. Illuſtrisſimo quidem Cardinali Ferrarienſi, ad quem, tua potisſimum auctoritate adductus, me, cum primum potero, conferam, commisſurus non ſum, ut unquam venire poſſit in mentem, quod fidem tuam in me recipiendo ſecutus ſit, poenitere. Vale. III. Non. Feb. MDLVII. PATAVIO.

EIDEM TURNONIO.

XLVII.

Non puto ulla mihi excuſatione apud te utendum eſſe, quod ad te rarius ſcribam. Nam tum demum peccare ipſe mihi viderer, ſi tanti me facerem, ut tibi, tanto viro, tantisque aſſidue occupationibus impedito, frequenter litteris meis obſtreperem. Ideoque contineo me: &, cum quotidie de te cogitem, votaque, uti debeo, pro

tua salute atque incolumitate faciam, in scribendo sum rarior, neque unquam id facio, nisi cum aliquid accidit, ut, nisi scripsero, officio videar defuturus. Quale est, quod me hoc tempore, ut scriberem, adduxit. Cum enim nuper octo variarum lectionum libros edidissem: etsi satis intelligebam, eos leviores esse, quam ut tu, quem nihil nisi praeclarum atque eximium capit, ullam magnam voluptatem ex eorum lectione percipere posses: judicavi tamen, omnino mihi faciendum esse, ut eorum exemplar unum ad te mitterem: neque dubitavi, quin tu eos libenter accepturus esses: vel quia mei sunt, vel quia scripti ad eum, qui ut a te singulariter amatur, ita te ipse admirabili, non amore solum, sed cultu medius fidius; atque observantia prosequitur. Unum est, quod quanquam mihi conscius sum, me optimo animo fecisse, tamen, quia fieri potest, ut confidentius in eo me gesserim, quam decebat: per illam & aliis & mihi inprimis perspectam humanitatem tuam, mihi ut ignoscas, etiam atque etiam a te peto. Ausus enim sum quodam ex eis libris loco nominare te: ac versus etiam aliquot ponere, qui mihi in memoria haeserant ex edyllio, quod olim ad te misi una cum tragoedia, quam de C. Caesaris caede factam in tuo nomine divulgaveram. Qua in re si quid a me peccatum est, (nihil enim debueram te inconsulto facere, praesertim cum te Venetiis convenissem,) peccatum est incredibili quadam abundantia amoris erga te mei: quam ut aequo animo feras, omnibus a te precibus, atque omni obsecratione contendo. Etenim vere hoc dicam, nihil videtur esse ita difficile atque arduum, in quo ego paratus non sim voluntati & auctoritati tuae morem gerere. Unum est, in quo tibi, ne quid dissimulem, non possem, nisi invitissimus, obtemperare: si me juberes tacere de tuis virtutibus, & continere in sinu immortale illud gaudium, quo efferor, quia me tibi carum esse sentio. Hac una in re dum me mihi obsequi, & animo indulgere patiaris, quo minus aliud mihi quidlibet imponas oneris, non recuso. Quod scribam, aliud nihil est, nisi omnes hic omnia tibi fausta & prospera precari, & gratulari aquis istis, quod eas tibi salubres & fuisse & esse audivimus. Vale.

COR-

CORNELIUS VALERIUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.
XLVIII.

Vide, quanta in te sit humanitas, eruditissime Murete, & quae opinio apud exteras gentes. Justus Lipsius, familiaris & idem discipulus meus, qui litterarum & antiquitatis caussa in Italiam proficisci velle coepit, petiit a me, amicis quibusdam commendari; inprimis autem contendit, ut ad te, cujus cognoscendi & videndi studio mirifice flagrat, litteras sibi darem. Ego autem, etsi videbam putidum esse, me, hominem fortassis ne fama quidem tibi cognitum, litteras ad te dare, ejusmodi praesertim, quibus onus aliquod officii tibi imponerem: morem tamen gesse adolescenti tam vehementer petenti, & voluntati ejus obsequi volui potius, quam aut naturae, aut pudori meo. Quod feci eo libentius, quod non ad aliquem nescio quem duris & asperis moribus scribendum mihi viderem: sed ad eum virum, qui, cum humanitatis studiis & iis artibus omnibus, quae ingenuo homine dignae sunt, sit perpolitus, abesse non potest, quin cum in omnes, tum praecipue in earundem artium studiosos propenso animo sit ac humano. Accedit similitudo professionis & studiorum nostrorum: nam & nos pro mediocritate ingenii nostri, eloquentiae & humaniorum litterarum studia, voce & scriptis, quod in nobis est, in hac Belgica nostra excitare conamur, & tu, M. Antoni, antea quidem in Gallia, nunc in illa Italiae luce haec ipsa studia cum immortali tua laude & omnium gentium admiratione tractas. Quare non tam quaerenda mihi est excusatio & praetextus pudoris mei, quod scripserim, quam gaudendum, oblatam mihi in amicissimi mei negotio facultatem scribendi simul & testificandi amoris mei. Sed veniam ad id, quod caput est epistolae meae. Mitto ad te, Murete, hunc Justum Lipsium, alumnum, ut dixi, disciplinae meae, adolescentem ea probitate, mo-

deſtia, ingenio, eruditione, judicio, quanta teſtari poſſum equidem me in alio nullo, in iſta imbecillitate aetatis, adhuc eſſe expertum; tum vero, quod apud te plurimum valet, ſtudioſum antiquitatis & artium illarum, quas tu amas, & in quibus maxime excellis, id eſt, optimarum. Cave autem exiſtimes, me haec ambitioſe & ſupra quam res eſt, commendantium more, ſcribere: immo vero minus fortaſſe, quam virtus & eruditio adoleſcentis merentur, ſcribo, ne, dum eum laudo, videar nos ipſos inſtitutionemque noſtram velle extollere. Quamobrem rogo te, Murete mi, vel potius precibus omnibus oro atque obteſtor, per communia ſtudia noſtra, per illum amorem, quo litteras & litteratos omnes proſequeris, adoleſcentem hunc omni ſtudio, amore, benevolentia tua complectare atque devincias. Et quoniam is honeſto quidem genere & optimis parentibus natus, ea tamen mediocritate fortunae eſt, ut ſe in longinqua & extera regione difficulter ſuis facultatibus ſuſtentare poſſit: verecunde etiam hoc a te petam, (vides quantum mihi ſumam,) ut, ſi qua in re commendatione & opera tua juvare eum potes, quod certe potes, ei ut ne deſis. Hoc quidem tibi ſpondeo & in me recipio, te, ſi quid ei commodaveris, non minorem ex eo voluptatem percepturum, quam nos univerſos. Impedior verecundia, ne pluribus verbis te rogem. Illud tantum dicam, quod in ſermone ſaepiſſime mihi ſignificavit, eum pene non alia ulla de cauſſa in Italiam e tam longinquis regionibus venisſe, quam ut te inprimis tuique ſimiles eruditos viros videret & cognoſceret. Quo erit aequius, ejus laborem per te ex parte levari, cui tu laboris cauſſa fuiſti. Quodſi tu aut amicorum aut familiarium tuorum aliquem hic habes, aut fortaſſe habiturus es, utere eadem audacia & familiaritate apud me, qua ego tibi praeivi: efficiam, ut intelligas, mihi ad benigne faciendum nec voluntatem deeſſe, nec facultatem. Litterae hae meae ſi aliquod pondus apud te habebunt, dupliciter gaudeo: primum enim Lipſio meo, cui vehementer cupio, commodavero; deinde mihi ad amicitiam tuam quaſi fores & aditum patefecero. Quo nihil mihi poteſt contingere optabilius. Vale. Lovanio, ante diem XIV. *Kalend. Septembrium.*

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

CORNELIO VALERIO.

XLIX.

Redit ad te Lipsius tuus, & redit magno meo dolore. Ita enim me devinxit sibi praestantia ingenii & doctrinae, integritate morum, suavitate sermonis ac consuetudinis suae, ut, eo discedente, a memetipso mihi avelli viderer. Felicem te, Corneli, cujus ex disciplina adolescens tam rari exempli prodiit. Equidem antea & magni faciebam te ex scriptis tuis, & amabam pro judicio, quod amantissime de emendatis a me Terentii fabulis feceras. Nunc vero, mihi crede, tanta accessio propter Lipsium facta est, & ad opinionem de te, & ad amorem erga te meum, nihil ut magis cupiam, quam occasionem mihi aliquam dari declarandi tibi re & factis, quanti apud me sis. Cujus rei si libebit periculum facere, quaeso te, si qui huc venient, quos tu ames, praecipaeque qui habeant aliquid simile Liptii, ut eos mihi potissimum commendandos putes. Nam eadem opera & ego mihi videbor abs te beneficium accipere, & conabor efficere, ut ipsi quoque eo nomine aliquid se tibi aliquando debere fateantur. Vale. Romae. III. Non. April. MDLXX.

M. ANTONIO MURETO

NATHAN CHYTRAEUS.

S. P. D.

L.

Cum v. Id. Octob. anno abhinc quarto Romam ex Campania rediissem, postridie ejus diei magna cum admiratione,

ne, te, Murete clarissime, orantem audivi, coram Pio V. Pont. Max. cum Christianissimi Regis legatus, usitata solemnitate, magnifice exciperetur. Ea ego oratione, etiamsi jam antea, ex monumentis scriptorum tuorum, qualis esses, cognovissem, ita sum tamen admiratione tui inflammatus, ut ex omnibus, quos ego antea praestantissimos existimassem, tibi unis in Oratoria palmam deberi, certissimo mihi persuaderem. Quin si animo tum obsequi licuisset, una cum illo exclamare veritus non fuissem: ὦ σόφιστες. ὦ λόγοι. ὦ μνήμη. ὦ συνθήκη. μακάριος εἴ λέγειν ἅπτα μᾶλλον ἢ φρονεῖν ἅπτα δυνάμενος. Cum autem id, eo quidem in loco, & in clarissimorum virorum corona, me non deceret, illo ipso die te adii, ut amorem tui sane ardentissimum, qui oratione tam excellenti in animo jam inflammatus esset meo, apud te ipsum detegerem, & litteris Caselii nostri, quas tunc mecum habebam, amicitiae tuae quasi fores mihi aperirem. Accepisti tum me, ut soles, humanissimo amplexu, & litteris nondum lectis, notum me tibi esse, ex sermone Caselii, quem tecum ad oppidum Sancassianense paulo ante habuisset, ostendebas. Id certe longe mihi fuit gratissimum, coepique ut antea doctrinam, & eloquentiam tuam admiratus fuerám, ita hinc etiam virtutem & bonitatem tuam suspicere, & exosculari. Verum illa congressio, fato quodam meo infelici, diuturna esse, firmasque radices agere non potuit. Senis enim cujusdam interventu, vix dum inchoata collocutio nostra, interrupta est: & ipse etiam, propter comitum festinationem, & hyemem imminentem, celerius opinione, istinc sum avulsus. Quod itaque tum necessitate quadam impeditum est, quid vetat, quo minus id ipsum litteris restituamus? cujus quidem consilii auctorem habui eundem illum, qui me primus in animum tuum insinuavit. Cum eo enim ego hic in iisdem litteris & studiis, in quibus tuae quoque lucubrationes non parum nos adjuvant, vivo amantissime. Quodsi ille, ut primo fuit, ita nunc quoque felix erit, tuamque mihi hoc modo benevolentiam denuo conciliabit, quis me erit beatior? quis ipso denique in artuis hominum conglutinandis fortunatior? Ego certe Mureti notitiam & benevolentiam omnibus Croesi thesauris longe anteposuero. Vale. Rostochio. Kalend. April. Anno MDLXX.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS AGAPETO GIDETO SUO S. P. D.

LI.

Vere es, qui dicēris: neque, quam tu, ἀγαπητὸς quisquam. Itaque nihil mihi longius videtur, quam dum Romam redeam, te ut videam, tecum quotidie ut sim; tibique vel prosim re aliqua, vel certe prodesse coner; ut voluntatem erga te meam vel declarem re ipsa, vel tibi saltem conatu probem; quorum hoc, si me tantum respiciam, satis est; illud, quia te ex animo amo, multo optabilius mihi videtur. Et quanquam nihil mihi jucundius est, quam abs te quam maxime amari: tamen, ita mihi eveniant quae volo, ut, si mihi detur optio, malim, justam tibi caussam esse, cur me ames, quam abs te sine ulla justa caussa amari. Agam caussam meam. Debes & tu talem amicum magni facere, qui nihil a te aliud expetens, eo te tantum amat, quia dignum judicat, qui ameris. Quod M. Antonium Bizonum potissime delegisti, ad quem itares, cui crederes, cui te in disciplinam dares: vehementer te, mi Agapete, laudo, &, ut eum assecteris, ex ejus ore pendeas, ejus doctrinam avidissime combibas, suadeo. Spero me istic fore ante Kalendas Septembres: &, ut sim, operam dabo; eo magis, quia te videre discupio. De Macarano meo, qui mihi perpetuo ante oculos obversatur, quaeso, Agapete mi, si quid habes, quod me exhilaret, scribe. Vivere ipse mihi non videor, donec vitam ipsius in tuto esse cognovero. Nolito aegre ferre, quod dicam. Illum unum plus amo, quam te: &, ne hoc tibi durum videatur, te a me proximum habeo: illum aeque amo ac memetipsum. Vale. Tiburi. III. Non. Augusti. MDLXXVII.

EI-

EIDEM GIDETO.

LII.

Vix auſus eſſem a te poſtulare, ut ad me Latine ſcriberes: veritus, ne id tibi oppido difficile videretur. Quo mihi gratiores fuerunt eae litterae, quas a te Latine ſcriptas nuper accepi: non illae quidem omni ex parte emendatae, multo tamen nitidiores & cultiores, quam credidiſſem. Itaque bene te ſperare jubeo, neque dubitare, quin aliquando, duce me, aliquam ſis hujus quoque generis facultatem conſecuturus. Adventus huc tuus quam mihi optatus ac jucundus futurus fuerit, nihil neceſſe eſt affirmare. Satis enim, ut opinor, noſti magnitudinem amoris erga te mei. Sed ita multos hic adoleſcentes, qui Roma venerunt, aegrotare video, ut veritus ſim, ne quid tibi iſta hoc tempore caeli commutatio periculi adferret. Ego ante nonum Kal. Septemb. ſpero fore, ut non nihil remittant calores. Tunc igitur, ſi Deus volet, excurram iſtuc, cupidus videndi tui: teque ſtatim accerſi jubebo. Non habeo nunc ad manum ſuperiores illas tuas, in quibus neſcio quid quaerebas de dominio directo & utili, cujus tamen totius quaeſtionis moleſtia facile liberare ipſe te potes. Dominium enim directum & utile, nusquam a Jurisconſultis, nusquam ab Imperatoribus nominantur, ſed commenta ac ſomnia ſunt eorum, qui obſcurando & inceptiis ſuis contaminando jure civili, ſibi ſe acuminis, & eruditionis laudem quaeſituros putarunt. Quod uſucapitur, fit pleno jure ejus, qui uſucepit. Qui tamen ſi poſtea id pro derelicto habeat, aequius eſt, rem redire ad veterem dominum, ſi eam forte recuperare ſtudeat, quam adjudicari ei, qui neque uſucepit, & ſine titulo poſſidet. Datur igitur vindicatio veteri domino adverſus eos, qui pro poſſeſſoribus, ut dicitur, poſſident: aequitate quadam: qua fingit lex, eam rem nunquam uſucaptam fuiſſe. Nam cum is, qui uſuceperat, jure illo ſibi quaeſito uti velle deſierit, prope pro eo eſt, ac ſi uſucapta non eſſet. Erat & aliud quiddam in iisdem litteris, de quo quaerebas: ſed nunc non recordor. Hujus generis litteras, in quibus aliquid eſt, quod ad ſtudia tua pertineat, & ego libentius ſcribam, & tu majore cum fructu leges. Heliconio, Antonio, fratribus tuis ſalutem.

tem. De Matthaeo vehementer doleo, ſed gratum eſt, quod ſcribis, ſpem eſſe, eum, ſine ope praetoris, in integrum reſtitutum iri. Horatio audio meliuscule factum eſſe: quod quam mihi jucundum ſit, ipſe ſcis. Vale, Agapete mi, meque ama, ut facis. Tiburi, VII. Idib. Auguſt. MDLXXVII.

CONSTANTIUS BARGELLINUS
EPISCOPUS REATINUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.

LIII.

Afficior laetitia incredibili, quod ut ex litteris tuis accuratiſſime ſcriptis intellexi, à nonnullis Lutetiae impreſſoribus urgeris, ut epiſtolas tuas mittas, quas praelo ſubjiciant. Auguror enim ex eo, bonarum litterarum ſtudioſos multum voluptatis, plurimum etiam utilitatis ad Latinam eloquentiam vel comparandam, vel augendam, percepturos. Equidem etſi fateor, in his politioribus litteris, quae ab humanitate nomen acceperunt, me nuperrime non eſſe verſatum, graviſſimis occupationibus abductum: tamen, ut ſententiam meam dicam, neceſſe eſt Nihil epiſtolis tuis elegantius, nihil eruditius, nihil uberius fieri poſſe exiſtimo, nihil, quod ad illam Ciceronis majeſtatem propius accedat. Atque id antea teſtatum apud animum tuum reliquiſſem, niſi me verecundia mea a rei perſpicuae teſtimonio non neceſſario revocaſſet: nunc, quando te amicis tua ſcripta flagitantibus invitum gratificari intellexi, audaciae notam ſubire malui, quam in bonum publicum inofficioſus judicari. Illa etiam non levis conjectura ad id me valde impulit: his enim diebus, cum ſchedas aliquot, quibus olim in arena mea uti conſueveram, evolverem, nihil tale opinanti epiſtola tua in manus venit, quae me, quod amantiſſime, & diſertiſſime loqueretur, mirifice delectavit. Itaque eum eam ipſam veſperi inter alia ſcripta, quae forent magis

gis in promptu, retulissem, postridie mane ecce tuae litterae, quibus epistolam postulabas; sic admirantem ea cogitatio me excepit, ut illam exstare Deus sine dubio velit. Ejus igitur exemplum mitto, teque hortor, aut, si potes, rogo ac flagito, ut negotium conficias, neve in aliud tempus rejicias. Quod scire cupis, an aequo animo laturus sim, si quae a me scriptae sunt litterae, una cum tuis ~~omittantur~~, ~~vereor~~, mi Murete, ~~ne quod ajunt~~, πολλοὶς ὁ Μύσκος. Ego profecto non tam tuas admirari, quam meas improbare solco: tamen ubi, quove pacto amicos sub tuo nomine cohonestare possis, tui consilii est, nec est, cur aliorum sententiam exquiras. Quodsi tibi statutum est, ut illae horridulae meae litterae exeant, impones extremam manum. Sunt enim indiligenter scriptae; quod res ipsa declarat; nec earum editionem aut probarem, aut paterer, nisi ut nostra amicitia, in qua non minimum mihi ornamenti pono, omnibus esset nota, vehementer desiderarem. Vale, mi Murete, & de bonis litteris optime mereri, quando id vel uni tibi maxime licet, ne desistas, ac Bargellino tuo ad omnia utere.

EIDEM MURETO.

LIV.

Ita diu jucundissime vivam, mi Murete, ut allato nuncio de tua valetudine, quae te in vitae periculum vocaret, acerbam mihi vitam putabam. Equidem ita fui commotus, ut magis fortasis nemo, cujus praecipuum aliquod bonum repente in discrimen esset adductum. Incredibilis est enim amor in te meus. Nihil eum extrinsecus accedens, nihil adventitium peperit, sed virtus, quae est ipsa per se amabilis, cujusque omnia in te elucent ornamenta, & animi inductio cum perpetuo quodam judicio meo conciliavit. Postea vero quum te morbo levatum esse cognovi, difficile dictu est, quanto gaudio pene exiluerim. Ex diuturna enim animi perturbatione ad aspiciendam lucem nunc primum mihi videor esse revocatus. Qua quidem de re tibi magnopere gratulor, etsi nostra certe gratulatio omnibus, qui modo sint & virtutis amantes, & humanitatis pietatisque non expertes, jure debet esse communis. Etenim quis te non amet, tanta probitate, virtute, humani-

manitate, tam denique excellenti eruditione, atque industria virum; cui salus tua aeque exoptanda non sit, ac sua? Eum profecto ferreum, & ab omni humanitate alienum esse dicam, nihil perspectae, spectataeque virtuti, nihil illustri gravissimi viri gloriae dare, haud temere affirmarim, qui Muretum omni liberali doctrina politissimum diutissime vivere non modo non expetat, sed ab immortali Deo precibus ac votis non contendat. Maximam ex eo capio voluptatem, gaudeo, triumpho. Jam, ut spero, (id quod Deo optimo maximo acceptum referendum est,) poteris Musis tuis operam reddere: cum quibus quoque praeclare actum putem, cum omnes delicias, amores, omnia denique ornamenta, te incolumi recuperarint, iis omnibus carituras, si te, quod Deus omen avertat, patronum, te ducem, infelici ipsarum fato morbi vis eripuisset. Quocirca mihi gratissimum feceris, si illis incolumitatem tuam meo nomine fueris gratulatus, atque in earum clientelam me quam diligentissime commiseris. Haec hactenus. Mitto tibi nonnullas radiculas ex melle confectas conditasque, quales fert haec regio. Exiguum, inquis, munus. At tibi maxime consentaneum: e cujus lingua, quod Nestori tribuit Homerus, melle dulcior fluit oratio. Habebit etiam meae erga te benevolentiae significationem: de qua etsi te pro tua humanitate non dubitare video, eam tamen & omnibus cognitam esse, & studiis, officiisque quam plurimis colere, & confirmare desidero. Quod si per tenuitatem meam assequi non potero, certe hanc voluntatis meae propensionem liberalissime, uti soles, complectere. Inservi valetudini: huic quantum studii, diligentiaeque adhibueris, tantum te mihi, publicaeque utilitati, cui consulere glorioſum est, elargitum esse cognovero. Reate, ex aedibus nostris. Non. Feb. MDLXXVI.

M. ANT.

M. ANTONIUS MURETUS
CONSTANTIO BARGELLINO
EPISCOPO REATINO
S. P. D.

LV.

Nunquam putasſem fore, non modo ut ex tuo, ſed ut ex cujusquam dolore voluptatem capere poſſem. Et tamen, ſi vera dicenda ſunt, fatear neceſſe eſt, jucundiſſimum mihi fuiſſe, quod ex litteris tuis intellexi, vehementer doluiſſe te, cum primum de invaletudine (*) mea nuncius iſtuc allatus eſt. Dolor enim ille aliunde quam ab eximio quodam amore erga me tuo, proficiſci non potuit; & mihi, ex quo te primum vidi, atque ex aliis plurimis audivi, qua tu eruditione ac virtute vir eſſes, nihil optatius fuit, quam ut abs te amarer. Jam optabilium rerum ſigna atque argumenta omnia jucunda eſſe, notum eſt. Incredibiliter igitur graviſus ſum, Bargelline, vir praeſtantiſſime, tanti me a te fieri, ut & mirificum dolorem ſenſeris, cum me graviter aegrotare audiſti; & exhilaratus ſis, ſimulatque Dei beneficio, morbum depulſum eſſe cognoſti. Quanquam ego ipſe nondum ſatis conſtitui, utrum mihi ſatius fuerit, ex hujus vitae miſeriis quam primum eripi, an diutius hic manere. Certe enim, cum omnes ſummo conſenſu Medici dictitarent, nullam prope amplius reliquam eſſe ſpem evadendi: ita me compararam, atque ita animum compoſueram, ut neque angerer, neque terreter mortis, ut putabatur, imminentis metu; neque quidquam aliud a Deo peterem, quam ut mecum miſericorditer ageret, condonaret errata anteactae vitae, neque pateretur me in illa ſeparatione animi a corpore, aut

(*) *Invalitudo* bis terve apud Ciceronem legitur. Sed veteres libri, modo *valitudo*, modo *invalitudo* praebentes, dubiam ſcripturam faciunt. Vide Drakenborch. ad Liv. Epit. 23.

aut diutius, aut vehementius torqueri, quam vires meae ferre posſent. Hoc ego tum unum agitabam animo; hoc ex animo precabar; hoc ceteros quoque, qui mihi aſſidebant, ut a Deo mihi impetrare conarentur, obſecrabam. Spero tamen, relictum eſſe me a Deo in hac vita, ut maculas, ſuperiori aetate contractas, lacrymis deleam: tandemque omiſſis & abjectis vitiorum illecebris, ſaltem jam ſenex eam vivendi rationem capeſſam, quam tenere a principio debuiſſem. Atque a te, vir clariſſime, etiam atque etiam peto, ut me ad hoc animi mei propoſitum perſequendum, ut exemplo incitas, ita & monitis ac praeceptis & fuſis pro me ad Deum precibus adjuvare digneris. Jucundiſſimum mihi fuit munus tuum. Nam radiculae illae non tantum palato ſuaves ſunt, ſed etiam ad valetudinem meam valde accommodatae. Mitto ad te, ut te pro opibus remunerer, librum unum orationum mearum, & poëmata quaedam, quae ſpero te libenter lecturum eſſe, non quod valde bona ſint, ſed quod mea. A te peto, uti me amare pergas, tibique pro certo perſuadeas, te a me ita obſervari, ac coli, ut paucos admodum habeas tui, quam ego ſum, ſtudioſiores. Vale. Romae. XIV. Kalend. Mart. MDLXXVI.

CONSTANTIUS BARGELLINUS
EPISCOPUS REATINUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.

LVI.

Amavi te ſemper, mi Murete, ex quo primum die cognitus es mihi, cum te nunquam antea vidiſſem, commotus fama laudum tuarum, poſtea vero quam te de ſuperiori loco docentem audivi, ita tui ſtudio ſum incenſus, ut nullam amoris acceſſionem fieri poſſe putarem. Acceptis tuis litteris XIV. *Kalend. Mart. datis, (fatear neceſſe eſt) ad ſummum amorem tantus cumulus acceſſit, quod fieri jam*

non posse arbitrabar, ut nunc denique videar amare, antea dilexisse. Nam si omni observantia insignes doctrina, & gravitate viros colere debemus, quanti fieri a me ipso debes, qui omni liberali doctrina ita fis excultus, ut habeas paucos admodum pares, superiorem vero neminem, cum haec ipsa sint tibi cum tanta Christiana pietate conjuncta? In qua quidem nemo sapiens veras virtutes omnes inesse negabit, quibus nobis ipsi felicitatem comparamus. Hanc unam laudo, & admiror, & ante omnia expetendam esse censeo; hanc non modo Crassi divitiis, sed omnibus etiam animi ornamentis, quae humanis viribus pateant, antepono: haec ipsa te olim mihi charissimum, longe jam chariorem reddidit. Hinc illa tua in periculosissimo morbo fiducia modo concepta. Non angebaris, non terrebaris mortis imminentis metu, sed ad Deum optimum maximum toto animi impetu ferebaris, sperans fore, ut ejus beneficio, post has aerumnas & calamitates, tandem beatiorem vitam consequi posses. Hi sunt nimirum animi fructus, nullius culpa, quae Dei gratiam discutiat, sibi conscii: qui cum a corpore separabitur, licet sit periculis, ac terroribus undique circumfusus, nihil tamen, benefactorum conscientia fretus, timendum arbitretur. Hoc oro non modo ut utrique nostrum, sed cunctis salutari renatis aqua contingat. Quod autem dubitas, utrum satius tibi fuerit, ex hujus vitae miseriis quam primum eripi, an diutius hic manere, id, etsi est ejusmodi, ut non facile explicari possit; tamen est quod Deo immortali gratias agamus incredibiles, qui tibi vitam, optabile suapte natura donum, prorogavit, bonarum artium cultoribus consuluerit, teque fine dubio ad majorem laborum tuorum mercedem reservarit. Praeclara enim ista tua a Deo accepta dona si intelliges te ea conditione accepisse, ut cum ea ad communem utilitatem contuleris, reddere cum foenore debeas; quis dubitet uberiora, ac praestantiora praemia tibi parata fore? Quare te hortor, ac, si aequum est, rogo, ut habeas rationem valetudinis paulo diligentius, teque in dies magis magisque confirmes, sentiasque in eo verti communem causam: quam quidem, ut arbitror, nemo unquam, qui saperet, non privatis commodis antepositi. Ego vero etsi me exiguis omnino meritis adjutum esse probe novi; tamen a Deo summopere contendam, ut te incolumem diu servet in vita, atque ad eorum numerum adscribat, quos ante-

antequam orbis conderetur, elegit. In quo quidem si minus gratia potero, gaudebo me tamen pietati, amicitiaeque debitum officium praestitisse. Venio ad Orationum ac Poëmatum tuorum librum, quem sane legi libentissime. Orationes habitae de Philosophia me delectarunt, quantum vix credas: omnes vero ea eloquentia, ac doctrina conscriptas esse video, ut, quemadmodum mea fert opinio, quam tamen ab amore falli non credam, summa vigeat eloquentia praestanti cum eruditione conjuncta. Non verborum elegantium, aut splendorem, non sententiarum gravitatem desideres. Quid est vel antiquitatis, vel historiae, vel exemplorum, quod non ita proferas, ut nihil ignorare videaris? Sed mirari satis non possum quam venuste, quantaque cum dignitate Theologiae locis eas perspergere consueris; ita fit, ut & summum oratorem exprimant, omnique scientiarum genere perpolitum redoleant. Quas equidem dum lego, etsi ἄφωνοι sunt, crebro tamen aures meae praeclara illa voce tua, qua praelegens in publicis gymnasiis uteris, personare videntur. Poëmata mirum in modum me ceperunt. Quid enim vel a diuturno studio, vel a divite vena proficisci potest, quod non fueris consecutus? & quidem tum illa prosunt, tum magnopere delectant. Crebrae sunt, & acutae sententiae; miros pietatis igniculos excitant; stilus quoque ita rei consentaneus, ut facile quivis intelligat, te parem, eandemque in utroque genere laudem assecutum. Quamobrem tibi cum plurimum debeo, tum vero quibus verbis gratias agam, non reperio. Sed cave suspiceris, me hoc auribus tuis dare. Nam etsi mirifice amicos colo: plus tamen veritati tribuo. Quod enim ita sentio, idcirco meam de tuis sententiam aperire non dubitavi. Utinam aliquid esset in me ingenii, ut laudes tuas non detererem, sed augerem. Scio id a modestia tua minime postulari; malui tamen judicium periclitari meum dicendo, quam silentio rem non sine suspicione improbitatis praeterire. Da operam, ut valeas, atque me ipsum una cum universa familia mea ad omnia tua paratissimum esse confidas. Reate. VI. Idib. April. MDLXXVI.

AD
M. ANTONIUM MURETUM
LVII.

O Qui flos hominum politiorum es,
Quot sunt, quotquot erunt, quot aut fuerunt,
Doctrinae decus elegantioris,
Lumen Italiae, Murete, salve.
Salve, & has aliquid puta esse nugas,
Quas mittit tibi maximo Poëtae,
Longe pessimus omnium Poëta.
Sic Calvus tenero ausus est Catullo,
Saturnalibus optimo dierum,
Dono mittere pessimos Poëtas,
Quis is continuo die periret.
At tu, ni caveas, Murete, nugis
Istis, tam illepidis & invenustis,
Plenis ruris & inficetiarum,
Non dies aliquot velut Catullus,
Sed totum male nauseabis annum.

JUSTUS LIPSIUS.

M. ANTONIUS MURETUS
ALEXANDRO RIPARIO SUO
S. P. D.
LVIII.

Dulces litterae tuae, ut omnia, quae a te proficiscuntur: etsi in eis multa peccaveras. Sed ut filioli balbutientes libenter audiuntur a patribus, suntque eorum etiam ipsi errores voluptati: sic mihi ista tua in litteris infantia

tia jucundisſima eſt. Eas ipſas ad te remitto mea manu emendatas. Scis enim ita inter nos convenisſe. Tu, mi Alexander dulcisſime ac ſuavisſime, ſequere magno animo eam viam, ad quam & tua te natura fert, & ego tibi hortator atque impulſor fui. Magnam de te ſpem meo teſtimonio apud parentes tuos concitavi: quae ne & eos & me fallat, omni tibi cura ac ſtudio providendum eſt. Vale. Nonis Julii. Tibure. MDLXX.

EIDEM RIPARIO.

LIX.

Ne priores litterae tuae ad te pervenirent, Caroli incuria factum erat; cujus tu quoque negligentiam noſti. Nunc una cum his meis utrasque tuas accipies: ſimulque hoc intelliges, (quod tibi gratuleris,) poſteriores multo meliores eſſe prioribus: ut, ſi ad iſtum modum pergas, magna mihi ſpes ſit, te praeclare reſponſurum exſpectationi meae, Vide igitur, ſi me amas, quod & facis, & facere certe debes; ut omnibus aliis rebus neglectis, quantum quidem valetudinis ratio patietur, urgeas ſtudia tua: multa legas, multa ediſcas, multa audias, frequenter cum iis verſere, quorum familiaritate, ac conſuetudine melior, ac doctior fieri potes. Fac cogites, gravisſimam eſſe jacturam temporis: praecipue autem iſta aetate, qua tu nunc es, hora nulla tibi perire ſine magno diſpendio poteſt. Saluta mihi praeceptorem tuum, cui meas ad te litteras oſtendas licet. Eas quidem, quas tu ad me miſſurus es, nemini prorſus oſtendi volo: eas enim mihi gratiores faciunt ipſi errores tui. Vale, mi dulcisſime Alexander. IV. Id. Julii. MDLXX. Tibure. Oblitus eram ſcribere, heri in menſa injectum eſſe ſermonem de comoedia: qua occaſione multa de te quoque dicta ſunt. Valde tibi tunc aures tinnivisſe oportet. Omnino ſpero fore, ut huc tibi ad me veniendum ſit.

EIDEM RIPARIO.

LX.

Perge, ut facis, mi Alexander, amare litteras, eis te oblectare, in eis omnia & seria & jocа tua collocare. Non magnus labor magno tibi olim honori futurus est. Ista via, quam tu nunc ingrederis, multi humili & obscuro loco orti ad amplissimas dignitates pervenerunt. Atque etiamsi nulla ejusmodi praemia litteris proposita essent: ipsa tamen doctrina amanda est per se: neque quidquam in homine ingenuo turpius est ignoratione earum rerum, quarum scientia sine litteris comparari non potest. Voluptas, quae ex turpibus capitur, celeriter transit, dolorem autem in animo diuturnum relinquit: at labor in rebus honestis collocatus, ipse quidem effugit; memoriam autem sui in animo relinquit plenam honestissimae & solidissimae voluptatis. Haec cogita, & vale. Postrid. Id. Jul. Tibure.

EIDEM RIPARIO.

LXI.

Etsi nihil erat quod scriberem, ac praeterea mirum me quoddam scribendi odium tenebat: nolui tamen verberonem hunc meum sine meis ad te litteris istuc venire. Amo te quotidie magis, quod a te litterarum studia eodem modo amari confido. Sed velim ad me diligenter scribas, quo te nunc scriptore oblectes, Cicerone, an Terentio, an, quod malim, utroque? Dare etiam operam debes, ut in iis, quae ad me scribes, iis loquendi generibus utare, quae in illorum scriptis notaveris; ut ea ipsa res fidem mihi faciat diligentiae in eis legendis tuae. Vale. Tibure. v. Kalend. August. MDLXX.

EIDEM RIPARIO.

LXII.

Nemo est omnium, ad quem libentius, quam ad te, scribam. Sum enim animo ac voluntate erga te plane paterna. Sed vix credas, quam sim in hoc secessu occupatus; quem

quem tamen plerique omnes esse plenum otii putant. Et quotidie quinas aut senas ab amicis litteras accipio, ad quas si respondere omnes velim, nil aliud agendum sit. Gratum est mihi, quod applicuisti te ad consuetudinem P. Aemilii, & Horatii Macarani. Eorum enim uterque te & doctrina & exemplo efficere meliorem potest. Tales sectare. Qui autem alio ingenio sunt, eorum consuetudinem quasi pestem aliquam vita. Aetati tuae nihil diligentius providendum est, quam quibus sodalitatibus utare. Neque ego severum esse te ac tetricum, omnique generi voluptatum inimicum volo. Hoc tantum moneo, non eas amicitias quaerendas, quae dulcissimae videantur, sed inducendum animum, ut quae honestissimae sunt, easdem etiam dulcissimas esse ac suavissimas putes. Mi Alexander, etiam atque etiam vale. Tibure. v. Id. August. MDLXX.

EIDEM RIPARIO.

LXIII.

Vide, quam te amem. Cum a multis hodie litteras acceperim, nihil mihi prius faciendum esse duxi, quam ut ad te potissimum rescriberem. Cave putes, Alexander mi, ipsi te patri tuo chariorem esse, quam mihi. Ac si quaeras, quae causa sit hujus erga te tanti amoris mei, ne vivam, si aliam adferre possum, quam quod videor mihi animadvertisse in te ingenium excellens, &, si tu volueris, ad omnia summa natum. Sed tu hoc facito tecum cogites: multas res esse suapte quidem natura bonas, sed quae culpa eorum, qui illas possident, interdum pessimae ac perniciosissimae fiant. Bonae sunt opes; sed si quis non recte utatur, malae. Bonum forma; sed id bonum multis exitio fuit. Ex eodem genere est ingenium. Si recte utaris, nullum prope hominum generi dari potest majus, aut praestabilius donum: sed si ad bonum ingenium mala mens accesserit, itidem erit, ut gladius in manu furiosi. Quo erit melior & acutior, eo plus adferet mali. Ego autem te, Alexander, amo nunc, quia ingenio bono es; amare desinam, si tu bono ingenio male uti coeperis. Sed id spero non fore, teque bono ingenio bene usurum esse confido, vel tuapte sponte, vel quia

videris mihi valde amare amorem erga te meum: quem tueri ac conservare alia ratione nulla potes. Vale, &, si me amas, virtutem ac litteras ama. Nulla in humanis rebus majora bona sunt. Iterum vale. Tibure. VIII. Kalen. Sept. MDLXX.

EIDEM RIPARIO.

LXIV.

Accepi ternas tuas litteras: in postremis autem quaedam erant ita negligenter scripta, ut facile constaret, aliud egisse te, cum illa scriberes. Ostendam ea tibi, cum istuc venero, & auriculam pervellam tibi: ut postea in scribendo attentior sis, & saltem eos soloecismos effugias, quos effugerent etiam pueruli, qui primis litteris imbuuntur. Noli tamen ex hac mea admonitione molestiam ullam capere. Non enim propterea volo quidquam de tua hilaritate detrahi, sed ad diligentiam addi. Vale. Tibure IX. Kal. Octobr. MDLXX.

EIDEM RIPARIO.

LXV.

Versiculi, quos ad me misisti, ostendunt illi quidem, te, si ad Poëticam ingenium tuum contulisses, & bonos magistros nactus, in eo studio perstitisses, ad aliquam praestantiam pervenire potuisse. Nam & numerosi sunt, & sententias habent, neque inconcinnas, neque ineleganter collocatas: & ipsum dicendi genus non abhorret a recto. Planeque sperare possés, te aliquando bonum Poëtam fore, si hoc agere velles. Sed majora tibi proposita sunt, quae, quantum potes, urgeas, censeo: & subsicivis horis veterum Poëtarum scripta manibus teras, non tam ut imiteris, quam ut eis te oblectes; simulque aliquid ex eis assidue, quod tibi usui sit, colligas. In scribendis versibus tempus a te collocari, verum ut fatear, nolim. Malos versus facere, turpe est: mediocres, inglorium; bonos difficilius, quam ut praestari possit abiis, quibus aliud agendum est. Quid in tuis lima egeat, praesens praesentem monere possem: per litteras non aeque faci-

facile posſum. Recteque ac vere mihi videtur Ovidius dixisſe, emendandi laborem majorem esſe, quam scribendi. Mihi hoc credas velim, me hodie non difficilius ad saltandum, quam ad faciendos versus adduci posſe. Si quid erit serium, in quo meam operam desideres, non deero: in his levioribus, si quando de me cogitabis, peto a te, illud quoque cogites, non multo juniorem esſe me, quam erat Horatius, cum illa de se scriberet:

Nunc itaque & versus, & cetera ludicra pono. Vale. Romae. Id. Febr. MDLXVIII.

M. ANTONIUS MURETUS

PAULO SACRATO SUO

S. P. D.

LXVI.

Tandem ad te remitto epistolas tuas: neque enim per assiduas occupationes, & per molestissimum oculorum dolorem, quo dies aliquot laboravi, citius licuit. Eae si conquerentur, se a me paullo severius acceptas esse: recordari debebis, hoc ipsum a te mihi mandatum esse: ut, si mollius ac lenius eas tractare voluissem, verendum mihi fuerit, ne tibi non satis obsequens viderer. Sed de his satis. Nunc exponam tibi totum illud negotium Polonicum: quando litterae, quas ad te, re adhuc recenti, scripseram, perierunt. Stephanus, Poloniae rex, qui & aliis regiis virtutibus ornatissimus est, & hoc supra ceteros omnes reges, qui multis abhinc saeculis vixerunt, eximium habet, quod & amat unice homines eruditos, & ipse omni elegantis doctrinae genere mirifice excultus est, miserat in Italiam unum e domesticis suis, qui quasi delectum quendam haberet praestantium doctrina virorum, eosque opimis admodum propositis conditionibus, in Poloniam invitaret ad Academiam novam, quam rex Cracoviae instituere parabat. In mandatis autem regiis, quod

ad alios quidem attinet, facta erat potestas ei, qui huc venerat, optimum quemque & in docendo exercitatissimum deligendi: de tribus nominatim perscriptum erat, de me, de Carolo Sigonio, & de Fulvio Ursino. Ac mihi merces proposita mille quingenti quotannis aurei numi. Addebat rex, si sacris initiari vellem, (nondum enim sciebat, me sacerdotem esse,) perfecturum se, quo mihi magis liberet manere in Polonia, ut intra breve tempus honesto aliquo sacerdotio, ex quo non minus quingentos annuos aureos numos caperem, cohonestarer. Ea de re unus e primoribus illius regni, Joannes Zamoscius, qui nunc magnus regni Cancellarius est, litteras ad me peramanter perque honorifice scriptas dedit. Commotus sum non tam ipsius praemii magnitudine, (etsi his quidem temporibus inusitata) quam tanti regis tam propensa ac benefica erga homines litterarum studiis deditos voluntate. Neque me commovebat itineris difficultas: qui exploratum haberem, cum lectica, una cum filiolo fratris mei, puero sex annos nato, quem mecum illuc ducere cogitabam, ad fanum Lauretanum, (eo enim, religionis ac pietatis causa, iter facere decreveram,) gestatus esem, posse me cisio Cracoviam usque commodissime vehi. Et jam convenerat, ut mihi regis nomine ad iter conficiendum darentur trecenti aurei numi, ad quos ego ducentos de meo praeterea addere cogitabam. Jam mihi illud sanctitatis & doctrinae specimen, Stanislaus Cardinalis Varmiensis gratuitam habitationem in palatio, quod Cracoviae habet amplissimum, offerebat. Multae a summis viris litterae commendatitiae in Germaniam & in Poloniam promisae erant: ut cum eo venissem, nunquam fere in diversoria publica ingredi necesse haberem. Neque verebar illam, quae in Polonia esse dicitur, inclementiam caeli, asperitatemque frigoris. Sciebam illa omnia re multo minora esse quam fama: & alioqui sum ipse quoque natus in parte Galliae maxime montosa ac frigida. Quod autem quidam, qui deterrere me cuperent, clamabant, gentes illas feras ac barbaras esse; interdum mihi risum, interdum stomachum movebant. Magna mihi, Sacrate, cum multis Germanis, magna cum permultis Polonis familiaritas, magnus usus, magna necessitudo fuit. Semper eos expertus sum bonos viros, rectos, simplices, apertos, humanissimos praeterea, & prope

prope omnes eo vitae cultu, ac munditia, quae ad elegantiam potius quam ad ullam barbariem accederet. Nugae istae sunt hominum, eos, qui adulari, & fallere, & aliud loqui, aliud cogitare nesciunt, barbaros vocantium. Utinam nos eo modo barbari essemus! Utri vero barbariores sunt: nati in media Italia, quorum vix centesimum quemque reperias, qui Latine aut Graece loqui sciat, aut litteras amet? an Germani, ac Poloni, quorum permulti, & earum linguarum utramque perfectissime callent, & ita litteras ac liberales disciplinas amant, ut in eis tempus omne consumant? Olim illi fortasis asperi ac barbari fuerunt: hoc quidem saeculo, vereor, ne ad nos barbaries, ad illos cultus & splendor vitae, & eruditio atque humanitas, mutatis sedibus, commigrarint. Itaque, ut verum tibi fatear, libentissime eo commeassem, si nihil obstitisset. Quicquid enim commodi mei causa ab eis petebam, id omnes prolixe ac copiose offerebant: ut jam constaret, inter nos sine ullo negotio conventurum esse. Quid quaeris? Fidem eis dederam, venturum esse me, si per summum Pontificem, cui servio, & per Cardinalem Estensem, cujus in clientela ac familia sum, liceret: alioqui enim non posse me, nisi eorum permissu, de me ipso quidquam tale polliceri. Putabam autem, neutrum eorum hoc iniquo animo laturum: cum Cardinalis quidem gratis me alat, (nullam enim ad rem mea opera utitur,) summus autem Pontifex ingentem copiam habiturus esset eruditissimorum hominum, qui se in locum meum substitui postularent. Contra tamen accidit, quam putaram. Etenim cum rumor de meo discessu tota jam Urbe pervulgatus esset, Conservatores populi Romani, (is summus magistratus est eorum, qui hodie populi suffragiis deferuntur,) ad Pontificem accedunt, cum praesentes etiam adessent ii ex Cardinalibus, quibus studiorum cura commissa est, remque ei exponunt: atque ab eo supplices petunt, ne me abire patiatur: addunt multa de me, quae malo te ex aliis cognoscere. Pontifex benigne eos audit, bono animo esse jubet, se, quod opus foret, imperaturum esse confirmat. Paucis post diebus, per Ludovicum Castaneum Rupipozaeum, Christianissimi regis Oratorem, virum & claritate generis, & virtute, & eruditione praestantem, jubet mihi denuntiari, ne abeam: sibi curae fore, ne me, quod auctoritati suae paruissem,

ſem, poeniteret. Reſpondi, nullam pecuniam mihi eſſe tanti, ut mihi quidquam placeret, quod Pontifici diſpliceret: & honorificum quidem mihi viſum eſſe, quod a tanto rege vocarer: ſed multo honorificentius, quod & a Pontifice, & a tali Pontifice retinerer. Pontifex poſtea epiſtolam ad me miſit amantiſſime ſcriptam, qua ad ſtipendium quingentorum numorum aureorum, quod jam pridem capiebam, ſignificabat ſe ducentos praeterea addidiſſe. Eodem tempore Matthaeus Contarellus, Pontificis Datarius, vir & eximia quadam integritate vitae, & ſingulari Romanarum rerum intelligentia inſignis, & mei, ut ſcis, amantiſſimus, certiorem me fecit, ſibi a Pontifice mandatum eſſe, ut mihi quam primum attribueret & aſſignaret annuam trecentorum aureorum numorum penſionem. Itaque rex tam longinquus effecit teſtimonio & judicio de me ſuo, ut ſanctiſſimi Pontificis liberalitate ad veteres fortunulas meas accederint annui quingenti aurei numi. Sed & Cardinalis Eſtenſis, ſimul atque iſtinc rediit, amplo me atque honorifico munere donavit: quod ego eo magis praedicare geſtio, quod ipſe tacere me juſſit. Parendum tamen eſt, ne, dum gratus haberi volo, me illi non ſatis morigerum praebeam. Sed & ego ſcribendo defeſſus ſum: & te ſuſpicor, cum haec tam verboſe ſcripta legeris, feſſum fore. Vale. Romae, Prid. Kal. Maji MDLXXVIII.

M. ANTONIUS MURETUS JACOBO CUJACIO J. C.

S. P. D.

LXVII.

Biennium jam eſt, & eo amplius, Cujaci, V. C. cum Laelius Ubaldinus, & Octavius Bandinus, ſummo genere nati adoleſcentes, in Galliam ſe ſtudiorum cauſſa, auctore potiſſimum atque impulſore me, contulerunt. Nam cum ex me ipſorum propinqui quaeſiiſſent, quid eis potiſſimum faciendum eſſe, quaque ratione ipſorum ſtudiis opti-

optime consuli posse censerem: auctor eis fui, ut Lutetiam primum irent, ibique se Graecarum litterarum & Philosophiae magistris recoquendos darent; deinde Jus civile, cujus studio incensi erant, neque usquam hodie nisi in Gallia, neque in Gallia, nisi a Cujacio, recte ac vere discì posse sperarent. Ita igitur fecere: & quod meo consilio paruerint, sibi magis magisque in dies gratulantur. Ego autem, Cujaci, ambitiosum fateor esse me: &, quod Thucydides ait, unum hoc πάθος senii expers esse, vere ab eo dictum, demum experior. Quare cuperem, eos, qui mihi jam multum se debere agnoscunt, quod indicaverim sibi iter ad fontem, debere etiam mihi, quod a te, mea causa, libenter viderentur, exciperenturque ea humanitate ac comitate, qua tu excipere omnes ingenuo ac liberali praeditos ingenio soles. Sed vereor, ne mea jam sera commendatio sit: neve ipsi, qua sunt & morum & ingenii elegantia, ita te jam, hominem ἐκ τῶν πάνυ νεανίαν, ceperint, ut novae commendationi nullus supersit locus. Peto tamen a te, quantum me amas: & puto me a te non vulgariter amari: ut, sive aliquid est, quod addi ad tuam erga eos benevolentiam possit, id mea causa adjicias; sive ita jam eos amas, ut nulla fieri possit accessio, reperias ipse tamen, atque excogites aliquid, quod, commendatione mea adductus, eorum causa fecisse videaris. Ego te, Cujaci, eximie amo: &, quantum in me est, excito horum hominum ingenia ad evolvendos libros tuos, & ad cognoscendam doctrinae tuae praestantiam. Te quoque aequum est aliquid mea causa facere. Majus autem facere nihil potes, quam si his duobus adolescentibus ostendas, meam commendationem aliquid apud te valere. Vale. Romae. VII. Kalend. Feb. MDLXXIX.

JOAN-

JOANNES CASELIUS
M. ANTONIO MURETO
S. D.

LXVIII.

Ego vero quam sum importunus? Toties te interpello, sive hoc facit tuus in me animus; sive mea de te persuasio; sive hominum tui sitis. Mihi enim quaevis harum caussa sufficit ad excusationem. Ut autem praeteream, quae in nobis mutua esse lubens mihi persuadeo; nemo est vel modicum tinctus litteris, quin & te magni faciat, & si istuc proficiscatur, audire vocem tuam, vultum contemplari, & humanitatem experiri velit. Vides quid dicturus sim. Hi amici mei, Joannes Lubecius & Gallus Beccius, Germani, fama tui nominis permoti, & ipsi te salutare jampridem in animum induxerant. Quod cum mihi mirifice placere intelligerent, ut qui te jam penitus perspexissem: visi sunt a me epistolam hanc cupere, quam ipsis dedi brevem & incultam, ut vides. Haec tamen munus suum obierit, si ipsis fores in sermones tuos patefeceris, quod haud dubie, sive illa etiam, antequam huc legenda processeris, sive tua humanitas faciet. Si tamen hoc requiris praeterea, cognosces viros & virtute praeditos, & litteris probe excultos, & cum omnium eruditorum, tum tui observantissimos. Quae cum in iis deprehendes, erunt tibi me quoque tacente commendatissimi: cui commendationi si fiet quaedam quoque ex hisce litteris accessio, multo magis & ipsos & me tibi obligabis. Vale, Murete clarissime. Florentia. Kal. Martiis, anno MDLXVII.

AN-

ANDREAS DUDITIUS
M. ANTONIO MURETO V. C.
S. P. D.
LXIX.

Pudet me ad te, virum eloquentissimum, scribere. Neque tamen impetrare a me ipso possum, ut nullas potius, quam ejus generis, cujusmodi soleo exarare, litteras ad te scribam. In quo tu, humanissime Murete, non quam in scribendo sim infans, sed quam studiosus, quam tui cupidus, spectare debes. Magnum mehercule benevolentiae cum verecundia fuit certamen; sed vicit tandem benevolentia erga te mea, & ad scribendum me impulit. Neque vero nullos stimulos addidit ingens illa, perspecta mihi & cognita superiore anno humanitas tua, cum ego te officii causa adirem: qua tu me hominem tibi ignotum ita obstrinxisti, ut quibus plus, quam tibi, debere me sentiam, quam paucissimos habeam. Admirabar equidem antea doctrinam, atque incredibilem quandam in dicendo suavitatem tuam, ac summam in familiaritate, atque amicitia tua gloriam statuebam. Nunc vero, non id modo, sed ex quo die te cognovi, ita te amare coepi, ut illis, quibus tua consuetudine frui datum est, demum invideam, illos solos felices esse ducam. Atque utinam hac eadem & mihi felicitate frui liceret! Sed non licet. At quod licet facio, meumque incredibile hoc tui fruendi desiderium levo frequentissimis & honorificentissimis de te, deque excellenti tua doctrina, sermonibus. Ex quo enim ego te die coepi diligere, omne studium, omnem orationem meam, qualiscunque ea sit, ad laudem, & tui nominis gloriam contuli. Quod sane non eo dico, quod meis sermonibus, & praedicatione quidquam ad tuam famam putem accessisse, (neque enim tam sum a ratione alienus, ut fatibus solem illuminari posse credam,) sed ut, quanti te faciam, quam observem, quanta benevolentia complectar, intelligas. Quod tibi persuasum esse ita cupio, ut nihil optem magis. Audio te habere paratos

paratos quosdam annotationum libros, quos in manus hominum emittas: quos equidem quales exspecto, futuros auguror, hoc est, omni doctrina eleganti refertos. Quid enim aliud a tali, tantoque viro exspectari queat? Peto abs te, ut cujus generis id totum sit, ad me perscribas, & quae tua est humanitas, si quid jam est a typographo descriptum, ad me mittas. Nam plane non fero desiderium legendi ejus libri. Superioribus annis, cum Lutetiae Parisiorum, magna tua cum laude, & omnium admiratione Philosophiam ita doceres, ut non minus sententiarum gravitatem, quam verborum elegantiam, dicendique artificium homines admirarentur, audio te quiddam in quintum Aristotelis Ἠθικῶν Νικομαχείων *librum scripsisse, quem ego librum jam ab aliquot annis legere discupio. Pergratum igitur feceris, si etiam hunc mihi litteris tuis adjunctum miseris. Vale, mi optime, atque eruditissime Murete, & meae libertati ignosce, ac hominem tui studiosissimum, cupidissimumque mutuo ama. Patavio. VI. Id. Maji.* MDLIX.

PETRUS MORINUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

LXX.

Cum Theologum Graecum praedicatione incitatus tua admirari coepissem, isque huc venisset, cum ego discipulo meo forte operam darem: permoleste tuli, eam me conveniendi hominis doctissimi atque humanissimi potestatem per imprudentiam amisisse. Et quo dolorem meum desideriumque tanti viri lenirem, & aliquid earum litterarum elicerem, quibus inprimis delector, scripsi ad eum, mandavique ei, cui litteras dederam, ut studiose percontaretur, ubinam esses, ut valeres, quid ageres. Is te ibi esse renunciavit, se veritum esse tecum loqui, & propter redeundi festinationem exspectare non potuisse, dum esset commodum. A te summo studio peto, mi Murete, ut de rebus, de litteris,

teris, de consiliis tuis ad me scribas; Amiotumne conveneris, & quid ei gratum feceris de Plutarcho, de Victorino? hic si etiam in manibus, an jam divulgaris? consiliumne sit sacros & ecclesiasticos reliquos Scriptores studio & opera simili adjuvare, atque Victorinum? Jam enim leviores litterae, παιδιαὶ tibi sunt: σπουδὴ καὶ διαγωγή, sanctiores. Tu illa αὐτοσχεδιάζεις. Ad haec vero, matura jam aetate, animum studiumque tuum contulisti. In quibus te jam arbitror, ut ait Theognis, τὰ μὲν μαθεῖν, τὰ δ' ἀνιχνεύειν, ἄλλα δ' ποιεῖν. Velim item, teque id etiam atque etiam oro, si quando erit otium, si quid homini amicissimo & observantissimo tui cogitationum tuarum impartiendum putas, perscribas ad me, quid de his miserrimis temporibus sentias, quibus ἐν τῷν παντοίων, ἐν τῷ κινεῖν τὰ ἀκίνητα, καὶ ζῶ μὲν νῦν καὶ χθὲς ζῶντα, in hanc perniciosissimam πανταπασίαν & ἀναρχίαν incidimus. Graecum Theologum meis verbis plurimum jube salvere. Vale. Cantilii. A. D. IV. Kalend. Septembr.

IDEM

M. ANTONIO MURETO,

VIRO OPTIMO AC DOCTISSIMO, ET HOMINI AMICISSIMO,

S. P. D.

LXXI.

Proximae congressionis nostrae grata jucundaque recordatio facit, ut sermonis vel non necessarii occasionem & facultatem etiam absens quaeram. Atque hoc vel singularis humanitas tua, vel nostra conjunctio, mutuaque benevolentia patitur, vel requirit potius, ut nullo scribendi argumento, inter nos tamen per litteras nonnunquam colloquamur. Tu quidem, quae mihi epistolae materia prope una fuerat, ut res meas curae tuae bonitatique committerem, & commendarem, eam mihi singularibus tuis in

me ſtudiis, & eximia liberalitate praeripuiſti. Nam cum antea ſemper rationibus meis per te conſultum eſſe voluiſti, tum nuper in hac provincia, quam te potiſſimum auctore ſuſcepi, ſic dediſti operam, ut ea mihi quam honeſtiſſima & quam fructuoſiſſima eſſet: ut ſi de fratre laborares tuo, (etſi me quidem fratris loco ſemper habuiſti,) nec diligentius a te, nec amantius agi potuerit. Quo in munere cum non ſolùm rem meam, officium, famam agi viderem, ſed etiam exiſtimationem & gratiam tuam: effeci, quantum potui, ut id in me judicii, te haud temere contuliſſe homines exiſtimare poſſent. Atque in eo negotio, quod tuo hortatu ſuſceperam, eo majorem curam & diligentiam mihi adhibendam eſſe conſtitui, quod in eo gerendo me intelligerem auctoritati & voluntati tuae inſervire. In quo, ut coram tibi ſignificavi, gratiam ab hominibus ineundam mihi duxi eſſe, τῷ, κατὰ τὸν νέον Ὀδυσσέα, χρῆσθαι ἔχειν ἐχέπνοα, γλῶσσαν γὰρ ὁσίης modo in opere, reliquis temporibus ceſſationi ſuae veniam ſperavit datum iri, καὶ εὐγνωμόνων ἀνθρώπων τυγχάνειν: quod ut jam ne me feſellerit; confido quidem certe. Hoc vero docendi officium cum conſilii & moniti tui memor ſtuderem in honorem adducere, proceſſit quidem: ſed tamen hominibus valde repugnantibus. Itaque λοιμαγὼν meditor. Tu, ut ſpero, conficies, πᾶν ἦ πόλῳ ἐκ τῶν ἔργων. Ego te illud tuum honeſtiſſimum otium ad Eccleſiae hiſtoriam litteris tuis illuſtrandam conferre, jamque tibi, quod de Baſilio Magno Gregorius ſcripſit Theologus, λόγος τὸ πάμπαν εἶναι, mirabiliter laetor. Vivent ſcripta tua in aeterna hominum memoria, & valebunt ad ſanciendam & ſtabiliendam veterem perpetuamque Eccleſiae diſciplinam, & eos homines errore pravisque opinionibus liberandos, οἵτινες, ὡς ὁ ἡμέτερος ἔφη ἀποστολος, τοῖς θείοις οὐκ ὁσίως ἐπὶ τὰ θεῖα χρῶντες, διὰ τῆς σοφίας τὴν θεοῦ, τὸ θεῖον ἐκβαίνειν πειρώμενοι σίβας. Peto a te, ut Niceto, quas ad eum ſcribo litteras, reddendas cures, ejusque voluntatem tibi quam maxime ad me tuendum & agendum adjungas. Si quid tu ad me litterarum, ut & opto & ſpero, quod ad Julianum Granuccium Medicum miſeris, is ad me perferendum curaturum ſe eſt pollicitus. Vale. Poli. Poſtridie Non. Sept. MDLXVII.

IDEM

IDEM MORINUS EIDEM MURETO.

LXXII.

Cum exspectarem, dum aliquod serium argumentum haberem ad te scribendi, litterae a Niceto venerunt comitatae tuis. Ibi ego agnita manu mihi charissima, teneri non potui, quin vel nulla materia, aliquid tamen exararem, & apud te, qui hujusmodi negotium perbelle devorare soles, ἀδολεσχίᾳ ineptirem. Ex hoc, mi Murete, tam diuturno litterarum mearum silentio intelligere potuisti, quam otio & praeter consuetudinem nihil agendo languescerem. In qua tamen desidia narro tibi quid mihi optatissimum & jucundissimum nec opinanti contigerit. Aedes hic sacra est D. Virgini dicata, ejus aedis custos & praeses, senex optimus ac religiosissimus, coetum habet virorum summa nobilitate, & humanitate praeditorum domi suae, quae divinae juncta est. Quo ex numero cum apud Archiepiscopum esset vir singulari virtute, doctrina, probitate, in eumque ego casu incidissem: Quid tu, inquit, in hac solitudine consenescis? & simul me humanissime invitavit, ut secum apud eum, quem dixi, aeditimum, si quando liberet, esse vellem. Ego ejus studium & liberalitatem secutus, pauculis post diebus cum me eo, quo vocarat, contulissem, hominem offendi cum illo sanctissimo sene Gregorii Theologi scripta studiose legentem. Adjunxi me vel auditorem, vel interpretandi arbitrum perlibenter, dedi me utrique; alterum etiam assidue in repub. versantem, & studiosum rhetoricorum Aristotelis, ac Demosthenis orationum, ut potui, adjuvi. Hi etiam viri humanissimi & probissimi aliquid esse credunt, Gregorium nulla meditatione interpretari, (cujus ego librum tum lectitando detriveram,) & Demosthenem explicari ab homine Manutii, Mureti, talium virorum discipulo mirantur: ut mihi, (fatendum est enim, praesertim apud te,) paulo jam beatior esse videar, & haec nostra studia non adeo contemnenda ducam. Nunc nobis magnus ille frater Gregorii est in manibus, ut ab ambobus, eruditione, sanctimonia, gloria germanis, communia & intelligendi & bene vivendi praecepta ducantur. Tantum est, cujus te parti-

ticipem fieri, & mea causſa laetari cupiebam. Ab Archiepiſcopo quidem ita liberaliter & a principio ſum acceptus, & quotidie tractor, ut quid illuſtriſſimo Cardinali Sirleto debeam, quid etiam vobis, qui me ei commendaſtis, non ſolum ſcribendo, ſed ne cogitando quidem aſſequi poſſim. Utor inprimis familiaritate Vicarii: qui Juriſdictionem exercens ſibi demandatam, & dijudicandis controverſiis operam navans, mihi ſaepiſſime, negotiorum moleſtia preſſus, gratulatur, qui rationem cum Muſis humanioribus & ſanctioribus litteris habeam; dum ipſe, litibus & turbis implicatus, horridas interpretum Juris chartas non ſine ſtomacho pervolutat. A quibus etiam, ſi quando rogem utendas, me deterret, nec a veterum Juriſconſultorum, quos ſaepiuſcule in manus ſumo, uſu diſcedere patitur: nec quicquam proficio, quod dicam conſecuturum me, cum illa deguſtaro, ut ipſi & Archiepiſcopo in conſilio eſſe poſſim: otium hoc tuear, & norim fortunas meas, qui politiorum & elegantiorum litterarum ſtudio incultis ſordidisque caruerim. Hoc idem ambo hi mei συμφιλόλογοι *dicitant. Qui quidem ſe ſuaque omnia liberaliter mihi detulerunt, &, niſi meas copias viderent, uti cogerent ſuis; habent* συμμέτρως *rebus neceſſariis inſtructum, non ſumptuoſum, non gravem amicis; & tamen aliquid a ſe ſumere voluerunt, qui hanc mediocritatem interea tueor. De epiſtolis, mi Murete, maximam habeo gratiam: iis utar, ſi opus erit, id eſt, ſi Mediolanum proficiſcar. Nondum enim quicquam certi conſilii cepi, ac minimum unum me hic menſem etiam commoraturum puto. Vale. Genuae. Poſt. Id. Jan.* MDLXIX.

HUB. GIPHANIUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.
LXXIII.

Etſi de tua liberalitate atque facilitate multa ſaepe in Gallia Auratum, Fruterium, & Canterum praedicantes audi-

audivi; atque adeo ipse viderem, doctrinam tam egregiam singulari humanitate junctam esse debere: nunquam tamen, (qui meus est pudor,) imperare mihi potui, ut, nulla accepta occasione, mea sponte ad te mihi viam aditumque munirem. Nunc eam nactus percommodam, nihil prius habui, quam ut studium in te meum, & quo ab ineunte aetate te ob scripta & magnas Dei in te collatas ingenii dotes, licet ignotus, colui, amorem litteris ad te datis testarer. Nam Berzevicaeus, juvenis Hungarus, amicus meus, Roma nuper huc reversus, cum tuos de me, minime licet idoneo, humanissimos sermones commemorasset: facile impulit, ut has ad te litteras darem. Ego, mi doctissime Murete, non is sum, de quo tam praeclare sentire & existimare debeas. Dedi quidem semper operam, ut cum Jurisprudentia nostra encyclia & humanitatis studia conjungerem: sed sentio & agnosco, eam esse ingenii imbecillitatem, ut in utroque (quando ad Juris scientiam Philosophiam necessariam esse non ignoras,) satis mihi respondere votoque meo non possim. Et sunt tamen subcisiva quaedam, quae suavissimae illi humanitati non possum, quin adsignem. Hinc ea in Lucretium perpusilla, hinc & in Gellium quaedam jam diu paramus: quanquam post tam male acceptum Parisiis a Lambino Lucretium nostrum, aut me potius, haud scio, an quicquam in eo genere navare debeam. Mirifice tamen Gellium expolitum cuperem. Sperabam posse me hic, quod in Gallia non potui, integrum aliquod idque pervetustum ejus exemplum nanciscì. Sed nihil dum reperire potui. Utinam tu hac in re nos juvare velis. Nam quin possis, non dubito, in tanta librorum veterum, quos Romae esse audio, copia. Ad solos VII. priores libros vetustum, hoc est, in quo & diphthongi sint pleraeque integrae, & Graeca, exemplum requiro. Nam reliquos ad vetustissimum collatos & emendatos habeo. Ecce autem meam libertatem, ne dicam impudentiam, qui in primo familiaritatis, ut ita dicam, vestibulo & aditu onus etiam imponere tibi non sim veritus. Sed hoc tuae humanitati partim ut tribuas, deinde & studiis communibus ut des, rogo. Neque vero ignoras, teneras etiam familiaritates officiis utrinque maxime ali & augeri. Quod reliquum est, te oro, ut eorum loco numeroque me esse velis ac patiaris, qui te & colere & observare ob singularem tuam eruditionem consueverunt. Quibus ego rebus etsi aliis

facile concedo: fide tamen, diligentia, ſummoque in te ſtudio ne minimum quidem cedere ſum paratus. Vale & ſalve. Si quid reſcribes, facile poteris, ad aedes Legati Regii (*). Salutat te Alfonſus Delbenius. Venetiis.

IDEM GIPHANIUS EIDEM MURETO.

LXXIV.

Ne me putes, clariſſime Murete, vel oblivione tui, vel graviore culpa tardius ad te reſcribere; quem cum alias & antehac ſemper, tum poſt litteras illas ad me tuas omnis liberalitatis plenisſimas, amare & in oculis ferre ſoleo. Longinqua, mihi crede, peregrinatio culpam omnem ſuſtinet. Domum igitur, hoc eſt, Venetias, tandem aliquando reverſo, nihil prius mihi faciendum putavi, quam ut humaniſſimis tuis litteris reſponderem. Quibus ut Ὀφειλὴν *reſpondeam, ſcito, illuſtriſſimo Legato noſtro (†) gratiſſimam accidiſſe voluntatem illam tuam, qua munus aliquod illi oſtendis. Quod ſi ille gravioribus rebus diſtrictus, exigere non curaverit: ego tamen urgere & flagitare pergam. Ne tamen noſtri ſenſus ignores, ſi forte hoc tibi utile ad eam rem futurum putas, multus eſt in Ariſtotele, eoque inprimis delectatur; maxime Phyſiologo: quod equidem ſaepe miror. Caeterbqui omnia tua illi pergrata eſſe & fore, tibi confirmo. De ſtudio in acquirendo Gellii exemplari gratias tibi agam, cum erit commodum: nunc quam poſſum habeo maximam. Intellexi poſtea ab iis, qui Romae ſuperioribus menſibus Fulvium Urſinum, de*

(*) Pauli Foxii, Legati Regis Galliae; apud hunc enim degebat Giphanius. Vide ſupra Epiſt. XLV. extremam, & infra lib. II. Epiſt. V. prope finem. *Thomaſ.*

(†) Paulo Foxio, de quo modo dictum. *Thomaſ.*

de quo litteris meministi, salutarunt, habere illum Gellium satis antiquum, etsi non integrum: vidisse namque se illum apud Fulvium mihi confirmarunt. Quare etiam atque etiam a te peto & quaeso, mi Murete, ut mihi librum illum ab Fulvio, homine, ut audio, perfacili, tibique amicissimo, ad paucos dies nobis impetres: eumque commode compositum & involutum vel tabellario Veneto, aut amico notoque, si qui certus occurret, des huc perferendum. Dabo operam, ut paucis post diebus ad te istuc referatur. Nam de fide mea ne dubites, tuam tibi prudentiam & constantiam testor, qui & apud quem virum agam, memineris, & ipse me in amicitiam jam susceperis. De fructu & utilitatibus, quae ex hoc scriptore mea opera exspectanda sint, etsi pudor multa polliceri me vetat: quaedam tamen hic apponam, ex quibus tu conjector hac in re sollertissimus, conjecturam de reliquo capere possis.

Libr. x. *cap.* xv. *initio:* item casus multiplices, *legendum ex vetere libro puto*, item castus multiplices. *Quid* castus, *apud Nonium & Festum. Minuebatur, in fine. Eod. cap. legendum* cum strue atque ferto, *& mox*, arborem felicem, *&* quod in rica *ex veteri libro: etsi in vetere erat*, in rita. *De* rica *Festus, & de* ferto. *Cap.* xxi. Aelius illo. *Legendum ex veteri codice*, L. Aelius Stilo; *& mox:* Quod extremum, inquit, dicebatur, dici novissimum coeptum vulgo. *Cap.* xxv. rumices, trifaces. *De utroque veli genere Festus. Cap.* xxiv. Sicut pristini & pristine: *legendum*, praefiscini & praefiscine (*) *Et mox:* Sacerdotes populi R. cum condicunt. *Lib.* xii. *Cap.* i. Non partitionem solam, tanquam ille. *Accipe quoque versus pulcherrimos Ennii lib.* xii *cap.* iv. *ita emendatos ex libro vetere:*

Haecce

(*) Haud obscure probat hanc emendationem Muretus lib. ix Var. Lect. c. iii. sub. fin. Unde simul intelliges, Tibure ipsum fuisse, cum has a Giphanio litteras acciperet. *Thomas.*

Haecce loçutus vocat qui cum bene ſaepe lîbenter
Menſam ſermonesque ſuos, rerumque ſuarum
Comiter impertit, magnum cum laſſus diei
Partem fuiſſet de ſummis rebus gerundis
Conſilio, endo foro lato, ſanctoque ſenatu,
Cui res audacter magnas parvasque jocumque
Eloqueret, & cuncta malus quae & bona dicta
Evomeret, ſi qui vellet tutoque locaret.
Quo cum multa volupia gaudia clamque palamque
Ingenium, cui nulla malum ſententia ſuadet,
Ut faceret facinus levis, haud malus, doctus, fidelis,
Suavis homo, facundus, ſuo contentus, beatus,
Scitus, ſecunda loquens in tempore, commodus, verbum
Paucum, multa tenens antiqua ſepulta vetuſtas
Quae facit & mores veteresque novosque tenentem
Multorum veterum leges, Divumque hominumque
Prudentem, qui dicta loquive tacereve poſſet.

Et mox, L. Aelium Stilonem. *Et lib.* XVI. *cap.* IX. *verſus Lucilii ità legendi ex veteri codice:*

Illud opus durum, ut Setinum acceſſimus finem,
Αἰγίλιπα montes, Aetnae omnes aſperi Athones.

Ejusdemmodi complura adferre poſſem, adeoque vellem, niſi illa jam nimia eſſe vererer. Videbis igitur, humaniſſime Murete, an expoliendum mihi ſcriptorem illum putes; hoc eſt, adjuvandum me in Fulvii libro impetrando. In Caeſare ſimilem operam poſui, quod ipſum pronuper in epiſtola ad lectorem Lucretio praefixa ſumus teſtati: verum ab Lambino poſtea ita verberati; &, quia a jure paulum temporis locique nobis, ut ita dicam, ſubciditur, omniaque quam accuratiſſime ſine librorum veterum copia expoliri nequeunt, tardius fortaſſe quam debueram, certe, quam putaram. Caeſarem tamen brevi, Deo volente, daturus ſum, adjecta explanatione modica, (gratum, ut ſpero, opus Celtis noſtris, ſeu Tranſalpicis futurum,) tua illa epiſtola, (eo namque redeundum eſt,) mirifice recreatus, atque adeo munitus adverſus furores illos Dionyſiacos (*)? quem jam audio libellum illum, qui vulgo Aenii-

(*) Alludit ad nomen Dionyſii Lambini. *Thomaſ.*

Aemilius Probus, a me certissimis rationibus in Lucretium plurimis in locis Cornelius Nepos dicitur, de illustribus imperatoribus Graecis, explanationibus longissimis, ut solet, oneratum in lucem edidisse. In quo libello, si, quemadmodum in Cicerone, omnia illa, quae in collectaneis Lucretianis emendata proposui, sumpsit, sibique arrogavit: veniam mihi viros eruditos daturos spero, si, manu injecta, illa, quae mea legitimis documentis ostendero, asseram & vindicem, incusso plagiario pudore, quando aliud non licet. Vale, doctissime & humanissime Murete. Venetiis. Idib. August. MDLXIX.

IDEM GIPHANIUS EIDEM MURETO.

LXXV.

Quia Tibure Romam te jam reversum puto, auctore etiam Tesserano nostro, qui tuam in me singularem voluntatem praedicavit, tertium ad te scribo de Gellio: teque etiam atque etiam oro, ut a doctissimo Fulvio librum illum auferas, quem vel ad paucos dies huc mittas, vel quod commodius fortasse erit, cum editione aliqua comparandum des, non totum, sed id duntaxat, quod in eo exemplo reperietur ad VII. *primos libros ejus scriptoris. Cave enim putes, mi Murete, ullum scriptorem mendosiorem reperiri posse. Ex posterioribus libris cum possim adferre loca innumerabilia, tum proxime quaedam indicavi. Quo argumento commotus, non dubito, quin priores simili malo laborent; praesertim qui jam periculum & in his fecerim, adjutus nonnihil a libris quibusdam, sed minime vetustis. Verbi gratia libro primo cap.* VII. expavidusque Demosthenes avertit iter: *in vetere codice reperi*, avertitur; *hinc legendum fortasse* avertit, *inducto* iter, *ut Plato in Phaed.* καὶ ἅμα δειλούσης, μετεστρέφοντο ἐπὶ τὰ ἄστρα. *Et cap.* XX. quales sunt ferme metae triangulae quas, *sic scilicet legendum. Cap.* XXVI. Convertit ad me,

sic vetus liber. Et libro secundo capite v. Sic in actionibus civilibus auctor laudari dicitur. *Et capite septimo:* aut pro reo Catilina aliquo, aut Tubulo, aut P. Clodio. *De Tubulo, saepe hic. Habeo emendationes aliquot in Epist. Cicer. famil. quas Manutius, (eum explanationes scribere, ex filio ejus, qui jam pridem hinc Asulae abest, cognovi,) si me mittere ad se volet, mittam quam primum, sed tua fide & auctoritate. Nam Manutium etsi virum doctissimum esse scio, & filio Aldo sum usus perquam familiariter: temere tamen meis non nimis acutis emendatiunculis interpellare ipse non ausim. Vale, mi humanissime & doctissime Domine. Venetiis.* VI. *Kalend. Dec.* MDLXIX.

IDEM GIPHANIUS MURETO S. D.

LXXVI.

Magnam tibi gratiam habeo, Mureti humanissime, qui laborem eum ipse ceperis, quo nemo id melius praestare possit, teque rogo, ut, quod facis, reliqua item descripta usque ad libr. IX. *quae quidem reperies, mittere velis. Valde gaudebam de Tubulo libro secundo capite septimo* (*), *ibi,* Catilina aliquo, aut Tubulo. *Nam ex clarissimi Pinelli libro, minime tamen vetusto, in quo ita erat,* aliquo aut cubant, *jam pridem,* Tubulo, *conjeceram, quod an ad te praescripserim, dubito. Sambucus certe, ad quem ea de re scripseram, nuper ita rescripsit:* De Tubulo conjectura non displicet: cum facilis sit lapsus de Tu in Bi. *Nam de Tubulo qui palam ob rem judicandam, pecuniam accepisset, condemnato, viro improbissimo, Cicer.* II. *de finibus;* III. *de natura Deorum, & pro Scauro meminit. In fragmentis orationis pro Scauro haec Ciceronis verba:* Si me hercule, judices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum & audacissimum fuisse accepimus, *& caetera. Ea, inquam, verba huic loco inprimis conveniunt. Existimo in vete-*

veteri codice vestro, caput I. *libri* I. *desiderari. Scio namque varietatem aliquam reperiri in aliis, atque adeo in primis versibus. In cap.* XIII. *lib.* I. scripsit ad magistrum ἀρχιτέκτονα molis Athenienſium. *In veteri codice quodam vidi*, ad magistratum Graecum more Athenienſium. *Ex quibus verbis mendum odoratus, legendum putabam*, ad ἀρχιτέκτονα Athenienſium *Hoc igitur consideres velim. Deinde an eodem libro cap.* XXIV. *pro*, Orchio traditus thesaurus, *non sit scriptum*, Orcivo; *& libro* 2. *capite* X. Favisae, *duobus SS, an uno S, exaratum sit. De nomine scriptoris etsi ipse dubito: nam ea quoque re in Lucretio infinite illum voco scriptorem noctium Atticarum: tamen argumenta in utramque partem quae habeo proximis tibi perscribam. Nam Lambinus, qui paulo momento huc illuc impellitur, & in Ciceronem plerumque Agellium vocat, cur nunc* (*) *ita clamet contra se quoque, tu fortasse ignoras: ego nunc etiam tibi indicabo. Et quia vidisse te sentio* (†)*, ponderosas illas explanationes in Cornelium Nepotem, seu Aemilium Probum deprehendimus nos, eum nostras emendationes in eum scriptorem, quas de veteri codice, quem habemus, desumptas, in Lucretiana collectanea conjeceram, sibi sumpsisse omnes. Qua de re menimi ad te scribere timide. Sed ipse faciam, ut comperias ita rem se habere, si libebit conferre haec loca ex collectaneis nostris, & commentario Lambini, quae hic notavi. Sunt hic eruditi viri, qui, re cognita, fabulam egisse dicerent Lambinum: qui, ut aliis persuadeat, se non legisse nostra, Puteanum* (‡) ὥσπερ θεόν τινα λάθε μηχανῆς

(*) Innuit locum Lambini e praef. ad Lect. Comm. in Cornel. Nepotem, ubi haec verba: *Aulus Gellius.* (Aulus Gellius, *inquam, non* Agellius, *ut quidam nuper exorti homines novitatis, quam veritatis cupidiores novo & Romanis inaudito nomine appellare coeperunt:*) *Thomas.*

(†) Unde hoc sentit Giphanius? Ex his Mureti verbis II. Epist. VI. (cui hic respondet.) *Jam clamat Lambinus indocte atque insciente facere, qui hunc scriptorem Agellium vocent.* Haec enim scribens Muretus haud dubie mentem habuit in eo Lambini loco, quem modo e Comment. ejus in Nepotem discripsimus. *Thomas.*

(‡) Cum quo Schedas ac membranas Cornelii Nepotis suas communicaverat Giphanius, ut intelligo e notis in hunc scriptorem Andr. Schotti & Jo. Savaronis, ad quos hae ipsae quoque Schedae de Bibliotheca Puteani pervenerunt. Illum vide praef. ad Lect. hunc Elencho MSS. & exemplarium. *Thomas.*

χαιτης adhibet, cum nodus vindice dignus occurrit. *Excusatum me habebis, quae tua est humanitas, mi Murete, qui in rerum nostrarum vindicatione diligentior fortasse tibi videar: in quibus usurpandis vir ille propriis lapsis, machinas etiam adhibuerit. Laudat te, quem ita tamen accepit. Scit scilicet, quem laudet, & cur; metuit, ne offendat solido. Valde laboro in praenomine Cornelii Nepotis inveniendo: Tu, si potes, me explica. Vale, mi doctissime & humanissime Domine. Salutem dixi clarissimo Oratori. Venetiis, Kal. Jan.* MLXIX.

MURETUS GIPHANIO S.

LXXVII.

Tum demum non recusabo, quin te mihi aliquid debere fatearis, mi Giphani, cum tua causa laborem aliquem capero. Quae enim usque huc a te oratus feci, non magis causa tua feci, quam mea. Nihil est enim, quod libentius faciam, cum quid vacui temporis datur, quam ut libros pervulgatos cum veteribus conferam. Nondum possum ad te mittere quod reliquum est, iis occupationibus, quae tibi quoque ipsi non ignotae sunt, impeditus. Contuli loca, quae notaveras: & admiratus sum hominis impudentiam: quam tamen in memet ipso jam pridem expertus eram. Non enim tantum, cum multa a me accepta pro suis publicasset, ultro conquestus est, sua sibi a me subrepta esse: sed etiam, (vide, quaeso te, inauditum improbitatis genus,) cum admonitus esset a me de locis quibusdam Horatianis, quos ita stulte interpretatus fuerat, ut omnibus eruditis debere ludibrium videretur; non est veritus dicere ac scribere, eam ipsam sententiam, a qua ipse monitu meo discesserat, meam fuisse; neque ut illius auctorem, exagitare iisdem illis argumentis, quae a me acceperat. Quid ejusmodi homini

Respondet Muretus non ea tantum, quae jam sequitur, Epistola; *Tmp d ypupp*: sed & alia, quae est libri II 7. *Risi, conferens*: quam & ollerius scriptam dixerim, licet repugnet adscriptus illi die; puto enim errorem ea in die admissum. *Thomas.*

ni facias, aut quid ad tam insignem impudentiam addi posse arbitrere? Sed bene, quod non in me unum eo modo injurius fuit. Reperiet alios minus injuriae patientes, quam ego sum. Fortasis ne ipse quidem tacite hoc tulissem calidus juventa. Nunc vix credas, quam mihi a toto illo controversandi genere abhorreat animus. Tu quoque, si me audis, non nimis acriter eum insectabere. Ulciscentur hominem mores sui. Vale. Romae, Id. Jan.

HUB. GIPHANIUS MURETO S.

LXXVIII

Paulo tardius rescribo, quod de auctoris (*) nomine quae requiris denuo mihi conquirenda fuerint. Quae etsi olim Brugas ad Guidonem Laurinum diligenter collecta perscripseram, cum & ille de Carsania aliisque id genus conditionibus (†) monuisset; nunc tamen in schedis, quas huc mecum attuli, reperire non potui. Petendi igitur hinc inde libri, quos fere nullos hic habeo. Sed de Lambino φιλῶ τὴς ἀκριβείας, in quem ut omnia pulchre conveniant, accipe & aliud ejus strategema. Cum Lutetiae thyrsum, non Lucretianum illum, sed suum in me quatere instituisset, (ego interim domi virgam tam pueriliter peccanti minitabar,) prima concione dixit cum Belgis omnibus familiaritatem sibi esse, me unum sibi male cupere: protulitque duodecim fere Belgarum nomina, qui tum ibi agerent studiorum causa. Multi ex his, admirati hanc publicam testationem & citationem, quod illum ne salutassent quidem unquam, me autem uterentur familiarissime, imo eo ipso tempore epigrammata in illum partim proscripsissent; ad me accurrerunt, & acumen Lambini, artesque ejus oratorias mihi exposuerunt. Mirantibus omnibus, unde eorum nomina collegisset, intervenit mox ejus convictor, Bruxellensis, qui scrupulum illum nobis exemit. Se namque rogatum & coactum fuisse Lambino petenti domi ali-

(*) Noctium Atticarum: Gellium enim innuit. *Thomas.*

(†) Editio Epistolarum Ingolstadiensis anni 1584. p. 170. *contractionibus.* Lego: *contractionibus*, ut infr in hac eadem Epistola, ubi *Cafraniae* mentio recurrit. Fuisse enim, qui ex C. *Afrania* contraherent *Cafraniam*; intelliges ex Epistola Mureti lib. II. 6. *Thomas.*

aliquot Belgarum nomina dictare, causſae ignarum. Atque ita res in riſum abiit. De Agellio *quae adferam, te rogo, ut accurate perpendas: quae ſi tibi probabuntur, fac ut ratione aliqua ādſirmes. Lovanii Buſlidianum antiquum ſatis, ſed minime integrum; alterum Cujacii, in quo decem libri poſteriores, item bonum; tertium Maemianum, clariſſimi ſenatoris Henrici Maemii, ejusdem bonitatis ac magnitudinis; duo praeterea erant Pinellini, quos tamen, quia minime eſſent vetuſti, non libuit totos conferre, ut neque Rhedingeri unum, juvenis nobiliſſimi Germani. Septimus, quem Lutetiae diligentiſſime contuli, Danielis, amici cujusdam mei, advocati Pariſienſis erat, omnium longe pulcherrimus & antiquiſſimus. Accedat huic, bonitate, ni fallor, proximus Fulvianus. In iis omnibus, uno, eoque optimo excepto, in quo* A. Gellii *ter ſcriptum reperi, (neque ſaepius nomen in eo codice aderat,) conſtanter vidi exaratum* Agelli. *Itaque veterum codicum auctoritate ſola uſitatam deſcriptionem mutare nolim. Nam tametſi omnes alii habent, Agellii: unus tamen omnium antiquiſſimus habet A. Gellii. Rurſus hic etſi jam vetuſtus eſt, unus tamen habet A. Gellii: cum reliqui omnes, ex quibus duo aut tres etiam bene vetuſti, habeant Agellii. Hoc igitur ex vetuſtis codicibus argumentum in medio relinquendum cenſeo. Reliqua ſunt duo, prius, meo quidem judicio egregium: quod hic auctor nunquam adducatur, (ſaepe autem adducitur,) Gellii nomine, ſed ſemper A. Gellii, ut quidem in vulgatis codicibus perſcribitur. Ab Servio in Virgilium, minimum ter adducitur, a B. Auguſtino uſurpatur quinquies, a Priſciano ter. Loca ſunt haec: Priſc. lib.* VI. A. Gellius noctium Atticarum IX. Hiſtoria ex libris Heraclidae Pontici, *& caetera. Et eodem libro:* A. Gellius noctium Atticarum VI. Sole medio, inquit, & arido, *& caetera. Et lib.* VII. Unde A. Gellius noctium Atticarum inſcripſit. *Auguſt. de civit. Dei lib.* IX. *cap.* IV. In libris, quibus titulus eſt noctium Atticarum, ſcribit A. Gellius, vir elegantiſimi eloquii, & multae ac facundae ſcientiae, *& caetera. Mox ibidem.* Narrat A. Gellius, *& caetera. Poſtea:* quaeſivit A. Gellius a Philoſopho, *&c.* in eo libro ſe legiſſe dicit A. Gellius, ſed certe brevius, *& caetera. Sic Auguſtinus in uno eodemque capitulo. Servius in commentario Vergilii, ad illum verſum lib.* V: Et me

ſae-

ſaevus equis oriens adflarit anhelis: Haec autem (*inquit*) plene exequitur & Cicero in Auguralibus, & A. Gellius in libris noctium Atticarum, & *lib.* VII. *ibi*: Et quos maliferae deſpectent nomina, & *caetera; & in Georgicis, ni fallor, ſemel.*

Alterum eſt argumentum, quod illis omnibus in locis, in codicibus eorum ſcriptorum manu deſcriptis conſtanter exaratum vidi, Agellius, & *interdum* Agerius. *Contuli autem codices Priſciani ſex manu ſcriptos, Servii duos, Auguſtini unum, omnes valde antiquos, ſed Auguſtinum illum antiquiſſimum. Poſſem & auctoritates doctorum quorundam hominum adferre, quibus haec probarem. Nam Lambinus, ut ſolet, paulo momento huc illuc impulſus, in edendo Cicerone Agellius probat, in Nepote deteſtatur. Accepi, Gabrielem Faernum Agellii quoque nomen probaſſe, commotum maxime verſiculo quodam antiqui neſcio cujus Grammatici, in quo haec vel ſimilis fuerit clauſula:* ut doctus Agellius inquit. *Tu ſi eum Grammaticum & verſiculum (Fulvius fortaſſe eum tibi ſubjiciet, quem valde familiarem Faerno audio fuiſſe,) mihi indicaris, magnopere hanc opinionem confirmaveris.*

Agellii autem nomen Romae uſitatum fuiſſe, (ut & Agerii, de quo cum alia in Pandectis loca, tum l. qui Romae, Agerius de verbo. obligat.) cum ex inſcriptione quadam antiqua, quam reperi in iis, quas multas, & fortaſſe nimis multas, in parvum libellum ſuum de orthographia retulit Aldus junior, & ex Statii Poëtae matre, quam vocatam Agellinam ſcribunt, tum ex Priſciano, qui mihi noſtrum auctorem αὐτόπτην videtur (*). *Sic igitur ille lib.* IV.; In ius deſinentia ſive a nominibus, ſive a verbis derivata, ſervant i ante ius, & *caetera*, ut ſervus, ſervi Servius: ſervilis Servilius, agellus agelli Agellius: ſilva Silvius: virgula Virgilius, & *caetera. Nunc reſpondeamus objectionibus, quas puto eſſe poſſe duas. Una eſt, potuiſſe depravari manu ſcripta contractione quadam facilique lapſu, ſcripto Agellio, pro A. Gellio, ut in Cafrania, & aliis nonnullis accidit. Altera eſt, Romani hominis nullum fore praenomen, quod novum ſit & inuſitatum. Prior nullam vim mihi videtur habere. Proferat enim*

(*) Supple: *confirmare me poſſe arbitror*: aut quid tale *Turnaſ.*

enim quis nomen aliquod ſcriptoris noti, quod conſtanter & perpetuo ita contractum & depravatum in plurimis locis reperiatur; quod certe nemo unquam (aut valde erro) facturus eſt. De praenomine, ea aetate mirum non ſit, qua certum eſt multa Romanorum propria inſtituta jam exoleviſſe. Fortaſſe & praenomen & cognomen habuit hic noſter, quae tamen interciderint, aut quae ipſe auctor, Agellii nomine notior, praetermiſerit adſcribere. Pauli & Ulpiani & omnium fere Juris auctorum praenomina, quis unquam audivit? Poſſem fortaſſe probabiliter, A. Agellium dicere appellatum, ſed conjecturis hujusmodi non puto eſſe opus. Haec fere ſunt, quae de Agellio habeam: quae, ſi probas, obſecro, ſi potes, adjuva, maxime illo Faerni verſiculo; ſi minus probas, tamen & verſiculum illum, & tua perſcribas. Sed enim volumen ut habeas, teque civiliter lacesſam, cupio mihi explices, tuamque indices ſententiam, cur Ulpianus Jus a juſtitia deducat. Ego quidem etymon hoc non grammaticum, ſed philoſophicum eſſe puto: Jus enim, ut actionem, ex habitu juſtitiae manare. Quaero etiam, cur Juri gentium Florentinus adſcribat vindicationem in l. tertia: cum & beluis ea ſit communis. Plura alias, jam ſatis. Vale, mi doctiſſime Murete. v. Kalend. Febr. MDLXX.

JOANNES ZAMOSCIUS
REGNI POLONIAE VICECANCELLARIUS, BELZENSIS, KNISSYNENSIS, ZAMCHENSIS CAPITANEUS, ETC.

M. ANTONIO MURETO S.

LXXIX.

Tum ex conſtanti fama, tum ex ſcriptis tuis, quae in lucem a te edita manibus omnium, ob eorum elegantiam teruntur, cognovi quantus ſis in litteris. Facile igitur tua virtus me, etſi tanto locorum intervallo a te remotum, & eum, qui te nunquam viderim, in tui amorem trahere potuit: cum & ipſe eas, licet earum ignarus, ac in vita civili occu-

occupatus, amem. Id tibi litteris hisce meis breviter significare volui. Plenius vero per generosum Joannem Zamoscium, serenissimi Regis nostri Secretarium, qui istuc a Rege missus est. Cui tu fidem in iis, quae tibi nomine meo nunciabit, adhibebis, & me tui amantem, redamabis. Vale. Ex castris ad Gedanum, III. Kalend. Julii. MDLXXVII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI,

STEPHANO,

DEI GRATIA POLONIAE REGI, ETC.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

LXXX.

Nihil in vita aut optabilius, aut honorificentius mihi contingere potuit, serenissime Rex, quam ut homo neque ingenio, neque doctrina praeter ceteros praestans, amplissima & honestissima conditione propolita, a Majestate tua in Poloniam vocarer. Quo equidem venire cupiebam, non tam privati commodi spe, quam mirifico quodam studio incensus videndi ac venerandi cominus eum Principem, qui solus hodie confirmat vetus dictum hominis sapientissimi: *tum demum beatas civitates fore, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.* Sed id cum ita cuperem, ut nihil unquam cupierim ardentius, cur efficere non potuerim, Regia Majestas tua ex Joanne Zamoscio Secretario suo intelliget (*). A qua supplex peto, ut ne propterea dedignetur me in suorum numerum adscribere: neque iniquo animo ferat, me, dum vivam, quibuscunque modis potero, & loquendo, & scri-

(*) Intervenit nempe Pontificis auctoritas. Lege sequentem epistolam. *Thomas.*

enim quis nomen aliquod ſcriptoris noti, quod conſtanter & perpetuo ita contractum & depravatum in plurimis locis reperiatur; quod certe nemo unquam (aut valde erro) facturus eſt. De praenomine, ea aetate mirum non ſit, qua certum eſt multa Romanorum propria inſtituta jam exoleviſſe. Fortaſſe & praenomen & cognomen habuit hic noſter, quae tamen intercideriut, aut quae ipſe auctor, Agellii nomine notior, praetermiſerit adſcribere. Pauli & Ulpiani & omnium fere Juris auctorum praenomina, quis unquam audivit? Poſſem fortaſſe probabiliter, A. Agellium dicere appellatum, ſed conjecturis hujusmodi non puto eſſe opus. Haec fere ſunt, quae de Agellio habeam: quae, ſi probas, obſecro, ſi potes, adjuva, maxime illo Faerni verſiculo; ſi minus probas, tamen & verſiculum illum, & tua perſcribas. Sed enim volumen ut habeas, teque civiliter lacesſam, cupio mihi explices, tuamque indices ſententiam, cur Ulpianus Jus a juſtitia deducat. Ego quidem etymon hoc non grammaticum, ſed philoſophicum eſſe puto: Jus enim, ut actionem, ex habitu juſtitiae manare. Quaero etiam, cur Juri gentium Florentinus adſcribat vindicationem in l. tertia: cum & beluis ea ſit communis. Plura alias, jam ſatis. Vale, mi doctiſſime Murete. v. Kalend. Febr. MDLXX.

JOANNES ZAMOSCIUS
REGNI POLONIAE VICECANCELLARIUS, BELZENSIS, KNISSYNENSIS, ZAMCHENSIS CAPITANEUS, ETC.

M. ANTONIO MURETO S.

LXXIX.

Tum ex conſtanti fama, tum ex ſcriptis tuis, quae in lucem a te edita manibus omnium, ob eorum elegantiam teruntur, cognovi quantus ſis in litteris. Facile igitur tua virtus me, etſi tanto locorum intervallo a te remotum, & eum, qui te nunquam viderim, in tui amorem trahere potuit: cum & ipſe eas, licet earum ignarus, ac in vita civili occu-

occupatus, amem. Id tibi litteris hisce meis breviter significare volui. Plenius vero per generosum Joannem Zamoscium, serenissimi Regis nostri Secretarium, qui istuc a Rege missus est. Cui tu fidem in iis, quae tibi nomine meo nunciabit, adhibebis, & me tui amantem, redamabis. Vale. Ex castris ad Gedanum, III. Kalend. Julii. MDLXXVII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI,

STEPHANO,

DEI GRATIA POLONIAE REGI, ETC.

M. ANTONIUS MURETUS

S. P. D.

LXXX.

Nihil in vita aut optabilius, aut honorificentius mihi contingere potuit, serenissime Rex, quam ut homo neque ingenio, neque doctrina praeter ceteros praestans, amplissima & honestissima conditione proposita, a Majestate tua in Poloniam vocarer. Quo equidem venire cupiebam, non tam privati commodi spe, quam mirifico quodam studio incensus videndi ac venerandi cominus eum Principem, qui solus hodie confirmat vetus dictum hominis sapientissimi: *tum demum beatas civitates fore, cum aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur.* Sed id cum ita cuperem, ut nihil unquam cupierim ardentius, cur efficere non potuerim, Regia Majestas tua ex Joanne Zamoscio Secretario suo intelliget (*). A qua supplex peto, ut ne propterea dedignetur me in suorum numerum adscribere: neque iniquo animo ferat, me, dum vivam, quibuscunque modis potero, & loquendo, & scri-

(*) Intervenit nempe Pontificis auctoritas. Lege sequentem epistolam. *Thomas.*

ſcribendo, quantum Regiae ipſius liberalitati debeam, profiteri ac praedicare. Deus opt. max. Regiam Majeſtatem tuam rebus omnibus florentisſimam quam diutisſime ſervet. Romae. Kal. Decem. MDLXXVII.

M. ANTONIUS MURETUS

JOANNI ZAMOSCIO, REGNI POLONIAE VICECANCELLARIO, BELZENSI, KNISSYNENSI, ZAMCHENSI CAPITANEO, ETC.

S. P. D.

LXXXI.

Praeter ſpem & opinionemm eam accidit, ut, cum inter me & Joannem Zamoſcium, ſerenisſimi Regis Secretarium, omnibus prope de rebus convenisſet; jamque ego me ad iter accingerem, atque iſtic animo & cogitatione totus eſſem; ſubito oſtenderit Gregorius Pontifex maximus profectionem meam ſibi non placere; meque per viros ſumma auctoritate praeditos monendum curaverit, ne ex urbe diſcederem; ſibi curae fore, ut ne in urbe deteriori conditione eſſem, quam quae mihi in Polonia deferretur. Quin etiam ad quingentorum aureorum numorum ſtipendium, quod mihi jam pridem conſtitutum erat, ſtatim ducentos adjici juſſit, mandavitque Datario ſuo, primo quoque tempore quoquo modo efficeret, ut aliunde mihi trecenti aurei numi quotannis penderentur. Ea re factum eſt, ut coactus ſim deponere conſilium, quod coeperam, veniendi ad vos: a quo, ne vivam, ſi me alia ulla res, quam ſummi Pontificis voluntas atque auctoritas, abducere potuisſet. Interea, etiam tacente me, facile omnes vident, quantum ſerenisſimo ac potentisſimo Regi Stephano, quantum tibi, Zamoſci clarisſime, debeam. Vobis enim, niſi plane ingratus ſim, hanc tam luculentam fortunarum mearum accesſionem acceptam feram neceſſe eſt. Quare, dum vivam, me utrique tantum debere fate-

fatear oportet, quantum ab homine deberi homini plurimum potest. A te etiam atque etiam peto, ut mihi veniam a serenissimo Rege impetres: tibique persuadeas, si ullum tempus unquam eveniat, ut me vitam ipsam vel pro Majestate ipsius, vel pro tua, clarissime Zamoscii, dignitate in discrimen exponere oporteat, nemini me concessurum, qui id promptius aut majori animo faciat. Vale. Romae. Kalend. Decemb. MDLXXVII.

JOANNES ZAMOSCIUS, REGNI POLONIAE CANCELLARIUS, BELZENSIS, KNISZYNENSIS CASTELLANEUS, ETC.

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

LXXXII.

Nostrum tui studium tam bene cessisse tibi, ut scribis, tibi quidem gratulor: mihi gaudere non possum, qui te hic careo, ubi & frui e propinquiore loco poteram tuis litteris, & eas etiam ornare magis, uti quidem summopere cupiebam. Sed haec Deo committamus, cui necessario obtemperandum est. Tu vide, ut ad nos quam saepissime scribas, & cum quid habes, quod tuis ipsius oculis atque auribus dignissimum esse arbitrere, nos quoque eo beare ne praetermittas. Rem nobis feceris gratissimam, & nostra amicitia dignissimam. Vale. Datum Varsoviae, die XXV. Mart. Anno domini MDLXXVIII. *Scias, te Regi nostro inprimis commendatum esse.*

MURETUS GERARDO SUO

S. P. D.

LXXXIII.

Mihi crede, iraſceret Titio noſtro, niſi vereret, ne ipſe eandem rationem iniret placandi mei, quam iniit ab-

hinc biennium. Etenim, si nescis, cum ego eum, nescio qua de causa, subaspere appellassem, meque illi iratum esse dixissem; renidens ille, faxo, inquit, istud verbum magno redemptum velis. Eo ipso die sub vesperam, cum mihi jam parata coenula esset, ecce tibi homo ad fores. Quid tu, inquam, huc? *Tecum*, inquit, *ut coenem, si forte placare te possim*, φιλέων ἀμφὶ τραπέζαν. Tu vero coenare mecum potes: placare me neque tam cito, neque tam facile potes. Inter coenam, multa, ut solet, festive narrare, multa urbane dicere: quae omnia ego, non facile quidem, sed tamen mihi imperans silentio audiebam; ita composito ad severitatem vultu, ut ne illud quidem faceram, quod canes iratae solent. Discessurus, *Etiamne*, inquit, *iratus es?* Multo, inquam, iratior, quam prius. Postridie eadem hora, cum, tanquam ad constitutum venissem, quaerenti mihi: Quid tu huc denuo invocatus? Ἀσύμπωτε δ' ἀμύδρει, inquit ille. Itane, inquam, fallis dictis & versiculis coenam te quotidie nacturum putas? At ego, ne erres, hodie non coeno. *Recte sane*, inquit. *Ego igitur, te spectante, bona tua comedam. Scio enim, quid tibi in coenam paratum sit.* Forte autem eo die amicus quidam ad me turdos & ficedulas aliquot miserat. Quarum cum partem coqui, partem in crastinum servari vellem: praeteriens ipse coquo meo, homini simplici ac credulo, apud quem valde gratiosus est, persuaserat, ut omnes coqueret; alioqui enim fore, ut corrumperentur. Ita mihi denuo hospes habendus fuit non multi tantum joci, sed multi etiam cibi. Ubi adsedimus, tam multa dixit, ut non ceteris tantum domesticis risu ilia distenderit, sed postremo mihi etiam ipsi, qui tristitiam simulare cupiebam, risum invitissimo excusserit. Facile jam perspicere poterat, iram in se meam aut nullam fuisse, (& ita erat,) aut plane depositam esse: sed expediebat homini, putare me adhuc iratum sibi. Redit tertio: & quaerenti, quid hoc negotii esset, *Volo*, inquit, *parere veteri sententiae: Οὐ γὰρ συμποσίων φίλων ἀπόκλητος ἵκοιμι Δαρόν.* Tum tu igitur, inquam, unum me sodalem habes? *Ego vero*, inquit, *te unice magis unicum, neque mihi unquam bene est, nisi cum & esse & comesse una tecum licet.* An tibi igitur diu videris abfuisse, qui mecum & heri & nudiustertius coenaveris? *Quin imo*, inquit, *ita erga te affectus sum, ut*

Me-

Medus ille erga Cyrum, καὶ ἐστι σκληρότερος χρόνον πάντα πολλὰ μᾶλλον ἢ ἐκεῖνος ὤν. Abi, inquam, quo dignus es, cum istis tuis ineptiis. An te mihi pro ignoto verba dare postulas? Licuit dicere, licuit objurgare: ipse tamen abterreri nunquam potuit, quin mecum coenaret. Sublatis mensis, Quaeso, inquam, amoto ludo, an hoc quotidie facturus es? *Quotidie*, inquit, *donec te mihi plane placatum esse cognovero.* At ego, inquam, potius jusjurandum in eam rem arbitratu tuo dabo. Quid quaeris? Nisi irasci desisem, adhuc opinor eum κότδωνον quotidianum haberem. Itaque quidvis jam perpeti possum potius, quam ut istis irascar, qui se tam bene vindicare norunt. Extra jocum, mi Gerarde, neque Titio quisquam vir melior est, neque officii plenior, neque cujus aut sermo, aut convictus mihi dulcior sit: sed tamen interdum in me nimis sibi multa permittit. Nihil est in bibliotheca mea ita abstrusum ac reconditum, ut ei non pateat: omnia inspicit, omnia perscrutatur. Fuit etiam tempus, cum, quicquid visum erat, etiam me inconsulto, auferebat, ac deinde referebat: sed id facere desiit, postquam me aegre ferre animadvertit. Et tamen sic quoque, absente me, pervolutat omnia, omnes forulos excutit, neque si quid modo absolutum ac perpolitum est, sed rudia etiam, si collibuit, & inchoata describit. *Quis neget hoc nimium?* ait Hispanus poëta. Sed sit satis; saltem ne me traduceret, sed, (quod semper pollicetur, nunquam praestat,) nugas meas legeret solus. Nunc, quia ita me amat, ut mea omnia miretur: vos quoque sibi esse hujus erroris socios putat; & ea saepe vobis, ut admiranda, dilaudat, quae vos, sat scio, contemneretis. Mitto cetera. Hoc de Graeca tragoedia quale est? Neque enim uni tibi, ut putas, sed aliis compluribus amicis dixit, vidisse se apud me tragoediam quandam Graecam admirabilem; cum tamen ego Latine quidem duas tantum adolescentulus tragoedias scripserim, de Graeca tragoedia scribenda nunquam, ne per somnium quidem, cogitarim. Non cavis animo. Et tamen vix credas, quot mihi tragoedias ficta illa tragoedia concitarit: multis qui ex eo illud audierant, ejus legendae potestatem sibi fieri postulantibus, mecumque, quod id non facerem, expostulantibus. Narrabo tibi rem totam, ut tu porro narrare aliis possis. Sumpseram haud ita pridem otiosus in manus Senecae tra-

goedias, easque animi causa evolvebam, ac forte incideram in principium Troadum. Ita enim vocandam puto, quae vulgo dicitur Troas. Libuit tentare, num quid Graece simile posset: & subito quodam impetu ita exorsus sum:

Εἴ τις παρῆν θεὸς ἐξαίφνης νέαν
Φρύγας γέμουσι γαῦρον, ἐς παρασίζομαι,
Ἐς οἷ᾽ ἐπὶ θῆλυν τοῦτον ἐλπίσας δρόμον,
Ἐμοί τι καὶ σὺ δύστηνος Τρῳὰς ἐμβλέπεις.
Οὐ γάρ ποθ᾽ οἱ ξένοι σὲ πῶλον πῶς ἐνώτας ἐμοὶ
Ἐκφέρειν ἐπίδοξον, ἢ τόνδ᾽ ἐκθρέψειν,
Πῶλον τ᾽ ὄχημα, καὶ κατεῖδ᾽ ἐνώτας ἅμα.
Φεῦ, φεῦ, τὸ κλεινὸν ἅρμα τῶν πρὸ ἐλθεῖν
Ἀσιάδος γῆς, ἧς ἐπεπαίρου χθιὲς,
Ὡς ἔχοιτο πολεμίᾳ καθαιματοῦν δορί,
Κοσμεῖ τι φρυκτὸν οἷον ἐξ οἴκου φανεῖς;

Vereor, ne projicias epistolam, si perrexero. Et tamen blandiente progressu, persecutus sum totam illam Hecubae ῥῆσιν. In illud αὐτοσχεδίασμα, absente me, inciderat Titius, & putans se reperisse, quod (*) pueri in faba, avidissime legere exorsus, superveniente me, destitit. Vix a me digressus erat, cum, ut in quemcunque amicorum inciderat, spargit, mirificum poëtam esse me: visam a se tragoediam Graecam meam, δαιμόνιόν τι χρῆμα: sed me non temere quemlibet ad mea legenda admittere, Jovis, ut ait Horatius, auribus illa servare. Paucis post diebus, ut quisque amicorum mihi obvius factus erat, ita omnes orare, obsecrare, obtestari, uti sibi faltem inspiciendae praeclarae illius tragoediae facerem copiam. Cum ego, qui vix jam illorum versuum memineram, negarem ullam unquam a me scriptam esse tragoediam Graecam, idque etiam jurejurando confirmarem; neque tamen aut hoc persuadere possem, aut ab eis cognoscere, quis ejus fabulae auctor fuisset: exstitit tandem unus, qui Titium nominaret. Audito hominis nomine, statim suspicatus sum id, quod res erat. Itaque cum quibusdam eorum, iis praecipue, quos videbam iniquiore animo ferre, quod parum amice agere me secum putarent, eos versus ostendissem, feci, ut tragoedia in mimum verteretur. Video

(*) Scribendum, *non quod pueri*, e Plauto Aul. V. 1. 11.

deo tibi quoque illud mendaciolum aſperſum. Tu vero, mi Gerarde, cave quidquam meorum eſſe arbitreris, quod ego non tecum libentiſſime communicem. Quodſi tanti eſſem, ut quidquam tale ſcripſiſſem, non te modo auditorem, monitorem, cenſorem admitterem: ſed alios operis inſpectores quam poſſem plurimos corrogarem. Neque enim mihi cornea fibra eſt. Neque quisquam unquam, qui bonos verſus aut feciſſet, aut feciſſe ſe putaret, occultos illos habere voluit. Ego de tua valetudine, de ſtudiis tuis, quid in iſto amoeniſſimo ſeceſſu legas, quid ſcribas, cognoſcere diſcupio. Vale, & alumnum tuum, praeſtantiſſimum adoleſcentem, Aſcanium Columnam, quando me ab eo amari ſcribis, meo nomine ſaluta. Romae. Prid. Id. Sextil. MDLXV.

M. ANTONIUS MURETUS

AUGUSTINO VALERIO

EPISCOPO VERONENSI

S. P. D.

LXXXIV.

Soleo libenter, quoties incidit occaſio, de ſummis virtutibus tuis loqui, & commemorare in omni ſermone eum uſum, qui mihi tecum olim Venetiis maximus ac ſuaviſſimus intercesſit: cum & ego te propter tantam doctrinae copiam tantamque morum ſanctitatem, quantam in homine adoleſcente nunquam videram, colerem, atque adſectarer, & tu mecum, quae tua eſt humanitas, tua omnia familiariſſime communicares. Ex eo igitur plerique, qui mecum verſantur, in eam opinionem venerunt, ut putent me apud te aliquid poſſe; neque ego, ut verum fateat, hanc ipſorum opinionem aut refello, aut imminuo; confirmo potius, &, quantum in me eſt, augeo; qui praeclare intelligam, quantopere mihi pulcrum atque honorificum ſit, arbitrari quam plurimos me a te tali viro amari. Saepe igitur multi, qui a te obtinere aliquid vellent, egere mecum, ut ad te ſua cauſa ſcriberem: quod tamen

men facere usque adhuc nolui, quod, quae ipsi volebant, non erant ejusmodi, ut ea vel me a quoquam, vel a te quemquam petere debere arbitrarer. Nunc cum ea se res obtulerit, in qua non modo clarissimi viri mihique amicissimi commodum, sed, quod multo pluris est, existimatio tua quodam modo agitur: putavi me, nisi ad te, praesertim rogatus, scriberem, officio defuturum. Jamdiu est, cum qui hic Pauli Sadoleti, Carpentoractensis Episcopi, viri praestantis, planeque magno illo patruo digni, negotia gerunt, conqueruntur, non solvi pensiones annuas; quarum alteram ipsi, alteram ejus fratri patrueli Camillo ex Ecclesiae tuae proventibus deberi adseverant. Jamque hic tertius mensis est, cum ad te super ea re, ipsorum rogatu, Hippolytus Cardinalis Ferrariensis, cujus ego, ut scis, in familia sum, litteras dedit. Cum hoc omnibus, qui te norunt, novum atque incredibile videtur, dare te cuiquam causam ullam de te querendi: tum te nihil dum ad Cardinalis litteras respondisse, non alii tantum, sed & ipse miratur. Hic ego, te Valeri optime ac sapientissime, non orabo, des operam, ut Sadoleto quam primum satisfiat: novi non integritatem modo, sed & altitudinem animi tui longissime remoti a sordibus, & prae honestate nihili. cetera omnia facientis. Hoc tantum petam, ut, cum ei satisfaciendum curaveris, quod te celeriter facturum non dubito, & certo mihi persuadeo, per te non stetisse, quo minus suo tempore factum sit; hoc igitur cum feceris, ut significes Cardinali, litteras ipsius tantum apud te, quantum debent, ponderis habuisse. Vale. Romae, Idib. Mart. MDLXVIII.

M. ANTONIUS MURETUS
JOANNI ANTONIO ODISCALCO SUO S.

LXXXV.

Etsi pro mutua inter nos voluntate tibi dubium esse non potest, quin tua omnia mihi cara ac jucunda sint: tamen

men mihi hoc affirmanti credas velim, litteras tuas mihi etiam jucundiores fuisse, quam tu existimare facile possis. Nam &, quod ego summo opere cupiebam, continebant ἀπομνημόνευμα totam rationem itineris tui, & quae istic vita, qui mores, quae cum ceterarum artium, tum juris docendi ratio, ita diserte ac luculenter explicabant, ut Ulixis Homerici narrationem Alcinoo, ac Phaeacibus minus fuisse jucundam putem. Admiscueras etiam eis plurimum nativi illius leporis & ἀστειότητος urbanitatis, qua praesens sermones tuos condiebas, ut eos legens, tantum non spectare te ac tecum confabulari viderer. Accessit ad voluptatem meam, quod patruus tuus V. C. qui eas mihi usque in Quirinalem, (ibi enim nunc sumus,) ipsemet attulit, ostendit mihi etiam eas, quas ad alterum patruum scripseras: quibus eadem prope, quae in meis, sed Latine expressa continebantur. Tum demum agnovi, quid te adduxisset, ut ad me populari sermone scriberes. Neque enim illud te movit, in quo jocaris, Phormionis exemplum: sed id potius fecisti, φιλοστόργως πως ἡμῶν ἐπὶ τῇ ὡς ἀμφοτέρους τοὺς ἰδίους εἶναι. Quod artificium tuum cum jam detectum esse videas: censeo posthac ad me quoque Latine, si videbitur, scribas. Quod tamen ea lege a te peto, ut ne propterea minus crebras, aut minus longas litteras des. Quidvis enim malo, quam earum fructu carere. Gaudeo metum meum de iis, qui istic Jus civile profitentur, vanum fuisse, & eos scriptores, quos ego tibi dilaudare consueveram, etiam istic vigere. Felicius hac in parte tecum actum est, quam cum quibusdam aliis συμφοιτηταῖς tuis, qui, ut a me digressi sunt, inter illos σοφιστὰς ac βαιβαρίας splendidarum ineptiarum magistros consenescunt. Ego & tibi hoc nomine, ut debeo, gratulor, & cupide tempus illud exspecto, cum ad nos non illa inani δυσσοφία, sed vera ac solida Jurisprudentia instructissimus revertaris. Nondum audiisse te puto, me hic Pandectas publice interpretari, non sine aliqua molestia eorum, qui nollent configi oculos cornicibus, & *quae juvenes didicere, senes erudendi fateri*. Equidem dabo studiose operam, ut eripiam ex animis hominum stultissimam illam opinionem, nihil in Jure aut sapienter cogitari posse, quod non ex illis lacunis hauriatur, aut erudite dici, quod non insulse inelegantérque dicatur. Spero, me his aestivis mensibus, qui-

bus res proferentur, in Tiburtino secessu aliquid novi edolaturum. Quidquid erit, si quid modo erit, tum enim mirifice Callipides, ad te mittetur. Interea amabis me, ut facis. Scis enim, te id mutuo facere, & ad me, quam saepissime poteris, scribes. Vale. Romae. III. Non. Januar. MDLXVIII.

HIPPOLYTUS, CARDINALIS FERRARIENSIS, ARCHIEPISCOPUS AUSCITANUS, A. SORBINO THEOLOGO

S. P. D.

LXXXVI.

Cum allatum esset ad nos de doctrina, & eruditione tibi in rebus sacris a Deo concessa, deque studio, quod a te perpetuo adhibetur in vera & Catholica religione defendenda, atque in pravis opinionibus refellendis, ac labefactandis, libenter sane fecimus, ut te potissimum deligeremus, qui in Ecclesia nostra Auscitana Theologi locum ac gradum obtineres. Quod munus, hortamur te, ut magno animo suscipias, utque te, cum primum poteris, ad ipsam Auscorum civitatem conferas: ut animus noster, de populo illo dies noctesque sollicitus, aliqua ex parte in tua fide ac diligentia conquiescat. Multa nobis de te pollicemur, neque diffidimus, ea a te, Deo adjutore, praestitum iri. Laborum, ac vigiliarum, quas in populo illo docendo collocabis, vera quidem & solida praemia ab ipso Deo, cui servies, exspectare te convenit: sed ne nobis quidem ulla aut loco, aut tempore ornandi tui voluntas defutura est. Haec re ipsa verum esse comperies. Vale. Romae. VI. Idib. Mart. MDLXVIII.

Haec epistola Card. Ferrariensis, & mox altera Castanei, quod Mureti ingenio formatae sunt, inter Muretinas locum inveperunt.

PETRUS

PETRUS VICTORIUS LUDOVICO CASTANAEO RUFIPOZAEO ORATORI REGIS CHRISTIANISSIMI AD GREGORIUM P. M.

S.

LXXXVII

Nosti, maxime illustris, & omni liberali doctrina eruditi Orator, quod litteris proditum fuit a M. Cicerone de Themistocle, sapiente ac forti viro, respondisse eum, cum quidam illi pollicitus esset, se artem ei memoriae traditurum, oblivisci se malle discere. Quae sane vox egregia est, & summo hoc homine digna: rectèque fecisset, quicunque litteris mandasset, ne prudentiae plena sententia vetustate interiret. Laudo igitur Ciceronem, qui in illustri loco ipsam collocavit. Nam Plutarchus, qui vitam ejus diligenter scripsit, in aliis pluribus ejus [illegible], hanc non commemoravit: non tamen, cum de ipsa saepe mecum accurate cogitarim, probo declarationem ipsius, qui putavit hoc a Themistocle dictum esse, quod haerebant in memoria, quaecunque audierat aut viderat. Etsi namque hoc praestare potuit, ut novum illud artificium despiceret, cum minime ipse egeret; nihil tamen valebat ad acrem cupiditatem, stimulumque explendam, quae in animo Themistoclis vigebat, ejiciendi inde, quod tum molestum erat, ac dolorem ingentem homini inurebat. Arbitror igitur (ut libere, quod sentio, loquar) hoc summum illum virum significare voluisse, se valde omni mortali obligatum futurum, qui rationem ipsi viamque monstrasset, qua penitus oblitteraret cuncta, quae non sine dolore in memoria insiderent; praesertim cum feratur Themistocles in adolescentia culpas non parvas admisisse, famaque ipsius eo tempore, quasi ad metas haeserit; quod postea ipse quoque confessus est, & simili, ad rem declarandam satis accommodato, purgare conatus. Et sane existimo ego, paucos mortales inveniri, qui vacui penitus fuerint ab omni labe ac vitio in lubrica illa aetate, & cui voluptas corporis libidoque dominatur, quae imperium suum durum atque injustum

juſtum exercet aliquando etiam in graves & moderatos viros. Cum igitur mecum multum jam de hoc quaeſiverim, exſpecto modo de ipſo judicium tuum; teque judicem hujus quaeſtionis ſtatuo; quem ob exquiſitam honeſtarum artium ſcientiam, magnumque uſum rerum, ſpero facile cogniturum, an verum ego in hac re attigerim, ſive contra lapſus opinione fuerim, valdeque peccarim, qui temere a tanti viri auctoritate diſcedere auſus ſim. Vale. Florentia. VI. *Kalend. Jan.* MDLXXVIII.

LUDOVICUS CASTANAEUS RUPIPOZAEUS P. VICTORIO

S. P. D.

LXXXVIII.

Fontes quidem ipſi, quod dicitur, ſitiunt, Victori, cum tu, talis tantusque vir in hoc genere litterarum, de eo quod ipſe ſtatuiſti, cujusquam tibi ſententiam praeterea exquirendam putas. Sed ſi maxime aliquem quaerebas, qui de tuo judicio judicaret: ego tamen minime omnium ad eam rem idoneus videri poteram, qui dicis tantum cauſſa, ut vos loquimini, haec ſtudia attingo: multisque ac gravibus curis impeditus exceptas tantum & ſubciſivas horas eorum tractationi tribuo. Facile itaque adducor, ut credam, te magis ornandi mei cauſſa feciſſe, ut quaereres, quid mihi de tua Themiſtoclei dicti interpretatione videretur, quam quod me valde bonum talium rerum exiſtimatorem eſſe judicares. Sed tamen, ſi mihi quoque in veſtro eruditorum hominum ſenatu ſententiae dictio eſt, adſentior tibi, Victori, atque ita adſentior, nihil ut putem ſuper hac re verius aut ſapientius cogitari poſſe. Nam ut tu recte ratiocinaris, ſi omnia in animo Themiſtocli, quaecunque aut audierat, aut viderat, haerebant: poterat quidem deſpicere artem illam memoriae, ut ſibi minus neceſſariam; ſed nihil tamen erat cauſſae, cur artem praeterea requireret obliviſcendi. At cum gaudium, quod capiebat e rebus ſuis proſperare geſtis, contaminaretur recordatione eorum,

eorum, quae adoleſcens libidinoſe ac nequiter feceram, non immerito cupiebas, eorum obliviſci poſſe, ut illo gaudio liquido ſinceroque frueretur. Habes igitur me adſtipulatorem ſententiae tuae: quod tu quanti facturus ſis, neſcio: ego ita demum a te non omnino parvi me fieri putabo, ſi me, quod tuo commodo fiat, talibus epiſtolis ſaepe provocaris. Interea, mi Victori, ſi quid vides, quod ego hic aut tua, aut tuorum cauſſa facere poſſim, fac ut ſciam; atque hoc pro certo habeto, tua omnia majori etiam ſtudio, quam mea, ſemper a me procuratum iri. Vale. Romae. VI. Non. Januarii. MDLXXIX.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

HERCULI CIOFANO.

LXXXIX.

Tua crebra ſunt tua erga me officia, ut ego, quia nihil adhuc cauſſa tua ex animi mei ſententia efficere potui, quoties de te cogito, (id quod facio ſaepiſſime,) totus pudore ſuffundar. Sed tanta his temporibus in urbe eſt ἀνοια conditionum, quae quidem ex uſu tuo eſſe poſſint, ut nunquam fuiſſe majorem putem. Video hic quotidie homines adoleſcentes optimo ingenio, amabiliſſimis moribus, mediocri utriusque earum linguarum, quae in pretio ſunt, intelligentia; qui, cujus domi vivant, reperire neminem poſſunt. Non defetiſcar tamen experiri, enitar, laborare, πάντα λίθον, ut Graeci dicunt, κινῶ, donec aliquam rationem reperero, qua nobis una vivere liceat. Remitto ad te orationes, quae mihi non magno uſui fuerunt. Liber eſt neque antiquus, neque deſcriptus ex alio quidem antiquo, & negligentiſſime ſcriptus. Ago tamen de eo tibi gratias ſane maximas. Priſcianum, qui mihi incredibiliter gratus fuit, ſpero, aut potius video, multo meliorem fore. Si frater Vincentii Stampae eos ad me libros, de quibus ſcribis, mittere voluerit, obſtrin-

get

juſtum exercet aliquando etiam in graves & moderatos viros. Cum igitur mecum multum jam de hoc quaeſiverim, exſpecto modo de ipſo judicium tuum; teque judicem hujus quaeſtionis ſtatuo; quem ob exquiſitam honeſtarum artium ſcientiam, magnumque uſum rerum, ſpero facile cognituram, an verum ego in hac re attigerim, ſive contra lapſus opinione fuerim, valdeque peccarim, qui temere a tanti viri auctoritate diſcedere auſus ſim. Vale. Florentia. VI. Kalend. Jan. MDLXXVIII.

LUDOVICUS CASTANAEUS RUPIPOZAEUS P. VICTORIO

S. P. D.

LXXXVIII.

Fontes quidem ipſi, quod dicitur, ſitiunt, Victori, cum tu, talis tantusque vir in hoc genere litterarum, de eo quod ipſe ſtatuiſti, cujusquam tibi ſententiam praeterea exquirendam putas. Sed ſi maxime aliquem quaerebas, qui de tuo judicio judicaret: ego tamen minime omnium adeam rem idoneus videri poteram, qui dicis tantum cauſſa, ut vos loquimini, haec ſtudia attingo: multisque ac gravibus curis impeditus exceptas tantum & ſubcivas horas eorum tractationi tribuo. Facile itaque adducor, ut credam, te magis ornandi mei cauſſa feciſſe, ut quaereres, quid mihi de tua Themiſtoclei dicti interpretatione videretur, quam quod me valde bonum talium rerum exiſtimatorem eſſe judicares. Sed tamen, ſi mihi quoque in veſtro eruditorum hominum ſenatu ſententiae dictio eſt, adſentior tibi, Victori, atque ita adſentior, nihil ut putem ſuper hac re verius aut ſapientius cogitari poſſe. Nam ut tu recte ratiocinaris, ſi omnia in animo Themiſtocli, quaecunque aut audierat, aut viderat, haerebant: poterat quidem deſpicere artem illam memoriae, ut ſibi minus neceſſariam; ſed nihil tamen erat cauſſae, cur artem praeterea requireret obliviſcendi. At cum gaudium, quod capiebat e rebus ſuis praeclare geſtis, contaminaretur recordatione eorum,

eorum, quae adoleſcens libidinoſe ac nequiter feceras, non immerito cupiebat, eorum obliviſci poſſe, ut illo gaudio liquido ſinceroque frueretur. Habes igitur me adſtipulatorem ſententiae tuae: quod tu quanti facturus ſis, neſcio: ego ita demum a te non omnino parvi me fieri putabo, ſi me, quod tuo commodo fiat, talibus epiſtolis ſaepe provocaris. Igitur, mi Victori, ſi quid vides, quod ego hic aut tua, aut tuorum cauſſa facere poſſim, fac ut ſciam; atque hoc pro certo habeto, tua omnia majori etiam ſtudio, quam mea, ſemper a me procuratum iri. Vale. Romae. VI. Non. Januarii. MDLXXIX.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

HERCULI CIOFANO.

LXXXIX.

Tam crebra ſunt tua erga me officia, ut ego, quia nihil adhuc cauſſa tua ex animi mei ſententia efficere potui, quoties de te cogito, (id quod facio ſaepiſſime,) totus pudore ſuffundar. Sed tanta his temporibus in urbe eſt δυσκολία conditionum, quae quidem ex uſu tuo eſſe poſſint, ut nunquam fuiſſe majorem putem. Video hic quotidie homines adoleſcentes optimo ingenio, amabiliſſimis moribus, mediocri utriuſque earum linguarum, quae in prętio ſunt, intelligentia; qui, cujus domi vivant, reperire neminem poſſunt. Non defetiſcar tamen experiri, enixi, laborare, πάντα λίθον, ut Graeci dicunt, κινῶ, donec aliquam rationem reperero, qua nobis una vivere liceat. Remitto ad te orationes, quae mihi non magno uſui fuerunt. Liber eſt neque antiquus, neque deſcriptus ex illo valde antiquo, & negligentiſſime ſcriptus. Ago tamen de eo tibi gratias ſane maximas. Priſcianum, qui mihi incredibiliter gratus fuit, ſpero, aut potius video, multo meliorem fore. Si frater Vincentii Stampae eos ad me libros, de quibus ſcribis, mittere voluerit, obſtringet

get me sibi memoria beneficii sempiterna. De Gellio, amabo te, da operam, ut noster sit. Sumptuum quidquid factum erit, statim tibi diligenter & cum fide curabitur. Sardum tuum, aut potius meum quoque, salutabis meo nomine diligenter. Velim, dum illic es, si qua ratione potes, Graeci sermonis saltem prima elementa perdiscas. Ex labore non magno magnos fructus, si feceris, capies. Mi Ciofane optime & suavissime, etiam atque etiam vale. XIV. Kal. April. MDLXIX. Ex urbe. Sardus ecquid litterarum a me acceperit, scire cupio.

M. ANTONIUS MURETUS

M. ANTONIO CIOFANO

S. P. D.

X C.

Tu vero neque mihi illiberalis visus es, neque videri unquam potes: neque tantum apud me pondus habere debuit abjectissimorum hominum cupiditas, ut quidquam de te suspicatus sim alienum a moribus & natura tua. Munus quidem tuum mihi, supra quam dici potest, gratum atque acceptum fuit: partem autem illius interceptam fuisse, antequam ad me pervenisset, ex tuis primum litteris intellexi. Factum quidem ab eis est sordide & illiberaliter, qui, si quid a me eo nomine amplius pecuniae postulassent, dedissem non invitus plus etiam, quam quanti erat, quo ipsi me fraudarunt. Sed in ea re est, quod tibi gratias agam, ut sane ex animo facio, valdeque cupio occasionem mihi aliquam objici declarandae voluntatis erga te meae. Ipsos propterea in judicium vocari nolim: objurgari modeste possunt: ut distent posthac, si possunt, esse fideliores. Ad Herculem fratrem tuum quod attinet, ego in eo amando vix tibi ipsi cedo. Itaque curabo & adjuvabo quacunque re potero, ipsius commoda; neque committam, ut ullum a me munus hominis vere amici, aut ipse, aut tu ullo aut loco, aut tempore desiderare pos-

positis. Interea peto a te, ut amare me pergas, & tibi plane persuadeas, te a me fraterne amari. Vale. x. Kalend. Maji. Romae. MDLXX.

EIDEM M. ANT. CIOFANO.

XCI.

Et ad litteras tuas, & ad versus suavissimi adolescentis Julii Roscii citius respondissem, si habuissem, per quem arbitrarer litteras meas ad vos perlatum iri. Cepi tandem hoc consilium, ut eas mitterem ad amicum quendam, qui mea causa eas perferret in seminarium ad Roscium; a quo spero has quoque tibi redditum iri. Eadem causa est, cur nihil rescribam ad litteras Germani illius, quas tu a Manutio tibi datas ad me misisti. Scribit enim ad me Roftochio, cujus ego oppidi nomen nunquam antea audiveram, neque ubi terrarum sit scio. Et alioqui, ut verum tibi fatear, non admodum libenter scribo ad homines ignotos; praesertim ortos in iis regionibus, ubi vulgo a recta & vera religione homines desciverunt. Vereor enim, ne imprudens ad aliquem πῶς μεμεσμένον litteras dem: cum quibus ego nihil mihi esse aut familiaritatis, aut commercii volo. Nec causa quidem ulla est, cur hoc quidem tempore, praesertim occupatus, respondeam ad litteras fratris tui, quibus mihi gratias agit, quod se Episcopo Sulmonensi commendandum curaverim. Ego semper, quae ad te, quaeque ad illum pertinebunt, studiosissime procurabo: neque in tanta nostra conjunctione ullus unquam gratiarum actioni futurus est locus. Manutium, si adhuc istic est, meis verbis salutes velim, eique adfirmes, invaletudinem ipsius mihi summo dolori esse: qui si forte animum induceret huc ad nos secedere, & nobiscum transigere hos aestivos calores, fortasse perciperet eandem utilitatem e salubritate coeli Tiburtini, quam multi alii capiunt: a me certe exspectare posset ea omnia officia, quae vetustissimae inter nos amicitiae & summis ipsius erga me beneficiis debentur. Salutabis etiam meo nomine optimum & eruditissimum hominem, Fulvium Cardulum: eique, quod adductus mea commendatione rationibus tuis consulere conetur, ex me quoque gratias ages. Plura scriberem: sed avocor. Vale. XI. Kalend. Sextil. MDLXX.

EIDEM

EIDEM M. ANT. CIOFANO.

XCII.

Gratulare mihi, Caesar valet: cujus invaletudo tantum mihi moerorem attulerat, quantum ego ipse nunquam credidissem. Mihi crede, non putabam eum tantopere a me amari. Fuit ille quidem ita propinquus, ut poëtae loquuntur, ἐγγὺς πόλαιο, ut jam jamque efflaturus animam videretur. Aliter Deo visum est, qui maluit eo conservato, quam sublato, sibi gratias agi. Potero nunc, (antea enim non poteram,) ad fratrem tuum scribere, eique ut decet, gratias agere, & de vasis quatuor, quae ad me misit, sane elegantibus & operis eximii, & de litteris amantissime scriptis. Interea tu, cum ad eum scribes, significabis ei, munus mihi fuisse gratissimum: purgabisque me, quod ad ipsum non statim scripserim. Nihil tunc aliud quam de Caesare cogitabam. Nunc quoque exspectandum est, dum hoc recens gaudium conquieverit. Ita sumus homines: & dolore, & gaudio aeque impedimur. Vale. Tibure. v. Id. Septemb. MDLXX.

M. ANTONIUS MURETUS

JULIO ROSCIO S.

XCIII.

Ex Elegiis, quas a te nuper accepi, dici non potest, quantum ceperim voluptatis: non tantum quia me laudabant, (etsi ἥδιστον ἀκούσματα ὁ ἔπαινος,) sed quia id elegantissime venustissimeque faciebant. Omnino multa mihi Hercules noster de ingenio tuo, deque praestantia in pangendis versibus dixerat. Sed tu eam opinionem, quam ego ex ipsius sermonibus de te conceperam, longe multumque superasti. Vere hoc tibi adfirmo, nullum a multis jam annis vidi aequalem tuum, quem tecum in hoc genere conferendum putem: neque dubito, si perrexeris, quin possis aliquando inter optimos hujus saeculi poëtas censeri, *Insignemque tuo capiti petere inde coronam, Un-*

de

de prius paucis velarint tempora Musae. Sin te, quod fore auguror, gravius aliquod studium, progrediente aetate, ab amoenitate poëmatum abduxerit: tamen te, mi Roscì optime & suavissime, hortor, ne Musas unquam plane deseras, neve unquam ita te addicas cuiquam illarum severioris, ut ita dicam, supercilii artium, ut non tibi identidem ex Musarum cantibus si nihil aliud, petendam certe graviorum cogitationum allevationem putes. Neque te hoc facturum esse diffido. *Μοῦσαι γὰρ ἔσυς ἰδὼν ἥμεναι παῖδας, Ἄχρι δίν πολίυς εἰσι ἀπήνυτοι φίλυι.* A me vero ut posthac omnia officia exspectes, quae ab homine amicissimo exspectari possunt, te etiam atque etiam oro. Cum istuc rediero, erit mihi gratissimum, si interdum ad me, quod modo permissu eorum fiat, apud quos educaris, ventites; meque ac rebus omnibus meis aeque libere utaris ac tuis. Spero autem, consuetudinem sermonesque nostros ad istam ipsam laudem, ad quam adspiras, consequendam tibi non prorsus inutiles fore. Vale, mi Roscì, tibique persuade, te a me plane in filii, & quidem *ἰψιμόν*, loco amari. XI. Kal. Sextil. MDLXX. Litteras, quas cum his accipies, peto, ut Ciofano, cum primum poteris, reddendas cures.

EIDEM ROSCIO.

XCIV.

In hac commutatione consilii de instituenda ratione studiorum tui, nihil me magis sollicitum habet, quam quod nescio, quos progressus in Graecis litteris feceris. Quarum sine mediocri saltem cognitione cave putes ad ullam doctrinae praestantiam perveniri. Eis si ita imbutus es, ut postis Aristotelem suapte lingua loquentem intelligere, ejusque etiam interpretes Graecos, sine cujusquam interpretatione Latina consulere, non invitus patiar te ad studia philosophiae gradum facere; etsi, ut verum fatear, Demosthenì, Thucydidì, Herodoto, Xenophonti, & hujus generis scriptoribus, praetereaque poëtis Graecis annum adhuc unum dari maluissem. Volo equidem, quicquid ages, prospere tibi ac feliciter evenire: sed tamen non committam, ut, si absque illo instrumento te ad philosophiam contuleris, dicere unquam

posſis, Muretum tibi ejus consilii auctorem fuisse. Neque haec a me ita disputantur, quasi tibi in iis litteris, quae humaniores dicuntur, consenescendum arbitrer. Longe semper ab ea sententia meus abfuit animus: sed tu & ea aetate es, ut properare non debeas: & eo ingenio, ut, si firma ac solida doctrinae fundamenta jeceris, ad summa omnia facile perventurus esse videaris. Nam quod ais, sine eloquentia multos ad summam amplitudinem pervenisse, sine sapientia neminem: verius dixisses, & sine sapientia, & sine eloquentia, & sine ullo vero bono multos ea, quae vulgo habentur amplissima, & olim consecutos esse, & quotidie consequi. De quibus constitueram hoc loco pluribus disserere: sed avocor. Tres enim hic habemus Cardinales, Augustanum, Varmiensem, Alciatum: qui mihi omne prope tempus eripiunt. Mi Rosci, ignosce occupationibus meis, & vale. Tibure. III. Non Octobr. MDLXX.

M. ANTONIUS MURETUS

HERCULI CIOFANO SULMONENSI

S. P. D.

XCV.

Accepi volumen orationum: de quo amo te, ut debeo, plurimum; eo simul atque usus ero, remittam. *Demere partem de solido die* apud Horatium, sine ulla dubitatione est *meridiari*, id est, ipso meridie horam unam aut alteram dormire: quod qui faciunt, diem quodam modo frangunt, ac dividunt, neque eum unum ac solidum & ὁλόκληρον esse patiuntur. Itaque is, qui demit partem de solido die, dicitur id facere, *nunc viridi membra sub arbuto stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae.* Et hoc ipsum Varro alicubi vocat *diem dividere.* De verbo *deducendi*, cur eo vim ullam significari putes, non sane video. Cleopatra quidem neque volens, neque invita in triumpho ducta est. At non est tamen dubium, neminem volentem θριαμβεύεσθαι. Nemo enim volens vincitur,

tur, aut poenas dat ei, adverſus quem bellum geſſit. Verſus tui non inſuaves ſunt: & erit mihi gratum, ſi te, cum licebit, in hoc quoque genere exerceas. Vale. Romae. IV. Id. Mart. MDLXXI.

P. GILBERTUS MALLOCIUS

M. ANTONIO MURETO

V. C. S. D.

XCVI.

Dupliciter ſum delectatus tuis litteris: & quod me ad amicitiam applicare, propiusque adjungere cupientem, tam humaniter, tamque benevole exceperis; & quod Franciſci Flehardi Epiſcopi noſtri cauſſam ita ſis amplexus, ut in ea juvanda, & conſilio tuo promovenda, non mediocrem naturae tuae bonitatem & humanitatem expreſſeris. Quae quidem de re, non ſolum apud me, qui tibi multa debere cupio: ſed apud illum quoque ſuosque omneis ſummam mirificamque gratiam iniiſti. Ille igitur, te admonente & hortante maxime, ſacris initiatus, in numerosque relatus eſt, ut, quae antea rebus abſolute perficiundis difficultas opponebatur, nunc penitus ſublata, ereptaque videatur: adeo ut ex poſtrema litterarum tuarum parte in ſpem certam venerimus, totam negotii iſtius explicandi rationem perfacilem jam fore atque expeditam. Quod totum prudentiſſimis tuis conſiliis, amantiſſimisque admonitionibus acceptum ferre volumus. Epiſcopum itaque noſtrum rurſus tibi commendare neceſſe non habeo: commendo tamen: hoc enim ad officium meum adeo pertinere arbitror, ut nunquam, niſi re perfecta & abſoluta, de illa & laborare & ſollicitus eſſe deſinere neque poſſim, neque debeam. Te vero vehementer oramus, obteſtamurque, ut, quemadmodum praeclare initia poſuiſti, ita in eadem voluntate perſeveres. Quod de te & ſperamus, & ſane confidimus. De turbulento rerum noſtrarum ſtatu nolo quicquam ad te ſcribere. Neque enim id ego praeſtare poſſum ſine moerore,

neque tu ſine ſummo doloris ſenſu intelligere poſſes. Satius eſt igitur res noſtras ſilentio involvere & obtegere: quae aliud nihil ſunt, quam bella infanda, neces, incendia, furta, rapinae, *ut uno verſu complectar omnia. Nolo enim tibi eſſe moleſtus in recenſendis particulatim noſtris miſeriis: tametſi non dubitem, te patriae quoque calamitatibus, etiam longe diſſitum, non mediocriter affici & commoveri. Neque enim ſolus Ulyſſes amans eſt patriae. Ad rem nunc redeo. Ego certe, Murete, vir clariſſime, niſi pro illo tuo tam propenſo ad me amandum complectendumque ſtudio, proque illa, quam de me habes, opinione tibi perpetuo devinctus, obſtrictusque permaneam, ingratus plane ſim, meique diſſimillimus. Quod nulla neque dies, nec anni efficere poterunt conſequentes. Extremum illud erit, ut Drachium ad nos, re peracta, laetum contentumque quam primum dimittas. Vale. Gratianopoli.* XII. *Kal. Octob.* MDLXX.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

SINIBALDO ANTONINO SUO.

XCVII.

In ſummis occupationibus meis, Sinibalde Antonine, quae me reſpirare vix ſinunt, legi tamen Dialogum tuum, & voluptatem longe maximam ex ejus lectione percepi. Delectarunt me argumenta & ingenioſe excogitata, & denſa, & vivo (ut ita dicam) ac ſpiranti orationis genere expreſſa. Itaque ut Pythagoram ajunt e modulo pedis, quanta corporis mole fuiſſet Hercules, judicaſſe: ſic & ego ex hoc brevi commentariolo facile de tui ingenii magnitudine ac praeſtantia judicavi. Amor autem erga me tuus, quem plane ſingularem omni ex parte declaras, noli quaerere, quantopere mihi gratus ac jucundus fuerit. Neque enim ullum unquam mihi majorem fructum vigiliarum, ac laborum meorum propoſui, quam ut a tui

a tui similibus amarer. Quare etsi non agnosco eas laudes, quas tu αὐτῷ τῷ θυλάκῳ, ut ajunt, in me congeris: summe tamen amo istum amorem, qui tibi homini tam acuto, ac perspicaci tenebras offuderit, eaque de me sentire, ac praedicare coëgerit, quae ne tu quidem, quamquam disertus es, alii cuiquam facile persuadere posses. Dialogum edas, censeo: nolo enim ita modestus videri, ut gloriae tuae mea modestia obstet. Auctor enim tibi sum, ut alta meditere, ac procudas: neque reformides obtrectatorum voculas: quae in proscenium prodeunti nonnihil fortasis molestae futurae sunt: ubi tibi semel ipse audientiam feceris, conticescent. Vale. Romae. Idib. Decemb. MDLXXVIII.

M. ANTONIUS MURETUS
JACOBO PONTANO,
E SOCIETATE JESU,
S. D.

XCVIII.

Quod ad te scribendi principium capiam, nescio: ita me pudet tam diu in aere tuo fuisse, & humanissime scriptis a te litteris nihil adhuc respondisse. Sed magna mihi spes est in facilitate & comitate tua, daturum te non gravate veniam occupationibus meis, quae me ita undique districtum tenent, ut erga plerosque amicos parum officiosum videri cogant. Magnam etiam metus partem mihi demit Franciscus Bencius, qui mihi omni adseveratione confirmat, ita te cupidum esse litterarum mearum, ut quicquid a me mittetur, in solutum acceptorus sis. Quod ego te, ut facias, Pontane optime, vehementer oro: idque ea lege, ut me posthac, (jam enim, ut spero, liberior ac solutior futurus sum,) copiosius tibi satisfacturum esse pollicear. Interea, quoniam δῶρα, ut ille ait, φίλοις πέμπω, mitto ad te, quo te facilius placem, λεπάδιον quoddam meum, & versus nescio quos illustratos notis

cujusdam familiaris mei. Hoc muhusculum, qualecunque est, peto a te, ut boni consulas, neque quanquam immerentem amare pergas. Vale. Romae. Id. Julii. MDLXXXIV.

EIDEM PONTANO.

XCIX.

Cur & tam rarus & tam brevis in scribendo sim, puto te ex Bencii nostri litteris cognovisse: cui cum promisissem heri, me hac nocte aliquid ad te scripturum: ita postea sum totam prope noctem acerbissimo sinistri pedis dolore vexatus, ut neque de legendo, neque de scribendo cogitare potuerim. Nunc albescente caelo, cum paullum se remiserit dolor, cuperem quidem scribere: sed quod scribam, hoc quidem tempore, nihil habeo, nisi te a me mirabiliter amari, quod tibi, etiam tacente me, dubium non esse arbitror. Utinam quidem esset aliquid, in quo id tibi re ac factis testari possem: sed quando aliter non licet, curabo, ubi quid scriptorum meorum edetur, ut ad te quam primum perferatur. Etsi hoc ipsum non video, cur aut tibi, aut cuiquam valde gratum esse debeat. Quid enim tale in scriptis meis inest, ut non satius sit vel nihil agere, quam eis legendis operam perdere? Obsequamur igitur studio vestro: ne, dum arrogantiae crimen effugere conor, hoc ipso in id incidam, si judicium meum judicio vestro anteponere voluero. Quid jam? quid scribam aliud? etiam, ut & tu, & quos istic habere diceris tui erga me amoris socios, hunc miserum senem precibus vestris Deo commendetis, atque ab eo petatis, ut, qui tot annis in vitiorum sordibus vixi, beneficio ipsius hac saltem extrema aetate aliquid efficere & edolare possim, quod & ad gloriam ipsius, & posterorum utilitatem pertineat. Vale, Pontane mi, vale, & me ama. Romae. XVI. Kalend. Jan. MDLXXXIV.

M. AN-

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBER SECUNDUS.

M. ANTONIUS MURETUS S. D. JUSTO LIPSIO SUO.

EPISTOLA PRIMA.

Nihil est aut te amabilius, aut litteris tuis dulcius: ad quas ego nudius tertius acceptas statim respondissem, si aut fuisset plus otii, aut statim responderi tua interfuisset. Cum & essem paullo, quam soleo, occupatior, & in unius diei mora nihil esse incommodi viderem, indulsi naturae meae, qui perspectam haberem facilitatem tuae. Desiderio tibi esse mutuam consuetudinem nostram, si vis me aperte ac simpliciter loqui, ut mea consuetudo fert, & ut nostra summa conjunctio postulat, gaudeo: quodque ipsi mihi admirabile videtur, ex molestia ipsa tua voluptatem capio. Nam neque tu, nisi me valde amares, tam iniquo animo ferres absentiam meam, & mihi nihil jucundius est, quam a te valde ama-

ri. I nunc, & dicito, verum esse illud Euripideum, ἡδὺ τοῦτο ἀλγῶν: cum duorum, qui certe inter se amicissimi sunt, videas, uni alterius aegritudinem esse jucundam. Cave tamen putes, minus a me sermones tuos requiri, quam a te meos. Hic enim etsi adfluimus omnibus deliciis, planeque Phaeacum vitam vivimus, ubi

—— εὐφροσύνη μὲν ἔχει πάσῃ δῆμον ἅπαντα,
Δαιτυμόνες δ' ἀνὰ δώματ' ἀκουάζουσιν ἀοιδοῦ,
Ἥμενοι ἑξείης, παρὰ δὲ πλήθουσι τράπεζαι
Σίτου καὶ κρειῶν.

nemo tamen est, qui iisdem, quibus nos, studiis delectetur: ut jam verear, cum istic rediero tam diu a Musis & a litteris omnibus peregrinatus, ne quis vestrum, quibus adsidue in libris versari licet, mihi illud occinat, ξεναρέα πάντα χρόνῳ δὲ τὸ βαρβάριος. At tu, mi Lipsi, si me audis, hominem si non valde prudentem, certe quidem insigniter amantem tui, obdura, & noli tam cito de Roma relinquenda cogitare. Mihi crede, *Iste tibi quondam laetitiam feret labos.* Conventum esse a te Manutium meum, gaudeo, & talem repertum, qualem ego tibi eum saepe descripseram. Hoc tibi liquido confirmare possum, eum virum bonum esse, φιλόφιλον, & studiosissimum bene faciendi quam plurimis. Quare auctor tibi sum, ut te, quantum potes, insinues in illius consuetudinem. Cogitabam de eodem oleo & opera ad Plautum nostrum scribere: sed alio vocor. Interea salutabis eum meo nomine, &, ut coepisti, reddes quotidie tua consuetudine doctiorem. Cras ad eum scribam. Bene vale, mi suavissime Lipsi. Tiburi. XII. Kalend. Septemb. MDLXIX.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS
S. D.
JUSTO LIPSIO SUO.

II.

Neque enim puto aut malevolorum rumuſculos, aut tenues quasdam & obſcuras ſuſpiciones tantum potuiſſe, ut meus eſſe deſieris, cum ego plane ſim tuus. Quod inter amantes ſolet, zelotypia me quaedam inceſſerat, quod alios quosdam, de quibus inter nos ridere interdum & jocari ſolebamus, & qui certe te, cum hic eſſes, non ex aequo mecum amabant; ſi verum audire vis, ne nunc quidem amant, qui ex eis ſuperſtites ſunt: eos igitur ſubiniquo animo ferebam, a te & ſaepius & honorificentius quam me, prae quo illos contemnere ſolebas, nominari. Sed miſſa haec faciamus. Electorum tuorum χώρια mirifice mihi placuit. Cetera exſpecto, & cum Saturnalia, tum multo etiam magis de vita ac ſcriptis Senecae; quem ut accepero, in eodem te genere, ut potero, remunerabor. Illis, quae ais in undecimo meo (*) aliorſum ab iniquis capi poſſe, medere, ut vis (†). Sin fortaſſe inte-

Reſpondet, opinor, ſaltem aliqua ſui parte, epiſtolae ſequenti; quam adeo praeſtabat huic anteponere. Certe juvabit, eam, & quae annotavimus, prius legere. Ceterum ad idem, quod hic agitur negotium referendae libri III. epiſtolae duae, 79. & 80 quanquam repugnare videatur annus epiſtolae 80. adſcriptus. Σφάλμα enim aliquod ibi agnoſcas. Ego, ut liberum eſſet cuique amplius deliberare, in ea temporum notatione nihil mutavi. *Thomaſ.*

(*) Subaudi *Variarum Lectionum libro.* Cujus cap. 1. parum abeſt, quin manifeſte litterarii plagii in ſe commiſſi accuſet Lipſium Muretus. Et vero hanc ab ſe maculam poſtea Lipſius abſterſit, licet Mureti nomen civiliter diſſimulans, capite ultimo ſecundi Electorum. Quod quidem opus, quo tempore ultro citroque mittebantur hae epiſtolae, nondum prodiiſſe integrum, ipſae declarabunt. *Thomaſ.*

(†) Sudabat per ea tempora Variarum Mureti altera editio jam quindecim conſtans libris, cum initio non niſi octo (reſpice ad lib. III. epiſt. 79.) prodiiſſent, ſub prelo Plantini. Hic undecimi libri caput parum jucundum ſibi Lipſius viderat. Jubet ergo nunc Muretus, ipſe pro lubitu mutet in eo, quae diſplicerent. *Thomaſ.*

tegrum non est, omitte sane istam curam. Ego ante tres aut summum quatuor menses efficiam, ne quis aut de voluntate mea erga te, aut de judicio dubitare possit (*). Ni fecero, tum tu sane de me, ut de homine parum bonae fidei, conqueritor. Amemus inter nos, mi Lipsi, eo constantius, ut urantur ac ringantur isti, qui amicos esse nos nollent. Quaeso de tuarum omnium rerum statu fac me, cum primum poteris, certiorem. Vale, mi Lipsi, cujus ego nunc suavissimum os intueri mihi videor. VI. Idus Febr. Romae. Litteras tuas Kalendis ipsis Februarii accepi, ne me tardiorem fuisse in rescribendo putes: neque antea fuit tabellariorum copia.

M. ANTONIO MURETO

S. D.

JUSTUS LIPSIUS.

III.

Causa mihi scribendi nata ex tuis ad Plantinum litteris: quas cum gaudio vidi, cum motu animi legi. Vel in manu tua conspecta laetabar: quanto magis in hoc animo, & tam insigni testimonio amoris? quem si a quoquam mortalium, a te certe volo. Ita adolescens judicavi, ita nunc, consensum quendam esse conspirantis judicii nostri & naturae. Qui ad conjunctionem, quaeso te, valeat, non ad aemulationem, aut, quod pudet me dicere, simultatem. Et fuere tamen improbi homines, qui id sperarent: a quibus

(*) Ubi, aut quomodo praestiterit hoc Muretus, quaerendum amplius. Suspicabar aliquando, ipsum correxisse quaedam in illo variarum capite, antequam excuderetur. Sane vero legimus in eo magnificas Lipsii laudes. Verum nihil nunc definio, ac dubito potius, an unquam hoc promisso steterit Muretus. Quicquid fit, non fuisse Lipsio satisfactum, dubitare nos non finit extremum ejus caput Electorum. *Thomas.*

bus alia quaedam ad me delata olim, non nego (*): sed vana, falsa, ut nunc video; & quibus caput, homines non professi solum, sed utrique nostrum infesti. Ea, per communes Deos Deasque, oblitèrenius, mi amice: & beneficiis inter nos certemus, non querelis. Electorum librum (†) jam nunc vulgavi: paro Saturnalium sermonum, & de vita ac scriptis Annaei Senecae. Quem nec invitus ad te miserim; quasi vadem amicitiae coeuntis & saneſcentis. Etsi quid in ea aegrum? nec aliud peccatum utrinque, quam cessationis, & amicitiae, ut sic dicam, inusu. Quod ipsum emendemus. Viximus amicissime una, vivamus porro, & moriamur. En ego ille, cujus ingenium & os coram probasti: nec amorem absentis requires profecto, aut fidem. Te ut eundem sperem, faciunt paucula, sed impressa & signata epistolae tuae verba: quae ruminor identidem & examino, ut solent amantes. Vale. Lugduni in Batavis, ad magnum & fine terminis mare. III. *Kal. Decemb.* MDLXXI.

(*) Cum his conferenda, quae scribit Lipsius ad Bencium Cent. I. Epist. LII (cui quidem adscriptus annus, nescio an recte, MDLXXXIV) *M. Ant. Muretum - amo aestimoque. Mirus prompte id offendo, quia multa in me ab illo non amica. Quo meo merito? Tacitum edidi, quid ego? an illius? Quae hic injuria est, si campum eundem famae decurri sine fraude? &c* Atque ad Tacitum Lipsii ea quoque pertinent, quae Muretus in Lipsium stomachatur Undecimo Variarum, de quo ad epist. praeced. lit. a. *Thomas.*

(†) Duo leguntur Electorum libri Lipsiani. Sed quo tempore scripta haec fuit Epistola, non nisi unus e prelo Plantiniano exierat, in altero adhuc occupatis operis. Itaque primum hunc Muretus, aut fortasse particulam tantum ejus aliquam sibi missam a Plantino, (vide lib. III. Epist. LXXIX.) epistola praecedente non nisi χεῖρας vocat Electorum. *Thomas.*

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS HIERONYMO MERCURIALI S. P. D.

IV.

Cum tuae litterae (*) ad urbem allatae ſunt, Tibur jam omnes, ut nos quotannis facere ſolere ſcis, ſeceſſeramus. Eo illas accepi biduo, aut triduo ſerius. Tibure autem, neque Hippocratem habebam, neque Gellium, exſpectandum denuo fuit, dum Roma arceſſerentur. Allatis, ecce tibi aliud incommodum. Corripit me febricula, non illa quidem, ut eventus poſtea docuit, periculoſa: ſed quae tamen animum nonnullo metu ſuſpenſum ab omni ſcribendi cogitatione avocaret. Haec ideo, ne mireris me ad tuas tardius reſpondere. Locus eſt ex libello περὶ τροφῆς. σὺν ἴσῃ, γίνεται ἢ σὺ τύπτειν καὶ πάλιν, καὶ ἀλάστων. Huc ego addebam illa ex Gellio, aut potius pro illis, σὺν ἴσῃ καὶ ἴσῃ, ſupponebam illa, ἴσῃ ἢ καὶ σὺν ἴσῃ ἐκπέμπῃ γίνεται. Quodſi tibi quoque ita videtur, non dubito, quin verum ſit; ſin tu ſecus judicas, nunquam mihi dubium erit, quin tua ſententia verior ſit. Semper enim non in his modo rebus, quarum tua propria poſſeſſio eſt, ſed in omni litterarum genere, judicium tuum libentiſſime anteponam meo. Vale, meque ama, & certo tibi perſuade, te a me mirifice & amari, & coli. Tibure. Kal. Sept. MDLXX.

(*) Conſuluerat Mercurialis Muretum per litteras de quodam Hippocratis loco in libro περὶ τροφῆς, quem ipſe Mercurialis e Gellii lib. III. c. XVI. cum jam ſanaſſet, ex Puteano intellexit, medicinam illi jam factam a Mureto fuiſſe. Vide Mercurialem lib. IV. Var. Lect. c. X. (cui & hanc Mureti reſponſoriam adjunxit.) & Muretum ipſum XV. Var. XII. Nam hinc Epiſtolae praeſenti lux erit. *Thomaſ.*

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS HUB. GIPHANIO S. D.

V.

Litterae tuae, ſupra quam dici poteſt, mihi gratae fuerunt: cum enim jam pridem te valde amarem, mirifice cupiebam animum illum meum tibi notum eſſe, non dubitans, fore, ut vicisſim abs te amarer. Sed ad eas idcirco ſerius opinione tua reſpondeo, primum quia eas quoque ſero admodum accepi, hoc eſt, Kalendis Januariis ipſis: in quo mihi viſum eſt etiam ineſſe aliquod laetum ac proſperum omen, ut ſpem vel ex eo aliquam conceperim, totum hunc annum, (τὸν θεῷ δ' ἀρέσαντα,) mihi fauſtum ac felicem fore. Deinde tentare volebam, num quid, antequam reſcriberem, de Gellio, quale tu cupis, efficere ac praeſtare poſſem. Sed nihil adhuc repertum eſt, quod quidem ſit magni pretii. Spes adhuc una reliqua eſt, in bibliotheca Cardinalium Farneſii & Sforzae, quas nondum excuſi: id quod, noli dubitare, quin diligenter facturus ſim, cum primum per occupationes meas licuerit: quae ſane & multae ſunt, & eo moleſtiores, quod alienae ſunt ab omni genere litterarum. Sed multa ferenda ſunt iis omnibus, qui coguntur aliena, ut ille ait, vivere quadra. Tu vero, mi Giphani, qui & ingenio excellis & doctrina abundas, & ea es aetate, quae ſit labori ferendo, perge, ut facis, aliquid aſſidue elaborare, quod & tibi gloriae ſit, & nobis ac poſteris uſui. Nam de Lambino quidem nihil video cauſſae, cur ejus obtrectatio deterrere te, aut abducere a ſtudio debeat. Ille in te fuit, qui in alios ſolet. Et, ita mihi omnia, quae cupio, eveniant, ut ego valde mirabar, ſi tibi eum impune laudare licuiſſet. Ita enim homo eſt: eis ſolis plurimum invidet, quibus plurimum debet. Quomodo me acceperit, noſti: quantum autem mihi debeat, & ipſe & alii plurimi norunt. Tu vero pro uno frigido obtre-

M. ANTONIUS MURETUS HIERONYMO MERCURIALI S. P. D.

IV.

Cum tuae litterae (*) ad urbem allatae ſunt, Tibur jam omnes, ut nos quotannis facere ſolere ſcis, ſeceſſeramus. Eo illas accepi biduo, aut triduo ſerius. Tibure autem, neque Hippocratem habebam, neque Gellium, exſpectandum denuo fuit, dum Roma arceſſerentur. Allatis, ecce tibi aliud incommodum. Corripit me febricula, non illa quidem, ut eventus poſtea docuit, periculoſa: ſed quae tamen animum nonnullo metu ſuſpenſum ab omni ſcribendi cogitatione avocaret. Haec ideo, ne mireris me ad tuas tardius reſpondere. Locus eſt ex libello περὶ τροφῆς. οὐκ ἴσα, γίνεται ἢ τὸ τάχιστα καὶ πλέω, καὶ ἐλάσσω. Huc ego addebam illa ex Gellio, aut potius pro illis, οὐκ ἴσα καὶ ἴσα, ſupponebam illa, ἴσα ἢ καὶ οὐκ ἴσα ἐκπέμπεσθαι γίνεται. Quodſi tibi quoque ita videtur, non dubito, quin verum ſit; ſin tu ſecus judicas, nunquam mihi dubium erit, quin tua ſententia verior ſit. Semper enim non in his modo rebus, quarum tua propria poſſeſſio eſt, ſed in omni litterarum genere, judicium tuum libentiſſime anteponam meo. Vale, meque ama, & certo tibi perſuade, te a me mirifice & amari, & coli. Tibure. Kal. Sept. MDLXX.

(*) Conſuluerat Mercurialis Muretum per litteras de quodam Hippocratis loco in libro περὶ τροφῆς, quem ipſe Mercurialis e Gellii lib. III. c. XVI. cum jam ſanaſſet, ex Puteano intellexit, medicinam illi jam factam a Mureto fuiſſe. Vide Mercurialem lib. IV. Var. Lect. c. X. (cui & hanc Mureti reſponſoriam adjunxit.) & Muretum ipſum XV. Var. XII. Nam hinc Epiſtolae praeſenti lux erit. *Thomaſ.*

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS HUB. GIPHANIO S. D.

V.

Litterae tuae, ſupra quam dici poteſt, mihi gratae fuerunt: cum enim jam pridem te valde amarem, mirifice cupiebam animum illum meum tibi notum eſſe, non dubitans, fore, ut vicisſim abs te amarer. Sed ad eas idcirco ſerius opinione tua reſpondeo, primum quia eas quoque ſero admodum accepi, hoc eſt, Kalendis Januariis ipſis: in quo mihi viſum eſt etiam ineſſe aliquod laetum ac proſperum omen, ut ſpem vel ex eo aliquam conceperim, totum hunc annum, (τὸν θεῷ δ' ἀρέσαντι,) mihi fauſtum ac felicem fore. Deinde tentare volebam, num quid, antequam reſcriberem, de Gellio, quale tu cupis, efficere ac praeſtare poſſem. Sed nihil adhuc repertum eſt, quod quidem ſit magni pretii. Spes adhuc una reliqua eſt, in bibliotheca Cardinalium Farneſii & Sforzae, quas nondum excuſi: id quod, noli dubitare, quin diligenter facturus ſim, cum primum per occupationes meas licuerit: quae ſane & multae ſunt, & eo moleſtiores, quod alienae ſunt ab omni genere litterarum. Sed multa ferenda ſunt iis omnibus, qui coguntur aliena, ut ille ait, vivere quadra. Tu vero, mi Giphani, qui & ingenio excellis & doctrina abundas, & ea es aetate, quae ſit labori ferendo, perge, ut facis, aliquid aſſidue elaborare, quod & tibi gloriae ſit, & nobis ac poſteris uſui. Nam de Lambino quidem nihil video cauſae, cur ejus obtrectatio deterrere te, aut abducere a ſtudio debeat. Ille in te fuit, qui in alios ſolet. Et, ita mihi omnia, quae cupio, eveniant, ut ego valde mirabar, ſi tibi eum impune laudare licuiſſet. Ita enim homo eſt: eis ſolis plurimum invidet, quibus plurimum debet. Quomodo me acceperit, noſti: quantum autem mihi debeat, & ipſe & alii plurimi norunt. Tu vero pro uno frigido obtre-

obtrectatore, habiturus es innumerabiles, qui te ac labores tuos laudibus in caelum ferent. Sed haec alias. Peto a te, ut me ames: neque de mea erga te propensissima voluntate dubites. Plura scriberem: sed urguet hic amicus meus, vir bonus, & litteratus, quo nomine eum a te quoque humaniter excipi volo. Is cum statim discessurus esset, vix ad haec ipsa scribenda satis mihi temporis dedit. Quare ignoscas etiam, si quid forte minus accurate scriptum erit. Quaeso te, scribito aliquid ad Berzevicaeum nostrum, & significato ei, multum accessisse ad veterem meam erga eum benevolentiam, quod conciliator fuerit amicitiae nostrae: Item illud, me paucis diebus ad ejus litteras (*), quas una cum tuis accepi, copiosissime responsurum. Saluta etiam mihi diligenter clarissimum virum, Paulum Foxium, Oratorem regium, qui quando tanti me esse duxit, ut me ad scribendum, litteris suis excitandum putaverit, mirari non debebit, si quando ego honorifica ipsius appellatione scriptum aliquod meum exornare non verebor. Mi optime & eruditissime Giphani, etiam atque etiam vale. Romae. Prid. Id Jan. MDLXIX.

EIDEM GIPHANIO.

VI.

Pudet me tam sero ad litteras tuas rescribere: sed vellim, qua humanitate es, ignoscas occupationibus meis, non magnis illis quidem, sed multis tamen & molestis, quaeque me interdum cogant magno cum meo dolore minus erga amicos officiosum esse, quam vellem. Impetravi tandem librum a Fulvio, qui (ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν) minime respondit exspectationi meae. Nam neque totus est ille noctium Atticarum scriptor, neque quod est, valde diligenter scriptum est. Contuli quicquid erat accuratissime ipsemet cum meo Gryphiano anni MDXLVI. Quod aliter quam vulgo reperi, id omne tibi hic cum fide repraesentabo. Primum igitur moneo, librum Fulvii σύμμικτα quaedam esse ex Gellio sive Agellio, & ex Valerio Ma-

(*) Hae sunt, opinor, quae leguntur supra lib. I. Epist. XLI. quanquam ibi *Bellovicejus* exaratur, non *Berzevicaeus*. *Thomas.*

Maximo, ita ut alternis ſingulis Agellii capitibus ſingula Valerii ſubjuncta ſint. Idque nullo certo ordine. Graeca nusquam comparent, niſi paucis admodum locis, idque ubi una tantum aut altera vox Graece ſcripta erat. Jam tu facile potes conjicere, librum non valde magni pretii eſſe. Antiquus tamen videtur. Ac ne te diutius ſuſpenſum animi reneam: quid in eo a vulgatis editionibus diſcrepet, accipe. Scriptoris nomen ita in eo libro fere notatur *AG.*, ſemel tantum omnibus litteris *Agellius*. Sed ſcis in Pandectis Pantonium eſſe pro *P. Antonio*, Cafraniam pro C. *Afrania*, ut quidem nonnulli putant. Sic Maurelium aut Maurilium dixerunt, qui erat *M. Aurelius*. Sed hoc tu videris. Jam enim clamat Lambinus, indocte atque inſcienter facere, qui hunc ſcriptorem Agellium vocent: itaque verendum eſt, ne det aliquam pugnam denuo. Ego quidem Priſcianum veterem habeo, in quo aperte & conſtanter vocatur Agellius. Habeo & alia quaedam argumenta non infirma, quibus adducor, ut exiſtimem rectius Agellium vocari, quam A. Gellium. Ἀλλὰ ταῦτα ὑμῖν μελήσει. Cap. XVII. libri primi: *irarumque & moleſtiarum.* liber vetus: *rerumque & moleſtiarum.* Eodem: *Satyra, Satura:* ita etiam alibi ſaepe. *lepido quidem*, ſcr. *lepide quidem.* Cap. XIX. *deſiperet, riſit: deriſit. appoſuit, apponit. deusſit, deurit. reliquos ſex an eodem*, &c. illud *an* abeſt a libro vetere. Cap. XX. Graeca omnia Latinis litteris notata ſunt, praeter illa in extremo μῖκρᾶ ἀπλατής. In eodem *metae triangulae.* & in fine *inlatabile.* qualia poſthac non notabo; ut neque illa, *adferre, adponere*, non ut vulgo, *afferre, apponere*, & ſimilia, quae vix unquam aliter ſcripta in libris veteribus reperias. Cap. XXIII. *ſcriptaque eſt a M. Catone. venuſtate atque lure. cum haec dictavi. Tum cum in ſenatú. percunctata eſt filium.* Ita ſemper hoc verbum ſcribit, non, ut vulgo quidam, *percontari. Tum puer matre urguente. utrum videretur utilius. quid ſibi poſtulatio iſthaec vellet. ne introeant praeter ille unus Papirius.* (hoc verum puto) *in aetate praetextae prudentiam.* Cap. XXIV. *poſtquam mortem adeptus Plautus.* (hoc quoque fortaſſis rectum ſit.) Cap. XXV. *Induciis mannſum aliquo.* Ego, *menſum. Ceſſationem iſtam pugnae pacticam. iis pacti cauſa. non pugnetur, nihilque incommodetur.* Cap. XXVI. *poſt cotidianas lectiones.*

Ita

Ita fere ſemper ſcribit, non *quotidianas*, etſi hoc quoque modo interdum. *In ipſius commentariis. neque jam querimoniam aut gemitus hejulatusque. Non ita eſſe Plutarchum, ut philoſophum deceret. in hoc age.* ἀφηγήσεις & ἀναλήψεις.

LIBRO SECUNDO.

Cap. I. *ad fortuitas patientiae vices firmandi, id quoque* &c. *Valitudine.* Ita ſemper, ut &, *benivolus & malivolus. Quae in belli Peloponneſiaci principiis ipſam Ath. civ. internecivo gerere.* Cap. VI. *Nonnulli ex Grammaticis. A timidos nautas. Omnia jam vulgata*, hae tres voces abſunt a libro vetere. *Inlaudati.* & ſic ſemper. *non laude ſolum indignus, ſed detetione.* Ego ſuſpicor legendum, *deteſtatione. ſqualentem*, ſemper, non, ut vulgo, *ſquallentem. quam jacere, unde id verbum*, &c. *aut vento aut pulvere laborare videmus.* duae poſtremae voces abſunt a libro vetere. *Hannibal* (ſic ſemper) *M. Tullius* IV. *in Verrem, non ut ab hoſte. Nemo quisquam tam efflictis eſt moribus;* ἰσως, *efflictis. Inlaudatus quoque igitur finis eſt, &c. Sic in actionibus civilibus aut laudari dicitur, qui eſt nominatus.* Recte autem ſcripſiſti, legendum ibi eſſe, *auctor. Illaudabilis & innominabilis*, duae poſtremae voces abſunt. *Dianae Eſeſiae.* Sic & *Favorinum*, non, *Phavorinum*, & alia quaedam eodem modo. *auro & purpura praetextae.* Cap. VII. *Omnia quae pater imp. parendum. Super ea prius quae dicta ſunt, ut acceſitum venire. Catilina aliquo aut Tubulo. Non ergo eſt integra propoſitio dicendum.* Ego, *dicentium.* Cap. XXI. *procedentis noctis ſpatio. Sed ego, inquit, cum Laelio.* Lego autem, *L. Aelio. triones ruſtico cetero vocabulo, elegantisque eſſe viſum.* Cap. XXII. *Atque etiam appetebamus. regionesque eſſe caeli quatuor. Septemtriones. Japyx & Japygem* ſemper per litteram *y. Sed qui ab activa & ſolſtitiali meta venit. Africus, qui Graece* λιψ, *unum meridionalem ventum. Sunt qui pro octo* XII. *faciunt, tertios quatuor in media*, &c. *Cur medie ſeptentriones eadem*, &c. *in ſuis quisque regionibus, quem ſaeviſſimum putant. Apuli eodem quo ipſi ſunt nomine,* λεγει φε αυτον ως ο καικιας νιφων. Ego, ἔλεγεν ἐφ' ἑαυτῶν ὡς ὁ καικίας νιφών. Vocem καικὰ omnino delendam puto, neque

neque. ſane eſt in illo vetere. Cap. XXVI. *aliter oſtrum, aliter crocum, nihil a vocabulo rufi differunt, in iis tamen colorib. q. m. d. denominandis. Nam phoeniceus q. t. G. φοινικεα dixiſti, & rutilus, & ſpadix phoeniceι συνώνυμα. Laſſitudinemque minuam. Rudibus autem eſt rufus atrior, & nigrore multo inuſtus. Luteus contra rufus color eſt dilutior. Unde ei quoque* &c. *Noſtris autem veteribus Caeſia, quod in verſu H. eſt id facis.* Cap. XXIX. *neque imperioſe. iret cibum quaeſitum. idcirco die craſtini, miſit qui amicos roget. Mater jubet eos animo otioſo eſſe. Sol fervit, & fit nihil. & dies amici nulli erant.* Ego legendum puto: *Sol fervit, & fit nihil, it dies, amici nulli erant. Vos modo, inquit, advertite. In ipſo enim jam vertitur, cuja eſt res, non aliunde petitur. migravit. ſeges a domino* &c. *levi plerumque & inani fiducia.* Sperabam me quae reliqua ſunt perſcripturum. Sed interpellor. Ea tamen, ſine ulla dubitatione, intra quatriduum mittam. Ac ſi quid aliud eſt, quod me tua cauſſa poſſe arbitrere, peto a te, mi Giphani, ut tibi plane perſuadeas, te mihi ex animo cariſſimum eſſe, neque omnia, quae ad te pertinebunt, ſemper ſtudioſe ac diligenter procuraturum. De locis, quos emendaſti in epiſtolis Ciceronis, auctor tibi ſum, ut eos ad Manutium mittas. Et tibi ad eam rem operam meam dico. Spero eum, ut eſt vir bonus, non diſſimulaturum eſſe, quid a quo acceperit. Vale. Romae XVII. Calend. Jan. MDLXIX. Clariſſimo Oratori, quaeſo, ut plurimam ſalutem meo nomine impertias.

EIDEM.

VII.

Riſi, conferens Lambiniana cum tuis: & praeter ea, quorum tu indicem ad me miſeras, alia etiam complura reperi. Tu, quae ab illo in puteum (*) illum merſa ſunt, cum tibi commodum erit, in lucem extrahas, tibique vindices, cenſeo. Quod me laudat, vellem tam merito id

(*) Alluſio ad nomen *Puteani*, ad quem Lambinus alicubi, ne Giphaniam neceſſe haberet nominare, provocaverat. Repete lib. I. Ep. LXXVI. lit. n. *Thomaſ.*

id faceret, quam olim immerito notavit. Equidem possum, mi Giphani, ostendere tibi, si hic sis, litteras ipsius manu scriptas, quibus mihi gratias agit de locis quibusdam sibi explicatis, quos ipse postea quaestus est a me sibi subreptos esse. Et eas litteras diligenter adservo, non ut edam, neque enim tanti esse duco, sed ut ostendam interdum amicis, si quando de me & Lambino sermo incidit. A me quidem sibi metuere non debet. Nunquam natura contentiosus fui; & nunc quotidie magis *Lenit albescens animos capillus.* Tua potius causa verendum est, ne a quopiam audiat, Ω γέρον, ἦ μάλα δὴ σὺ νέου τέρπεο μαχάων. Sed haec omittamus. De *Tubulo*, ita plane in Fulvii libro omnibus litteris scriptum est. Cap. XIII. l. I. neque quod divulgatum est placet, neque conjectura tua, (quod venia tua dictum sit,) mihi explet animum: praecipue cum statim sequatur: *Tum magister ἀχριτόμυθος.* Cogitandum igitur, si quid melius in libro Fulvii, scito, non tantum primum caput libri primi, sed omnia omnino, in quibus nihil notatum a me videbis, desiderari. Libri moles est perexigua: & in eo ipso admista, ut dixi, Valerii Maximi capita prope pari numero. *Orchio* ibi scriptum est, non *Orcivo.* Libri secundi caput decimum in eo libro non est. De scriptoris nomine exspecto quae polliceris. De praenomine Nepotis nihil habeo, nisi quod semper suspicatus sum ex C. Cornelio Nepote, librarios, qui eandem litteram bis ponere laboriosum putarent, fecisse Cornelium. Saepe hoc ita commissum scio. Quae reliqua sunt in Gellium, superest, ut exsolvam. Illud mihi molestum est, quod eorum librorum, quos tu maxime requiris, vix πολυσημείωτον quoddam est in Fulvii libro. Cap. v. lib. III. *Arcesilaum.* Sed hoc praetereundum erat ad te scribenti, & talia postea omittentur. *Incorruptus tamen & a stupro integer. Nam quum vocem infractam prioribus an posterioribus.* Cap. VI. *in* VII. *problematorum.* Cap. IX. *memoria atque ammiratione* Sic saepe scriptum reperias. *Colore puniceo, florea & comanti juba Argos evertisse, cupidineque habendi. Eum Cassium postea s. n est, victis partibus f. q. e. f. misera morte oppetiisse.* Cap XV. *Polycritan Is Diagoras tris filios. eos omnes vidit. Cum populus gratulabundus, ibidem in stadio, in osculis atque in manibus, non diu post eam pugnam exanimata est.* Post hunc locum usque ad librum

no-

novum nihil est in illo libro vetere. In libros sequentes quaedam sunt, pauca quidem, sed in iis tamen quaedam non contemnenda. Ea, si voles, ad te mittentur, simulque, si quid erit aliud, quo hoc tuum institutum a me adjuvari posse arbitreris. Vale. Romae. Prid. Kal. Jan. MDLXIX.

HUB. GIPHANIUS

M. ANTONIO MURETO

VIRO ERUDITISS.

S. D.

VIII.

Vellem, Murete, V. C. ea esse tempora, ut litteris nostris liber esset commeatus; haberem fortasse, de quibus ze vel consulerem interdum, ut quendam velut [illegible], vel ut amicus commonefacerem. Nunc quae sint vides. Itaque consilium cepi, quantum potest, temperare scriptionibus & litteris, maxime ad longinquos. Quod tamen institutum ut jam migrarem, fecit Jacobus Zelenius, familiaris meus, cui haec ad te dedi. Is enim in Italiam hinc profecturus, cum magnopere mevogaret, ut sibi ad te, quem jam diu colit, quasi viam & aditum munirem: amico optimo exiguum hoc litterarum officium negare nec potui, nec debui. Eum igitur toto pectore tibi commendatum esse capio, adolescentem, mihi crede, suavissimis moribus, & elegante doctrina expolitum, omniumque doctorum hominum observantissimum: genus enim domi nobile, multisque ad laudem insignibus viris clarissimum omitto. Exspectas autem fortasse & de Agellio nostro aliquid: sed & eum, & alia nostra remorantur, cum occupationes nostrae cotidianae, tum librariorum hoc in loco inopia. Juris quoque Civilis, in qua & explanando & respondendo toti versamur, quasi rigor, & Musae, ut poëta vetus eas vocat, severiores, sive, ut Fortunatianus loquitur, duriora juris scripta, vix patiuntur, ut in humanitatis illa valut vireta

ſaepe exſpatier. Ne tamen me putes aut vale humanitati & politis illis Criticorum ſtudiis plane jam dixiſſe, aut eorum ſectam Conſultorum ſequi, quorum utinam barbara modo eſſet oratio, (ferri enim ea quoquo modo poſſet: quanquam & veſtis honeſta matronam nobilem ornet ac deceat,) & non Juris ipſius, ac rerum, totiusque fere ſcientiae civilis noſtrae magna ignorantia, atque perturbatio de qua & tute jam pridem eleganter in oratione quadam diſeruiſti: quare ne his me vitiis affinem exiſtimes, parerga nunc accipe ex iis quaedam, quae in ipſas Lectiones tuas quaſi praeteriens aliquando notavi:

Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quo te imitari aveo,

ut Carus ait. Vidiſti acute lib. VI. *lect. cap.* XVI. *locum illum Ciceronis* II. *de Divinat.* Totas noctes ſomniamus, neque ulla fere eſt, qua non dormiamus: & miramur, aliquando id quod ſomniamus, evadere? *eſſe mendoſum. Qui tamen ita fortaſſe reſcribendus eſt:* Neque tamen ulla fere eſt, qua non; Et miramur, &c. *ut*, ν', qua non, *praeciſe ſit poſitum: pro eo, quod*, qua non ſomniemus. *Non vero ita, ut tu putas;* totas noctes dormimus, neque ulla fere eſt, qua non ſomniemus, &c. *id enim a vetere ſcriptura longius aberrat: & noſti, ob orationes conciſas quam ſaepe in veterum ſcriptis peccatum ſit. Agitur de ſomniis, & non de ſomno: quamvis & illa in ſomnis. Illum autem locum pro Archia:* Quodſi non hic tantus fructus oſtenderetur: & ſi ex his ſtudiis delectatio ſola peteretur: tamen, ut opinior, hanc animadverſionem humanisſimam ac liberalisſimam judicaretis. *Alii aliter, tu lib.* XII. *lect. cap.* XV. *ita emendas:* hanc animi adverſionem. *Vide, quaeſo, ne ita rectius,* hanc humanisſimam: *hanc, nempe delectationem & voluptatem. Saepe enim his articulis,* hanc, illam, *& ſimilibus non adjungitur nomen aliquod, ſed prius adlatum tacite repetendum intelligitur, ut apud Senecam epiſt.* XCV. At illam habentem praecepta plurimum ait proficere; *ubi delendum illud,* habentem praecepta: *nam ibi non de paraenetica, ſive, ut Seneca, praeceptiva, ut Cicero in lib. de Offic. loco vulgo non intellecto, quae in praeceptis poſita eſt, parte philoſophiae, ſed de theoretica agitur.*

Si

&c. & pro Ligario: Valeat vox illa tua, quae dicit, *&c. id*, quae dicit, *perſpicue ſpurium. Ejusdem libri tui cap.* I. *in his verbis Senecae lib.* I. *de Benefic. Nemo* beneficia in Kalendario ſcribit: nec avarus exactor ad horam & diem creditorem appellat: *mendum eſſe recte admoniſti, atque pro* creditorem, *fortaſſe legend.* debitorem, *quomodo & jam pridem Briſſonius lib.* I. *de verb. ſignif. illum ipſum locum adducit. Haec enim cognata, ſive potius inter ſe relata vocabula*, magis & minus, emptor & venditor, conductor & locator, debitor & creditor, *migraſſe interdum alterum in alterius locum videntur, quod & Jacob. Cujacius obſervavit lib.* I. *cap.* X. *& lib.* IX. *cap.* VII. *Cui tamen d. l. ſi in emptione. D. de contrah. empt. & l.* XVIII. *ſolutione. D. ad exhibend. cur non adſentiar, iisque in legibus nihil mutandum putem, alio in loco explicabo. Hoc autem in loco Senecae, etſi* a debitorem *non improbo, omitti tamen utrumque poteſt, &* creditorem & debitorem, *ſed intelligi debitorem; ut verbum*, appellat, *praeciſe & abſolute ibi ſit poſitum. Quod autem ad eum locum Cic. attinet lib.* II. *de finib. bon. de quo & tu lib.* VI. *cap.* XX. *& Turneb. alique laborant*, Reſplendeat his veſtis argentum, odrilitium, locus ipſe, aedificium, &c. *eum ita emendandum puto*: veſtis, argentum, locus ipſe: *reliquis inductis, aut certe ita*: Veſtis, argentum, aurum, locus ipſe, *ut* odrilitium *ſit depravatum ex* oro *ſive* auro. *Paulo ante apud Cicer. haec*, quibus vinum defuſum e pleno ſit Hirſiphon, ut ait Lucilius, cui nihil jus & facculos abſtulerit, *portenta potius quam verba*, (*quae tamen ita exarata ſunt in libris manuſcriptis*,) *aliter Paulo Manut. aliter Joſ. Scaligero in append. ad conject. in Varr. mihi ita*, e pleno ſit inophoro, ut ait Lucilius, cui nihil facculus abſtulerit, *fortaſſe inquam ita*, (*nam & ipſe dubito*,) *reſcribenda videntur.* Inophorum *certe, vel, ne mentiar*, inoforum *in vet. lib. reperio*, *nunquam* oenophorum. *Et recte. Romani enim veteres Graecum* οι, *non modo* oe *Latinum, quod vulgare ut* Demoe, Edeatroe (*ſic enim legendum puto apud Feſtum*) Adelphoe *Terentii, de quo & tu in Terent.* Clarumenoe *apud Plaut. &* Canephoroe *apud Cicer. Verrin. de quibus nos ad Lucret. ſed etiam interdum aut in* o *nudum, ut in* poëta, poëma, dioceſis, & diocetes *apud Cic. pro Rabirio Poſth. ubi an-*

antea mendose Diogenes, & Parochia. παροικία, vocab. Eccleſiaſt. (falluntur enim, & omnium ſcriptorum, etiam Juſtiniani & Theodoſ. Codicum exemplaribus antiquiſſimis repugnant, qui nuper ſcribere coeperunt dioeceſis & dioeceres, paroecia & parpecus, quos mitor eadem ratione non ſcribere poecta, & poemna, poeſis) interdum in I merum vertebant, ut videre eſt in iconomus, quod contra uſum veterum quidam hodie mutarunt in oeconomus, ut & Alciat. admonuit lib. IX. Paterg. c. III. in hodidocus apud Feſtum, id eſt, graſſator qui Graece ὁδοιδόκος, Inomaus apud Oroſium in lib. vet. qui a Graecis οἰνόμαος: & in Cimiterium: ſic enim Latine a veteribus Chriſtianis ſcriptum id fuiſſe, quod Graece κοιμητήριον, vetera monumenta confirmant. unde & Acimitenſe monaſterium in l. inter claras C. de SS. Eccleſ. dicitur; quod a Graecis ἀκοιμήτων. Solent ſcilicet Romani Graeca vocabula paululum variando ſua ſaepe facere, nec iisdem ea aut litteris aut ſyllabis ſemper admetiri, ut Ulixes ex Ὀδυσσεύς: Exanclare, & anclare apud Feſt. ex Graeco ἐξαντλεῖν, & ἀντλεῖν: non at vulgo jam ſcribunt exantlare: quod exanclandi verbum & tu contra Lambinum recte vindicaſti, lib. XIII. cap. XVII. alia aeque ejusdem modi: de quibus alibi. Quod qui non obſervant, Latinam linguam mire perturbant; iidemque & elogium, de quo & tu in Lect. optimum licet vocabulum & bonae quaſi monetae, aut civitate Romana, tanquam lege Papia, plane exterminant; aut varie nunc in eclogium, nunc in ellogium, nunc in eulogium mutant; & epiſtolam ſcribunt, Graecorum more, invitis omnium ſcriptorum libris antiquiſſ. etiam marmoreis monumentis, in quibus conſtanter epiſtula, & elogium extat. Atque haec quidem de meis in tuas Lectiones cerulis quibusdam ac notis. In quibus ſi quid erit tale, quod in acceptum referendum putes: videbis, in quem quid expendas: ne & his accidat quod nuper Themiſtae noſtrae apud Cicer. & Ennio item noſtro apud Agell. lib. XII. c. IV. de quibus diligenter olim ad te ſcripſeram, contigit. ſibi loquor. Sed de his alio fortaſſe loco planius, & plura. Nunc, ut modo dixi, de me ſatis multa. A te autem Lectionum quidem libros plures non ita pridem accepimus, omnis elegantiae refertos: ſed quod inter nos liceat, (ſoli enim ſumus,) poſtulantur jam a te & φιλοσοφήματα quaedam, & a Nobilio politiſſ. philoſopho, qui aliqua jam dedit, plu-

ra.

ra. *Atque adeo accepi non ita pridem ab idoneis hominibus, te jam paratas habere explicationes librorum aliquot Platonis & Aristotelis Politicorum: quae graviores scriptiones huic quoque & aetati tuae jam maturiori, & personae, magis convenire videntur. Ajunt & Eunapii historiam, quae in Vaticana bibliotheca adservatur, curare te describendam: quod idem & Redingerus noster D. Thomas V. C. magno sumptu jam pridem coeperat: sed conatum ejus mors interrupit. Tu si & Politica illa scholia tua, & Eunapium, etiam Theodoriti epistulas, quarum insigne volumen in eadem Bibliotheca, Herveto teste, supereſt, aliaque veterum scripta divulges, bene, mihi crede, de repub. mereberis. Eorum namque opera cum reipub. utilior, tum etiam ad laudem ipsorum diuturnior mihi semper visa est, qui veterum scriptorum praeclaras curas & commentarios aut in lucem ipsi proferunt, aut ab aliis divulgatos vel eruditis scholiis explanant, vel, ut emendatiores sint, elaborant Emendatus enim liber est vice commentarii. Vale, vir doctissime, & salve.* A. MDLXXXIII.

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

M. ANTONIUS MURETUS PAULO MANUTIO S. D.

EPISTOLA PRIMA.

Qui possum paria paribus? &, si pergis, clamabo me circumveniri. Nae tu, mi Manuti, δεινός τε εἰ καὶ τὰ ἄλλα καὶ μάλιστα ἐπιστολικός, qui cum ad me eas epistolas quotidie mittas, quales post Ciceronem nemo fecit praeter te, tamen delicias facis, & perinde loqueris, ac si meae, quas ego popularibus verbis, quasi crassiore filo, contex-

Respondet Manutio partim ad appendicem lib. III. epist. v. *Scripsi litteris*: partim ad epistolam sequentem: *Tu vide cui*: ut appendix illa videri queat male ab epist. VI. ad V. translata esse. Legitur alioquin haec praefens & in Epistolis Clarorum p. 293. sed nec integra, & male consuta cum partibus duabus alienis, altera epist. XVII. altera epist. XI. libri I. *Thomas.*

textas, ne relegere quidem, quae mea pigritia est, soleo, cum tuis ullo modo conferri debeant. Equidem, qui, ubi cum quibusdam me aliis confero, adulor interdum ipsemet mihi: & quia, quam non Latine alii loquantur, animadverto, videor mihi paullo, quam illi, longius in hac facultate progressus esse: idem, vel te audiens, vel scriptum a te aliquid legens, hastas, ut dicitur, abjicio: & nedum eum putem esse me, quem tu facis, non modo inter principia, sed ne inter impedimenta quidem, ullum mihi relinqui posse arbitror locum. Μακάριος εἶ σὺ πείσας τὴν εὐγλωττίαν, μακάριος καὶ ἡμεῖς, οἵσπερ ὑπὸ σοῦ ἀπέφηνεν ἄσον ἀπολουφθῆναι, οὐ μὰ ἀλλά γε συμβίβασε τὴν σὴν καὶ λόγον λαβεῖν ἐμιλίας, καὶ σὺν ἀναξίους δοκεῖν φιλίας. Sed de his satis. De re Bononiensi, ut plane tibi assentior, ita vota facio, ut Sigonius noster petat. Nam neque Bargaeum descensurum puto; alios, si qui erunt, facile ab illo superatum iri confido. Mihi quidem quid magis in optatis sit, quam ut id eveniat, quod tu mihi amice, (utinam etiam vere,) auguraris? Neque video sane, si ille decesserit, quid mihi impedimento esse possit. Fruamur igitur hac spe: quae sive rata erit, paullo tollemur altius: sive fefellerit, non tamen omnino jacebimus. De Philopono noli laborare, ego istic, si Deus volet, intra quatuor aut quinque dies futurus sum: absens non video, cui possim satis commode id negotii dare. Vale, mi Manuti, vale, & me ama. VIII. Kal. Septemb Patavio.

EIDEM MANUTIO.

II.

Quod te a curis omnibus acquiescere in mearum epistolarum elegantia ac suavitate dicis, agnosco humanitatem tuam: neque tamen ita me ignoro, ut in meis quicquam posse reperiri elegantiae putem. Scribo enim ad te sine ulla cura, quicquid in solum, ut dicitur, & dum tibi animi mei sensus aperiam, quibus id verbis faciam, non laboro. Quod eo dico, quia scrupulum quendam injeciisti mihi nuper in sermone, cum significares, te epistolis tuis, si quando eas divulgares, velle admisceri quasdam etiam ad te meas. In quo tu etiam atque etiam vide, quid agas. Nam ego quidem nihil unquam, (ita tu

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBER TERTIUS.

M. ANTONIUS MURETUS PAULO MANUTIO S. D.

EPISTOLA PRIMA.

Qui possum paria paribus? &, si pergis, clamabo me circumveniri. Nae tu, mi Manuti, δεινός τις εἶ καὶ τ' ἄκρα καὶ μαλακὰ νήματος, qui cum ad me eas epistolas quotidie mittas, quales post Ciceronem nemo fecit praeterea, tamen delicias facis, & perinde loqueris, ac si meae, quas ego popularibus verbis, quasi crassiore filo, contex-

Respondet Manutio partim ad appendicem lib. III. epist. v. *Scripsit litteris*: partim ad epistolam sequentem: *Tu vide cui*: ut appendix illa videri queat male ab epist. VI. ad V. translata esse. Legitur alioquin haec praefens & in Epistolis Clarorum p. 293. sed nec integra, & male confuta cum partibus duabus alienis, altera epist. XVII. altera epist. XI. libri I. *Thomas.*

textas, ne relegere quidem, quae mea pigritia est, soleo, cum tuis ullo modo conferri debeant. Equidem, qui, ubi cum quibusdam me aliis confero, adulor interdum ipsemet mihi: & quia, quam non Latine alii loquantur, animadverto, videor mihi paullo, quam illi, longius in hac facultate progressus esse: idem, vel te audiens, vel scriptum a te aliquid legens, hastas, ut dicitur, abjicio: & nedum eum putem esse me, quem tu facis, non modo inter principia, sed ne inter impedimenta quidem, ullum mihi relinqui posse arbitror locum. Μακάριος εἶ σὺ πάντως τῆς εὐγλωττίας, μακάριος καὶ ἡμεῖς, οἵσπερ οὐδὲ σὲ ἀπόντα ἔστιν ἀποστερῆσαι, οὐ μὴν ἀλλά γε συμβέβηκε τῆς σῆς καὶ λαλούσης ἡμῖν λαλιᾶς, καὶ σὺν ἀνεξίοις δοκεῖν φιλίας. Sed de his satis. De re Bononiensi, ut plane tibi assentior, ita vota facio, ut Sigonius noster petat. Nam neque Bargaeum descensurum puto; alios, si qui erunt, facile ab illo superatum iri confido. Mihi quidem quid magis in optatis sit, quam ut id eveniat, quod tu mihi amice, (utinam etiam vere,) auguraris? Neque video sane, si ille decesserit, quid mihi impedimento esse possit. Fruamur igitur hac spe: quae sive rata erit, paullo tollemur altius: sive fefellerit, non tamen omnino jacebimus. De Philopono noli laborare, ego istic, si Deus volet, intra quatuor aut quinque dies futurus sum: absens non video, cui possim satis commode id negotii dare. Vale, mi Manuti, vale, & me ama. VIII. Kal. Septemb Patavio.

EIDEM MANUTIO.

II.

Quod te a curis omnibus acquiescere in mearum epistolarum elegantia ac suavitate dicis, agnosco humanitatem tuam: neque tamen ita me ignoro, ut in meis quicquam posse reperiri elegantiae putem. Scribo enim ad te sine ulla cura, quicquid in solum, ut dicitur, & dum tibi animi mei sensus aperiam, quibus id verbis faciam, non laboro. Quod eo dico, quia scrupulum quendam injecisti mihi nuper in sermone, cum significares, te epistolis tuis, si quando eas divulgares, velle admiscere quasdam etiam ad te meas. In quo tu etiam atque etiam vide, quid agas. Nam ego quidem nihil unquam, (ita tu

me ames,) memini ad te scribere, quod non dicam editione, sed lectione magnopere dignum putarem. Sic enim scribo ad te, non quasi ad unum aetatis nostrae hominem doctissimum, & linguae Latinae intelligentissimum, sed tanquam ad amicum arctissima mihi necessitudine & familiaritate conjunctum, apud quem in loquendo non modo peccare impune liceat, verum etiam, si quis magnam diligentiam in eo ponat, ut ne peccet, is eo ipso peccare videatur. Itaque ne relegere quidem soleo, quae ad te mitto. Tuo tamen arbitratu. Scio enim, te meae laudi aeque favere ac tuae: neque vero mihi fumo, ut in hac re, aut omnino ulla in re plus videam, quam tu. Sed de his satis, aut etiam plus satis. Obsecro te, quid est, quod tu, quod apud me Catulli reliquum est, id biduo ad te mitti petis? an non satis est, dum ne tuis in mora sim? quanquam faciam equidem, quod voles: sed neque mihi, neque tibi expedire istam celeritatem puto. Chartas quinque una cum his litteris accipies. Cetera, ubi voles, parata erunt. De Hieronymo tuo valde equidem miror, & (vere ut dicam) vix consilium in ea re tuum laudare possum. Tantillum puerum tam procul ablegari? neque te navigatio commovet, quae concutere ac dejicere etiam homines confirmatae ac corroboratae aetatis solet? Mihi crede, valde commoveor: amo enim puerum illum insigniter, tum quia tuus est, tum quia mirifice festivus. Et mihi venit in mentem, quae ille jam pericula miserrimus subierit, paene prius in vitae discrimen adductus, quam sentire posset, quid jucunditatis esset in vita. Deum tamen caelestesque omnes ex animo comprecor, ut fortunent, quod agis. Et aliud, quod scribam, nihil est, & Molinus noster me admonet, redeundum esse ad Catullum. Nihil igitur addam, nisi ipsius nomine plurimam tibi salutem. Etiam Herculem tuum nostro utriusque nomine plurimum ut salutes, a te petimus: quanquam equidem est, tibi, Hercules, quod succenseam. Tene, cum hic esses, semel tantum ad me adiisse, neque postea rediisse amplius? Itaque ut te ulciscar, nihil adhuc ad eas litteras, quas a te plenissimas suavitatis accepi, respondeo. Curavi tamen, ut id, quod petebas, ad te mitteretur. Valete ambo, nosque amate ambos. Patavio. A. D. XIV. Kal. Maji. Nolo enim facere quod tu, qui interdum pro Majo Aprilem,

pro

pro x. xvii. potis. Itaque interdum videor mihi accipere litteras tuas xx. diebus ipsis, postquam scriptae sunt, interdum contra, sex aut septem diebus, antequam scriptae sint, perferuntur. Iterum vale.

EIDEM MANUTIO.

III.

Heri respondi ad eas litteras, quas a te pridie acceperam, simulque misi ad te chartas aliquot Catulli. Ego strenue urgeo: sed vix credas, quam multa quotidie incidant, quae cursum impediunt meum. Omne tamen obstaculum atque omnem impeditionem facile superat studium tibi obsequendi meum. Cras exspecto a te, quantum typis descriptum erit. Est etiam aliud, quod mihi a te curari pervelim. Lambini interpretatio librorum de moribus valde a me desideratur: & scis me, quam sim in hoc genere impatiens. Vel ignotorum hominum libros ita ardenter appetere soleo, ut omnis mihi celeritas tarda esse videatur: nedum hoc carere possim, qui & hominis amici est, & habet perfrebram perque honorificam mentionem mei. Misi ad Valgrisios, qui emerat: caussati sunt, nondum esse absolutum. Ego autem illos mentiri scio. Nam Lambinus ipse ad me, jam antequam istinc discederet, scripserat absolutum esse. Neque vero exputare possum, cur negent. Obsecro te, mitte aliquem de tuis, qui emat, ita tamen, ut ne me nominet. Ego mox ad te pecuniam, quanti emptus erit, mittam. Commodum haec scripseram, cum ad me Aldus suavissimus cum magistro. Quid quaeris? mi Manuti, beasti me: neque quicquam mihi jucundius facere poteras. Nihil illo puero festivius; nihil ingeniosius; nihil amabilius; nihil ardentius in studio virtutis ac litterarum. Quanta in sermone suavitas! quanta indoles in ipso vultu ac motu corporis: ut in summa ingenii celeritate parem modestiam facile agnoscas. Itaque feres hoc aequo animo: spero eum aliquando & patre & avo majorem ac celebriorem futurum. Ne vivam, si non ex animo loquor. Hoc tantum in summa laetitia, quam ex ejus adventu cepi, aspersit mihi nonnihil molestiae, quod senex ipse cum febri venit. Itaque duos hospites libentissime vidi:

di: tertiam illam, quae se comitem adjunxerat, libenter exclusisem. Curabitur uterque eorum ea diligentia, ut intelligant, hanc quoque domum tuam esse. Vale, & salve a Molino. Patavio.

Scriptam esse dixerim hanc Epistolam XI. Cal. Maji, h. e. pridie, quam scriberet eam, qui libri I. est VI. *Si Pegas*: ut adeo hae duae conjungendae videantur. *Thomas.*

EIDEM MANUTIO.

IV.

Ardeo iracundia, eo magis, quod vereor, ne culpam esse in me aliquam putes, quae nulla est. Dii me atque homines oderint, si unquam in vita ullam mihi majorem hausisse videor acerbitatem. Neque nunc quid agam, aut quid cogitem, aut quid consilii capiam, scio. Quartus hic est dies, cum illa quinque folia, quorum me ipsa recordatio discruciat, tabellariis data sunt. Sed nescio quo fato, insciente me, cum ceterae litterae meae recta domum ad te mitti solerent, haec missae ad tabernam librariam Valgrisiorum. Qui si te & me prodiderunt, eaque perfide ac malitiose interverterunt, maximam malam pestem eorum capiti precor; ut contra Deum ipsum oro & quaeso, si quid in hac re a me aut malitiose, aut negligenter factum est, ut me omnibus pessimis exemplis multatum velit. Si quid culpae est, a Lepido est: quamquam hujus ipsius nullam fuisse culpam, certo scio. Quod ego te, mi Manuti, per genium tuum, perque illam maximam & sanctissimam conjunctionem nostram, quam ego semper summa fide & colui, & colam, obsecro & obtestor, primum ut credas, nihil a me commissum esse, cur ulla vel levissima culpae suspicio in me haerere debeat; deinde, ut hoc tibi persuasissimum sit, tantum me ex hac re dolorem percepisse, quantum neque ferre moderate, neque ullo modo exprimere possum. Crastinae tunc litterae me aut recreabunt, aut conficient. Nam si

Respondet Manutio ad ejus lib. III. Epist. XVI. *Tu vide*: quae quidem ad nos non videtur pervenisse integra. *Thomas.*

folia illa ita tempori recuperata sint, ut tu nihil ex ea re detrimenti ceperis, reviviscam: sin secus acciderit, non dubito, quin ex dolore in gravem aliquem morbum incidam. Filius tuus heri mane discessit una cum magistro. Uterque a me pro viribus amice & diligenter curatus est. Visus est mihi plane deposuisse illam animi ferocitatem, quae aliquando, ne una cum aetate accresceret, subverebar. Tentavi etiam, sed leviter, quos progressus fecisset in litteris. Vis aperte tecum fabuler? Visus est mihi doctior magistro suo. Sed cum cogito, litterae tuae me conturbant. Scribis enim, ut ad te de filiolo tuo aliquid scribam, quasi antea nihil scripserim: deinde respondes de libro Lambini. Atqui ego, quibus litteris ad te de Lambini libro scripseram, iisdem de filiolo tuo scripseram multa. Itaque hunc nodum non possum dissolvere. Nam quod ad finem joculariter scribis, nos aliquid esse, quibus neque Tirones, neque Alexides (*) desint: ad id ego nunc respondere nolo: neque enim jocari in tanta animi perturbatione possum. Tu sine dubio felicior & sapientior: cui etiam curis impedito, tamen quod rideas, venit in mentem. Mi Manuti optime & amicissime, etiam atque etiam vale. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

V.

Quam paene furvae regna Proserpinae
Et judicantem vidimus Aeacum!

Licet enim jam canere depulso metu. Sed tamen, quidquid dicat puer Lepidi, negligentia ipsius origo hujus molestiae fuit: quod e meis hesternis litteris aliqua ex parte intelligere potuisti. Sed quando res omnis in vado est, desinamus, ut ille ait, querelarum. Alexin tu mihi invides? At mihi nunquam in mentem venit, ut Tironem tibi inviderem. Et hic Alexis ipse quam diu tuus

(*) Tiro Ciceronis amanuensis fuit, Alexis Pomponii Attici. Alexidis autem nomine Molinium, Tironis Herculem Podocatharum designat, illum Mugerq, hunc sibi a manibus. *Thomas.*

di: tertiam illam, quae se comitem adjunxerat, libenter exclusissem. Curabitur uterque eorum ea diligentia, ut intelligant, hanc quoque domum tuam esse. Vale, & salve a Molino. Patavio.

Scriptam esse dixerim hanc Epistolam XI. Cal. Maji, h. e. pridie, quam scriberet eam, qui libri I. est VI. *Si Pegas*: ut adeo hae duae conjungendae videantur. *Thomas.*

EIDEM MANUTIO.

IV.

Ardeo iracundia, eo magis, quod vereor, ne culpam esse in me aliquam putes, quae nulla est. Dii me atque homines oderint, si unquam in vita ullam mihi majorem hausisse videor acerbitatem. Neque nunc quid agam, aut quid cogitem, aut quid consilii capiam, scio. Quartus hic est dies, cum illa quinque folia, quorum me ipsa recordatio discruciat, tabellariis data sunt. Sed nescio quo fato, insciente me, cum ceterae litterae meae resta domum ad te mitti solerent, hae missae ad tabernam librariam Valgrisiorum. Qui si te & me prodiderunt, eaque perfide ac malitiose interverterunt, maximam malam pestem eorum capiti precor; ut contra Deum ipsum oro & quaeso, si quid in hac re a me aut malitiose, aut negligenter factum est, ut me omnibus pessimis exemplis multatum velit. Si quid culpae est, a Lepido est: quamquam hujus ipsius nullam fuisse culpam, certo scio. Quod ego te, mi Manuti, per genium tuum, perque illam maximam & sanctissimam conjunctionem nostram, quam ego semper summa fide & colui, & colam, obsecro & obtestor, primum ut credas, nihil a me commissum esse, cur ulla vel levissima culpae suspicio in me haerere debeat; deinde, ut hoc tibi persuasissimum sit, tantum me ex hac re dolorem percepisse, quantum neque ferre moderate, neque ullo modo exprimere possim. Crastinae tuae litterae me aut recreabunt, aut conficient. Nam si

Respondet Manutio ad ejus lib. III. Epist. XVII. *Tu vide*: quae quidem ad nos non videtur pervenisse integra. *Thomas.*

folia illa ita tempori recuperata sint, ut tu nihil ex ea re detrimenti ceperis, reviviscam: sin secus acciderit, non dubito, quin ex dolore in gravem aliquem morbum incidam. Filius tuus heri mane discessit una cum magistro. Uterque a me pro viribus amice & diligenter curatus est. Visus est mihi plane deposuisse illam animi ferocitatem, quae aliquando, ne una cum aetate accresceret, subverebar. Tentavi etiam, sed leviter, quos progressus fecisset in litteris. Vis aperte tecum fabuler? Visus est mihi doctior magistro suo. Sed cum cogito, litterae tuae me conturbant. Scribis enim, ut ad te de filiolo tuo aliquid scribam, quasi antea nihil scripserim: deinde respondes de libro Lambini. Atqui ego, quibus litteris ad te de Lambini libro scripseram, iisdem de filiolo tuo scripseram multa. Itaque hunc nodum non possum dissolvere. Nam quod ad finem joculariter scribis, nos aliquid esse, quibus neque Tirones, neque Alexides (*) desint: ad id ego nunc respondere nolo: neque enim jocari in tanta animi perturbatione possum. Tu sine dubio felicior & sapientior: cui etiam curis impedito, tamen quod rideas, venit in mentem. Mi Manuti optime & amicissime, etiam atque etiam vale. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

V.

Quam paene furvae regna Proserpinae
Et judicantem vidimus Aeacum!

Licet enim jam canere depulso metu. Sed tamen, quidquid dicat puer Lepidi, negligentia ipsius origo hujus molestiae fuit: quod e meis hesternis litteris aliqua ex parte intelligere potuisti. Sed quando res omnis in vado est, desinamus, ut ille ait, querelarum. Alexin tu mihi invides? At mihi nunquam in mentem venit, ut Tironem tibi inviderem. Et hic Alexis ipse quam diu tuus

(*) Tiro Ciceronis amanuensis fuit, Alexis Pomponii Attici. Alexidis autem nomine Molinium, Tironis Herculem Podocatharum designat, illum Mugeto, hunc sibi a manibus. *Thomas.*



ita dubitatione, quocunque tu duxeris, sequar. Ac ita quoque res agitur: tanta est nostra conjunctio, ut, quicquid alteri boni malive accidit, id ab altero alienum esse non possit. Vel hos igitur, vel si quos alios habes, quos nugis meis magis oblectatum iri putes. Miratus sum tam longam epistolam tua manu: non enim sum nescius, quantum tibi incommodet scriptio. Itaque in summa voluptate, quam ex ea capiebam, (est enim sane facunda, planeque tua) illud mihi doloris nonnihil afferebat, quod cogitabam de oculis tuis. Sed profecto vel ex eo perspicitur vis amoris erga me tui, qui, quod nolim, quantam e tuis litteris hauriam suavitatem, ut ea me expleas, ne oculis quidem parcis, quos nobis carissimos esse natura voluit. Equidem etsi manum tuam ita amo, ut nullam aeque aliam: tamen nihil mihi videtur longius, quam dum ille ad te amanuensis venerit. De epistolis tuis, video quid agas: mihique jam videre videor illum diem, cum ut illius (*) ad Caelium, sic tuus ad Mursenum liber exstabit. Nam illud quidem nimium esset, ut Caelii ad illum, sic amiculi illius tui inseri unum. Quod ego neque spero, neque ut quidquam, nisi quod tibi videbitur, facias, peto. Quatuor illas, quas petis, prope diem habiturus es: ad eas enim describendas, operam mihi suam Molinus noster ultro detulit. Quod autem videris subdubitare, ecquid ego eas asservaverim; obsecro te, usque eo tu me aut negligentem, aut barbarum & inhumanum putasti, ut eas perire sinerem? In meis ita negligens sum, ut nemini cedam: quae a te veniunt, praesertim paullo accuratius scripta, ea habeo θησαυρίσματα. Catulli reliqua exspecto. Sed mehercule valde vos istic properatis: dicendum enim est. Daedaleo mihi, ut Plautus loquitur, remigio opus fuerit, si praeire vobis velim. Intendam tamen cursum, quantum potero, & deficiam prius, quam defatiger. Vale. Molinius tibi salutem, ut solet. A. D. III. Kal. Maj. Patavio.

(*) Aptior esset comparatio, si, ut Caelii ad Ciceronem, sic etiam Ciceronis ad Coelium epistolarum liber exstaret. Nunc liber II. ad Diversos paucas tantum ad Caelium epistolas habet, easque aliis ad Curionem, Canium, Thermum, &c. admixtas.

EIDEM MANUTIO.

VII.

Epistolam meam tibi probari gaudeo: eo magis, quod, ne secus accideret, verebar. Scripseram enim raptim, neque ipse mihi magnopere satisfeceram: nunc te fretus, ceterorum judicia non extimescam. Nam quod caelum Italicum mihi profuisse dicis, est omnino in eo aliquid: sed multo mihi plus tua consuetudo profuit; neque mirum est, si tecum assidue versans, colorem aliquem eloquentiae contraxi. Quare si ex animo mihi gratulatus es, quod ego ita esse, quia cupio, credo: gratulare potius tibi ipsi, qui tales habeas discipulos. Tibulli principium, quod a me requiris: videlicet προφανῶς ἐν αἰνίγμασι. Jam enim aliquot dies sunt, cum ad te misi duo prima folia. Tertium cum his litteris accipies: cetera καθ' ἑαυτόν. Ama me, & vale. Epistolas tuas, ut diligenter custodiam, admonendus non sum: sed & describendas curabo. V. Id. Maj. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

VIII.

Et ardeo incredibili studio omnia tibi prolixissime pollicendi, & vereor, ne incensus cupiditate obsequendi tibi plura promittam, quam postea praestare possim. Illud tibi omni adseveratione confirmo, me manibus pedibusque obnixe (*) operam daturum, ut aliquid navem, quod tu probes. Sed te quaeso, Manuti optime & amicissime, noli plura a me exigere, quam vires ferant. Quae si pares essent aut animo meo, aut opinioni tuae: nihil requireres, quo observantia in te mea illustrior foret. Sed haec alias. Nunc te orabo, (quod tamen tuapte sponte te facturum fuisse arbitror, ut earum rerum, de quibus nuper ad me scripsisti, impressionem differri jube-

(*) Imo, *enixe*. Vide quae de harum vocum discrimine diximus ad Vellej. Pat. I. 9.

jubeas, dum certius a me & exploratius aliquid accipias. Interim illae priores imprimi poterunt: & ego praeterid, quod una cum his litteris accipies, cras ad te aliquid aliud mittam: neque patiar operis, quod agant, decsse. Si nihil aliud, certe in aliquot Propertii obscuriores locos scholia quaedam elaborabo. Vale. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

IX.

O praeclaram epistolam tuam! Itaque mihi senium est, dum eam typis descriptam videam. Heri eo ad te non scripsi, quod ternae litterae Bononiam scribendae erant: & alioqui nihil inciderat epistola dignum. Hodie accepi litteras a Sigonio, quas ipsas ad te mitto, ut meum gaudium solide gaudeas. Cras mittam ad te versuum meorum partem, id est, elegias, & aliquot epigrammata: cetera ἀφεξῆς. Quid jam? quid scribam amplius? nihil, nisi ut me ames: quod tamen te facere, mihi jam pridem exploratissimum est. Herculi nostro plurimam salutem. Vale, quantum usquam est hominum, homo optime & integerrime. Puto fore, ut hodie ad te iterum scribam. Etenim duo fratres adolescentes nobilissimi, ita ut inter domum ipsorum & domum Re iam arctissima affinitas intercedat, iidemque opulentissimi, &, quod caput est, honestarum artium studiosissimi, heri significarunt mihi, se tui videndi causa Venetias velle proficisci: & a me petierunt, ut sibi aditum ad te pateface-rem. Facturum recepi, & libenter quidem. Eos igitur vesperi ad me venturos puto, ut epistolam commendatitiam petant. Praeceptorem hic secum habent, senem, honestum, numatum, eruditum, studiosum tui. Scripsit olim libellos quosdam non inelegantes, & intimus Budaeo fuit. Ei ego ipsi auctor fui, ut ad te litterarum aliquid daret. Putare me eum tibi de nomine, propter eos, quos dixi, libellos, non ignotum esse. Tu si quid ad eum rescripseris, bonum & bonorum studiosum hominem tibi adjunxeris. Amanuensi tuo, cujus manum longo post tempore agnovi, multam a me salutem. Iterum vale, ἄμμε εὐδοκιμάσαντι καὶ τῷ ὄντι φιλόφιλα ὑπ' αὐτῆς μάλιστα. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

VII.

Epistolam meam tibi probari gaudeo: eo magis, quod, ne secus accideret, verebar. Scripseram enim raptim, neque ipse mihi magnopere satisfeceram: nunc te fretus, ceterorum judicia non extimescam. Nam quod caelum Italicum mihi profuisse dicis, est omnino in eo aliquid: sed multo mihi plus tua consuetudo profuit; neque mirum est, si tecum adsidue versans, colorem aliquem eloquentiae contraxi. Quare si ex animo mihi gratulatus es, quod ego ita esse, quia cupio, credo: gratulare potius tibi ipsi, qui tales habeas discipulos. Tibulli principium, quod a me requiris: videlicet *πρωτοτυπὸν ἐν ἐπιγράμμασι*. Jam enim aliquot dies sunt, cum ad te misi duo prima folia. Tertium cum his litteris accipies: cetera *καθ' ἑαυτὸν*. Ama me, & vale. Epistolas tuas, ut diligenter custodiam, admonendus non sum: sed & describendas curabo. V. Id. Maj. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

VIII.

Et ardeo incredibili studio omnia tibi prolixissime pollicendi, & vereor, ne incensus cupiditate obsequendi tibi plura promittam, quam postea praestare possim. Illud tibi omni adseveratione confirmo, me manibus pedibusque obnixe (*) operam daturum, ut aliquid navem, quod tu probes. Sed te quaeso, Manuti optime & amicissime, noli plura a me exigere, quam vires ferant. Quae si pares essent aut animo meo, aut opinioni tuae: nihil requireres, quo observantia in te mea illustrior foret. Sed haec alias. Nunc te orabo, (quod tamen tuapte sponte te facturum fuisse arbitror, ut earum rerum, de quibus nuper ad me scripsisti, impressionem differri jube-

(*) Imo, *enixe*. Vide quae de harum vocum discrimine diximus ad Vellej. Pat. I. 9.

jubeas, dum certius a me & exploratius aliquid accipias. Interim illae priores imprimi poterunt: & ego praeter id, quod una cum his litteris accipies, cras ad te aliquid aliud mittam: neque patiar operis, quod agant, decesse. Si nihil aliud, certe in aliquot Propertii obscuriores locos scholia quaedam elaborabo. Vale. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

IX.

O praeclaram epistolam tuam! Itaque mihi senium est, dum eam typis descriptam videam. Heri eo ad te non scripsi, quod ternae litterae Bononiam scribendae erant: & alioqui nihil inciderat epistola dignum. Hodie accepi litteras a Sigonio, quas ipsas ad te mitto, ut meum gaudium solide gaudeas. Cras mittam ad te versuum meorum partem, id est, elegias, & aliquot epigrammata: cetera ἀφῆς. Quid jam? quid scribam amplius? nihil, nisi ut me ames: quod tamen te facere, mihi jam pridem exploratissimum est. Herculi nostro plurimam salutem. Vale, quantum usquam est hominum, homo optime & integerrime. Puto fore, ut hodie ad te iterum scribam. Etenim duo fratres adolescentes nobilissimi, ita ut inter domum ipsorum & domum Re iam arctissima affinitas intercedat, iidemque opulentissimi, &, quod caput est, honestarum artium studiosissimi, heri significarunt mihi, se tui videndi causa Venetias velle proficisci: & a me petierunt, ut sibi aditum ad te pateacerem. Facturum recepi, & libenter quidem. Eos igitur vesperi ad me venturos puto, ut epistolam commendatitiam petant. Praeceptorem hic secum habent, senem, honestum, numatum, eruditum, studiosum tui. Scripsit olim libellos quosdam non inelegantes, & intimus Budaeo fuit. Ei ego ipsi auctor fui, ut ad te litterarum aliquid daret. Putare me eum tibi de nomine, propter eos, quos dixi, libellos, non ignotum esse. Tu si quid ad eum rescripseris, bonum & bonorum studiosum hominem tibi adjunxeris. Amanuensi tuo, cujus manum longo post tempore agnovi, multam a me salutem. Iterum vale, ἄμφι συνδιαφόντων καὶ τῷ ὄντι φιλόφιλε ὦ τῆς μάλιστα. Patavio.

EIDEM MANUTIO.

X.

Magis magisque se omni ex parte declarat amor erga me tuus. Ferraria litteras hoc quatriduo exspecto. Si licebit, utemur: sin, aliud videbimus, aut hic ad tempus durabimus. Pola quidem tua (*) nobis ultima anchora futura est: nam quo tu cupidior es in deferendo, eo mè in accipiendo verecundiorem esse par est: sed tamen, si res ferèt, non abnuo. Versus meos mittam ad te propediem ad sexcentos, aut paullo amplius, eosque nunquam antea impressos. De illis quid faciendum sit, tu judicabis. Ego enim plane hisce de rebus minime jam laboro. In eis est elegia quaedam ad Joannem Baptistam Amaltheum; una item ad Franciscum Duarenum, & ad alios quosdam alia; epigrammata item aliquot, & alia quaedam. Ego quantopere te amare debeam, omnes sciunt: quantopere te amem, ἐκ τῶν ἔμπροσθεν γλῶσσαν. nosti cetera. Valetudinem tuam cura, & amicissimum illum nostrum, quo cum Murani fuimus, si quando invises, meo nomine etiam atque etiam salutato. Patavio. Postrid. Kal. Septemb. Haec scripseram mane: statim a prandio allatae sunt litterae a Petro Morino Cardinali, nihil esse longius, quam dum me videat; maturem igitur, quantum possum, venire. Atque ego ita plane faciam: etsi non fiet hoc sine luculenta jactura rei familiaris meae, maxime propter aedes, quas, quomodo locaturus sim, nondum scio. Sed tu hoc nemini dixeris. Opprimi enim in ipso articulo certos homines volo, qui nunc, quia me valde laborare, ut hic maneam, putant, ferociunt. Ipsi sentient. Mi Manuti optime & amicissime, etiam atque etiam vale. Ego posthac quotidie ad te scribam: tu quoque, si me amas, quod commodo tuo fiat, quam saepissime scribito. Nam ex tuis litteris etiam brevissimis incredibilem quandam haurio voluptatem.

(*) Praedium hoc Manutii fuisse ac secessum, sequens decimaoctava Epistola. *Thomas.*

PAU-

PAULUS MANUTIUS

M. ANTONIO MURETO SUO

S. D.

XI.

Constituit animum meum, aliquo interdum, ut vere dicam, rerum tuarum metu fluctuantem, epistola tua. Atque ad metum accedebat indignatio: quid? virtutine desiit ornamentum? aut etiam locus, ubi consistat? tantone est temporum iniquitas, & hominum in suis bonis ignoratio? Haec ego quandoque mecum. Nunc vacuus cura jam sum, & ex eo, quod significas (*) ut in exoptata fortuna triumphe. Tuos versus tua fretus humanitate jam promiseram. Eos exspectabo minima, si fieri potest, interposita mora; nec tu velim diuturna me exspectatione ducas. Illa ad illum, qui te nunquam amavit, quem scis mihi audire suo merito, cur non transferas ad alium? equidem suadeo. Quod si tenerem invitus, facile dicerem, ad quem. Me a studiis, ad quae natura sua me ille humanis plane revocat non solum natura mea, sed aetas etiam, senectuti propior, quam adolescentiae. Itaque si quid ad me scribes, remove, amabo te, omnia, quae tamen dilexisse Plato videtur, ἀφροδίσια. Intelligis, opinor; quid significem: quod tu me potes, vel cupere etiam, si me putas ingenium tuum nosse, existimabis. De benevolentia tua etsi nunquam dubitavi, ex te ita-

In Manutianis Epistolis haec est libri III. 26. Verum illic & interpolata quaedam & initio ejus pariter ac fini quaedam accesserunt. Prima ejus verba sunt: *Laborabam vehementer.* Ultima: *omnes debent.* Sed illud profecto principium mihi nunc suspectum est, ut, quae hic leguntur, sinceriora credam. *Thomas.*

(*) Tibi paratam scil. Ferrariae conditionem esse apud Cardinalem. *Thomas.*

tamen ipsa ea, quae opto, libentissime audio: quanquam ad studium in te meum nihil animi tui addit commemoratio. Non enim te amare coepi, ut ipse me amares, sed quod amabilem ipsum esse duxi multis nominibus; quae tibi ipsi ne exponam, non modo meus, verum etiam tuus pudor impedit. Factum te movet, et sanctiaris in discessu repentino. Noli laborare: lucrum erit in damnò; si spectas eum, qui te excipiet, progestantem virum, erga tui similes optime animatum, cujus egregiam voluntatem non dissimilis fortuna comitatur. Sarciet igitur ille, si quid ob subitam migrationem damni facies: &, ut spero, tuum te consilium quotidie magis oblectabit. Polam video te adjecisse; & laetor: nehercule tua causa. Veranimen, si quando opus erit, secessum illum non contemnes: ut habeas tu quoque, exemplo Africani, & Laelii, tuum Lucrinum, cujus in littore, neglectis regum thesauris, omni prorsus ambitione solutus, aut conchas legere, aut fluctus numerare possis; eoque laetius, si me tibi tantae comitem voluptatis Deus aliquis obtuleris. Verum haec, ut quidem nostrae nunc utriusque res habent, insania: quae tamen, si saperemus, omnium fortasse prima. Sed rides, me tecum garrire, captum voluptate sermonis, dum te quasi praesentem alloquor, & uter manu ejus adolescentis, quem jure Latii donatum, Cretensibus ademptum, affirmo tibi dignum aliquando fore nostro contubernio. Quod quidem studiose agit, tuo maxime exemplo incitatus; et non te nostra domus, sed tua se industria, tuum nobilitavit ingenium. Vale.

Respondene huic Muretum dicas lib. I. Ep. 31. *Valde rogamus*: nisi potius dicendum, quod & dies adscripta suadet, illam & hanc & praecedente priorem esse. *Thomas.*

M. AN.

M. ANTONIUS MURETUS PAULO SACRATO SUO S. D.

XII.

Neque te uno amabilius quicquam, aut officii plenius, neque litteris tuis festivius, omnique suavitate conditius fieri potest. Quae si quam lepide, ac polite loquuntur, tam etiam vera de me praedicarent; magna causa esset, cur & ego mihi gauderem, & tu tibi de amicitia nostra gratulareris. Nunc ea res me male habet, quod, cum in meum (ut dicitur) sinum inspicio, meque ac mea omnia diligenter excutio, nihil propemodum tale reperio, quale mihi tu innumerabilia affingis: ut mihi tale quiddam usu veniat, quale histrionibus, qui dum in scena Agamemnonem agunt, aut Atreum, concipiunt spiritus quosdam regios; post, absoluta fabula, dum ad vestitum suum, & ad se ipsos redeunt, agnoscant necesse est, ficta fuisse illa omnia, & alienae oblectationis causa ad breve tempus suscepta; se vero homines tenues, & non admodum magni pretii artifices esse. Sic ego quam diu tuas litteras lego, & a te tanquam a chorago aliquo impositam mihi personam sustineo, placeo mihi, (fatebor enim, quod verum est,) & videor esse aliquis: post ubi ille quasi ventus resedit, agnitum errorem meum tacitus rideo, meque tanquam ad solitum cultum, ita ad usitatam illam & perpetuam meam de me opinionem refero. Sed haec aut in aliud tempus reservemus, aut, quod satius est, in perpetuum omittamus. Ego te, Sacrate, pro eo ac singularis virtus & doctrina & voluntas erga me multis testata officiis postulat, & amo, & magni facio, neque id facere desinam, donec tu is, qui es, esse desieris, quod exploratum habeo nunquam fore. Ardeo autem mirifica quadam cupiditate, si qua id ratione a me perfici potest, ut etiam posteris hujus conjunctionis nostrae memoria prodatur, amicosque vixisse nos, non aequales modo nostri, sed futu-

futura etiam saecula intelligant. Cujus rei gratia conflictueram repertas a me in Gallia, neque usque in hunc diem a quoquam divulgatas Victorini, veteris non Rhetoris modo, sed Philosophi quoque ac Theologi, lucubrationes in publicum emittere; cumque in eis emendandis non parvum laborem sustulissem, ad te potissimum mittere, & tibi quasi dicare, quicquid in eis mea industria effectum esset: jamque id feciſsem, nisi me quiddam, quod aliquando intelliges, retardasset. Tu interea, mi Sacrate, perges amare me, ut facis, tibique certo persuadebis, te a me merito tuo mirabiliter amari. Salutabō tuo nomine Janinellum, cum primum eum videro. Vale. v. Id. Sext. MDLXIII. Romae.

EIDEM SACRATO.

XIII.

E tuo tam diuturno silentio suspicatus eram, te Ferraria abesse, ideoque ipse quoque intermiseram scribere, donec mihi Martellius primum, deinde Laelius Gavardus eleganti, ut visum est, ingenio adolescens, salutem tuis verbis nunciarunt. Quae fuit illa quidem mihi pro eo ac debuit gratissima: sed e sermone Martellii eam cepi molestiam non sane mediocrem, quod ex eo de molestiis, quibus tu interea conflictatus es, & de matris tuae lectissimae & te tali filio dignissimae mulieris infirmitate cognovi. Itaque cogitabam primo quoque tempore ad te exarare aliquid litterarum, quo & purgarem me, qui tam diu nihil scripsissem, & minuerem, quantum id quidem in me esset, aegritudinem tuam. Sed dum dies ex die duco, homo cum ceteris in rebus non admodum industrius, tum ad scribendum pigerrimus, (non modo enim nosse fuae vitia bellum est, verum etiam fateri,) tu, quo nemo usquam in omni genere humanior aut officiosior est, occupasti, missis ad me suavissimis & reliquarum tuarum similimis literis. Ad quas ego quis distractus aliis curis tam copiose, quam vellem, respondere non possum, strictim saltem singula eorum capita attingam. Primum igitur a te, quantum me amas, tantum peto aequi contendo, ut omnia potius, quae negatum fieri posse, eventura existimes, quam ut quicquam de meo in tuo amo-

amore, aut (ut verius dicam) de mea tuis virtutibus & jucundisſimis in me officiis debita obſervantia detrahatur. Gratulor tibi de recuperata matris valetudine, cui etiam ipſi a me ſalutem dicas, eique meo nomine gratuleris velim; puto eam, quanquam ſemel tantum a me viſam, facile tamen redituram in memoriam mei. Quod ad te ſcripſit Laelius, magnam quotidie non adoleſcentum modo, ſed omnium aetatum atque ordinum multitudinem ad me audiendum ventitare, ſane veriſimum eſt, idque, ut verum fatear, ipſi mihi permirum videri ſolet. Nam & Romae rarum id eſt, & ego in me nihil ſentio, quo tanta hominum ſtudia excitentur. Sed quando ſunt, qui aliter ſentiant, intendo equidem omnes ingenii nervos ad conſervandam eam, quae de me excitata eſt, opinionem: ſed duratura ea, nec ne ſit, θεὸς ὁ γνώσεται ταῦτα. De libro Victorini, quem me tibi, ut nunc loquimur, dicaturum pollicitus ſum, noli dubitare. Nunquam omnino amittam eum e manibus, niſi addito luculento aliquo teſtimonio amicitiae noſtrae. Interea mitto ad te exemplum oratiunculae, quam hic habui, pridie ejus diei, quo cepi Ariſtotelis Ethica interpretari. Vereor omnino, ut ſatis emendate deſcriptum ſit: nam quod unum mea manu ſcriptum habebam, id Callipides ille, de quo etiam prioribus litteris aliquid ſcripſi, (*) duos jam menſes apud ſe habuit, neque adhuc extorquere poſſum. Sed tanto mea melior futura conditio eſt: tu enim, ſi qua a me ipſo peccata erunt, ea illi, qui deſcripſit, adſcribes. Mi Sacrate optime & amiciſſime, etiam atque etiam vale. Romae. XVIII. Kalend. Februarii, MDLXIV.

(*) In praecedente quidem Mureti epiſtola tale nihil eſt. Itaque aut omiſſum id in ea, cum typographo daretur, (quod non plane eſt inſolens,) aut aliam hic epiſtolam innui dixerim, quam ad Sacratum, interim dum ille filet, ſcripſerit Muretus. *Callipides* autem vocabulo cunctator aliquis intelligitur, quo ſenſu & ipſe Muretus lib. I. Epiſt. 85. & hujus libri 146. extrema Callipidem ſe vocat. Erasmum vide adag. 545. *Thomaſ.*

EIDEM SACRATO.

XIV.

Puto mirum tibi videri, quod tam diu nihil ad te scripserim, praesertim provocatus a te amantissime & officiosissime scriptis literis, quas ad me jam pridem dedisti. Spero tamen te facile ignoscere occupationibus meis, neque propterea dubitare de amore, atque observantia erga te mea, quae, mihi crede, tanta est, ut accedere nihil possit. Cujus rei cum alios tibi multos testes, si opus sit, laudare possum, tum vel in primis Laelium nostrum, adolescentem optimum & suavissimum, qui quoties me videt, (videt autem fere quotidie,) & multa mihi auditu jucundissima de tua singulari virtute, atque humanitate commemorat, & audit me vicissim de te ea, quae debeo, & quae sentio, praedicantem. Sed mitto haec. Neque enim dubitare potes, quin a me mirifice ac singulariter ameris, nisi me ingratum atque inhumanum putas: tam male autem te de me sentire non arbitror. Interpretatus sum Latine his diebus quintum Ethicorum Aristotelis. Ejus interpretationis mitto ad te exemplaria tria: unum quod tibi habeas, quodque interdum intuens de me cogites; alterum quod meo nomine des Francisco, quem ego & valde amo, & valde me ab eo amari cupio; tertium, quod cum tibi commodum erit, mittas ad clarissimum & eruditissimum virum, Episcopum Carpentoractensem. Puto enim pro eo amore in me, quem mihi cum saepe alias, tum proxime, cum hinc abiturus esset, ostendit, id munusculum ipsi ingratum non fore. Scribendum mihi est ad multos, & jam nocteseit. Ama me, Sacrate mi, vir eruditissime, &, quod ego multo pluris facio, optime & integerrime: ama me, & vale. Romae. A. D. VI. Id. Martias, MDLXV.

EIDEM SACRATO.

XV.

Etsi serius ad te scribo quam oportuerat, spero tamen, te ejus rei veniam mihi daturum, cum, quae tam diu-

tur-

turni silentii causa fuerit, cognoveris. Nolebam ad te litteras meas sine aliquo munusculo venire; ideoque exspectabam, dum habuissem eam orationem, (*) quae, ut scis, mihi causa fuerat huc citius quam opinabar, revertendi, ut eam ad te una cum litteris mitterem. Habui autem eam nudius tertius tanta omnium approbatione, quanta mihi nusquam contigerat. Neque tamen, quod tantopere cupiebam, possum adhuc ejus te participem facere. Interdixit enim orator Regius, ne cuiquam homini ejus aut aspiciendae aut describendae potestatem facerem, antequam eam ipse misisset ad Regem, explorassetque ab eo per litteras, placeretne eam divulgari. Exspectandum igitur erit tibi aliquot dies. Sed cum primum licebit, polliceor, me nulli prius eam missurum, quam tibi. Postulat hoc amor erga me tuus, & illa tua & fratrum tuorum nullis meis officiis provocata in me benevolentia, quae perpetuo obversatur animo meo, & interdum quiescere me non sinit, quomodo insigne aliquid omnium vestrum causa facere possim, cogitantem. Quodsi nihil aliud potero, certe tamen in aliqua parte scriptorum meorum (si qua est ea gloria,) intexam aliquid, quod posteris testetur, mihi cum plurima vobis deberem, remunerandi facultatem non affuisse, ornandae ac celebrandae virtutis vestrae voluntatem non defuisse. Vale. Fratribus tuis, Canalio, Lollio, peto a te, ut meo nomine salutem dicas. Romae. IV. Id. Octob. MDLXVI.

EIDEM SACRATO,
Amico Eximio ac Singulari.

XVI.

At ita mihi omnia, quae volo, in vita contingant, Sacrate optime & humanissime, ut ego simul atque liberatus sum ea cura orationis habendae ad Pontificem, quae me tam

(*) Ea est XIII. Volum. I. ut partim ex anno illi adscripto colligere licet, qui idem est & praesentis epistolae; partim ex eo, quod hic paulo post sequitur de Regio Oratore, quod nos dubitare, quin sit pro Rege habita, non sinit. *Thomas.*

tam multos dies occupatum districtumque tenuerat, litteras (*) ad te dedi, quibus & causas afferebam illius diuturni silentii mei, & cur ejus orationis exemplum, cum maxime cuperem, tamen ad te mittere adhuc non possem, aperiebam. Nunc ad alia. Ego, mi Sacrate, nisi te & fratres tuos, homines humanitate, comitate, omni denique virtute tibi geminos, totamque uno verbo domum vestram non amem modo, sed colam etiam & observem, & ingratum me, & hominis nomine indignum esse fatear. Ex quo enim me ad amicitiam tuam applicui, ita mihi vestra omnia patuerunt, ut plane perspicerem, cum inter vos, ut & fratres, & tales fratres decet, amicissimi & conjunctissimi sitis, vix tamen esse quenquam ex vobis alteri, quam me omnibus, cariorem. Idque eo majus mihi atque admirabilius videtur, quod nullo meo in vos merito provocati, tanta me benevolentia complexi estis, ut plane cognorim, verum esse, quod a sapientissimis hominibus dictum acceperam, ut quisque ipse amabilissimus sit, ita ad alios amandos promptissimum ac propensissimum esse. Nam quod tu causam amoris ergo me tui solitus es conferre in eruditionem scilicet meam, & alia quaedam magna ac praeclara bona, quibus tibi videor excellere: utinam quidem ita esset, ut praedicas. Sed quo me diligentius excutio, eo magis intelligo, omnia in me aut mediocria esse, aut etiam infra mediocritatem; nihil eximium aut singulare, nihil quo non unus aliquis ex multis me aut adaequet, aut vincat. Itaque indulgeas licet amori tuo, & iis me laudibus immerentem oneres, quas ego in te referre multo justius ac verius possem: nunquam efficies, ut non ego tuum in me studium tuae tantum humanitati acceptum feram. Sed his quidem rebus jam modus sit, aut potius perpetuum inter nos de eis silentium. Peto a te, ut me hic aliquid tua causa facere jubeas, quo testari possim, quantum tua causa cupiam. Mihi crede, enitar, &, ut spero, perficiam, ut, cum ad aequanda tua in me merita facultatem mihi deesse omnes videant, voluntatem deesse nemo arbitretur. Fratribus tuis, Alexandro Canalio, Alberto Lollio, ceterisque ami-

(*) Eas esse, quae hic proxime antecedunt, res ipsa loquitur. Quare annum huic epistolae dedimus eundem, quem praecedenti. Tam-

amicis communibus, peto, ut meo nomine salutem dicas. Vale XII. Kal. Novemb. ex urbe. MDLXVI (*).

EIDEM SACRATO.

XVII.

Quod nunquam antea evenerat, quodque nunquam eventurum qualibet sponsione contendere ausus essem, id evenit: ut litterae tuae, quae mihi semper antehac jucundissimae fuerant, nuper dolorem mihi ac moestitiam attulerint singularem. Nam cum illud mihi per se grave atque acerbum fuit, & aegrotasse te, & diu ac graviter aegrotasse: tum vix credas, quam me pupugerit illa cogitatio, interea toto illo tempore cessasse me, & quodam modo defuisse officio, neque quidquam scripsisse, quo hominis amicissimi & de me optime meriti leniretur dolor. Etsi enim vere hac excusatione uti possum, nescisse me, tibi male esse: tamen ea ipsa excusatio excusationis indiget: cum indecorum sit, cujus in me tot tantaque officia extiterint, tam diu me, qua in valetudine uteretur, nescisse. Est omnino hujus rei culpa aliqua etiam in communibus amicis, qui cum me tuo nomine salutabant, nihil addebant, nisi illa vulgaria, conservare te diligenter memoriam mei, & scripturum ad me, cum commodum esset; petere, ut ego quoque idem facerem; invaletudinem tuam aut celabant me, aut ipsi quoque nesciebant. Utut est, convaluisse te gaudeo, petoque a te primum ut pro solita tua humanitate ignoscas mihi, si diutius ad te scribere distuli, quam par erat: deinde ut quantum me amas, tantum operae ac diligentiae conferas ad valetudinem tuam & confirmandam & conservandam. Hoc ita videris facillime consequi posse, si ad corporis exercitationes aliquid addideris, de exercitationibus animi atque ingenii aliquid detraxeris. Neve putes quidquam me tibi suadere, quod non satis exploratum habeam: ego quoque idem facere coepi, & mihi insigniter prodesse sentio. Tu quando eo ingenio es, ut cognatis, ut amicis, ut patriae, ut bonis omnibus libentissime

(*) Hunc annum posui pro 1565. Causam initio hujus Epistolae reddo. Thomas.

tam multos dies occupatum districtumque tenuerat, litteras (*) ad te dedi, quibus & causas afferebam illius diuturni silentii mei, & cur ejus orationis exemplum, cum maxime cuperem, tamen ad te mittere adhuc non possem, aperiebam. Nunc ad alia. Ego, mi Sacrate, nisi te & fratres tuos, homines humanitate, comitate, omni denique virtute tibi geminos, totamque uno verbo domum vestram non amem modo, sed colam etiam & observem, & ingratum me, & hominis nomine indignum esse fatear. Ex quo enim me ad amicitiam tuam applicui, ita mihi vestra omnia patuerunt, ut plane perspicerem, cum inter vos, ut & fratres, & tales fratres decet, amicissimi & conjunctissimi sitis, vix tamen esse quenquam ex vobis alteri, quam me omnibus, cariorem. Idque eo majus mihi atque admirabilius videtur, quod nullo meo in vos merito provocati, tanta me benevolentia complexi estis, ut plane cognorim, verum esse, quod a sapientissimis hominibus dictum acceperam, ut quisque ipse amabilissimus sit, ita ad alios amandos promptissimum ac propensissimum esse. Nam quod tu causam amoris erga me tui solitus es conferre in eruditionem scilicet meam, & alia quaedam magna ac praeclara bona, quibus tibi videor excellere: utinam quidem ita esset, ut praedicas. Sed quo me diligentius excutio, eo magis intelligo, omnia in me aut mediocria esse, aut etiam infra mediocritatem; nihil eximium aut singulare, nihil quo non unus aliquis ex multis me aut adaequet, aut vincat. Itaque indulgeas licet amori tuo, & iis me laudibus immerentem oneres, quas ego in te referre multo justius ac verius possem: nunquam efficies, ut non ego tuum in me studium tuae tantum humanitati acceptum feram. Sed his quidem rebus jam modus sit, aut potius perpetuum inter nos de eis silentium. Peto a te, ut me hic aliquid tua causa facere jubeas, quo testari possim, quantum tua causa cupiam. Mihi crede, enitar, &, ut spero, perficiam, ut, cum ad aequanda tua in me merita facultatem mihi deesse omnes videant, voluntatem deesse nemo arbitretur. Fratribus tuis, Alexandro Canalio, Alberto Lollio, ceterisque ami-

(*) Eas esse, quae hic proxime antecedunt, res ipsa loquitur. Quare annum huic epistolae dedimus eundem, quem praecedenti. Tam-

amicis communibus, peto, ut meo nomine salutem dicas. Vale XII. Kal. Novemb. ex urbe. MDLXVI (*).

EIDEM SACRATO.

XVII.

Quod nunquam antea evenerat, quodque nunquam eventurum qualibet sponsione contendere ausus essem, id evenit: ut litterae tuae, quae mihi semper antehac jucundissimae fuerant, nuper dolorem mihi ac moestitiam attulerint singularem. Nam cum illud mihi per se grave atque acerbum fuit, & aegrotasse te, & diu ac graviter aegrotasse: tum vix credas, quam me pupugerit illa cogitatio, interea toto illo tempore cessasse me, & quodam modo defuisse officio, neque quidquam scripsisse, quo hominis amicissimi & de me optime meriti leniretur dolor. Etsi enim vere hac excusatione uti possum, nescisse me, tibi male esse: tamen ea ipsa excusatio excusationis indiget: cum indecorum sit, cujus in me tot tantaque officia extiterint, tam diu me, qua is valetudine uteretur, nescisse. Est omnino hujus rei culpa aliqua etiam in communibus amicis, qui cum me tuo nomine salutabant, nihil addebant, nisi illa vulgaria, conservare te diligenter memoriam mei, & scripturum ad me, cum commodum esset; petere, ut ego quoque idem facerem; invaletudinem tuam aut celabant me, aut ipsi quoque nesciebant. Utut est, convaluisse te gaudeo, petoque a te primum ut pro solita tua humanitate ignoscas mihi, si diutius ad te scribere distuli, quam par erat: deinde ut quantum me amas, tantum operae ac diligentiae conferas ad valetudinem tuam & confirmandam & conservandam. Hoc ita videris facillime consequi posse, si ad corporis exercitationes aliquid addideris, de exercitationibus animi atque ingenii aliquid detraxeris. Neve putes quidquam me tibi suadere, quod non satis exploratum habeam: ego quoque idem facere coepi, & mihi insigniter prodesse sentio. Tu quando eo ingenio es, ut cognatis, ut amicis, ut patriae, ut bonis omnibus libentissime

(*) Hunc annum posui pro 1565. Causam initio hujus Epistolae reddo. Thomas.

sime operam des, eorumque commodis perpetuo inservias, ut id facillime ac diutissime facere possis, elaborato. Mi Sacrate optime, etiam atque etiam vale. Salutem plurimam lectissimis, tuique simillimis viris, fratribus tuis, itemque Paludino, Canali, ceterisque amicis. Romae. XIII. Kal. Jan. MDLXVII.

EIDEM SACRATO.

XVIII.

Non puto me tibi ita ignotum esse, Sacrate, vir optime & eruditissime, ut metus ille, quem scribis, cadere in animum tuum potuerit, ne, quia diu jam ad te non scripsissem, tui etiam oblitus essem. Quomodo enim tui me capere possit oblivio, qui & is vir es, cujus etiamsi nulla unquam in me officia extitissent, singularis tamen probitas & doctrina deleri ex animo meo non potest, & ea in me beneficia contuliſti, ut, etiamsi illa in te non essent, quae te omnibus & amabilem & admirabilem reddunt, ego tamen non summe amare te sine singulari improbitate ac prope dixerim, impietate non possem? Sed ut iis, quos ita alto sopore oppressos videmus, ut nullis clamoribus excitari queant, aculeos interdum admovemus: ita tu mihi nimis jam diu, ut verum fatear, dormienti, & ad tuas suavissime amantissimeque scripeas literas nihil respondenti, istas orationis faces adhibere voluisti, quibus me non languentem modo, sed, (ita me Deus amet!) semimortuum ad scribendum excitasses. Illud mihi molestum est, quod tam longo intervallo nihil tamen habeo, quod possim scribere, praeter illa communia, valere me, & tibi ex animo bene cupere, neque quenquam esse omnium mortalium, cujus ego amicitiam tuae anteponendam putem. Neque vero aut Lollium meum minus amo, quam solebam: aut eos, quos tu mihi conciliasti, ornatissimos viros, collegas tuos, Paludinum & Canalium: sed nescio, quomodo hos jam aliquot menses tantus me occuparat veternus, tanta scribendi satietas ceperat, ut ne in Galliam quidem scriberem ad quosdam, qui mea illic magni sane momenti negotia procurabant. Sed hunc torporem excutiam vel maxime causa tua: non quod periculum esse ullum arbitrer ne

spe-

mare, ut est in illo vulgato versu, amicitiam nostram distuas: sed quod iniquum esse intelligo, pro tuo erga me summo amore, quidquam a me committi, quod tibi molestiam adferre possit. Unum a te peto, ut, quemadmodum ii, qui diu aegrotarunt, ubi convalescere incipiunt, exercitationes a principio non valde laboriosae imperantur: ita tu mihi, qui nunc primum accepto litterarum tuarum pharmaco ex illo diuturno pigritiae morbo ἀναστομίζομαι, neque longas, neque accurate scriptas litteras imperes: neque in eis aliud, quam meam erga te propensissimam voluntatem & observantiam, spectandum, aut requirendum putes. Mi Sacrate, etiam atque etiam vale, & me ama. Romae. XVIII Kal. Quintiles, MDLXIX.

EIDEM SACRATO.

XIX.

Heri accepi a te litteras similimas tui, tersas, nitidas, elegantes, plenissimas humanitatis, & spirantes omni ex parte benevolentiam veterem illam tuam in me mirificam prorsus ac singularem. Quid excusatione nihil opus esse duxisti, fecisti, ut amicitia nostra digna, est, ac me praeterea levasti labore quaerendi, quomodo tam diuturnum silentium meum apud te defenderem. Nam excusare te non poteras, quin eadem opera me accusares. Itaque hoc quoque a te tanquam mea causa factum accipio, indulsumque mihi a te puto. Thalamius noster, (non enim tibi jam concedo, ut te eum plus ames,) verus, ut video, est & diligens interpretius amicitiae nostrae. Nam quoties ora fumus, de te prope perpetuo sermonem habemus: & ipse postea litteris tuis tibi, quae mea sit in eo observantia, vere accurateque perscribit. Constitueram nuper mittere ad te nugas quasdam meas, sobolescas omnino, id est, non satis dignas, quas a te legerentur, sed quas tamen tibi, ut solent mea, placituras esse sperabam. Ad postea omisi facere, quia, cujus opera in eis describendis uterer, non habebam. Nunc habeo, qui id commode faciat. Quare exspecta propediem a me ingentem fasciculum, pro quo vereor ne plus mercedis dandum sit tabellariis, quam quanti ea omnia erunt. Erit tamen quod rideas una cum Canalio nostro, qui mihi,

hi, ut debet, haeret in animo. Quem tu, mi Sacrate, salutabis diligenter meo nomine, &, qui mihi benevolentiam ipsius conciliasti, idem conservabis. Nescio, an adhuc resciverit, Jacobum Aemilium Belgam, quem ipse mihi & praesens, & per litteras commendaverat, nuper hic mortuum esse. Plura scribere cupientem impediunt interpellatores, qui mihi plerumque vix ad ea quae necessaria sunt, satis vacui temporis relinquunt. Bene vale, Sacrate mi optime, eruditissime, amicissime, & me amare perge. XV. Kal. Feb. MDLXX. Romae.

EIDEM SACRATO.

XX.

Scripsi nuper, jussu Cardinalis mei, versus quosdam de Tiburis amoenitate: sed jussus eram non multo plures, quam viginti versus scribere, & ea attingere, quae in ipsius hortis spectatu dignissima & jucundissima viserentur. Fudi duabus circiter horis amplius quadraginta, & vix mihi videbar pauca quaedam ex innumerabilibus, quae dici poterant, delibasse. Eos versus, cuicuimodi sunt, ad te mitto: si forte possint animum tuum a molestiis tum domesticis, tum publicis paullisper avertere. Curas enim, vetus dictum est, carmine minui. Poteris eos cum Paludino, & Canalio communicare. Quamvis enim non valde boni sunt: vobis tamen tribus placebunt, quia sunt mei. Velim etiam eos mittas ad Antonium Montecatinum. Etsi enim judicium ipsius extimescere deberem: mihi tamen cognitus amor ipsius erga me timorem levat. Ego te, Sacrate optime & humanissime, vosque omnes, sed, ne mentiar, te in primis, ut debeo, in animo fero: &, quamvis ad te rarius scribo, quam summa nostra conjunctio postularet, de te tamen saepissime cogito. Orationum mearum volumen unum Venetiis excuditur, quod ubi absolutum erit, statim ad te mittetur. Vale, amice optime & spectatissime. Idib. Augusti. MDLXXI. Tiburi.

EIDEM SACRATO.

XXI.

Proxime cum vellem ad te scribere, quam grata mihi fuissent insitia, quae tu & Alexander Canalius ad me miseratis, ita me subito multa negotia oppresserunt, ut coactus sim officium illud in aliud tempus rejicere. Nunc igitur utrique vestrum gratias, ut debeo, maximas ago: simulque ut, qua una ratione possum, vos remunerer, mitto ad vos exempla duo carminis cujusdam mei ad divam virginem Lauretanam: quod vobis, si nulla alia re, certe argumento placebit. Versus ipsi si frigidiores videbuntur: tanto judicare debebitis munus meum accommodatius ad hanc tempestatem anni, qua frigus studiose quaerere omnes solemus. Quales autem cunque videbuntur, non recuso, quin eos communicetis cum Paludino, Montecatino, ceterisque communibus amicis: prope etiam dixi, cum Pigna: sed audio, eum valde severum esse in judicandis poëmatis. Et tamen, quia me ab eo amari scio, si vobis videbitur, subeamus hoc quoque periculi, cum praesertim, si quid in eis parum probaverit, ipsa nos reprehensio cautiores in posterum factura sit. Valde gravius sum, cum audii, fratrem tuum Episcopum Carpentoractensem esse factum: qui honos jam pridem summis illius virtutibus debebatur. Neque ei tantum gratulatus sum, sed tibi quoque, cum epistolam ea de re tuam ad Johannem Moronum Cardinalem legi: quae mihi ita elegans visa est, neque hoc tantum, sed ita graviter ac sapienter scripta, ut jam tum coeperim eundem tibi quoque dignitatis gradum augurari. Mitto ad te orationem nuper hic habitam a Petro Magno, ut versuum levitas orationis gravitate pensetur. Bene vale, Sacrate mi optime, eruditissime, amicissime, & me ama. Romae. III. Non. Julii, MDLXXII.

M. AN-

EIDEM SACRATO.

XXII.

Respondebo brevitèr ad eas litteras, quas a te IIII. Id. Octobris datas nudius tertius accepi. In quibus illud primum admiratus sum, quod veritum esse te scribis, ne mihi aliqua de causa subiratus esſem, neve mea erga te immutata esset voluntas. Tibine ego, mi Sacrate, ut iraſcar? aut quidquam unquam ulla de causa ex meo in te ſummo amore, aut, ut verius dicam, obſervantia imminui patiar? At perdiu nihil ad te litterarum dedi. Primum, non ſatis magnum argumentum: praeſertim cum poſt eas, quas ad te ultimas dederam, nihil omnino a te accepiſſem. Sancte enim tibi affirmo, poſt Hippolyti Cardinalis Ferrarienſis obitum, nullas ad me litteras tuas perlatas esſe, niſi eas, ad quas nunc reſpondeo: & ego tamen ad te menſe, ut opinor, Januario ſcripſi, miſique eam orationem, quam Caroli Regis nomine ad Pontificem habueram. Itaque tu vide, ad quem illas alias miſeris, aut cui eas inſcripſeris. Certe enim mihi redditae non ſunt. Deinde quidvis te potius, quam id quod ſuſpicatus es, oportuerat ſuſpicari. Sed ecce tibi: vix ad te ſcribere ingreſſus ſum, & avocor: & jam multa nox eſt. Pudet hoc ad te ἀπὸ epiſtolae principium mittere: ſed tamen hoc malo, quam nihil. Propediem & ad te ſcribam; & neſcio quid otationis, quod ia me nuper habitum eſt, mittam. Mi Sacrate, ama me, & vale. Canalio noſtro plurimam ſalutem. Romae. Pridie Kalend. Novemb. MDLXXIII.

EIDEM SACRATO.

XXIII.

Superioribus diebus cum ad litteras tuas reſpondere coepiſſem, etſi jam multa nox erat, egoque mihi eam potiſſimum horam delegeram, quam ab interpellatoribus vacuam fore confiderem, ſtatim tamen accidit, ut ad me veniret, qui quod coeperam, vetaret abſolvere. Itaque in ea quadam indignatione riſi tamen, quod quaſi fato quodam evenisse videretur, ut ne tunc quidem poſſem

sem ad te, cum maxime cuperem, scribere. Illud tamen quicquid erat, quod habebam in manibus, ut erat imperfectum atque inchoatum ad te misi: simulque pollicitus sum, me prope diem ad te nescio quid nugarum mearum esse missurum. Praesto igitur, quod tum promisi, & ad te mitto exempla duo orationis cujusdam a me nuper habitae; quam, etsi bella non est, tibi tamen, & Canalio nostro, pro vestro erga me amore non plane displicituram esse confido. Velim autem mea causa convenias Antonium Montecatinum, (quem virum, Sacrate mi, vix credas, quantum amem, & quanti faciam) eique plurimam a me salutem dicas, simulque ei unum ex illis, quae ad te mitto, meae orationis exemplis tua manu des. Ita enim spero, ipsi quoque munusculum gratius fore: etsi ille quidem eodem, quo tu es, erga me animo est. Et quanquam acerrimo judicio est: mea tamen & legit libenter, & laudat. Scribendum mihi hodie est ad multos, ideoque tecum ero brevior. Ama me, & vale. Romae. XI. Kal. Decembr. MDLXXIII.

EIDEM SACRATO.

XXIV.

Ne orationis a me in funere Caroli Regis habitae exemplum statim ad te pro mea veteri consuetudine miserim, id unum obstitit, quod te Carpentoracti esse arbitrabar: eo enim profectum audieram, & eo facilius adducebar, ut crederem, quod multos jam menses nihil a te acceperam litterarum. Nam illa quidem, quae tu scribis, partim ἴσα sunt, & a te joco scripta, partim nimis aliena ab ingenio meo. Mene ut unquam illius humanitatis, quam in te & in Canalio nostro mediusfidius prope singularem cognovi, capere possit oblivio? Tum ego me indignum fatear, qui amer a vestri similibus, id est, a viris humanitatis, integritatis, officii plenis. Quare mitte, obsecro te, ista vel suspicari, vel, quo me crucies, simulare te suspicari. Ego duos vos amare, colere, observare non desinam, nisi is esse, qui sum, desinam. Quodsi rarius scribo, ignoscere vos oportet vel occupationibus, vel pigritiae meae: quae ingravescente jam aetate quotidie magis ac magis augetur. Magnam laetitiam nuntias,

quod vos una ineunte anno in urbem venturos polliceris. Fruar enim aspectu, amplexu, & optatissimis sermonibus duorum longe mihi carissimorum capitum. Et spero vos non ita occupatos fore, ut non saepissime nobis una esse liceat. Jam nunc praecipio mente ac cogitatione collocutionum nostrarum suavitatem. Interea quod unicum mihi reliquum erat exemplum σκώπτω τῷ ἐμῷ λογαρίῳ, ad vos mitto. Propediem prodibunt ex Aldi Manutii officina orationes omnes meae, in quibus haec quoque. Ineunt & poëmatia quaedam non magni pretii: sed quae tamen mirifico a quibusdam studio expetuntur. Mihi crede, Sacrate mi, ludere mihi videntur homines, cum mea istaec & laudant, & requirunt: quae ego quo magis inspicio, eo magis, quam nihili sint, sentio. Nam ut aliquid fortasse simus, si cum quibusdam aequalibus nostris conferamur: at certe, si quis cum antiquitate nos comparet, jacemus. Vale: aut potius ambo valete, quando, ut ego pro indiviso amborum communis sum, ita haec epistola utriusque communis futura est. Romae. XII. Kal. Sextil. MDLXXIV.

EIDEM SACRATO.

XXV.

Nunc ipsum accepi prandens binas ad me litteras tuas, in eundem a te fasciculum conjectas, & nuper etiam alias quasdam tuas acceperam, sed quibus aliud nihil continueretur, quam, quod ego maximopere scire cupiebam, te istuc salvum incolumemque venisse, & commemoratio quaedam accurata eorum, quae tu tibi me praestitisse, cum hic esses, praedicaras. Ego autem, Sacrate mi optime & humanissime, si negem, me cupidissime quaesiisse occasionem aliquam declarandi tibi mirifici cujusdam amoris erga te mei, mentiar. Certe enim & amo te singulariter, & meum erga te studium tibi notissimum esse cupio. Illud vere affirmare possum, nihil tibi me praestitisse, aut tua causa fecisse, quo minima pars aut meritorum erga me tuorum, aut meae erga te voluntatis adaequari queat. Itaque videris mihi nonnunquam quaerere occasionem exercendae eloquentiae tuae in eis amplificandis & exaggerandis, quae per se ita exigua & tenuia sunt, ut vix compareant. Quid enim

enim tibi a me tributum est, in quo cognoscere potueris, quanti te faciam, aut quantum tua caussa cupiam? cum ipse contra tam multis tamque illustribus argumentis tuam erga me voluntatem perspexerim, ut certo sciam, cum quantum plurimum potuero dispunxero, semper tamen plus reliqui fore. Sed omittamus haec. A Tiberio tuo septem insitia accepi, de quibus amo te plurimum. Quod te quotannis alia missurum polliceris, gratum est. Ego tibi vicissim aliquid depromptum e studiis meis mittam. Paludino, Canalio, ceterisque, quos istic mei amantes esse scis, salutem. Vale. v. Kalend. Jun. MDLXXV. ex urbe.

EIDEM SACRATO.

XXVI.

Heri accepi a te litteras reliquarum tuarum simillimas, id est, amorem & suavitatem omni ex parte spirantes. Pro quibus quid tibi, mi Sacrate, respondere possim, equidem non video. Nihil enim jam pridem jubes me tua caussa facere, neque sane, ut sunt tempora, video, qua in re opera mea uti possis. Sed si quid evenerit, noli quaeso dubitare, quin is erga te sim, qui debeo, & qui semper fui. Mihi crede, neque te quicquam usquam amabilius est, neque tu quemquam habes amantiorem ac studiosiorem tui. Sed haec inter nos supervacanea videntur. Mitto ad te libellum quendam, quem in gratiam τῦ ἀνψιῦ scripsi. Cum enim prima elementa Latinae linguae ei tradere vellem, nihil reperiebam ad captum tam tenerae aetatis accommodatum. Ea res coëgit me repuerascere. Neque magis id mihi alienum aut indecorum puto, quam olim Agesilao fuit deprehendi cum filiolis equitantem in arundine longa. Tu illud carmen, qualecunque est, quia meum est, libenter, ut opinor, videbis. Vale. Romae. XVI. Kal. Dec. MDLXXVIII.

EIDEM SACRATO.

XXVII.

Tanti fuit torquere te aliquot dies litterarum mearum exspectatione, ut tuas acciperem, concitato ac prope

irato animo scriptas. Ut enim dulcibus cibis admistum aliquid acre delectat; ita mihi, qui nunquam quicquam a te nisi melleum accepissem, jucundissimum fuit, te subiratum intueri: praesertim cum in eo ipso irae calore, omnibus ex partibus se amor erga me tuus proderet. Sed scin tu, Sacrate mi optime, & in ipsa etiam ira suavissime, quid te nunc facere cupiam? Confirma exemplo tuo vetus illud dictum: *Amantium irae amoris integratio est.* Praesertim cum in summis occupationibus ad te scribam. Non puto pluribus mihi verbis opus esse ad te placandum ac leniendum. Hoc tantum oro quaesoque, ut quidvis potius existimes, quam quidquam ex mea in te non voluntate tantum, sed plane observantia detrahi posse. Omni hoc tibi sacramenti genere, mi Sacrate, confirmo. Quid tibi e studiis meis munusculi parem, scies, cum primum ex litteris tuis omnem iram a te depositam esse cognovero. Vale. IV. Kal. Mart. MDLXXII. Roma.

EIDEM SACRATO.

XXVIII.

Volo te, mi Sacrate, miseriarum mearum participem facere: ita enim leviores videntur fore, si eas in amicissimi hominis sinum deposuero. Accidit mihi his diebus quiddam, quod me prope ad insaniam adegit: certe quidem ita conturbavit, ut nunquam in vita commotiorem fuisse me meminerim. Nosti, opinor, facilitatem meam, & ut omnes, qui notam modo aliquam humanitatis prae se ferre videantur, in bibliothecam meam admittere, eisque mea omnia aperire ac patefacere soleam. Eorum quidam, (quis fuerit, suspicari possum, pro certo adfirmare non possum) nuper data occasione Plauti librum, in quo emendando viginti quinque annos & eo amplius insudaveram, furto subripuit: & una cum eo alios aliquot libros; quorum jactura minus me movet, quia similes aliös pecunia parare possum. Plautus me conficit, Plautus me angit, & exanimat: Plautus quiescere me non sinit. Perierunt tot annorum sudores ac vigiliae; adempta est voluptas, quam maximam ex illius lectione capiebam; praecisa spes gloriolae, quae ex tot locis emendatis sperari poterat: quam etsi non aucupor, face-

facere tamen non posſum, quin doleam, eam mihi, mea ſtultitia, aliena improbitate ſubreptam. Idem ille plagiarius, quisquis eſt, ſeptem folia libelli mei, quae tu ad me miſeras, abſtulit: in quo magis etiam improbitatem ſuam declaravit, qui id quoque ſuffurari voluerit, ex quo ad ſe quidem nihil commodi, ad me autem aliquid incommodi perventurum eſſet. Peto igitur a te, primum ut meo dolore doleas; deinde ut ad me quam primum ſeptem illa prima folia mittas: octavum enim habeo. Ego autem miſurus ad te ſtatim ſum interpretationem Graecorum, & indicem eorum, quae a librariis peccata ſunt. Vale, & me ama. Romae, III. Idus Januar. MDLXXXI.

EIDEM SACRATO.

XXIX.

Velim hoc mihi credas, Sacrate mi optime & amicisſime, non te ardentius cupere litteras meas, quam ego ad te & creberrime & longiſſime de toto rerum mearum ſtatu ſcribere cupio. Sed ita multa quotidie interveniunt, quae me varias in partes diſtrahant, ut interdum vix reſpirandi otium detur. Itaque cum hic amicos & plurimos & potentisſimos habeam, cum omnia mihi Dei beneficio non modo ad commode, ſed ad laute ac magnifice vivendum affatim ſuppetant, cum me libenter omnes videant, cum apud omnes ordines gratioſus ſim: major me tamen in dies urbis ſatietas percipit. Quando enim vivam, ſi poſt tot annos laborioſisſime actos, ne ſeni quidem quies ulla conceditur? Alius me, negotii ſui cauſa, curſitare per urbem jubet, & modo hunc, modo illum ex proceribus convenire ac colloqui; alius ſepulchralem inſcriptionem petit; alius quod in ponte aliquo, aut in baſi alicujus ſtatuae inſcribat; eſt qui hujus, aut illius ſcriptoris locum ſibi aliquem declarari poſtulet; eſt qui epiſtolam, carmen, orationem emendari, aut, quod interdum minus moleſtum eſt, totum refingi ac recudi velit. Jam quantum mihi temporis auferri putas ab iſtis, qui, quoties ipſi, nihil quod agant, habent, alios quoque omnes diffluere otio exiſtimant? Veniunt, admitti

volunt; nisi admittantur, fremunt; inhumanum esse me ac difficilem, conqueruntur; admissi, ultro etiam objurgant, quod nimis in studiis defixus sim, quasi per istos quidquam mihi temporis studiis meis tribuere licet; relaxandum interdum esse animum clamant, quem ne relaxare possim, ipsi magna ex parte obstant. Tum in alienissimos, & mihi molestissimos sermones ingrediuntur: quid novarum rerum allatum sit e Gallia? qui Belgicorum tumultuum futurus exitus putetur? quid agat, quid meditetur Pontifex? quot & quos Cardinales proximis comitiis hominum fama designet? Quarum omnium rerum ego ita non imperitus modo, sed etiam incuriosus sum, ut saepe, Romae an ruri sit Pontifex, nesciam. Obdurare tamen, & vorare haec, & talibus ineptiis verberandas aures praebere cogor, donec & ipsi tundendo defessi sunt, & ego vapulando enectus. Semianimis & ἐμβρόντητος relictus, ubi me denuo in bibliothecam abdidi, video in mensa satis multa explicata, quae mihi torporem excutere possint. Neque est, quod dicas, ista omnia, si quis obstirmet animum, posse vitari. Mihi crede, aut multae ac graves inimicitiae suscipiendae sunt, aut haec & ejusdem generis innumerabilia perferenda. Eant nunc amici, & querantur, ullum tabellarium sine meis ad se litteris venire. Quid quaeris? Harum rerum taedio de urbe relinquenda saepissime cogito, & Venetias ire, ibique, quod reliquum aetatis est, transigere discupio. Ille mihi locus ad senilem quietem ac tranquillitatem factus videtur. Atque equidem si sperarem, aliqua honesta ac tuta ratione tantum capere me illic ex fructibus pecuniae meae posse, quantum ad vitam μετριοπαθέστερον, id est, paullo mollius ac delicatius agendam sufficeret: colligerem omnes vindemiolas meas, & istuc venirem. Videor autem conficere posse ad novem aut decem millia numorum aureorum. Ea si possem ita collocare, ut & de sorte nullum discrimen esset, & in singula millia octogenos numos aureos quotannis percipere liceret: non equidem ad te accurrerem, sed advolarem. Efficerentur enim octingenti aurei nummi annui: quibus ego facile sustentare me possem. Viverem interea quietus in studiis, & multa scripta mea partim rudia & inchoata perficerem, partim affecta, & prope ad extremum perducta, edolarem & expolirem. Viderem

ed-

etiam interdum Sacratum meum. Certe enim nonnunquam aut ipse Venetias, aut ego Ferrariam venirem. O si mihi Deus hoc annuat, quam mihi videor beatus fore! Quid, si tu quoque ad hoc consilium meum adjuvandum & acceleranduin aliquid curae ac cogitationis conferas? Quod ut facias, a te peto quaesoque. Vides, quam libenter tecum confabuler? Quippe, haec enim scribo sexta hora noctis: cum periculum ab interpellatoribus nullum est. Incredibiliter doleo, aegrotasse te: convaluisse, immortaliter gaudeo; oroque te, ut vel mea causa, valetudinem tuam diligentissime cures. Sed quid est quod ais de Tiberii negotio? Nam nullus quidem mihi a te Tiberius commendatus est, nisi quae litterae interciderunt. Sed suspicor, voluisse te Victorium dicere. Accipe igitur, quo in statu res sit Cardinalis ipse mihi aperte dixit, totum negotium mala fide gestum esse, &, ne operam ea in re meam amplius interponerem, monuit: sibi tamen curae fore, ut Victorius aliquem ex mea commendatione caperet fructum. Ama me, ut facis, & vale, Romae. xvi. Kal. Septemb. MDLXXXI.

EIDEM SACRATO.

XXX.

Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibeto optimum. Tu vero bene & vere conjeciisti: sum enim totus in edolando tuo illo munusculo. Quod erit quidem mole exiguum: sed, nisi me fallit commune malum, ἡ φιλαυτία, ἐπ' ἄκρον. Sed sumne ego oblivioSus & incogitans, qui nunquam tibi de asmate illo, quod mihi tam diligenter curaras, gratias egerim? Mihi crede, usque antehac credidi me officio functum: &, si quis jusjurandum attulisset (*), jurassem, opinor, me id praestitisse. Nunc totam rem diligentius repetens, & in memoriam revocans, recordor, te mihi nunc scripsisse, cum Venetias, & inde, ni fallor, Pa-

(*) Potius, *detulisset*, vel, *obtulisset*, ut Jurisconsulti veteres loquuntur.

vium proficiscereris. Ea mihi caussa fuit, ne scriberem, dum te domum rediisse cognossem. Sed quaeso te, ne id durius accipias, neve me propterea minus ames: ac potius ita judices, tanto te mihi cariorem fore, quanto mihi plura ignoveris. Illud quoque velim scias, fuisse aliam curam, quae me dies aliquot tenuerit. Cum enim pigeret me jam hominem senem semper in conductis aedibus habitare: cogitavi de emenda domo, neque conquievi, donec id quod volebam effeci. Itaque emi domum sane & amoenam & magnificam in radicibus montis Quirinalis quinque millibus numum aureorum. Jam pacta, transacta omnia. Nunc alia me cura excepit, reperiendi illam pecuniae summam, quam tamen prope jam confectam esse confido. Cum Romam veneris, erit tibi paratum hospitium apud eum, quo neque tu quenquam cariorem habes, neque ille, quam te, quenquam cariorem. Valetudinem tuam cura diligenter, mi Sacrate, quem ego mediusfidius in oculis fero. Vale. Romae. Prid. Non Octob. ex veteri supputatione: sed ex hac nova correctione, XVII. Kal. Nov. MDLXXXII.

EIDEM SACRATO.

XXXI.

Quando, quod tibi debeo, praestare adhuc non possum, interim, ne plane malum nomen tibi videar, mitto ad te hanc qualemcunque homiliam: de qua exspecto judicium tuum. Tirocinium hoc quoddam fuit, quasique experimentum; nunquam enim antea in eo genere versatus eram. Puto tamen fore, si vita supperet, ut ejusmodi plura mediter: nusquam enim animus meus in hac jam inclinata in senium aetate libentius conquiescit. A te quin amer, non dubito: neque enim, hac quidem in re, volo tui similis esse; qui, simulatque ego paullum a scribendo cessavi, statim excidisse te mihi ex animo suspicaris. Ego vero te, etsi in scribendo piger sum, semper tamen in memoria habeo; neque dies ullus praeterit, quo non in precibus quotidianis nominatim Deo te tuaque commendem. Quod cum facio, id facio, quod summus erga me amor tuus pro-

promeretur. Vale, mi amicissime Sacrate. Romae. Prid. Id. Januarii, MDLXXXIII.

EIDEM SACRATO.

XXXII.

Otiosus sum. Non saepe usurpare mihi hoc verbum licet. Ut igitur, si una essemus, quicquid daretur otii, tecum libentissime consumerem: ita nunc tecum absens per litteras colloquar. Sed ut inter praesentes, cum sermonis argumentum deest, quaerere alter ex altero solet, ecquid novi audierit, ut inde nascatur sermonis occasio: ita fingam, te ex me nunc quaesisse, num quid novi Romae acciderit. Utrum autem respondeam, incertus sum: novane multa quotidie & accidisse & accidere; an nihil omnino novi. Nam & multa nova, insperata, inopinata quotidie eveniunt, & alia quadam ratione vetera, vulgata, usitata omnia. Hic, quem nuper nemo aspectu, nemo sermone dignabatur, repente dives effectus, colitur ab iis, qui eum haud ita pridem de salutandum quidem esse duxissent: fastidit eos ipsos, quos nuper horrebat: aditur per epistolam ab iis, qui nudius tertius eum, si quid peteret, postridie redire jussissent. Quis non hoc miretur, ut novum? Fit ille ex gregario milite Episcopus: alius multos stringere ac defricare solitus, tanquam ex fonte aliquo biberit, qui prudentes & rerum multarum experientes efficiat, (ut olim Pyrene pota faciebat poëtas,) in consilium de maximis rebus adhibetur; supercilii ac capitis motu de maximi momenti negotiis, nemine ridente, decernit. Alius, cujus mane exituri atrium cohortes clientium obsidebant, cujus aures precibus obtundebantur, manus osculis conterebantur, ab iis quos nuper aspectu beabat, insalutatus praeteritur. Cui non haec nova & admiranda videantur? Sed haec qui mirantur, nunquam eis quod mirentur defuturum est. Vetera sunt, quotidiana sunt, obsoleta sunt. Non tam mirandum est, quod eveniant, quam mirandum esset, si non evenirent. Quam multos, qui diu jacuerant, in altum repente sublatos; quam multos, cum diu in sublimi stetissent, mo-

mento dejectos vidimus? Qui talia mirantur, ſolem veſperi occidere, eundemque mane redire mirentur. Ego ſi in quempiam virum antiquae fidei ac probitatis incederem, qui & aliis honeſta praeciperet, & ipſe ad regulam ſuam viveret; qui ſine ambitione, ſine ſimulatione, ſine malis artibus ad virtutem & ad honeſtatem tota mente ferretur: clamarem, *Porro Quirites.* Id mihi novum, inuſitatum, admirabile videtur. Aegrotare hunc, illum mortuum eſſe; alii natos liberos, alii mortuam uxorem; illum iter ingredi, hunc in urbem redire: haec ita communia & tralatitia ſunt, ut mirer eſſe, qui talia mirentur. Sed nonne divinaveram fore, ut non diu otioſus eſſem? Ecce tibi neſcio quis fores cubiculi pultat. Quicunque eſt, exſpectabit tamen, dum has litteras obſignavero. Multum illi debes, quisquis eſt. Onerasſem te hodie tam multis nugis, ut petiturus fueris a me, ut potius nihil omnino ſcriberem, quam talia ſcriberem. Sed iteterum ac tertio jam verberatae ſunt fores. Valebis igitur, & ineptias meas aequo animo feres. Romae. 16. Kal. April. MDLXXXII.

EIDEM SACRATO.

XXXIII.

Reperiam tamen aliquando aliquid temporis, quod in ſcribendis ad te litteris ponam: meque tibi de tam diuturno ſilentio purgem. Purgabo autem me uno verbo: Purgabar. Quod niſi me Deus, ut tempeſtive facerem, in mentem immiſiſſet, ſi ulla medicis fides habenda eſt, praeſens mihi letalis morbi periculum imminebat. Ita mihi ingens quaedam copia pituitae ac bilis atrae omnes corporis meatus obſtruxerat, vix ut evaſurus viderer. Sed bene, quod occupavimus, celeresque fuimus in praecavendo. Si paullum modo ceſſatum eſſet, fuerat tibi amicus, Sacrate. Nunc redeamus ad veterem conſuetudinem noſtram confabulandi per litteras, &, ut praeſentes ſolemus, feriis joca, jocis feria commiſcendi.

Ita

Ita multa in unum jura ut cum miſcet coquus.

Accepi inſitia tredecim, numerum huic pontificatui congruentem: & cum eis ſcopas excutiendo e veſtibus pulveri binas ſane quam elegantes. De iis omnibus habeo tibi, ut par eſt, magnam gratiam. Vellem quoque aliquid eſſet, quod tu tibi curari velles, non deeſſem officio. Sed tu jam pridem ita mecum ſocietatem coiiſti, ut tuae partes ſint dandi, accipiendi meae. Tuum tamen aliquando fuerit, aliquid mihi mandare, quod tua cauſa faciam; niſi operam meam tam parvi deputas, nihil ut tibi navare poſſim. Equidem ſi nihil aliud potero, augebo ac cumulabo acceſſione aliqua munuſculum illud, quo tu tanto opere oblectari viſus es: commentariolum illum dico in particulam Pandectarum. Quem perpolitum diligentius, & altero tanto auctiorem tibi denuo apponam: etſi non ſum neſcius, repetita crambe quid audire ſoleat. Sed non poſſum facere, quin tibi aſſidue aliquid oneris imponam. Ardeo incredibili quadam cupiditate libri cujusdam asmatum Cypriani Roris, qui quotus ſit, neſcio: ſed ea ingna huic epiſtolae ſubjiciam, ex quibus facile, quid velim, intelligi poſſit. Ac vide, quantopere tua facilitate abutar. Velim te & per te & per amicos operam dare, ut eum reperias, & ad me mittas, precibus, pretio, quoquo modo. *Mea nihil refert*, ait adoleſcens ille Terentianus, *dum potiar*. Levicula res videri poteſt: ſed tamen magnum mihi a te officium tributum putabo, ſi hanc moleſtiam mea cauſa ſuſcipere ac devorare non gravaberis. Hoc igitur ita a te peto, ut ardentius ac majore ſtudio petere, hoc quidem tempore, nihil poſſim. Fer, quaeſo te, hoc ineptum ſtudium meum, & amico, quaſi aegrotanti, obſequere. Ama me, & valetudinem tuam cura. Romae. 14. Kal. Jul. MDLXXXII.

EI-

EIDEM SACRATO.

S. D.

XXXIV.

Et annua, quae mihi voluntate praestas, accepi libenter, & epistolam tuam libentissime Quam cum uno obtutu totam percurrissem, principio miratus sum, nihil in ea inesse, quod ad eam, quam ad te proxime scripseram, pertineret. Postea animadverti scriptam esse de mense Aprili, quod admirationem sustulit. Quid ego nunc tibi gratias agam? Magis mihi curandum, ut tibi aliquid pro ista liberalitate tua reponam, quod omnino faciam. Hanc enim aestatem, simul atque otium erit ab hoc jam pridem molesto publice docendi munere, decrevi mihi vindicare, & in scriptis quibusdam meis edolandis consumere, in quibus erit aliquid jam pridem Sacrato sacratum. (*) Nam quod tu mea extollis, tua abjicis: ne vivam, si quidquam a me praestari tibi posse arbitror, in hoc quidem genere, quod tu si asse emeris, non nimis care emeris. Sed quando ipsi me juris magistri docent, tanti esse quidque, quanti vendi potest: non ego quidem te fallam, neque committam, ut ex aedilitio edicto mecum experiri queas. Sed si tu te ipse indues, si pluris licitaberis mea, quam ego ipse addicerem: errare te patiar, neque ero tam stultus, ut pretium rebus ipsemet meis detraham. Ago tibi ingentes gratias, Sacrate optime & humanissime, & ad illam verbosam epistolam, quam nuper ad te dedi, aliquid exspecto. Vale Romae, ipso pervigilio Pentecostes. MDLXXXIII.

(*) Puerilis lusus in verbis.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

GILBERTO GENEBRARDO,

THEOLOGO ERUDITISSIMO, ET SACRARUM LITTERARUM DOCTORI REGIO.

XXXV.

Et litterae tuae suaves mihi atque optatae fuerunt, & liber, quem ad me misisti, multis nominibus carissimus. Primum quod ingravescente jam aetate, sero quidem (video enim, quanto id maturius facere debuerim,) sed tamen aliquo, ut spero, cum fructu, in sacrorum librorum lectione quotidie temporis aliquid ponere institui, magis magisque in dies perspiciens, alia omnia inania esse, ex eis solis veram animi quietem, solidum & efficax remedium adversus improbas cupiditates, certissimam molestiarum, quibus in hac vita conflictantur etiam, qui felicissimi videntur, consolationem peti oportere. Mihi autem, quanquam in aliis studiis minoris momenti non prorsus inexercitato, in his tamen plane tyroni, multa occurrunt, in quibus haeream, neque satis ipse per me explicare me possim. Ac facio quidem quod Moses jubet, ut interrogem senes meos, id est, ut illos perpetuo ecclesiae consensu probatos Patres consulam, ex illorum libris, eorum quae minus intelligo, explicationem petam. Sed illi plerunque grandia quaedem & sublimia loquuntur, ἀπερεισὰ καὶ ἀναγκαῖα, quae ego suspicio quidem & admiror, & divinitus cogitata esse video: sed tamen, ut puerulus, lac concupisco, & aliquam ejusmodi interpretationem requiro, quae simpliciter ac dilucide sententiam eorum, quae lego, Grammaticorum more singula verba minutatim persequens, mihi patefaciat. Ea suffulto ac subnixo faciliorem mihi ad ardua illa gradum fore, confido. Cum tu igitur, talis tantusque vir, tale quoddam munus non susceperis modo, sed, ut ex litteris tuis intel-

telligo, magna jam ex parte confeceris: quantum tibi me, Genebrarde, quantum alios mei similes, qui sane multi sunt, eo nomine debere arbitraris? Deinde quod a psalmorum potissimum editione exorsus es, vix credas, quam id mihi gratum optatumque obtigerit. Mirabiliter enim capior ejus libri lectione: cumque mihi certa pars illius ex ecclesiae instituto quotidie legenda sit, subiniquo interdum animo ferebam, tam multa esse, quae intelligentia consequi non possem. Ex quo autem librum tuum accepi, sensi magnam mihi detractam ejus molestiae partem. Ideoque quoties eam in manus sumo, (quotidie autem id facio,) fausta tibi ac felicia omnia comprecor, & quanta maxima possum animi contentione a Deo peto, ut tibi ad tam sanctum ac salutare opus perficiendum vitam prorôget, vires augeat, otium ac quietem tribuat; inprimis autem, ut mentem tuam perpetua spiritus sui luce collustret. Perge, obsecro te, Genebrarde, in tam sancto proposito: etiamsi scires, industriam tuam ab iis, qui in cathedra pestilentiae sedent, non risu modo, sed probris ac conviciis omnibus exceptum iri. Quanto pluris apud te esse debet, quod omnes te pii ac probi laudabunt; quod pro te vota facient; quod, etiamsi ab hominibus nihil consequare, is ipse qui hoc beneficium hominibus per te praestat Deus, bonum opus suum in te remuneraturus est Summo quidem Pontifici, cujus tu judicium & auctoritatem, ut facis, maximi facere debes, liber tuus jucundissimus fuit: eique si pari studio ac fide in ceteris sacrosanctis libris illustrandis perrexeris, neque facultas, neque voluntas ornandi tui defutura est. De negotio tuo quid actum sit, e fratre tuo intelliges. Vale, meque mutuis apud Deum precibus adjuva. Romae. IV. Id. April. MDLXXXI.

M. ANTONIO MURETO

ASCANIUS COLUMNA S. SOPHIAE ABBAS

S. D.

XXXVI.

Memini, Murete, Romanorum eloquentissime, (Romae nostrae gratulor, quod te Gallum hominem Romanum & civem meum appellare possim,) memini, inquam, mi Murete, cum Romae te publice dicentem docentemque puer audirem, tanta me ad eloquentiae studia cupiditate incensum, ut si quid in iis profeci, quantumcunque illud sit, totum tibi deberi videatur. Accesserat huc privatae tuae ad eloquentiam cohortationes, quae ex eo tempore ita adhuc haerent in animo, ut noctes ac dies quibusdam quasi stimulis pungant. Deterret interdum ab inepto difficultas, & statim ac, quantum ab hac laude absim, cogito, debilitatur & languescit industria. Sed revoco ipse me, & ut animos mihi ipsi addam, ingenii periculum facere interdum libet. Orationem superioribus diebus habui in funere serenissimae Annae Austriacae, Hispaniarum Reginae, quam ad te cum his litteris mitto. Si quid erit, quod Romanas aures offendat, scito philosophorum & jurisconsultorum barbariem candorem illum Latii quodammodo infuscasse; tanta jam sunt cordis & linguae facta dissidia. Sin quid erit, quod a te laudare possit, fruere tanto bono, & gaude, te Romanam juventutem ad amissam eloquentiae possessionem recuperandam & verbis & exemplo excitavisse. Vale. Salmanticae. Pridie Id. Maj. MDLXXXI.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

ASCANIO COLUMNAE S. SOPHIAE ABBATI

S. D.

XXXVII.

Beatus mihi viderer, Ascani, adolescens praestantissime, si id, quod scribis, penitus credere auderem, & exemplo te & cohortatione mea incitatum, eloquentiae studio exarsisse: neque id minus mihi glorioſum ducerem, quam aut Herodoto, aut Callistrato fuit, illi Thucydidem, huic Demosthenem ad ea studia, in quibus uterque postea principem locum tenuit, excitasse. Sed vereor, ne tu, pro illa, quae ita generi vestro propria ac perpetua est, ut in te tamen mihi quidem semper eminere praeter ceteros visa sit, humanitate ac comitate, id mihi sponte tribuere volueris, quod hominem, quem tui observantissimum & gratiae tuae cupidissimum esse cognosces, libentissime auditurum putares. Utut tamen est, nolo obstare ipse felicitati meae, neque committere, ut & tibi minus, quam par est, fidei habuisse videar, & hoc tanto tamque insperato gaudio, quod mihi a te objectum est, minus liquido ac sincero fruar. Dicar sane & nunc & apud posteros, Ascanio Columnae, magni illius M. Antonii filio, Romanae juventutis Principi, dux & auctor ad eloquentiam fuisse: qua ille postea, non me modo, qui quam non excellam sentio, sed omnes aequales suos magna omnium cum admiratione superarit. Glorioſum mihi fuerit ab eo victum fuisse, cujus ego patrem, de victo communi hoste triumphantem, frequentissima populi Rom. concione celebrarim. Perge igitur, Ascani, perge, Romanae nobilitatis eximium decus, & cum philosophiae ac jurisprudentiae studiis, in quibus mirificos te progressus fecisse & audio, & facile credo, istam ornate copioseque dicendi laudem conjunge. De oratione tua ingentes tibi gratias ago, atque a te peto, si quid postea ejusmodi ederis, uti me participem facias. Ego quoque meorum ali-

aliquid ad te mittam, si ex litteris tuis gratum tibi id fore cognovero. Vale. Romae. Prid. Id. Junii MDLXXXI.

Q. CORRADUS
M. ANTONIO MURETO
S. P. D.
XXXIX.

Vix enim aliud a me nunc quidem erit impetrabis. Nam scribere accuratius dum volo, diu officium negligere sum coactus, quod epistolam non invenio adhuc dignam eloquentia tua. Itaque Marcelli Vestrii & Antonii Militiae mei litteris, & amore potissimum tui semper antea permotus, nunc jam nimium sero, hanc ad te, quidlibet potius quam epistolam, scripsi, testem veteris observantiae in te meae. Spero mihi posthac faciliorem aditum fore ad te scribendi, illo saltem nomine, quod ex litteris tuis mearum se offeret occasio multa litterarum. Tu fac nos ames: equidem rapior ad amorem tui. Vale. Neapoli. IV. Non. Maji.

M. ANTONIUS MURETUS
Q. MARIO CORRADO
S. D.
XL.

Pergratae mihi fuerunt litterae tuae. Antea enim, fatebor, subinvidebam amicissimis quibusdam meis, ad quos extant epistolae tuae, quod in eis ad me nulla legeretur. Ac, quod tu, quasi communis quidam omnium, qui in Italia sunt, elegantium atque eruditorum hominum pater, cum illam inter

eos gloriae ac nominis hereditatem divideres, nullam mihi ejus ne unciolam quidem aſperſiſes, ſed me tanquam ἀγροικόν τινα καὶ ἄμουσον praeteriiſes: meditabar olim, ſi ita fors tuliſſet, adverſus tabulas tuas inofficioſi querelam. Extra jocum, Corrade, vir optime & eruditiſſime, multi jam anni ſunt, cum e ſermonibus primum Petri Jo. Perpiniani, qui, dum vixit, mihi conjunctiſſimus fuit, deinde multo etiam magis ex libris epiſtolarum tuarum, tanti te facio, ut verae ac ſolidae eruditionis, eximia quadam Latinae orationis facultate ac copia, tecum ex hujus aetatis hominibus paucisſimos comparem, neminem certe anteponam. Itaque quoties mihi copia fuit hominum, qui te familiarius noſſent, quaerebam ſtudioſe de te, de moribus tuis, (quos tamen ſatis mihi videbar e ſcriptis tuis habere perſpectos,) de tua valetudine, de toto denique rerum tuarum ſtatu: ut omnes facile cernerent cupiditatem conſtituendae tecum amicitiae meam. Nunc te quoque erga me eodem animo fuiſſe video: neque quidquam a perfectione amicitiae noſtrae aliud aberat, quam ut uterque agnoſceret alterius erga ſe voluntatem. Antehac enim erat τὸ μὲν, λανθάνων ἐμαυτόν. Quae cum ſe tandem patefecerit, ſerius quidem, quam par erat, & quam ego cuperem; quaeſo te, mi Corrade, ita enim vocare te poſſe videor, quaeſo, inquam, te, demus operam, ut eam, pro ſua uterque parte, omni officiorum genere quam diligentiſſime colamus. Ego, quid a me tibi praeſtari poſſit, nondum video: illud quidem tibi omni adſeveratione confirmo, ſi quid evenerit, in quo tu perſpicere ſtudium erga te meum velis; curaturum me, ut re ipſa intelligas, neminem tibi eſſe, quam ego ſum, vere atque ex animo amiciorem. Vale. Romae. XIV. Kal. Junii.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS THOMAE MARTINO SUO.

XLI.

Nisi me tibi bene notum esse confiderem, Martine optime & humanissime, valde vererer, ne apud te venissem in magnam opinionem non tarditatis modo, a quo vitio me interdum non longissime abesse fateor, sed etiam ejus, a qua semper abhorrui, inhumanitatis. Ad litteras enim, quas ad me plenissimas amoris & officii Lutetia de mense Septembri dedisti, nunc demum, id est, quarto post mense, respondeo. In quo tamen nulla a me culpa contracta est. Nunc enim eas a Castorio nostro accepi, eisque magna cum animi voluptate perlectis, statim me ad scribendum contuli: ut hae, quibus me apud te omni suspicione exsolverem, paratae essent, simul atque esset cui darem. Quod conservas memoriam mei, amiceque de me, cum occasio est, loqueris, gratiam habeo. Ego quoque te, mihi crede, unice amo: neque quidquam est, quod quidem a me praestari queat, quin ego id libenter ac cupide etiam, causa tua facturus sim. Debeo hoc virtuti & eruditioni tuae: debeo amori erga me, quem in te mihi perspexisse videor prope singularem. Quod autem etiam clarissimum ac praestantissimum virum, Archiepiscopum Narbonensem, usque eo amicum esse scribis, ut de me, homine tenui & infimae sortis, tantus vir & amanter & honorifice loquatur: qua me laetitia ex isto nuncio esse affectum putas? Cujus tu gratiam, quaeso te, Martine mi, omni mihi ratione conserva: eique meo nomine pollicere, me ea quidem, quae sunt ingenii & eruditionis, & ejus generis laudum, nolle in me recipere, neque ea causa teneri: certe quidem quae de meo erga catholicam religionem animo, de studio bene merendi, quantum in me erit, de omnibus, aliisque ejusmodi praedicare dignabitur, ea me perpetuo, cum Deo volente, cumulate praestiturum. Puteanus jam pridem desiit ad me scribere: quod ego, dum me amore

pergat, aequo animo feram. Nihil enim ab amicis, nisi commodo ipsorum, postulo. Illum Musarum chorum, quem litteris tuis complexus es, & μακαρίτην. Auratum; Ronsardum pridem Pindarum, nuper etiam Homerum Gallicum; suavissimum mihi amicissimum fratrem meum, & jam illi Homero supparem Hesiodum, Baisium: & eum, cui ego quam nomine, utinam & eruditione tam propinquus essem, Duretum; & elegantissimi hominem ingenii, Passeratium, meos veteres amicos, quorum ego ipse recordatione recreor & afficior intimis sensibus: eos igitur omnes mihi vicissim saluta. Vale.

M. ANTONIUS MURETUS
ALEXANDRO JUSTINIANO MEDICO
S. D.
XLII.

Quod ad tuas amantissime scriptas litteras serius respondeo, certo scio te &, cur id faciam, cognoscere, & quod faciam, ignoscere. Illae vero mihi pergratae, perque jucundae fuerunt, &, si quid mihi credis, visae sunt aliquam morbi partem levasse. Ego ille, Alexander, qui nunquam in vita ne levissimo quidem morbo tentatus fueram, totos viginti dies in lecto decubui: cum interea cibo & paucissimo & tenuissimo utens, quem tamen ipsum vix capere poteram, idem potarem, quod canes. Itaque partim inedia, partim purgationibus ita exhaustus sum, ut ipsemet mirer. Neque minus animus exinanitus est: cum hoc toto tempore nihil legere, nihil scribere, nihil meditari licuerit. Quare illa tua, quae ostendis te esse missurum, mitte, quaeso te, quam primum, ut ad hominem famelicum. Sed, amice magne, noli id facere ea spe, qua significas fore, ut a me accipias χρέσιν ἀντὶ χρεωστίου. Nam & tua omnia χρέσιν plane sunt, & mihi ne χρέσις quidem sunt domi. Imitare potius hominum vere liberalium ingenium atque naturam, qui quicquid pos-

possunt, in eos, quos amant, conferunt, nulla spe, ut ait Aristoteles, quidquam ab eis recipiendi. Saluta mihi diligenter Johannem Dallianum nostrum: ad quem scribam cras: nam nondum multum uno die scribere audeo: tibi autem, qui prior scripseras, prius responderi aequum fuit. Vale. Prid. Non. Oct. Patavio.

EIDEM.

XLIII.

Vere judicas, nihil detractum esse de vetere illa nostra conjunctione propter diuturnam intermissionem litterarum. Neque enim unquam desii amare te, de te studiose ex omnibus; qui istinc veniebant, quaerere, gaudere, cum audirem ea, quae cupiebam, quaeque sperabam: neque unquam dubitavi, quin tu eodem semper erga me animo esses. Itaque gratissimae mihi fuerunt litterae tuae: eruntque eo gratiores, quo crebriores, dum id nullo tuo incommodo fiat. Quanquam enim magnam ex earum lectione voluptatem capiam: majorem tamen a te commodi tui, quam voluptatis meae, rationem haberi volo. Johannem Bisfonerium ita amabam multis nominibus, ut vix putarem ad eam voluntatem, qua jam eum complexus eram, ullam accessionem posse fieri. Tantum tamen accessit commendatione tua, quantum nunquam cogitassem. Neque mihi quidquam molestius, quam quod ejus consuetudine brevi carituram me video. Cogitat enim Bononiam, ut illic se totum dedat studio juris civilis. Ego eum Sigonio, Amasaeo, ceteris ordinis mei hominibus, de meliore nota commendabo. Tu quoque, qui multos illic veteres amicos habes, si idem feceris, id, quod ingenio & consuetudini tuae consentaneum est, feceris. Si quid est, quod hic a me aut tibi, aut tuorum cuiquam curari velis, quaeso te, ut plane persuadeas tibi, me omnia causa tua semper cupidissime diligentissimeque facturum. Vale. Roma. VI. Id. Aprilis.

M. ANTONIUS MURETUS HIERONYMO ZOPPIO, BONONIENSI PHILOSOPHO, S. D.

XLIV.

Tragoediam sive ab auditoribus tuis, ut scribis, sive, ut mihi verisimilius fit, a te ipso conscriptam, non tantum cum voluptate, sed etiam cum admiratione perlegi: ita mihi visa est longe supra consuetudinem hujus aetatis, ornata multis & gravibus sententiis, & tempestive prolatis, & grandi ac sublimi verborum genere illuminatis. Jam quod fabulam ipsam leviter immutasti, paulloque aliter tractasti, quam a veteribus tradita est, factum a te prudentissime & summo artificio judico. Nam & veteres ipsos ejus rei auctores habes: & non magna mutatione personas, quales Aristoteles ad tragoediam aptas esse vult, reddidisti. Totum autem poëma olet Academiam, olet Lyceum, olet philosophiam, non illam horridam & inculcam, & aut elinguem, aut stulte clamosam, quae hodie scholas prope omnes occupavit: sed vetustam illam Atticam, ornatam ingenuarum artium multo splendidoque comitatu. Neque dubito fore, ut aut omnibus placeat, aut iis tantum displiceat, quibus displicere laus est. Ne me tamen haec auribus tuis tribuere dicas, indicabo etiam, quae non probem: ut tanto magis intelligas, mihi cetera probari. Quod igitur in prologo omnes, quibus probitas ac pietas cordi est, jubentur exire, ut ii tantum spectent, qui crudelitate, & immanitate pascuntur, non placet. Ista enim ratione vacuum relinqui theatrum, necesse est. Ac scio, haec figurate dici: sed hoc dico, figuram ipsam mihi nullo modo probari. Illa quoque, quae ad mulieres pertinent, ut lepida & arguta videri queant, certe tragicae gravitatis aliena sunt. Et, ut se-

semel dicam, totum prologum delerem, neque ullo prorsus prologo uterer. Ubi enim chorus est, tali prologorum generi locus esse non potest. Etenim, Zoppi, veteres poëtae, (quod tibi quoque pro tua singulari eruditione notum esse sat scio,) si quid ad se commendandos, aut defendendos dicere necesse habebant, id faciebant in choris, cum in reliqua fabula non liceret: cujus rei aliquot apud Aristophanem exempla sunt. Neque tum ullo tali prologo utebantur, quales sunt Plautini aut Terentiani: sed quae prima persona prodibat, cujus opera pars argumenti cognoscebatur a spectatoribus, ea προλογίζειν dicebatur. Posteaquam populus Atheniensis, exhausto diuturnitate bellorum aerario, inania sumptuum amputavit, & comoediis choros dare desiit, tum demum illud prologorum genus natum est; & nova comoedia, quae chorum non haberet, talibus prologis uti coepit. Tragoedis semper ex publico datus est chorus: idcircoque nunquam tragoedia tales prologos habuit. Quare qui veterum consuetudinem in reliquo poëmate accurate ac diligenter retinueris: hic quoque, quod hominum antiquitatis imperitorum insciția invectum est, deleas censeo. Placeret etiam, ita edi hanc fabulam, ut ne notarentur principia actuum, sed ita continuarentur omnia, ut in Aeschyli, Sophoclis, Euripidis tragoediis, etiamque in Aristophanis comoediis factum. Vera causa est, cur ita fieri censeam: sed malo eam in aliud tempus rejicere. Omnino autem illam inutilem, & supervacaneam, & a stultis litteratoribus excogitatam actuum in scenas divisionem, quaeso te, ut tollas. Lysae nomen peregrinum adimerem: Italicum darem. Nam & Plautus cum Luxuriam & Inopiam loquentes faceret, non illam Tryphen, hanc Peniam vocavit: sed utrique nomen Latinum dedit. Quod alicubi apud inferos *solem fieri* ais, cum tenebras, ut opinor, & caliginem significes: vereor, ne imitari voluerīs Virgiliana *Lunae silentia*, & in eo Politiani errorem secutus sis. Certe enim silentia, id est, conticinium, non ut ille ratus est, tenebrae, quas efficit siderum conjunctio. Nam Trojam plenilunio captam esse constat. Halcyonios quoque videris vocare aves ipsas. Vides, haec quam levia sint, quamque pusilla. Quae, rogo te, ut in bonam partem accipias, &, quod tam sero ad tuas litteras respondeam, ignoscas occupationibus meis. Ego,

Zoppi, vir eruditissime, & toti civitati Maceratensi bene ex animo cupio, mihique occasionem opto aliquam dari, qua id re ipsa declarare possim: & te, quem nunquam praesens praesentem videre memini, singulari tua eruditione commotus, in sinu atque in oculis fero. Vale. Romae, III. Kalend. Sext.

M. ANTONIUS MURETUS SINIBALDO ANTONINO

S. D.

XLV.

In summis occupationibus meis, Sinibalde Antonine, quae me respirare vix sinunt, legi tamen dialogum tuum, & voluptatem longe maximam ex ejus lectione percepi. Delectarunt me argumenta & ingeniose excogitata, & denso, & vivo, ut ita dicam, ac spiranti orationis genere expressa. Itaque ut Pythagoram ajunt e modulo pedis, quanta corporis mole fuisset Hercules, judicasse: sic & ego ex hoc brevi commentariolo facile de tui ingenii magnitudine ac praestantia judicavi. Amor autem erga me tuus, quem plane singularem omni ex parte declaras, noli quaerere, quantopere mihi gratus ac jucundus sit. Neque enim ullum unquam mihi majorem fructum vigiliarum ac laborum meorum proposui, quam ut a tui similibus amarer. Quare etsi non agnosco eas laudes, quas tu αὐτῷ τῷ δουλάκῃ, ut ajunt, in me congeris: summe tamen amo istum amorem, qui tibi homini tam acuto ac perspicaci tenebras offuderit, eaque de me sentire ac praedicare coëgerit, quae ne tu quidem, quanquam disertus es, alii cuiquam facile persuadere possis. Dialogum edas censeo: nolo enim ita modestus videri, ut gloriae tuae mea modestia obstet. Auctor etiam tibi sum, ut alia meditere ac procudas, neque reformides obtrectatorum voculas: quae in proscenium prodeunti nonnihil fortasis molestae futurae sunt: ubi tibi semel audientiam feceris, conticescent. Vale. Romae.

AN-

ANTONIUS CONSTANTINUS
M. ANTONIO MURETO
S. D.
XLVI.

Hieronymus Centurio, adolescens nobilissimus, qui tibi has litteras tradet, mihi longe carissimus est, idemque bonarum artium studiis mirifice deditus, tui autem ita studiosus a me litteras, quas ad te perferret, ut sibi darem, in magni muneris loco petiit. Haec autem tria, quae de eo dixi, sic alia ex aliis apta & colligata sunt, ut uno posito, cetera quodammodo consequantur. Nam neque potest quisquam bona studia colere, qui te non colat: & mihi, nisi qui te colat atque observet, amicus esse nemo potest. Sed hic, ut dixi, & me amat, & bonarum artium studio incensus est, & te tanti facit, quanti omnes, qui te norunt, aut faciunt, aut facere debent. Velim igitur ita eum excipias, ut confirmes id, quod ego saepe praedicare soleo, meam commendationem apud te non minimum ponderis habere. Scripsi etiam nudiustertius ad te de statu meo, de mea valetudine, deque omnibus rebus meis: ac spero, me quam citissime aliquid abs te litterarum accepturum. Vale. Genuae. IV. Non. Novembr. MDLXXXI.

M. ANTONIUS MURETUS
CONSTANTINO SUO
S. D.
LXVII.

Litteras a te post discessum hinc tuum nullas accepi, praeter eas, quae mihi mensem fere abhinc unum reddi-

tae sunt, una cum vasculo conditi e malis Persicis, quod mihi sane jucundissimum fuit. Tam multa tibi adversa evenisse, moleste fero: incolumem te ex illis evasisse, immortaliter gaudeo. Quod me amas, scito te id mutuo facere. Et si quid accidit, in quo declarari tibi velis, quanti a me fias, non fallam opinionem tuam. Vinum quod te missurum scribis, si erit, per quem commode mittas, ita demum mihi gratum futurum est, si nullo tuo sumptu id fiat. Omnino enim sumptum a te nullum mea causa fieri volo. Satis superque mihi futurum est, cum quid istinc mihi curari volam, (erunt autem interdum nonnulla quae velim,) si mea causa operam dederis, ut lecta omnia & cum fide ad me adferantur. Pretium & pro merce & pro vectura statim adnumerabo, cui tu scripseris, & quantum scripseris. Respondissem citius ad litteras tuas, si eas ad me Centurio ipse attulisset. Sed nuper admodum ad me venit. Ego autem, antequam eum viderem, cui litteras ad te tuto dare possem, nesciebam. Visus est mihi adolescens honestissimus, & dignus tum nobilitate gentis suae, tum tua commendatione. Itaque detuli ei prolixe mea omnia: omninoque puto fore, ut ante aliquot menses extet egregia aliqua significatio voluntatis in eum meae. Mittam ad te scripta quaedam mea, simulatque has litteras ad te perlatas esse cognovero. M. Antonius fratris mei F. te salutat, crebro de te loquitur, amat te, ut debet, ex animo, & ad te prope diem scribet. Tu quoque perge amare utrumque nostrum, & vale. Romae. Idib. Jan. MDLXXXII.

EIDEM.

XLVIII.

Litterae tuae datae 5. Kalend. Februarii redditae mihi sunt pridie Kalend. Martii: quod equidem & miratus sum, & submoleste tuli. Magnam oportet esse tabellariorum socordiam, magnam tarditatem. Ego quoque ad eas serius respondeo, quam par fuit. Sed spero te id facile condonaturum perpetuis occupationibus meis. Sumptum a te mea causa fieri omnino nullum volo: nisi tu quoque tibi hinc aliquid mitti voles, quo inter nos paria faciamus. Vinum, cum commodum erit, ex-

exſpecto. Sed librorum veterum, de quibus ſcribis, tantam mihi cupiditatem injeciſti, quantam tu quoque, qui me noſti, conjicere facile potes. Nihil mihi gratius facere potes, quam ſi eos ad me miſeris. Ego autem ita cumulate tibi gratiam referam, ut omnes homines intelligant, te mihi cariſſimum eſſe. Mihi crede, perficiam, ut ex iſto tuo in me officio ſingularem aliquando capias voluptatem. Sed vide, ut ad me diligenter ac fideliter perferantur. Scripta quaedam mea, quae ad te mittere cupio, recuperare a quodam, qui ea a me inſpicienda rogavit, nondum queo. Neque tamen dubitare debes, quin ea ad te quam primum miſſurus ſim. Quid Spinulae acciderit, ſcio iſtuc perlatum eſſe. Mirifica res viſa eſt prope omnibus, qui eum norant. Ego eum divino ſpiritu afflatum, & ad hanc vitae mutationem impulſum fuiſſe non dubito. Sunt tamen, qui aliter loquantur. Ama me, Conſtantine mi, & vale. Romae, v. Id. Martias. MDLXXXII.

ANTONIUS CONSTANTINUS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

XLIX.

Tamen nihil reſpondes, quaternis jam meis litteris provocatus. Quid putem? meas ad te perlatas non eſſe? Facit quidem tuum iſtud ſilentium, ut tale quidpiam ſubverear. Sed tamen ſuſpicionem quae minuant, multa animo occurrunt. Quid igitur? occupatum eſſe te? video fieri aliter non poſſe. Scio enim, inibi eſſe te, ut intermiſſa ſtudiorum tuorum curricula repetas. Sed quae poſſunt occupationes eſſe tantae, ut non vacet ad hominem amiciſſimum, tuarumque litterarum ſitientiſſimum, duobus verſiculis ſcribere? Obſecro te, excita e ſomno humanitatem illam, illam tuam; neque patere litterarum tuarum deſiderio languere me diutius. Etiam atque etiam vale, mi Murete, columen fortunarum mearum. Ticini. III. Idus Octobris. MDLXXXII.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS Junior ANTONIO CONSTANTINO S. D.

L.

Patruus meus in aliorum quidem officiorum ratione satis bonum nomen & esse se, & haberi ait: sed in litteris ultro citroque mittendis jam pridem decoxisse, neque sperare se unquam salvendo fore. Tam multos enim in hoc genere creditores habet, ut jam qui tempore priores, qui posteriores sint, rationem inire non possit. Quosdam tamen praecipuos habet, in quibus tu es: quibus brevi se non tantum soriem, sed etiam omnes praeteriti temporis fructus exsoluturum pollicetur. Nescio autem, quid ipsi venerit in mentem, ut me tibi hoc tempore delegare voluerit: qui cum nec ipse nomine tantum debeam, quantum amantissimo praeceptori debere non ingratus nec immemor discipulus potest: quomodo hoc quoque aes alienum suscipere, aut a te idoneus haberi possum? Parendum tamen est: quomodo enim ipsius imperio adverser? Tu modo sequere, obsecro, non invitus fidem meam. Si enim nihil aliud potero, at quotidie urgebo, appellabo, instabo, neque desinam obtundere, donec aliquid extudero. Scio autem, illum jam in eo esse, & aliquid meditari libelli, quod in tuo nomine appareat. Saepe enim dicentem audivi, se pudore jam quodam, ne ad te scribat, impediri: neque tibi amplius epistola, sed libro aliquo ad te misso satisfieri posse. Tu modo scito, & litteras tuas, & librum Senecae, & illa laute sane & opipare condita ac concinnata, seu bellaria seu tragemata vocanda sunt, (rem enim ipsam teneo, nomen non teneo,) ad nos pervenisse, & omnia fuisse gratissima: te tamen ipsum, si huc veneris, cujus rei spem nobis postremae tuae litterae ostendunt, eoque magis, si eos libros veteres, quorum indicem misisti, attuleris, & ipsi & mihi longe optatissimum ac jucundissimum fore. Vale. Romae. Prid. Id. Maji. MDLXXXII.

AN-

ANTONIUS CONSTANTINUS

M. ANTONIO MURETO JUNIORI

S. D.

LI.

Litterae tuae, quas paucis abhinc diebus accepi, tantam mihi voluptatem attulerunt, ut nulla major adferri potuerit: tum quia tuae sunt, tum etiam quia ex illis cognovi, omnia, quae a me vobis missa sunt, tuto istuc pervenisse. Sed quid, quaeso, ais, M Antoni suavissime, patruum tuum in litteris ultro citroque mittendis decoxisse? Ego vero nullum aliud officium ab eo facilius expletum iri putassem: mecum praesertim, qui ea lege ab eo, ut ad me scribat, peto, ut commodi sui rationem quam maximam habeat. Cum autem mihi & sortem & praeteriti temporis fructus se exsoluturum polliceatur, quid minus, quam eum decoxisse, credendum est? Pudore illum impediri, ne ad me scribat, epistola mihi satisfieri non posse, sed libro aliquo ad me missa, σκώπτεις ὦ ἀνθρωπε. Sed extra jocum, Murete mi, (arbitror enim jocatum esse te, cum illa scriberes,) a patruo tuo mihi nihil plane debetur. Ego vero me illi tantum debere sentio, ut, si vel vitam ipsam pro eo profundam, tamen ne minimam quidem magnorum ejus erga me meritorum partem videar consecuturus. Tu, ut coepisti, perge scribere ad me quam saepissime poteris de tua patruique tui valetudine, de tuis studiis, & si quid [illegible] habebis: ac tibi persuade, nihil te hoc mihi gratius facere posse. Ego contra recipio tibi, me operam daturum, ne quid ex officio meo desideres. Vale. Genuae. Kalend. Quintilis, MDLXXXIII.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

CONSTANTINO BARGELLINO,

EPISCOPO REATINO,

S. D.

LII.

Vide, quam non sim curiosus. Te, quem jam pridem videre discupio, prius ex Urbe discessisse cognovi, quam in Urbem venisse cognossem. Neque hoc mirabitur quisquam, qui ingenium ac consuetudinem meam noverit: cum de ipso Pontifice plerumque, rurine an in Urbe sit, nesciam; & saepe de iis, quae hic unum aut alterum mensem omnium sermone celebrata sunt, non aliter quaeram ex aliis, quam si peregre redirem. Itaque, si quando audies, ut saepe fit, inquiri in eos, qui rumores temere exceptos huc illuc spargunt, & quid Pontifex non agat tantum, sed in animo habeat, quid Galli, quid Hispani, quid Germani moliantur, facta infecta miscentes, scribunt ad homines alienarum rerum quam suarum curiosiores: mea quidem causa libero te omni metu. Nunquam me quisquam in talia edicta incidisse criminabitur: ita perspectum est omnibus, omnium ejusmodi rerum cognitionem mihi, ut Thucydideo verbo utar, ἀπλουστέραν εἶναι. Sed tamen, (πολλαχοῦ γὰρ,) si quid a me in eo peccatum est, quod te non invisserim: ne tu quidem plane culpa vacas. Potuisti enim domum ad me mittere, qui mihi de adventu tuo nuntiaret, indicaretque, cujus hospitio uteteris. Accurrissem statim ad te, & quodlibet potius vadimonium deseruissem, quam ut diutius carerem optatissimo mihi fructu sermonis tui. Ἀλλὰ τὰ μὲν παρεληλυθότα ἰάσιμα. Epistolas nostras jam dudum & in Gallia & Coloniae in Germania editas esse scis. Earum ego neque volumen ullum habeo: &, si haberem, vix ad te mittere auderem: ita me dispudet eorum, quae in illis innumerabilia a librariis vitiose descripta sunt. Sed dabo operam, ut emenda-

datiores exeant. Urgent enim, ac molesti sunt & iidem illi, & alii librarii, ut ad se alias epistolas mittam, quibus liber grandior fiat. Omnino absurdum mihi atque alienum videtur, reperiri homines, usque eo abundantes otio, ut ejus partem aliquam tribuere epistolis meis legendis velint. Quando tamen id amore quodam erga me adducti facere videntur, (sic enim interpretor,) obsequar eorum studio, vel cum dispendio famae; & ut eis animum expleam, repetam diu intermissam consuetudinem Latine interdum aliquid ad amicos scriptitandi. Quod qui legerint, si postea perisse sibi tempus dolebunt, aequi tamen mihi esse debebunt, qui ingenue profiteor, nullam unquam a me epistolam scriptam, quam legi operae esset, nisi semel ab eo, ad quem scriberetur. Neque ego quemquam fallo aut induco. Si qui se sciens fefellerit, secum agat. Editus est & hic nuper liber hymnorum, quos olim jussu Gulielmi Ducis Mantuae scripseram, auctus sexcentorum amplius versuum accessione. Hunc scio ad te ab Heliconio missum esse. Sed nimis multa de nugis. Vicus quidam est in dioecesi tua, qui S. Luciae dicitur. Ejus vici plebem qui regebat sacerdos, Caesarius nomine, proximo superiori mense excessit e vita. In ejus locum se substitui cupit Vespasianus Coletta presbyter, qui has tibi litteras tradet. Qui cum mihi ab uno e summis amicis meis accuratissime commendatus esset, profectus sum ejus causa hesterno die ad Datarium summi Pontificis, apud quem, puto te scire, me aliquid posse. Is respondit, quanquam mensis ille pontificius sit, tuarum tamen partium esse, inquirere in eos, qui se ad id munus admitti postularent, & de eorum natalibus, moribus, doctrina judicare; quem tu testimonio tuo comprobasses, ei beneficium illud tributum iri. Nunc ego illud a te, Constanti humanissime, omnique cultu atque observantia dignissime, postulo, si hic, quem dico, Vespasianus idoneus videbitur ad id munus sustinendum, ut ei potius, quam cuiquam alii, mea causa gratificandum putes. Is qui mihi eum commendavit, ita mihi amicus est, ut qui maxime; & ego saepe ei dixi, ita te mihi amicum esse, ut nihil supra. Si ergo te huic homini durum ac difficilem praebeas, verendum erit, ne ego aut tantopere abs te amari, aut minus diligenter eum tibi commendasse videar, quam me facturum recepi: quorum alterum vanitati,

tati, alterum perfidiae adſcriberetur. Quantum igitur plurimum, ſalva fide ac ratione officii, illi te tribuere poſſe ſtatues, tantum ut tribuas, vehementer a te etiam atque etiam peto. Interea mitto ad te munuſculum utrique noſtrum conveniens, imaginem Jeſu Chriſti in cruce ſuſfixi, a praeſtantiſſimo artifice ſummo artificio elaboratam. Ejus aſpectu quoties ad fundendas preces commoveberis, quaeſo, ejus quoque ut memineris, cujus verſus utrinque adſcriptos videbis. Vale. Romae. IX. Kalend. Junii.

M. ANTONIUS MURETUS JAC. AUGUSTO THUANO,

CONSILIARIO REGIO IN CURIA PARISIENSI V. C.

S. D.

LIII.

Parum abfuit, quin abjecerim conſilium, quod ceperam, ſcribendi aliquid de laudibus clariſſimi ac praeſtantiſſimi viri, patris tui: ita me eruditorum hominum verſus, quos eodem argumento ſcriptos ad me miſiſti, deterruerant. Sed vicit voluntas obſequendi tibi: neque enim dubitabam, quin aequo animo quicquid a me ſcriberetur acceptaurus eſſes. Mitto igitur ad te aliquot verſus, non illos quidem valde bonos: ſed quales exſpectari poterant ab homine neque unquam poëta, & jam ſene, & tum ſuis, tum amicorum negotiis aſſidue implicato. Eos tu ſi ſemel lectos concerpere volueris, feceris quod merentur; ſin una cum ceteris, quae alii ſcripſerunt, edendos duxeris: eundem fortaſſis uſum praeſtare poterunt, quem in pictis tabulis umbrae, quae efficiunt, ut luminoſa magis emineant. Sed ſi editurus es, peto a te, quantum me amas, ut eos prius cum duobus tribusve probatiſſimis Sorbonici Collegii Theologis communices, ac ſi fieri poteſt, ab eis impetres, ut ſuum quoque de eis judicium adſcribant: ne quid imprudenti exciderit, quo quisquam of-

offendi queat. Jam nunc enim ſubvereor, ne, quod poëtarum more Aſtraeam deam vocavi, durius id non ſatis aequus interpres accipiat. Ego tamen profiteor, Aſtraeae nomine nihil aliud a me quam divinam juſtitiam intelligi: quo poſito & cognito, puto cetera ferri poſſe. Ignoſce, quaeſo te, timiditati meae. Satis multos ex illo Collegio amicos habeo: inter ceteros Genebrardum, qui unus mihi eſt pro centum millibus. Is, ut ſpero, & tua cauſa libenter, & mea non invitus, omnem nobis ſcrupulum eximet. Vale, & perge, ut facis, patris tui deſiderium tua ſingulari ac praeſtanti virtute lenire. Romae. Idib. Octobris.

M. ANTONIUS MURETUS

R. PINCAEO CONSILIARIO REGIO V. C.

S. D.

LIV.

Ne me ſerius ad litteras tuas reſpondere mireris, ſcito, eas redditas mihi eſſe XVI. Kal. Martii, id eſt, biduo poſt diſceſſum tabellarii, idque mihi plerumque evenire ſolere, aut negligentia eorum, quibus illae commendantur, aut quod aedes meae in ipſis radicibus Quirinalis longe diſtant ab iſtis negotioſis hominibus, qui ſaepe aut propter imbres, aut propter itineris longitudinem exſpectant usque eo, dum venire ad me commodo ſuo poſſint. De Cardinali S. Stephani, (ita enim ſe vocari vult,) ſciebam nuntium tibi jucundiſſimum fore, ideoque id tibi gaudium primus objicere volui. Ei quoque litterae tuae magnae voluptati fuerunt: quas ad eum pertuli poſtridie quam eas acceperam. Reſcripturum non dubito: ita certe facturum ſe recepit. Quin etiam, capta ex litteris tuis occaſione, multa mihi de te, multa de C. V. patre tuo, multa de tuis omnibus jucunde memoriterque narravit: ut facile appareret, eum libenter in illo ſermone verſari. De praeſtantiſſimo viro Briſſonio, quod nonnihil conqueſtus ſum, fateor tibi, id

mea quadam ambitione factum. Quia enim illum plurimi facio, submoleste tuli, sumpsisse eum a me, quo alium ornaret, eum praesertim, qui a me tam multa sumpsit, quae pro suis venditaret. Sed illud cuicuimodi est, pupugit quidem me, neque tamen altius in animo insedit. Jam pridem enim ad tales ludos occallui, & ista minutiora sunt, quam ut me valde moveant. Gratulor tibi, qui talem & amicum & vicinum habeas, & (δὲ γὰρ τ' ἄλλο λέγειν) subinvideo vobis istam mutuam consuetudinem: si hoc invidere est, dolere, non quod aliis bene sit, sed quod tu quoque eodem bono frui non queas. Quos, Deus bone, oportet esse congressus vestros! quos sermones! quam multa πολιτικὰ! quam multa de antiquitate, de mitioribus studiis, de omnibus denique partibus τῆς φιλολογίας! Utinam mihi vestigia vestra subsequi, & captare sermones vestros liceret! quam multa, quae vobis excidunt, sublegerem! quanto quotidie doctior domum redirem! Quod quando non datur: at tu me interdum, qua licet, sermonum vestrorum participem facito, & id tibi, cum otium erit, scribendi ad me argumentum sumito. Sed noli, quaeso te, delicias facere, & dicere, tibi perpetuo rem esse cum Bartolis, Baldis, ceterisque ejusmodi infelicibus capitibus, ideoque minus polite scribere: cum ea scribas, quae mihi quidem Athenas ipsas, Hymettum ipsum redolere videantur. Quas tibi videri oportet epistolas meas, quas ego neque pectore unquam, neque comere, si verum vis, ne relegere quidem soleo: si tuae tibi minus cultae videntur? Ludis tamen & vereri te ais, ne verbosiores sint. Quasi non ego id multo justius metuere debeam, qui ad te, talem virum, quicquid in buccam, scribere audeo: quanquam hujus rei culpam tu sustines, qui jubes me, longitudine saltem litterarum tecum paria facere. Quid, cum scribendi argumentum nullum est? *Dicatur potius*, τὸ δ' ἀνύμνητον τάφῳ, ait Hispanus poëta. Egoque, quando ita te velle video, ita plane faciam, & chartas, ut facere me vides, onerabo nugis potius, quam tibi animum non expleam. Nos hic omnes suspenso animo sumus, propterea quod Pontifex sub finem mensis Aprilis Bononiam cogitat. Quod si erit, (& certa opinio est fore,) quae Romae vita futura sit, veremur. Ego sub Kal. Julias abdicare me hoc docendi munere cogito: etsi non fiet hoc sine luculenta fortunarum mearum de-

deminutione. Decedent enim annui nummi aurei septingenti. Sed tanti est etiari. Supererit tamen sic quoque, *unde mihi assiduo*, ut ille ait, *luceat igne focus*. Et quod senectus attentiores ad rem facere dicitur: illa vero me in dies negligentiorem facit. Otii cupidus sum: ad quod si semel pervenire potuero, nihil tanti erit, ut me ab eo avelli patiar. Neque tamen ignaviae me dedere cogito, sed solutus aliis curis, multa quae jam pridem inchoata, partim etiam affecta apud me jacent, ut potero, absolvere ac perpolire. Sed quid ago? aut cur tam longe spes jacio? Haec meditanti fortasse interventura mors est. Quae, quandoque venerit, occupatum me deprehendat malo, quam nihil agentem. Vale. Romae. IV. Kalend. Martii. MDLXXXIV.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D. HERCULI CIOFANO SUO.

L. V.

Jam pridem tantum me odium scribendi cepit, ut plane ad neminem scribam: ne tu tam diu nullas te meas litteras accepisse mireris. In amando, & in labore amicorum causa capiendo, cum opus est, & tibi & cuivis par esse possum: in scribendo non possum. Nihil est, quod faciam invitius. Quo facilius existimare potes, quam ex animo cupiam tibi commendatissimum esse Colam Antonium Rainaldum, qui te nunc praeceptore istic utitur. Cognatus est iis, quibus ego maxime cupio, L. Lilio, & Rutilio Veteri: quorum utriusque rogatu haec ad te scribo. Neque vero abutar pluribus verbis. Hoc tantum dicam, cogniturum esse me ex studio, quod in illum conferes, quantum apud te commendatio mea valeat. Quaeso igitur te, officias, ut ii, qui hoc a me petierunt, tibi apud me quam ellisime quam maximas gratias agant. Vale. Romae. Prid. Id. Januar.

M. ANTONIUS MURETUS FRANCISCO VENIERIO, S. D.

LVI.

Bene facis, quod te Latine ſcribendo quotidie exerces, conatumque omnem adhibes, ut praeſtantiam in eo genere aliquam conſequare. Non enim dubito, quin & cetera vita, & iſtud tuum ſtudium eo, quo debet, id eſt, ad propagandam gloriam Chriſti, & ad eccleſiam pro tua virili parte ab inſultibus improborum defendendam dirigatur. Sed quid te usque huc deterruerit, ne ad me ſcriberes, diſpicere equidem non queo. Nam neque ea auctoritate ſum, ut quisquam judicium meum vereri debeat: & ſi eſſem, ſumma tamen mea erga totam ſodalitatem veſtram voluntas omnem iſtum metum tibi facile adimere poterat: cum tu praeſertim ita ſcribas, ut laudem potius exſpectare ab omnibus debeas, quam cujusquam faſtidium extimeſcere. Cave igitur poſthac, difficile tibi quiddam atque arduum putes, ad Muretum ſcribere. Hanc modo mihi veniam dato, ut ad litteras tuas, quae mihi quo crebriores, eo jucundiores futurae ſunt, ſolutius ac negligentius, id eſt, hoc familiari ac quotidiano ſermonis genere, reſpondere liceat. Nihil enim invitius facio, quam ut in limandis ac poliendis epiſtolis otio abutar. Neque mihi ullum praeceptorum, quae tradita ſunt a dicendi magiſtris, magis placet, quam illud, dandam eſſe operam, ut ſponte fluere videatur oratio. Ego vero, ut magis videatur, ſponte plane fluere eam ſino, & ignaviae meae excuſationem ab ipſis magiſtris peto. Tu quoque, ſi me amas, aut potius quoniam me amas, imitare, cum ad me ſcribes, hanc ipſam negligentiam meam: ne, ſi accuratius ſcripſeris, mihi quoque accurate ſcribendi neceſſitatem imponere videaris. Deus & ſtudia & totam vivendi rationem tuam ad gloriam ſuam perpetuo dirigat. Vale. Romae. VI. Non. Martii, quo ipſo die litteras a Bencio accepi: ne me ad eas ſerius reſpondere mireris.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

FABRICIO MANCINO.

LVII.

Jam pridem ad te ſcripſi, quod iterum ſcribam, quando litteras meas ad te perlatas non eſſe video, ineptos iſtos, de quibus ſcribis, indignos prorſus eſſe, quibus reſpondeatur: ita ſe ne leviter quidem litteris tinctos eſſe declarant. Quid enim eſt, cur de *Paullo* & *Quincto* me potiſſimum accuſent? Cur non cum Manutio potius & cum Sigonio agunt? quorum uterque ante hos, opinor, viginti quinque annos ita ſcribendum eſſe docuit. Et certe in vetuſtis marmoribus, praecipueque in faſtis Capitolinis ita perpetuo ſcribitur. At verſum illum exagitant:

Una virum & virtutum omnium acerba lues.

Ridicula capita, quaſi non ei plane geminus ſit ille Catullianus:

Troja virum & virtutum omnium acerba cinis.

Deſinant igitur ſtultitiam ſuam prodere ac patefacere, & prima ſaltem elementa diſcant, priusquam de reprehendendo cogitent. Satisfacere tibi, quem video mei ſtudioſum eſſe, volui, alioqui tam ſtultas reprehenſiones riſu ac ſilentio excepturus. Tu quoque idem facias, ſuadeo, & iſtos contemnas, ac conſeneſcere in inſcitia ſua ſinas. Stulta illos de ſe perſuaſio indignos, qui doceantur, facit. Verſiculi tui valde me oblectaverunt: nam & ſcite ac lepide facti ſunt, & habent inſignem ſignificationem amoris erga me tui. Si quid hic erit, quod me cauſſa tua facere poſſe arbitreris, non committam, ut fruſtra me amare videaris. Vale. VI. Kal. Julii. (quo ipſo die acceperam

litteras a te ſcriptas Idibus Maji, ne me forte ad eas ſerius reſpondere mireris.) MDLXXXIV.

B. BRISSONIUS
M. ANTONIO MURETO
S. D.
LVIII.

Suavisſimis tuis ad Pincaeum noſtrum litteris provectus, in quibus non minus amoris in me tui, quam Romani leporis, non leviter preſſa veſtigia apparent, facere non potui, quin has ad te mutuae voluntatis teſtes, in maximis, quibus diſtineor, occupationibus, darem: ne, cum tibi ſumma omnia ſemper tribuerim, in amore etiam, in quo paria tecum facio, ſuperari viderer. Quodſi per pararium nomen faciendum ſit, eundem Pincaeum, quocum multus mihi de te quotidie ſermo eſt, adpromiſſorem dabo, & quicquid ille tibi de me receperit, cumulatiſſime praeſtaturum me ſpondebo. Nullam quidem certe poſthac certificandae amicitiae noſtrae occaſionem praetermittam, nec committam, ut ulla in re meum abs te officium requiri aut deſiderari poſſit. Vale. Lutetiae Pariſiorum. Non. Aprilis MDLXXXIV.

M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS BARNABAE BRISSONIO

PARISIENSIS SENATUS PRAESIDI V. C.

S. D.

LIX.

Etsi μεγαλόψυχος haberi nolim, gaudeo tamen, quod apud Pincaeum noſtrum per litteras conqueſtus leviter ſim de formula illa, cujus animadverſae laus, ſi qua in tantula re laus eſt, alii abs te tributa erat. Elicui enim hoc modo litteras tuas, quibus mihi nihil jucundius contingere poterat. Ego te, Briſſoni, ſemper maximi feci, non propter illa externa, quae vulgi oculos in ſe convertunt: ſed propter illa vere ac proprie tua, quae & te provexerunt ad iſtum, in quo es, dignitatis gradum, & provectura, ut ſpero, ſunt etiam altius, &, ſi nihil tale aut effecisſent, aut effectura eſſent, omni te tamen cultu atque obſervantia digniſſimum reddidiſſent. Virtus enim & eruditio, vera mihi & ſolida videntur bona: τὰ δὲ λοιπὰ πάντα σκιαὶ εἰσιν. A te peto, ut me mutuo ames, &, ſi quando erit otium, participem per litteras me facias ſuavitatis tuae. Quae tibi fuit, eadem mihi cauſa brevitatis eſt: occupationum multitudo, quibus te perpetuo diſtineri ſcio. Vale. Romae. Prid. Non. Maj. MDLXXXIV.

M. ANTONIUS MURETUS R. PINCAEO CONSILIARIO REGIO V. C. S. D.

LX.

Bene & amice factum a te de Brisonio, cujus mihi litterae sane quam suaves fuerunt. Ad eas rescribens eadem βραχυλογίᾳ usus sum, tum ne occupationes ipsius interpellarem; tum quia nulla nunc quidem erat σπουδή. Quod jocose, ita enim accipio, quereris, illud meum λιγίδιον de circumcisione ad quemvis potius, quam ad te, missum esse: vide, ne quid tibi jumento, ut ait Plautus, tuo, arcessas mali. Nam si pergis, tam frequenter mittam ad te aliquid naeniarum mearum, ut dicturus sis, Ohe jam satis est. Equidem, quanquam vix fas est de vobis talibus viris quidquam sequius suspicari, subvereor tamen interdum, ne ludatis me, hominem simplicem & credulum, & postuletis ad vos mitti mea, ne desit, quod rideatis. Quid enim a me, quod vestra non dicam commendatione, sed lectione dignum sit, praestari potest? Sed tamen vestra ista cura ac cogitatio fuerit. Ego bona fide agam; & quidquid cudero, mittam ad vos; &, si nihil aliud, ambitioni certe cuidam meae serviam, ostentaboque epistolas vestras, ut me homines putent esse aliquid, cujus scripta a summis viris exspectantur. Et ut hinc numerare incipias, mitto ad te nescio quid versuum, quos feci nuper, cum ad me Joh. Zamoscius, magnus Poloniae Cancellarius, duo ingentia nomismata aurea misisset, quorum in uno Stephani Regis effigies visitur, in altero ipsius Zamoscii: Ex adverso autem, in illo quidem Regio, provinciae duae, quas ipse ab hostibus recepit; in Zamosciano autem coronae duae implexae, oleagina una, laurea altera, additis vocibus, utraque civis. Volui, ut potui, virum summa dignitate praeditum remunerari,

&

& saltem reddere aerea pro aureis. Atque utinam id ipsum assecutus sim, ut saltem aerea remiserim. Valde enim metuo, ne miserim δὲ χαλκᾶ ἄξια. Ero igitur Choerilus, qui *incultis versibus & male factis Retulit acceptos*: nosti cetera. Eos tu semel lectos concerpas, an etiam ostendas quibus videbitur, judicii atque arbitrii tui res esto. Ad Gillottum V. C post illam oratiunculam, misi etiam libros duodecim historiarum Pii Secundi Pontificis: itemque Graecum librum veterem, quo summa quaedam analytices, & physices luculenter explicata continentur. Neque tamen ab eo litteras postea ullas accepi. Spero fore, ut brevi nanciscar aliquid otii: quod si dabitur, explebo vos nugis meis. Heri conveni Cardinalem S. Stephani, & cum eo de te diu collocutus sum. Mihi crede, valde te amat. Tu, quaeso, ex isto nobilissimo consessu vestro, quos mihi amicos esse scis, eos, quod commodo tuo fiat, meis verbis saluta. Romae. Non. Maj. MDLXXXIV.

R. PINCAEUS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

LXI.

Nae tu homo liberalis es, Murete doctissime, & apud quem optime ponitur, qui pro duobus numismatis Zamoscii aureis plurimos versus reddas, non aureos illos quidem tantum, sed auro ipso, gemmis ipsis, si quid hac in re mei judicii est, pretiosiores: in quibus Stephani Regis, itemque magni ejus Cancellarii non effigies modo, sed mores, velut ob oculos ponuntur; ita plane, ut, quos a nobis infinita prope locorum distantia sejunxit, in oculis geramus; quos nunquam viderimus, summa veneratione, tua opera prosequamur. Excudent alii spirantia mollius aera: *Muretus* οὐκ ἀνδριαντοποιός ἐστι, *sed ea ex more dicit, & scribit, quae nullis numismatis repraesentari, nulla oblivione deleri queant: ut, quod olim de Achille scriptum legitur, felicem*

illum qui praeconem laudum ſuarum Homerum inveniſſet, de Stephano Rege, & Zamoſcio jure dici poſſit; felices ambo, qui celebri tuo praeconio ad omnem poſteritatis memoriam commendentur. Quo minus dubium tibi videri debet, quid a nobis, quando rem totam noſtri arbitrii eſſe voluiſti, de ſuaviſſimis tuis verſibus factum fuerit: arripuimus, perlegimus, non libenter modo, ſed etiam cupide; ac ne tam ſolida gaudia in ſinu gaudere nos putes, [illegible] quoque oſtentamus. Addam & illud, quod fortaſſe non exiſtimaſſes, his legendis idem mihi evenisſe, quod iis ſolet accidere, qui in ſole ambulant, ut, etiamſi aliam ob cauſſam ambulent, neceſſe tamen ſit eos colorari; ita me, qui nunquam in bicipiti Parnaſſo, ut ille ait, ſomniavi, repente poëtam evaſiſſe: quam bonum, nihil ad rem: tenere tamen me non potui, quin tuo, ut interpretor, [illegible] correptus, aliquot ex tempore verſus & effuderim, & remiſerim; non ut te quam ſimillimo munere remunerarer, (eſſent enim χάλκεια χρυσείων,) ſed, ut ſi nihil aliud in eo genere aſſequerer, ſaltem, velut anſer inter olores, obſtreperem. Tu, quod eſſe debuiſſet vacuae mentis opus, profectum ab homine negotiis forenſibus occupato, aequi bonique conſule. Briſſonius tuas a me litteras accepit, teque ſalvere jubet. Vale, & me, ut facis, ama. Lutetiae. A. D. XVI. Kal. Quinct. MDLXXXIV.

JACOBUS GILLOTUS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

LXII.

Ex epiſtola ad Pincaeum noſtrum, lepida certe & Mureto digna, illum etiam aliquando de nobis cogitare perſpexi, & ad me libros quosdam miſiſſe intellexi: quos ut ſummum beneficium, ſupinis manibus accipiam, (nondum enim mihi traditi ſunt.) Recordatio autem tua mei, magno mihi ornamento fuit, & ſemper erit. Quosdam libellos è ty-

typographia Morelli ad te dederam, qui longo post tempore, quo a te acceptos putabam, in manus meas recidérunt: arbitror, quod fasciculus sub legati olim nostri, Foxii, jam defuncti, nomine perferebatur. Eos remitto. Ceterum quod scripta tua, ab omnibus litteratis valde expetita, subveresunde vobis negare videris, mihi erede, peccas. Nemo est, qui, si litteras sciat, & tuas vel epistolas, vel orationes, vel lucubrationes legat, etsi te non cognoscat, Muretum unquam e manibus dimittat. Utinam te omnes & audire & videre possent! Legi de nomismatis Stephani Poloni & Zamoscii tua illa χρυσᾶ ἔπη: e quibus ut & ex omnibus, quae ab ere prodeunt tuo, judicare te licet χρυσοῤῥήμονα. Nomismata scio multis de caussis plurimi feciſti & facis: Dii me perdant, εἰ μὴ τὰ ἔπη αὐτῶν τῶν νομισμάτων αἰλόμαι. Quae qui habeat, ipsa nomismata facile & merito contemnat. Poloni certe & Zamoscii ora omnium oculis subjeciſti, qui illos nunquam sunt intuiti. A petitione Taciti non desisto, nec de eo tecum expostulandi finem faciam. Cave ne adversum te Judices adeam nomine publico, & tanquam legitimus totius Reip. litteratiae actor, te condemnem ex pollicitatione, quam in communem, non unius civitatis aut reip. sed totius orbis utilitatem feciſti. Et, si moram facere pergis, usurae accedent. Denique quasi debitum, ea omnia quae cudisti, quae cudis, & posthac cudes, a te exigi posse contendo: ut qui tot opera in publicum commodum struere aggressus es, perficere obligatus sis. Quis sit rerum nostrarum status, a me, qui rempub. nulla ex parte attingo, non accipies. Foxium, Pibracum & Ferrerium (quem interiisse ferunt) πανεθνικὸν scis quantos viros, lugemus. Caesaris nostri interitum, cujus nuncium jam ad vos allatum non dubito, an rumor rerum, an spes melior consequatur, incerti sumus. Novi (sat scio) rumores jam sparguntur, & ad aures vestras forte allati, celebres & magni, de quibus non nisi manu trepida rescribere licet. Quando jam libera nulli lingua manusque sua est, voces & scripta notantur. Illi solennia funeris parantur. Deduceetur, si verum est, quod audimus, VI. aut V. Kal. Julii, regio, ut dicunt, honore. Haec ausu fortasse temerario Latine scripsi, bonitati tuae confidens potius, quam censoriam severitatem timens. Veniam, ut spero, mihi & inscientiam & negotia excusanti, dabis. Vale. Lutetiae. XIII. Kal. Julii, MDLXXXIV.

STE-

STEPHANUS

DEI GRATIA REX POLONIAE, MAGNUS DUX LITUANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, MASSOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAEQUE ETC. TRANSILVANIAE PRINCEPS,

M. ANTONIO MURETO

LXIII.

Reverende, devote, dilecte, singularis doctrina atque eruditio Devot. vestrae a multis, humanitas ejus, atque erga subditos nostros studium a Venerabili etiam Stanislao Rescio Secretario nostro diligenter praedicata nobis sunt. Quae cum nos merito maximi faciamus, praetermittere noluimus, ut cum hoc tempore Illustrem & Reverendum Andream Battori de Somlio, Illustris olim Andreae fratris nostri filium, Praepositumque Miechoviensem in Urbem ad S. D. N. mitteremus, litteris hisce nostram erga devotionem vestram propensionem testificaremur. Uberius autem ex eodem fratris nostri filio coram ea cognoscet devotio vestra, quam valere cupimus. Cracoviae, die VIII. *Mensis Septembris, Anno Domini* MDLXXXIII. *Regni nostri octavo.*

STEPHANUS REX.

SERE-

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO PRINCIPI

STEPHANO

DEI GRATIA POLONIAE REGI, MAGNO DUCI LITUANIAE, RUSSIAE, PRUSSIAE, MASSOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, TRANSILVANIAE PRINCIPI, ETC.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

LXIV.

Ad litteras, quas pridem Majestas tua ad me scribere dignata est, statim respondere necesse non judicavi: cum praesertim is ipse, qui eas mihi reddiderat, Illustrissimus & Reverendissimus D Andreas Battorius non ita multo post istuc rediturus diceretur. Ita igitur diem ex die ducens, usque huc distuli, cum scirem Majestatem tuam longe gravioribus curis occupatam esse, quam ut de meis, tenuis & obscuri hominis, litteris cogitaret. Nunc autem, cum idem ille, non hoc tantum saeculo, sed etiam, si optimis temporibus natus esset, rari & insignis exempli semper futurus adolescens, fratris tui filius, summo bonorum omnium gaudio Cardinalitia dignitate decoratus, reditum istuc pararet, scribendum mihi esse ad Majestatem tuam duxi: primum ut immortales ei gratias agerem, quod eum mihi honorem habuerit, cujus ego si ullam unquam partem promereri potuero, praeclare mecum actum esse existimabo. Deinde ut ei gratuler, quod e sinu ac complexu suo tanta ac tam commemorabili virtute praeditum adolescentem huc miserit. Qui ita se perpetuo gesit, ut sanctitate vitae, pietate in Deum, munificentia in egenos, comitate & affabilitate erga omnes, omnium sibi summorum, infimorum studia voluntatesque devinxerit: ita ut dici vix possit, universa haec civitas magis

gis illius honore laetata sit, an abitu doleat. Nos hic, serenissime Rex, multa de tuis in omni genere plane regiis virtutibus, deque iis, quae a te fortissime & felicissime geruntur, assidue audimus, Quibus eo res perducta est, ut unicum esse te hodie vivum ac spirans perfecti Regis exemplum, ne illi quidem jam negare audeant, qui de principio regnare te, non satis aequo fortasis animo ferebant. Deus optimus maximus Majestatem tuam quotidie in majus ac melius proveliat, eamque mentem immittat ceteris regibus, ut tandem aliquando exemplum ipsius secuti, ad rem Christianam constabiliendam, & ad hostes illius comprimendos potius, quam ad explendas cum publica pernicie cupiditates suas animum adjungant. Romae. VII. Kal. August. MDLXXXIV.

HERMANNUS ORTEMBERGUS

M. ANTONIO MURETO

J. C. ET C. ROMANO S.

LXV.

Quod est meum erga te studium, & officium, nihil aeque mihi curae est, atque re ipsa ostendere, quanti te faciam. Itaque diu anxius fui, quonam pacto fasciculum, quem mihi Roma proficiscenti credidisti, quam tutissimo transmitterem. Nam Francofurtum, propterea quod vererer, ne ob viarum impedimenta, & latrocinia, nemo illuc Antverpia veniret, minime quidem expeditum: Antverpiam autem recta mittere, hoc tempore mihi longe periculosissimum videbatur. Quamobrem ea de re egi aliquoties cum magistro veredariorum Tridenti, viro fideli, mihique amico, qui cum affirmaret, eos Coloniam Ubiorum sine ullo periculo dirigi posse, suamque in ea re operam mihi promitteret; opportune admodum litteras accepi a viro multis nominibus clarissimo, Joanne Metello, Sequano, qui Coloniae sedes habet, in quibus scriptum erat: Muretum litteratorum hominum principem meis verbis ob-

se-

secro saluta, eique nuntia, me tuas litteras (*Roma enim ad illum miseram*,) de ejus edendis libris ad Plantinum misisse. Si quid praeterea per me confici volet, non recuso, sed offero. *Fasciculum itaque illum Coloniam missi ad eundem Metellum, ut is per occasionem ad Plantinum transmittat. Quod spero brevi fideliterque facturum, idque simul ab ipso intellexero, faciam te illico certiorem, ea tamen lege, ut, si fortasse Plantinus de eo ad se perlato ante ad te scribat, id tu mihi quoque significes. Sum enim in maxima exspectatione ejus rei, neque animo ero quieto, priusquam salvum in manus Plantini traditum esse cognovero. Vale. Tridenti.* XVI. *Kal. Octob.* MDLXXVIII.

M. ANTONIUS MURETUS

HERMANNO ORTEMBERGO SUO,

S. D.

LXVI.

Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin abs te amarer: tamen ejus rei magnam mihi fidem fecerunt litterae tuae. Tanta enim fide ac diligentia negotium tibi a me mandatum curasti, ut ego ipse majorem opt..re non potuerim. Joannem Metellum jam pridem e libris Antonii Augustini, & e sermonibus Hieronymi Osorii noveram: sed eum mihi tanto opere amicum esse nesciebam. Peto a te, ut, cum primum copia erit, eum meo nomine salutes: eique pro certo confirmes, me valde quidem litteratum non esse, sed valde observantem ejusmodi virorum, qualis ipse est, hoc est, eruditione & virtute praestantium. Itaque si quid a me caussa sua hic fieri posse arbitretur, magnae mihi curae fore, ut plane perspiciat, se a me mirabiliter amari. A Plantino nihil adhuc accepi. Si quid accepero faciam te statim certiorem. Tu quoque ut idem facias, a te majorem in modum peto atque contendo. Hermanne mi optime & suavissime, etiam atque etiam vale. Romae, IV. Kal. Nov. MDLXXVIII.

AN.

ANDREAE BATHOREO,

S. R. E. CARDINALI AC PRINCIPI ILLUSTRISSIMO,

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

LXVII.

Die ipso natalis Dominici accepi exoptatissimas mihi litteras tuas, quibus haud scio an quicquam mihi gratius ac jucundius adferri potuerit. Nam cum jam pridem audissem, ita te pro tua summa humanitate ac comitate mei memorem fuisse, ut ex ipso itinere ad me scribere dignatus esses: litterae autem tuae nusquam comparerent, conficiebar miro quodam angore animi, neque levationem ullam reperire poteram, praeter eam unam, quam mihi litterae tuae attulerunt. Ego te, Cardinalis optime ac praestantissime, semper observavi ac colui, captus non tam nobilitate ipsa regii generis tui, quam admiratione tuarum singularium in omni genere virtutum: quibus ita tibi, dum in urbe versatus es, omnium voluntates conciliasti ac devinxisti, ut hodie quoque, absente te, cum solutiores linguae, & liberiora judicia esse solent, nemo tamen aliter de te, quam de perfecto quodam & omnibus numeris absoluto virtutis exemplo loquatur. Ex quo facile potes intelligere, quantopere mihi te tali patrono gloriandum sit: quantaque in parte felicitatis ponere debeam, quod non tantum in clientibus tua voluntate numerer, sed etiam, nullo merito meo, apud te aliquo in pretio habear. Equidem, quantum in me erit, omni studio connitar efficere, ut conservem tuam istam erga me animi propensionem: neque quidquam habeo antiquius, quam ut praestem ea omnia, quae tibi ex me non injucunda accidere posse arbitrabor. Ac quoniam ab homine in libris ac litterulis abdito vix aliud exspectari quidquam potest, mittam ad te foetus quosdam ingenii mei: non illos quidem valde dignos qui a te inspiciantur, sed ta-

tamen non usquequaque tibi, ut spes est, ingratos futuros, quod ab homine tui observantissimo proficiscentur. Mittam igitur, si Deus volet, ante finem mensis Januarii libros duos Rhetoricorum Aristotelis a me conversos in gratiam piorum quorundam & eruditorum hominum e sodalitate Jesu, qui pro auctoritate, qua plurimum apud me valent, egerunt mecum, ut id munus susciperem, quod interpretationem, qua in scholis suis uterentur, reperire se ullam negarent. Hoc igitur primum. Sub finem autem mensis Aprilis, spero fore, ut mittam opera omnia, quae quidem extant, Senecae, emendata a me innumerabilibus locis, additis etiam notis quibusdam meis. Eum vero librum spero & tibi, & magno Cancellario, & vero ipsi serenissimo Regi ac Domino meo dignum visum iri, in quo subsicivi temporis aliquid collocetur. Quod si tu mihi animos facies, laxabo fortasis frenos veteri cuidam ambitioni meae, quam usque huc compressi ac continui, & tentabo, si quid transmittere ad posteros possim, quod me vobis quoque earum vixisse testetur. Nihil tamen temere suscipiam, neque quidquam tale tentabo, nisi tu me prius arrogantiae metu liberaris. Interea peto a te quanta maxima contentione possum, primum, ut me ames; deinde ut tum serenissimi Regis, tum affinis tui, viri omni laude praestantis, Samoscii benevolentiam mihi omni ratione conserves. Vale. Romae. IV. Kal. Jan. MDLXXXIV.

ANDREAS CARDINALIS

ALTHORRUS

M. ANTONIO MURETO

S. P. D.

LXVIII.

Litteras tuas IV. *Kal. Januarii datas, nuper autem ad me perlatas, tanto mihi jucundiores acciderunt, quanto majore illarum desiderio, & exspectatione jam pridem tenebar.*

Rt

bar. Verebar enim, ne, si posteriores hae meae, quemadmodum priores illae, quas Bononiae scripseram, interciderent, & tibi meae erga te optimae voluntatis testimonio, & mihi tuarum lectione carendum aliquandiu esset. Nunc itaque non possum non gaudere, & meas tibi redditas esse, & in tuis hisce eam, quam cum essemus in urbe, coram satis perspexi, amoris erga me tui significationem elucere. Quae ut me mirifice afficit: ita tibi non frustra polliceri & potes & debes, te a me in maximo pretio haberi, propter insignes ingenii, eruditionis, pulcherrimarumque virtutum dotes, quibus in tui amorem & admirationem omnium animos pertraxisti. Quamobrem si quibus in rebus tibi gratificari potero, scias velim, me nullam praeclare de te merendi occasionem unquam praetermissurum. Ingenii tui foetus, quos te mihi missurum scribis, maxima cum alacritate exspecto, Senecam praesertim, quem a mendis purgandum & notis illustrandum curasti, maximam certe gratiam apud omnes optimarum litterarum amatores inibis. Dixi serenissimo Regi, Domino & patruo meo, cum nuper ad me esset, de tam propensa erga nos voluntate consilioque tuo, quod illi perquam gratum accidit. De te vero praeclare & sentit, & loquitur. Magnus Cancellarius, affinis meus, ad latus Regis non erat: faciam eum tamen de tuis cogitationibus certiorem. Scio enim, te tuaque ab illo vehementer amari. Utinam autem is ego sim, qui non solum tibi animos faciam ad evulgandas lucubrationes tuas, quas hucusque comprimis & contines, sed plane id ego unus a te impetrem, quod publica utilitas, & omnium, qui laborum tuorum fructus expetunt, summum desiderium jam pridem obtinere merito debeat. In maxima felicitatis meae parte id ponerem. Persuadere tibi certe id potest vel ipsa consilii tui ratio, qua ductus ad scribendum accessisti, nimirum profectus publici contemplatio. Cujus quoniam tu in omnibus studiis & exercitationibus tuis, summa cum tui nominis gloria, maximam semper curam habuisti: committere profecto non debes, ut ea praeclari ingenii tui monumenta in tenebris delitescant, quae ad eruditionem solidam parandam lucis plurimum adferre multis possunt. Quamobrem quod facturus es aliquando, factas id quaeso citius vel mea causa, ut & desiderio plurimorum morem geras, & quod mihi maximae laudi gloriaeque perpetuae ducam, posteritati nos tibi ca-

ros

vos cum primis fuisse, vel hoc indicio planum facias. Vale, vir praestantissime: & cum propter multam lectionem te merito βιβλιοφάγον vocare possimus, si diutius lucubrationes tuas praeferis, ne te deinceps βιβλιοπίθον appellemus, cave. Datum Mechoviae. VIII. Idus Aprilis, Anno Domini MDLXXXV.

NATIO GERMANORUM IN SCHOLA PATAVINA JURISPRUDENTIAE OPERAM NAVANS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

LXIX.

Rem arduam sane tentamus, atque difficilem, sed, ut speramus, judicio tuo, Murete, & auctoritate confirmati, laudabilem inprimis & fructuosam, non tam nationi nostrae, quam universae reipublicae litterariae. Petimus a scholae Patavinae Triumviris, magno multorum nobis adversantium odio atque invidia, Jureconsultum, qui Pandectas juris civilis in eadem schola publice interpretetur, non more illo barbaro, & incondito, sed Gallico, hoc est, omnium recte sentientium judiciis comprobato. Ex omnibus autem Jureconsultis, quos praecellenti doctrina in Italia vel ipsi novimus, vel fama & praedicatione aliorum accepimus, neminem scimus, quem tibi hac in parte comparare, nedum anteferre debeamus. Quod itaque ex fide dignis hominibus jam pridem intellexissemus, non te penitus consilium abjecisse redeundi in haec loca, & in iis, quod vitae reliquum est, transigendi: unum te, quamvis ignarum hujus instituti nostri, ex omnibus nominare, & a Triumviris coram & per litteras flagitare non dubitavimus. Qui nobis polliciti fuerunt denique, se ad Legatum Venetum, qui Romae est, scripturos, eique ut de hac re tecum agat, negotium daturos. Quod vero scire non possumus, quid tecum ille, aut an omnino egerit aliquid, ex diuturna vero mora, & conatibus multorum, spei nostrae

quaedam minus convenientia metuimus: his te litteris rogare ausi sumus, ut de tota hac re, deque animo & consilio tuo, aliquid certi quam primum nobis significare ne graveris. Nam illud humanitas singularis tua, & animus ille tuus ad praeclara omnia comparatus, ne rogare quidem nos patitur, ne vel desiderio nostro tam honesto, vel communium litterarum caussae, vel laudi denique & gloriae tuae deesse velis. Quam etsi summam jam adeptus es, splendescet illa magis tamen, novae hujus dignitatis quasi luce collustrata: quae ad omnis gloriae cumulum uni tibi divina quadam sorte destinata videtur. Praestitisti tu quidem antehac eximia omnia, planeque admiranda, & eloquentia tua prope divina omnes populos ac gentes tibi devinxisti, quae sensu aliquo humanitatis praeditae sunt. Reliquus est, ad extremum vitae actum tibi reservatus, ingens quidem ille labor, sed viro magnanimo, & ad summum laudis, & gloriae fastigium contendenti, optatus maxime atque jucundus, ut scilicet, alter tanquam Hercules, hydra illa tot capitum confecta, Augiae stabulo expurgato, denique barbarie foedissima profligata, reginam scientiarum omnium Jurisprudentiam in pristinam dignitatis sedem restituas. Est illa sane laus maxima, ut diximus, quam ex ceteris studiis, & laboribus tuis es consecutus: sed tamen communis tibi quodammodo cum doctissimis quibusdam viris. Haec vero laus, quae ex inusitato & praeclarissimo facinore te manebit, tua erit propria, tibique uni victoriae tam insignis triumphi omnes debebuntur. Sed indecore facimus, qui ad ea te incitemus, ad quae sponte te inflammatum esse novimus. Studium profecto summum, & desiderium tui nostrum, ex his litteris perspicies. Cui desiderio si eventus responderit, tuque spem optatissimi adventus ad nos tui nobis confirmaveris: officio apud Triumviros nostro non sumus defuturi, &, si quid nationis nostrae preces, si quid utilitas & dignitas scholae Patavinae, apud viros prudentissimos, & litterarum amantissimos poterunt, brevi magnum illum Muretum in amplissimo hoc orbis terrarum Gymnasio, de omni barbarie triumphantem aspiciemus. Vale. Datae Patavii, III. Non. Januarii, Anno post partum Virginis MDLXXVIII.

ORNATISSIMAE AC NOBILISSIMAE SODALITATI GERMANORUM, IN SCHOLA PATAVINA JURISPRUDENTIAE STUDIA COLENTIUM,

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

LXX.

Tertio Idus Januarii, cum jam advesperascēret, accepi litteras vestras: hoc est, eo ipso die, quo tabellarii publici, qui statis diebus hinc Venetias eunt, iter ingressuri erant: quo factum est, ut statim respondere non potuerim. Postridie autem ejus diei conveni legatum Venetum, ut ex eo cognoscerem, num quid in mandatis habuisset ea de re, de qua vos ad me amantissime & honorificentissime scripseratis. Negavit quidquam ad se tale, aut a Triumviris, aut a quoquam alio scriptum esse. Ex quo facile intelligere potestis, non tantam haberi honestissimae voluntatis vestrae rationem, quantam par erat. Omnino autem video rationem illam tradendae verae ac solidae Jurisprudentiae, quae hodie in Gallia viget, Italis non placere: etsi ego quidem in hac urbe, cum libros Digestorum interpretarer, multorum studia commoveram, jamque illud consecutus eram, ut plerique istorum, qui magno fastu illas, quas vos merito aversamini, ineptias docent, soli in scholis relinquerentur. Itaque quidam ex eis adierunt Pontificem, ac cum eo egerunt, ut ne me illam docendi Juris rationem tenere pateretur; alioqui fore, ut juventus orationis suavitate capta praeclaram Bartoli & talium doctrinam repudiarent; se quidem, si ego ulterius pergerem, destituros, potiusque se docendi munere abdicaturos. Quid plura? & ipsi facile persuaserunt quod volebant: & ego non aegre a me obtineri passus sum, ut annuo quingentorum numorum aureorum stipendio proposito, eloquentiae potius & politices praecepta traderem. Nuper etiam, cum me Stephanus Poloniae Rex tantis propositis praemiis, quanta vix cuiquam alii cujus-

quam artis Professori hoc tempore proposita fuisse scimus, in Poloniam evocassет, Pontifex, ut me in urbe retineret, suapte sponte ad uetus illud stipendium quingentorum ducentos praeterea numos aureos annuos addidit, porroque se multa facturum pollicetur, quo mihi magis in urbe esse libeat. Quo igitur in statu res sit, videtis. Hesterno quidem die curavi, ut ipse Pontifex per oratorem Regis Galliae, qui hic est, de vestra audiendi mei cupiditate certior fieret. Qui cum hoc libenter accepisse visus esset: cur non ipsi, inquit, potius huc veniunt? Excipientur enim a nobis omni genere humanitatis: neque tunc impediemus, quo minus Muretus arbitratu suo illorum studiis obsequatur. Certe Pontifex ipse propensissima est in gentem vestram voluntate: neque vobis ignotum est, quantam vim pecuniae quotannis attribuerit & assignaverit Germanis aliquot adolescentibus educandis. Ego vero, Nobilissimi & Ornatissimi viri, semper mirifico animo erga Germanos fui, motus ingenua quadem simplicitate & integritate ab omni fuco & fallaciis remotissima, quam in eorum plerisque ita cognoveram, ut eam laudem gentis vestrae propriam esse statuerem. Quando igitur istic una esse non licet: videte, num rationibus vestris expediat huc venire, & mecum una, communi studio, ad vindicandam a barbarie Jurisprudentiam incumbere. Mihi credite: si vobis huc venire libeat, aliquid fiet. Quaeso autem obtestorque vos, ut, quidquid hac de re consilii capietis, ad me scribere ne gravemini, Vobisque ita plane persuadeatis, quidquid a me vestra causa aut publice, aut privatim fieri poterit, id semper cupidissime facturum esse. Romae. XV. Kalend. Februarii, MDLXXVIII.



M. AN-

M. ANTONIUS MURETUS POMPILIO AMASAEO SUO S. D.

LXXI.

Quod ad amantissime scriptas litteras tuas serius quam par erat respondeo, peto a te, ut id, pro cetera tua humanitate, nostraque veteri amicitia, non dicam occupationibus, sed afflictae valetudini meae, multisque molestiis, quibus hoc toto tempore conflictatus sum, condonandum putes. Nam cum sextum jam mensem tantis tibiarum ac pedum doloribus vexatus sim, ut ardere interdum mihi viderer, eaque res & mihi somnum adimeret, & efficeret, ut neque cibum appeterem, & id ipsum, quod capiebam, non concoquerem, unde mirabilem cruditatem existere necesse erat: ita me diuturnitas morbi & magnitudo doloris efferaverat, ut ἄγχειός τις τῆ ἀκεσταίου μαινομένου, Telephi alicujus, aut Philoctetae, quam ejus, quem me amici semper judicaverunt, similior viderer. Accedebat eo aeque diuturnus, sed, ut res ipsa magno cum meo moerore docuit, periculosior morbus nobilissimi & humanissimi adolescentis Poloni, qui, cum in aedibus meis diversaretur sub id fere tempus, quo tuae litterae mihi redditae sunt, tabe consumptus est: quo tantus cumulus additus est ad illam superiorem animi mei aegritudinem, ut nullum tempus, nullum locum quietis reperire possem. Nunc, cum, Dei beneficio, & prope convaluerim, & aegritudini ex amici morte conceptae dies ipsa levationis aliquid adferre coeperit, respondebo ad litteras tuas, ἀλλ' ἀτρεμαίως. Ac primum quod vetas me amoris erga me tui magnitudinem litterarum gravitate metiri: ego quoque a te, Amasaee, vir optime & eruditissime, peto, ut mecum eodem jure utaris: neve ex litterarum silentio factam unquam esse ullam de mea erga te, tibi, ut arbitror, non incognita voluntate diminutionem suspiceris. Sit igitur hoc inter nos positum, ne

alter ab altero, quod minus saepe litteras accipiat, minus etiam se amari putet. Nunc ad cetera. De Federico Silburgio, qui me sibi quasdam in Halicarnasseum & alios notas pollicitum esse ait: fieri quidem potest, ut ita sit; neque ego de eo, quem tu & doctissimum & humanissimum esse scribis, quidquam sequius suspicari debeo: sed tamen, quod inter nos dictum sit, neque Federici ipsius memini, neque me quidquam ejus generis cuiquam Germano pollicitum esse. Et, ut verum fatear, typographus ille, quem nominas, pessime hic religionis nomine audit: ut quidquam cum eo habere commercii neque satis tutum, neque satis pium esse videatur. Cogitabis hoc ipse tecum paullo accuratius, meque, si id tanti putabis, quid tui consilii, ac sententiae sit, admonebis. Venio nunc ad ultimam epistolae tuae partem: in qua omnibus ex partibus sese tuus ille saepe spectatus in me amor ostendit. Quod ais, istius nobilissimae civitatis magistratus saepe de me in Sigonii τὸ μακαρίτης locum vocando ac substituendo cogitasse; sed cum scirent, quomodo hic res meae constitutae ac constabilitae sint, putasse, me non facile ad eam conditionem accipiendam adduci posse; quodsi spem aliquam ostendero muneris illius non detrectandi, & ipsos cupide facturos omnia, & te studiose operam daturum, ut id quam maximo meo commodo fiat: primum video, quantum illi splendidissimo & honoratissimo XL virum consilio debeam, qui de me, homine nulla eximia eruditione praedito, tam honorificum judicium fecerint; deinde tibi, Pompili amicissime, vel hoc uno nomine ita esse me obstrictum ac devinctum agnosco, ut tecum unquam paria faciendi omnis mihi spes plane praecisa sit. Equidem, si paullo minus senex essem, non ambirem quidem istum honoris gradum, conscius mihi tenuitatis meae: sed ultro delatum, sine ulla detrectatione avidissime arriperem. Nunc, quam mei multae res impediant, ne id facere possim, vide. Vixi Romae annos plus minus XXIV. quo toto tempore prolixam & propensam erga me agnovi & P. R. & summorum Pontificum voluntatem. Praecipue autem Gregorius XIII. Pontifex ad bene merendum de omni humano genere natus, ita me perpetuo fovit, ea est caritate complexus, ut, si mihi vita pro eo refundenda sit, nullam tamen beneficiorum ipsius erga me partem videar consecuturus.

Quo

Suo igitur ore, qui nuper ab eo, ut veteranus emeritis ſtipendiis, miſſionem & petierim, & impetraverim, petere ab eodem audeam, ut me iſtuc venire patiatur? An poenituiſſe me dicam, quantum mihi honorarii nomine quotannis penderetur? Septingenti aurei numi: quantum nemo, opinor, ante me, qui hoc litterarum genus profiteretur, accepit. Et tamen, ſi ea me res moviſſet, nihil facilius erat, quam efficere, ut ad eam ſummam aliquid adderetur. Sed demus, aliquid tamen cauſſae reperiri poſſe, cur qui Romae amplius docere noluerim, Bononiae, quamvis eosdem labores ſuſcipiam, non recuſem: quid, quod ea migratio ſine luculento rei familiaris detrimento a me fieri non poteſt? Hic in aedibus meis non commode tantum, ſed etiam, pro meo captu, ſplendide habito. Iſtic pro aedibus pendenda merces erit; diſtrahenda ſupellex, & quae magno empta ſunt, vili addicenda; emenda Bononiae nova, majore fortaſſis pretio, uſu minore; ſumptus in itinere, & in librorum meorum geſtatione faciendi. Trecenti aurei numi, quos mihi otioſo Pontifex perſolvi voluit quotannis ex ea ipſa pecunia, quae iis, qui publice in urbe docent, adſignata eſt, adimentur fortaſſe, ſi alio me contulero. Multas hic habeo militias, ex quibus tantum fere capio, quantum ad alendam familiam ſit ſatis: abſentibus multa ex earum fructibus amittenda ſunt. E penſionibus, ut vocant, Eccleſiaſticis ſeptingentos numos aureos annuos percipio? debitores, qui ſaepe lenti eſſe ſolent, non tam facile abſens urgere potero, quam praeſens, & magno Principum ſupremi ordinis favore ſubnixus. His tot incommodis remedium nullum reperiri poteſt. Ut igitur ego longe plurimum debere me fateor iis, qui me tanto honore dignum cenſuerunt: ita eos ſupplex obteſtor, ne iniquo animo ferant, neve me propterea minus ament, quod hoc tempore non poſſe me ſtudio erga me ſuo obſequi videant. Vale. Romae, Id. Decemb. MDLXXXIV.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

PETRO LUPICO GOTHOLANO.

LXXII.

Occupationes, quibus perpetuo distineor, effecerunt, ut ad litteras tuas, quas binas eodem exemplo accepi, serius quam par erat respondeam, eaedemque mihi nunc necessitatem brevitatis imponunt. Accipe igitur ad singula. Verba illa, *nunquam defugiam auctoritatem*, nullo modo dici possunt a Parmenone. Nam, *defugere auctoritatem*, nihil omnino aliud est, quam nolle praestare ea, quae te auctore facta sint: neque usquam genus hoc loquendi aliter a Latinis scriptoribus acceptum reperietur. Hoc si quis negat, jube, locum unum ex aliquo bono atque idoneo Latinitatis auctore proferat, ubi aliter acceptum sit: & a me quod volet praemium petat. Praesto tibi, nullum unquam repertum iri. Itaque sponsionem quamlibet in eam rem facito: quicquid eo nomine pendendum fuerit, ipse praestabo, neque uniquam defugiam auctoritatem. Atque hoc ita manifesto perspici potest ex illis Plauti & Ciceronis locis, ut mirer, si quis aliter sentiat. Male igitur Donatus, qui ita exponit: *Non recusabo fatere, dum tu tamen auctor fis facti.* Nunquam, inquam, quisquam, qui Latine sciret, ita dixit, *defugere auctoritatem.* Viderat hoc & Victorius, erroremque Donati vere eruditeque coarguerat, nisi quod imprudens in eundem illum errorem incidit, quem in Donato notabat. Verum hoc esse, constat ex his Victorii verbis, quibus locum Ciceronis declarat: *Significat autem*, se non defugere *dicens* auctoritatem sui consulatus, *se cuncta illa, quae tunc gesserit, confiteri ac prae se ferre recte & ordine gesta esse; paratumque illa defendere.* Brevius omnino & concinnius poterat uti verbo *praestandi*, ut in jure civili auctor est, qui praestat evictionem: sed tamen, si nihil addidisset, ferri utrumque poterat. Sed vide, quid

ad-

addiderit: *ac quaecunque quasi jusserit ille ac mandarit, non recusaturum facere.* Quae interpretatio eadem est cum illa Donati. Nunc adhibe eam ad verba Ciceronis, ut videas, quam non vera sit. *Attende*, ait Cicero, *jam Torquate, quam ego non defugiam auctoritatem consulatus mei.* Id est, ut ego quidem interpretor, *quam non recusem praestare, quicquid in consulatu gessi, recte atque ordine gestum esse.* At, ut Victorius, *Quam non recusaturus sim facere, quaecunque quasi jusserit ac mandarit consulatus meus.* Quid autem quasi jubere ac mandare poterat Ciceroni consulatus, cum ipse amplius consul non esset? Inspice totum Ciceronis locum. Videbis, eum non de futuris, sed de praeteritis loqui. Fac idem in Plautino loco: *Si auctoritatem postea defugeris:* id est, si Victorium sequare: *si recusaris facere, quaecunque ego jusserim ac mandavero.* Quo quid alienius aut ineptius cogitari potest? Sed ego cum scholia illa scriberem, Victorium, qui triennio, ut opinor, ante libros variarum lectionum ediderat, exagitare nolui: neque enim mihi unquam ex aliorum infectatione gloriam petendam putavi. Quod autem illic quoque usus sum verbo *putandi*, non eo feci, quod res apud me dubia esset: sed, ut tu recte ac vere accipis, ne cui arrogantius loqui viderer. Iste autem, quisquis est, qui putat me usum eo verbo, quod suspicantis potius esset, quam ullam certam sententiam proferentis, tritus videlicet non est in veteribus illis, qui etiam in his rebus, quas pro certissimis & exploratissimis haberi volunt, saepe has voces adhibent, ἴσως, δοκεῖ, ἴσως, & ejusdem generis alias. Quod quaeris, quae causa loci corrumpendi fuisse videatur, dicam tibi. In vetustissimis Plauti, Terentii, Aristophanis exemplaribus neque actuum, neque, ut indocti postea locuti sunt, scenarum, ac ne personarum quidem ulla certa distinctio erat. Omnia continenter scribebantur: nisi quod inter personarum dicta exiguum aliquod inane spatium relinquebatur. Inde illae perturbationes ac confusiones extiterunt, cum pro suo quisque captu hoc & illud ab hoc aut illo dici putaret. Et ejus varietatis crebra est etiam apud Donatum mentio. Sed ego, qui me brevem fore dixeram, justo etiam verbosior fui. Tu tamen, qui brevitati ignovisses, libentius, nisi me fallit animus, ignosces loquacitati. Petrum Galesum videre & amplexari discupio. Magnus

gnus vir est, & quo non civitas modo vestra, sed tota Hispania merito gloriari queat. Vale. Romae. Postrid. Non. Nov. MDLXXIX.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

CHRISTOPHORO PLANTINO SUO.

LXXIII.

Vide, quae sit vel tabellariorum negligentia, vel temporum difficultas. Binas litteras tuas, quarum priores decimo die Octobris, posteriores die duodecimo Decembris datae erant, eas utrasque cum aliquot capitibus variarum Lectionum mearum, & parte Electorum Lipsii accepi Kalendis Februarii. Saepe jam ad te scripsi, ne ullam aliam praefationem exspectares, sed ea ipsa, quae octo prioribus libris jam pridem proposita est, sine ulla mutatione uterere: sed video, multas meas ad te litteras intercidisse. Litteras tuas ad Symphoniacos Pontificis, statim reddendas curavi. Ad Lipsium scribo Reliquum Variarum mearum & Electorum ipsius cupidissime exspecto. Velim scire, num tibi commodum futurum sit, describere typis tuis Libros Aristotelis Ethicorum ad Nicomachum Graece, ducentis amplius locis a me emendatos. Cuperem eos primum seorsum edi: actum demum commentarium in eos meum, quam bonum nescio, uberem certe & copiosum in eos emitterem. Habeo & notas in Thucydidem ac Plutarchum sane multas: quas ad te mittam, si tanti mea esse putaveris. Si eorum omnium editionem e re tua futuram non putas: supprimamus sane omnia. Jam pridem enim talium rerum satietas me quaedam tenet: neque mihi longius quidquam videtur, quam dum, vacuo & soluto animo, hanc deteriorem aetatem melioribus, id est, theologicis studiis dicare possim. Mi Plantine optime & amicissime, vale. VI. Id. Febr. Roma.

M AN.

M. ANTONIUS MURETUS LIPSIO S.

LXXIV.

Nunc ipsum accepi litteras tuas datas a te Kalend. Julii. Negas te ita Abderitanum esse, ut, quae a me scripta sunt, quo pertineant, non intelligas. Si quid mihi apud te fidei est, Lipsi, nemo usque librum meum cum tuo contulit, & contulere multi, ac clari viri, quin obstupuerit. Verba eadem non sunt, neque ego hoc unquam aut dixi, aut scripsi: cetera quidem ita similia, ut non lac lacti. Et negas te a me quidquam accepisse praeter unum, aut alterum locum, in quibus etiam ais factam a te mentionem mei. Quid ego nunc dicam? Non liber tecum ullam contentionem susciperе; non, si mihi Jupiter auctor spondeat, superiorem me fore: sed tamen tu me non nisi semel nominasti. Sed piget super re tam tenui plura. Quaeso, obtestorque te, ut in illa capitis primi praefatione, quidquid est quod in deteriorem partem accipi posse videatur, mutes, corrigas, deleas. Potes has meas litteras Plantino ostendere: ex quibus intelligat, mihi id non tantum volenti, sed cupienti atque exoptanti fore. Nihil enim mereri velim, ut te amicum habere desinam, aut vero ulla ex parte minus mihi amicum esse suspicer. Dices: cur id ipse non facis? Non tam facile cuilibet detegerem arcana mea. Sed tu me jam pridem nosti, quam sim in hoc toto genere φίλυμος. Ne vivam, Lipsi, si ejus capitis ullum penes me exemplar habeo. Hoc alius non ita facile crederet; te, qui, quam sim μισόπιστος, nosti, crediturum esse confido. Iterum te etiam atque etiam oro, ut, quidquid asperius dictum videbitur, mitiges. Reliquos libros, quos jam missurus eram ad Plantinum, tunc demum mittam, cum istuc, quod te rogo, a te praestitum esse cognovero. Interea ama me, & certo tibi persuade, te a me amari. Vale. Romae. Non. Septembris, MDLXXVI.

M. AN-

M. ANTONIO MURETO

JULIUS JACOBONIUS

S. D.

LXXV.

Vix me heri veſperi a quorundam hominum conventu honeſte diſſolvi: quibus obſtirmato animo adſeverantibus, lapidem nuper ad Tyberis ripam effoſſum, Semoni Sanco Deo Fidio inſcriptum, Simonem illum Magum deſignare, cum omnino ipſe adverſarer, ludibrio omnibus, ac deſpectui eſſe coepi. Cumque de quodam Fidio Sango, vel Sanco legiſſe me aliquando affirmarem: Semonesque terrenos deos antiquitus fuiſſe appellatos, ium magis a quibusdam irridebar, qui Sancum Sabina lingua Magum, Semonemque, quam Simonem Hebraice dici malebant. Ego vero qui nugas illos agere, ſibique ſomnia confingere plane videbam, diſcedo inde iratus, ut qui veritati fucum ab imperitis factum intuebar, neque locus tum mihi ullus, quo illorum perfringerem ſtultitiam, ſuccurrebat. Neque, quod me vel maxime angit, & nunc ſuccurrit; ac ſi, ſuccurreret, haud facile mihi eſſet invenire; libris enim fere omnibus, ut ſcis, careo, atque ita in praeſentia occupationibus obruor, ut nihil requietis habeam. Itaque ad tuae mihi expromptae ac prope divinae memoriae theſaurum confugiendum, atque iſtam tuam reconditam doctrinam advocandam putavi, quae, quoties quis aliquid abditum atque abſtruſum quaerit, promptuarium eſt. Obſecro te, Murete doctiſſime, ut, ſi quid contra horum inſulſiſſimorum hominum ſententiam colligere potes, (poſſe te praeclara opinor plurima,) ad me, niſi te de rebus tam ridiculis diſputare pudeat, quam primum mittas. Video namque aliquos de noſtris proinde ſtudiis peſſime ſentire, niſi, quemadmodum heri me facturum recepi, hodie aliquid, quo ſane illorum opinionem reflectere, ac cohibere valeam, in medium afferam. Ut igitur rem ipſam prorſus inſpicere atque inveſtigare queas, mitto ad te inſcriptionem

nem totam ex ipso vetusto lapide ad verbum, ordineque desumptam: de qua quidem re aliquod tuarum litterarum testimonium vehementer exspecto, quo scilicet uno meorum studiorum conscientiam nunc & in perpetuum sustentabo. Vale. XIII. *Kal. Septembris*, MDLXXIV.

SEMONI.
SANCO.
DEO. FIDIO.
SACRUM.
SEX. POMPEIUS. S. P. F.
COL. MUSSIANUS.
QUINQUENNALIS.
DECUR.
BIDENTALIS.
DONUM. DEDIT.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

JULIO JACOBONIO.

LXXVI.

Quaeris ex me, ecquid inscriptio vetus nuper effossa, in qua Semonis Sanci Dei Fidii mentio est, ad Simonem magum pertineat: id enim quosdam pro vero ac comperto adseverare. Res mihi, ut tibi verum ingenue fatear, vix satis videtur digna, de qua aut tu quemquam, aut me quisquam consulat. Nihil enim tritius aut pervulgatius. Et certo scio, te ipsum per te hanc stultitiam refutare potuisse, nisi id a me fieri maluisses. Semonis Sangi Fidii mentio est apud Livium libro octavo his verbis: *Bona Semoni Sango censuerunt consecranda.* Nominat eum & aliis aliquot locis. Et apud Ovidium VI. Fastorum: *Quaerebas Nonas Sango, Fidione referrem, An tibi, Semo pater.* Ubi vulgo legitur *Semipater*, aut *Semiaper*, vitio

vitio eorum, qui quae non intelligunt, mutant. Mentio ejusdem apud Halicarnasseum libro quarto, apud Augustinum de civitate Dei. Rex Sabinorum fuit, quem mortuum retulerunt in deos: ut est apud Lactantium libro primo. Mentio ejus & apud Silium Italicum: apud Festum in dictione *Propter viam*, apud Fulgentium in libro de vocibus antiquis. Scio esse & nescio quid apud Plutarchum. Ne longum faciam, res contrita ac communis est, quamque parum decorum sit, ut abstrusam ac reconditam vel quaerere, vel repertam venditare. Neque ego haec scripsissem, nisi tibi morem gerendum esse duxissem. Neque tam te haec ex me quaesisse arbitror, ut ea cognosceres, quam ut istis nescio quibus mei quoque testimonii pondus opponeres. Vale. XIII. Kal. Septembris, MDLXXIV.

BALTHASAR ANSIDEUS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

LXXVII.

Nisi Lucas Sempronius Romam iret, meque, ut ad te officii caussa scriberem, submonuisset, nunquam profecto, ut, qui tuas studiorum aliarumque rerum occupationes notas habeo, litteras ad te dare ausus essem. Sed is pollicitus mihi est, omnem sese daturum esse operam, atque effecturum denique, quo minus importunae tibi meae litterae accidant. Ego vero eam ob caussam non invitus eo me induci passus sum, ut te salutem, nomenque tibi meum, si forte exciderit, in memoriam revocem, singularemque amorem atque observantiam, qua te prosequor, quantumque praeterea tibi debeam pro singulari mihi olim praestito beneficio, declarem. Atque utinam aliquod grati animi signum praebere tibi possem! Quid enim gratius unquam accidere mihi possit, quam ut ipse intelligas, apud memorem te virum beneficium collocasse? Sed meam ipsius te-

stud-

huitatem conſideranti ſpes omnis effracta concidit. Quando igitur, quod ſumme concupiſco, non licet, faciam, quod in promptu eſt, beneficiique tui . . . . . quo te contentum fore mihi perſuadeo, tum quod belli homines, qualis profecto tu es, haud plus exigere debent, quam quis praeſtare queat; tum quod in remunerandis beneficiis lex videtur illa ſancita eſſe, ut, qui minus referre poteſt, gratiam habeat, animusque magnae inſtar remunerationis ſit. Idque tuus, niſi fallor, Seneca ſentit, quem propediem abs te emendatum, ſcholiisque illuſtratum exiturum ajunt. Quem diem quando ego videro: nihil mihi longius. Nullius enim viri ſcripta libentius, & aeque libenter quidem lego, ac tua: quae cum eruditione ſumma, tum elegantia ſingulari adeo referta ſunt, ut nihil omnino eruditius, ac purius fieri poſſe putem. Atque utinam aut ea tibi a principio mens fuiſſet, ut longe plures epiſtolas ederes, aut aliquando συμπάνου illud ita augeas, ut ad juſti magnitudinem voluminis excreſcat! Nam, meo judicio, nihil cumulatius excellentiusque in eo genere reperiri poteſt. Quas ego cum lego, ne ipſorum quidem antiquorum ingenium, dexteritatemque deſidero. Nolo tibi pluribus moleſtus eſſe. Vale, meque ama; & quamquam nihil in me ſit, quod amorem mereatur tuum: eâ tamen de cauſa dignus ſum, qui abs te amer, quod ego in te amando nemini concedo. VII. *Idus Decembris,* MDLXXXIV.

M. ANTONIUS MURETUS BALTHASARI ANSIDEO SUO S.

LXXVIII.

Gratiſſimae mihi, ut ſemper, litterae tuae. In quibus hoc a te ſerio ſcriptum non puto, veritum quodammodo eſſe te, ne nomen tuum mihi excidiſſet. Scriptum etiam mihi in animo eſt ita, ut nulla longinquitate temporis deleri queat: & id ipſi quoque tibi notum eſſe exiſtimo. Si quid olim feci, quod hodie utile tibi eſſe ſentias, gaudeo; & , ſi qua ſe offeret occaſio, ſemper promptiſſimo animo

procurabo, quidquid in rem tuam esse arbitrabor. Neque est, quod de me remunerando cogites. A quibus me amari sentio, ab iis cumulate mihi satisfactum puto. Tu modo praesta te eum, quem semper praestitisti, & perge amare eos artes, quibus te jam pridem deditum esse cognovi. Magnum mihi aliquid de te semper augurat (*). Seneca meus prodibit, ut spero, circiter Kalend. Maj. prodibunt & alia quaedam mea, & inter cetera, epistolae: quas aut a te, aut a quoquam alio expeti miror. Neque enim quisquam me in scribendo negligentior est, & ego nusquam negligentior, quam in scribendis epistolis. Sed quando vos ita vultis, obsequar studio vestro: & ad illas, quae jam editae sunt, alias addam, neque meliores aut elegantiores, neque accuratius scriptas, in quibus vos, qui, quod me amatis, mea, cuicuimodi sunt, libenter legitis, bonas horas male collocetis. Ego te amare non desinam, nisi tu, qui es, esse desieris: hoc autem pro certo atque explorato habeo nunquam fore. Vale. IV. Non. MDLXXI. Romae.

HORATIUS CARDANETUS

M. ANTONIO MURETO

S. D.

LXXIX.

Luca nostro Ariminensi ad urbem eunte, libet ad te perbreves litteras dare: quae quidem tui me observantem esse tibi significent. Jam diu nihil scripsi, quod nolui molestus tibi esse. Balthasar quidem meus epistolam ad te misit hortatu meo superiori anno: cui cum non responderis, noluimus tibi amplius obstrepere. Te quidem amamus, ut solemus: tibique gratulamur, quod depositа publice interpretandi provincia in otium te receperis. Speramus enim, te non minus silentem, quam dicentem, studiosis litterarum profuturum. Ama nos, & vale. Die festo divi Ambrosii, MDLXXXIV. M. AN.

(*) Checcotius locum asteriscо notavit. Forte excidit *animus*.

M. ANTONIUS MURETUS CARDANETO S.

LXXX.

Amari me a te scio: neque tibi dubium esse debet, quin a me mutuo ameris. Saepe ad eos, quos amo, scribere, ubi nulla id necessitas exigit, neque possum, neque lubet: neque a quoquam id genus officii valde exigo. Ad Balthasarem non magis tuum, quam meum, eo non scripsi, quia aegrotabam, neque adhuc plane convalui. Depositam a me publice docendi provinciam, caussa esset, cur gratularemini, nisi mea me facilitas in majores etiam & molestiores occupationes induisset. Reperiam tamen, ut spero, quomodo ab his quoque me expediam: & tunc fortasse, ut & posteris prosim, operam dabo. Vale. IV. Non. Jan. MDLXXXV. Romae.

M. ANTONIUS MURETUS ANTONIO CONSTANTINO SUO S. D.

LXXXI.

Nunquam destiti, ex quo primum te novi, mi Constantine, ob egregias animi tui dotes ita te amare, ut ad amorem in te meum prope singularem nihil plane accedere posse arbitrarer. Nunc tamen, quod video te tantum tam parvo tempore in Jurisprudentia profecisse, tantus ad amorem in te meum cumulus accesit, ut ipsemet mirer. Petis a me, ut explicem tibi vulgatam quaestionem, Possessio sitne juris, an facti? Plusculum etiam praestabo, quam petis. Nam tibi de tota possessionis natura & ratione breviter ac perspicue, quod quidem in me est, dis-

feram: non quin te quotidie de doctoribus, quibus istic uteris, meliora audire sperem: sed quod pro tuo in me studio mea quoque libenter lecturum ac cognituram sciam. Quod autem vereri videris, ne mihi talibus quaestionibus molestus sis: quis, quaeso, molestus esse potes? Tu vero molestus eris, nisi isto modo saepissime molestus fueris. Mihi enim omnis, qui tua causa capietur, semper jucundus futurus est labor. Vale, &, si me amas, aut potius, quoniam me amas, ama in dies magis magisque ea studia, in quae, me auctore, ingressus es.

DE VERBO POSSIDENDI.

Possidere est habere, tenere, obtinere, habere rem in potestate, & eo verbo veteres in omni rerum genere utebantur. Sic *possidere amicos, mores, regnum, artem, virtutem*, ceteraque nullo discrimine in eorum scriptis legimus. Ac denique quod quisque habebat suum, aut tanquam suum, id possidere dicebatur. Ergo cum vetus consuetudo esset, ad majorem expressionem (*), congerendi verba, quae idem valerent; saepe etiam haec conjungebant, *habere, possidere*, quod tenendi verbum latius pateat: tamen id tum demum verum est, cum proprie, ut Jurisconsulti faciunt, loquimur; Nam in communi quidem usu *tenere, possidere*, κρατεῖν, κατέχειν, idem saepenumero valent. Ovidius:

Possidet & terras, & possidet aequora Minos, id est, κρατεῖ γῆς τε καὶ θαλάσσης: quod etiam ita diceretur: *Et terras & mare tenet Minos*. Seneca: *Pellices caelum tenent*, ἔχουσι κρατοῦσι. *Possidere* quoque & *obtinere* pro eodem ponuntur. Terentius: *Antiquam tuam venustatem obtines*. At Plautus meretricem quandam *hujus seculi mores possidere* dicit. Idem huic est *possidere*, quod illi *obtinere*. Κρατεῖν dicuntur Graecis, quorum imperium est. Dicuntur & Latinis *tenere*. Virgilius: —— *Genitor tum Belus opimam Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat*. Horatius: *O quae beatam Diva tenes Cyprum*: id est, cujus in potestate est Cyprus. Eodem modo accipitur verbum *habere*. Tacitus: *Urbem Romam a principio Reges habuere*. Sic in illo dicto Aristippi, cui cum objectum esset,

(*) Magis Latine scripsisset *significationem*.

set, quod haberet Laidem, *Habeo*, inquit, *sed non habeor*. Ita enim Cicero in epistolis, ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι. Sappho: Κύπρον Πάφον τ' ἴχοισα πώλῳ καλόν. Sic alibi Seneca, *Avaros* ait *non divitias habere, sed a divitiis haberi.*

UNDE DICTUM SIT POSSIDENDI VERBUM.

Atque haec mihi videtur vera hujus verbi notatio, ut non a *positione sedium*, quod tamen nostris placuisse video, aut *pedum*, quod miror reperiri, qui, editis Pandectis Florentinis, pergant tamen defendere, sed a verbo *possum* ductum ut verbum possidendi, quod qua quisque re potest, quidquid collibuit facere eaque arbitratu suo uti, abuti, eam possidere dicatur. Nam & in verbo κρατῶ, quaedam ejusmodi potestatis significatio est. Potentes enim τοὺς κρατοῦντας dicebant. Et Horatio, *Sic te Diva potens Cypri*, est Κύπρου κρατοῦσα, Κύπρου μιθίωσα, ἡ ἀνάσσουσα, & qui regere possunt cupiditates suas, ἐγκρατεῖς, qui non possunt, ἀκρατεῖς vocantur. Ac quoniam praecipua in quaque re potestas sit domini, possidere dicebant eum, qui dominus esset. Et cum Horatius ait, *Valeat possessor oportet, Si comportatis rebus bene cogitat uti*, possessorem dicet ὁ κεκτημένον: quomodo saepe & Cicero loquitur. Nostri subtilius ista considerantes viderunt, neque semper dominum possidere, neque semper qui possideret, dominum. Itaque distinxerunt dominium sive proprietatem a possessione: ita tamen, ut docuerint, eum demum proprie & utiliter possidere, qui animo domini tenet, id est, qui pro suo possidet. Ceterorum enim vitiosa & inutilis possessio est: ut furis, ut praedonis, ut eorum, qui vi, clam, precario possident, ut denique omnium, qui sciunt se alienum possidere. Possidet igitur qui rem habet in potestate. Idque magis ex his, quae dicam, intelligi potest. Feram cepi, eamque inclusi: possidere dicor Evasit e custodia? non amplius possideo: non enim habeo eam amplius in potestate. Aberravit pecus meum; vas ita excidit, ut quamlibet diligenter quaesitum reperiri non possit? desino possidere, l. Sed hoc jure. §. Nerva. D. hoc titulo. Subrepta mihi res furto est? Non ideo amisi ejus proprietatem. Itaque ubilibet repertam vindicabo. Sed interim amisi possessionem. Et hoc est, quod ait Scaevola, furtum solius possessionis fieri, l. prima §. Scaevo-

la. D. si is qui testament. lib. &c. Quomodo igitur purgatur vitium rei furtivae? Si restituatur quod ereptum est, id est, si res redeat in potentiam, l. quarta. §. Quod autem. D. de usurp. & usucap. Ex hoc quoque intelligas licet, tum rem possideri, cum est in potestate.

DIVISIO POSSESSIONIS.

Jam habere aliquis in potestate sua rem potest duobus modis: aut sine ullo titulo, aut justo aliquo titulo, id est, qui jure civili probatus sit. Ille naturaliter tantum sive corporaliter possidet, &, ut ajunt, pro possessore, l. pro herede: cum l. sequenti & similibus D. de hered. pet. Qui cum titulo possidet, aut titulo nititur & justo & vero: atque hic non possessor modo est, sed dominus: ut qui emit a domino; aut justo quidem, sed non vero: ut qui non a domino insciente insciens emit: id est, cum & emptor venditorem, & ipse se venditor justo errore ductus dominum putaret. Atque hic dominus quidem non est: (neque enim potuit a non domino dominus fieri L. Nemo plus juris, de regulis juris:) sed est bonae fidei possessor: & longa ac continua possessione dominus de lege effici potest, toto tit. de usurp. & usucap. Hic dicitur non naturaliter tantum, sed etiam civiliter possidere: quod ipsius possessio jure civili probetur. Possessio igitur naturalis sive corporalis tantum semper injusta est: at possessio naturalis, quae aliquo jure civili nititur, civilis est, id est, justa & aequa. Est etiam reperire solam possessionem civilem, sine naturali: ut in servo, qui est in fuga. Quamvis enim eum tunc quidem naturaliter ac corporaliter non possidemus, civiliter tamen possidemus, certe quidem, quandiu a nemine alio possidetur, L. Rem quae nobis. D. hoc tit. Sic & fundum, cujus alienus usus-fructus est, proprietas nostra, naturaliter possidere videtur fructuarius: cum tamen eum nos civiliter possideamus, L. Naturaliter, hoc tit. Et quod alibi multis in locis fructuarius, commodatarius, depositarius, qui precarium accepit, negantur possidere, id ita intelligendum est, eos non possidere animo domini: idcircoque talem possessionem quamlibet longam nihil valere ad usucapiendum. Itaque genere quodam & possident, & non possident.

POSSESSIO SITNE JURIS, AN FACTI.

Ex his constare opinor, possessionem esse facti: quod tam multis in jure locis probatur, ut eos annumerare pigeat: praesertim cum obvii expositique sint. In quo tamen quaedam adhibenda distinctio est. Nam possessio mere naturalis est meri facti, ut quae nullo prorsus jure nitatur. Civilis est & ipsa quidem facti, sed quia jure nititur, habet etiam aliquid juris. Nam qui civiliter possidet, is & interdicto retinet possessionem, dum res evincatur, & si diu sine interpellatione possederit, rem suam facit: idque sive & animo & corpore, sive etiam animo tantum possideat, dum civiliter possideat, L. Nemo ambigit C. eo. tit. Et certe nisi civilis possessio haberet aliquid juris, non diceremur adquirere possessionem. Etenim quae meri facti sunt, non dicimur adquirere, ut nemo dicitur adquirere traditionem, etsi traditione aliquid adquiritur. At non tantum dicimur adquirere aliquid possessione: sed & ipsam possessionem adquirere. Est igitur in ea aliquid facti, est etiam aliquid juris. Sed scrupulum tibi non immerito injicit L. Possessionem D. hoc tit. quae quomodo intelligenda sit, & concilianda cum L. Pupillus. de adquir. rer. dom. breviter aperiam. Nam qui dicunt, eam non de possessione civili, sed de detentione Asinia loqui, eorum, ut suum verbum eis referam, plane asinina expositio est. Pupillum sine tutore auctore non posse conditionem suam ulla in re deteriorem facere, indubitati juris est. Hoc cum doceret Sabinus, dixerat, pupillum neque dominium, neque possessionem posse amittere, nisi tutore auctore. Cum hoc obscurius dictum videretur Ulpiano, in notis ad Sabinum addidit, non posse quidem pupillum animo, id est, voluntate sua amittere possessionem: nam, etiamsi velit eam amittere, & in alium transferre, nihil agit; posse tamen amittere id quod est facti, ut si per vim dejiciatur de fundo, quem possidet: alioqui enim id damnosum esset ipsi pupillo. Quomodo enim possessionem interdicto repeteret, nisi amisisset? At vero alienare, & animo ac voluntate sua amittere possessionem, etiamsi maxime velit, sine tutoris auctoritate non potest, & hoc modo sententiam Sabinianorum accipiendam esse docet Marcianus in d. l. Pupillus. Haec sunt, mi Constantine optime, quae mihi nunc quidem de possessione in

mentem venerunt: plura fortasse quam exspectabas, pauciora certe, quam habiturus eras, si per occupationes licitum esset. Sed & haec ipsa tibi forsan usui futura non sunt, melioribus abundanti. Ego tamen scripsi tanquam futura. Si quid posthac habebis ejusmodi, in quo opera & consilio meo egere tumet tibi videberis, me semper paratissimum habebis ad ea omnia, quae tibi & utilitatis & voluptatis aliquid allatura esse cognovero. Ac spero me his aestivis mensibus, quibus res proferentur, multa ejusdem generis edolaturum, eaque ad te missurum: ut studiose uterque operam demus, ut eripiamus ex animis hominum stultissimam illam opinionem, nihil in jure aut sapienter cogitari posse, quod non ex illis legulejorum lacunis hauriatur, aut erudite dici, quod non insulse ineleganterque dicatur. Vale. Romae. XIII. Kal. Febr. MDLXXXII.

M. ANTONIUS MURETUS

ILLUSTRISSIMO VIRO JULIANO ARCHIEPISCOPO MEDICI, EPISCOPO ALBICENSI,

S. P. D.

LXXXII.

In summis doloribus, quibus vexabar ex ingenti quadam vi flavae bilis, quae diu per totam sinistram corporis mei partem grassata, tandem in tibiam sinistram tota decubuerat, allatae mihi sunt a te litterae, Juliane, Praesul amplissime, veterem illam, qua vincis omnes, humanitatem tuam, singularemque amorem, quem erga me jam pridem susceptisti, omni ex parte spirantes: quae mihi levationem quidem aliquam doloris attulerunt, neque tamen ita me confirmare potuerunt, ut statim ad te rescribere auderem. Misi igitur ad Joan. Baptistam Altovitam, (ille enim eas mihi curaverat,) qui eum meo nomine rogaret, ut in suis ad te litteris excusationem tibi meam exponeret, polliceretur que, me officio non defuturum, simul

simul atque dolor aut depulsus, aut mitigatus foret; quod eum fecisse non dubito. Nunc cum Dei beneficio, non quidem me plane reliquerit dolor, sed tamen & multum de priori acerbitate remiserit, & intervalla satis crebra habeat: non differam diutius hoc aes alienum, ne merito non rusticus modo, sed plane ἀναίσθητος videar, nisi persentiscere me ostendero, quantum tibi debeam, qui ista nobilitate generis, ista dignitate, ista eruditionis magnitudine praeditus, fasces tamen summittere, & de rerum mearum statu tam sollicite atque amanter exquirere non graveris. Nam quod meam eruditionem, & eloquentiam tam multis verbis commendas, non possum equidem negare, quin mihi gratissimum sit laudari abs te laudato viro: sed mihi saepe tua legenti veniebat in mentem illud Homericum, ὥς τοι θεὸς εἰμί. Facis tu in eo quod plerique faciunt, ut quae sibi supersunt, aliis non gravate tribuant: sic enim & tu, qui veris, ac solidis laudibus abundas, tenuiores amiculos earum non invitus participes facis. Itaque iis omissis ad alia, quae scire te cupere ais, venio. Ego, Juliane mi praestantissime, aequitate animi eadem sum, qua semper fui; conditione, quod ad τὸ ἔξωθεν attinet, meliore atque optabiliore. Nam & ipsos principes civitatis amicissimos, quosdam etiam mei studiosos habeo, & opum is modus est, qui ad liberaliter vivendum sit satis. Cujus rei vel hoc tibi argumentum sit, quod superioribus mensibus, petita prius ejus rei a Pontifice venia, publico docendi munere, quod annos in hac urbe unum & viginti sustinueram, sponte me abdicavi: & tamen ex eo capiebam quotannis septingentos aureos numos, quam pecuniam nemo nisi aliunde affatim instructus, facile, ut opinor, contemserit. Causae mihi fuerunt capiendi ejus consilii multae. Quinquaginta octo annos natus sum, & sentio me paullatim viribus defici. Semper autem audivi a sapientibus dici, desinere satius esse, quam deficere. Multa scripta habeo partim inchoata, partim etiam affecta; quae mecum omnia intercidant necesse est, nisi mihi ad ea expolienda otii aliquid sumpsero. Simul verebar, ne quis ἀπλησίαν meam accusaret, si quod satis superque est ad tutandam vitam consecutus, labori tamen non parcerem, sed amplificandae rei supra modum studerem. Ergo & hac suspicione me exsolvi, & otium mihi, ut spero, in reliquam vitam comparavi. Quo

tamen otio non ad ignaviam abutar: ſed ſemper aliquid moliar, quod me prodeſſe poſteris, ſi minus potuiſſe, at certe toto animo voluiſſe teſtetur. Deſcribuntur hic nunc a typographis opera omnia Senecae emendata, ſtudio ac diligentia mea. Quae ſimul abſoluta erunt, ad te mittentur. Sequetur Commentarius in Ethica Ariſtotelis, aliaque deinceps, quae tibi non usquequaque diſplicitura confido. Interea mitto ad te oratiunculam habitam hic a me in funere Pauli Foxii, Archiepiſcopi Toloſani, magni ac praeſtantis viri, tibique, ut opinor, non ignoti. Addidi duo quaedam poëmatia mea, ad quae familiaris quidam meus notulas quasdam adjecit, non prorſus inelegantes. Haec pauca libenter accipies, teque iis oblectabis, dum a me gravius aliquid & dignius, quod ad te mittatur, accipias. Interea oro te per illam ſaepe mihi ſpectatam humanitatem ac comitatem tuam, ut amare me pergas, ejusque rei mihi fidem interdum, quod commodo tuo fiat, tuis jucundiſſimis mihique optatiſſimis litteris facias. Vale. Romae. VI. Kal. April. MDLXXXIV.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

PAULO SACRATO SUO.

LXXXIII.

At ita tu me, dum vivam, merito ames, Sacrate optime, ut ego ſtatim accepto annuo illo munuſculo tuo litteras ad te ſcripſi, quibus ſignificarem, quam id mihi, ut tua omnia, gratum atque acceptum fuiſſet. Neque tamen recordari nunc queo, cui litteras dederim, niſi id quidem liquet mihi dejerare, a me ſcriptas fuiſſe. Ex illo tot me occupationes impeditum devinctumque tenuere, etiamque nunc tenent, ut interdum vitae me ipſius taedium capiat: eo magis, quod amicis multa poſtulantibus, ne ſi dirumpar quidem, ſatisfacere omnibus poſſum; & ut cujusque petitioni deſum, is ſe a me negligi putat, me-

mecumque expostulat, quod parum sibi in amore respondeam. Ego vero interdum ita obruor multitudine eorum, quae a me postulantur, ut, quo potissimum vertere me debeam, satis constituere non possim. Quare, si me amas, ut certe amas; neque enim exemplum tuum sequi volo, ut de tua erga me voluntate dubitare fas putem: sed si me amas, vel potius, quia me amas, ignosce interdum occupationibus meis, & quando bonum nomen esse me scis, ἐπιείκειαν interdum esse me patere. Mittam brevi quae pollicitus sum in jure civili: jam enim descripta sunt, neque quidquam aliud supereſt, quam ut a me denuo percurrantur, si quid forte peccatum est ab eo, qui illa descripsit. Habebis & librum epistolarum mearum, & alia quaedam, quandoquidem libet tibi in nugis meis bonas horas consumere. Vale. VII. Id. Jul. MDLXXX. Romae.

M. ANTONIUS MURETUS

S. D.

FRANCISCO BENCIO SUO.

LXXXIV.

Etsi eum, qui has ad te litteras adfert, satis & tibi, & ceteris tui ordinis hominibus pro vestra omnium pietate commendatum esse confido: putavi tamen aliquid accessurum, si eum mihi magnae curae esse, & a me non vulgariter diligi omnes cognoscerētis. Peto igitur a te, non tantum ut ipse quidquid potes studii, operae, officii, in eum libenter conferas: sed etiam ut eum meo nomine commendes diligentissime iis omnibus e vestra sodalitate, quibus ipse commendari se volet. Jam pridem & ego vos omnes ex animo constantissime amo, & mihi persuadeo, me a vobis vicissim amari. Nihil dignius aut meo perpetuo erga vos studio atque observantia, aut in quo melius ac certius vestri erga me amoris magnitudo per-

perſpiciatur, efficere poteſtis, quam ſi huic adoleſcenti omnia pietatis & caritatis Chriſtianae officia tribuatis. Hoc a te Mafeo, Fulvio, Horatio meis, aliis quoque, ſi opus fuerit, ſed his praecipue, exponi, ac patefieri volo. A te autem vetere alumno diſciplinae meae prope pro meo jure quidvis poſſe videor poſtulare. Mi Benci optime, & cariſſime, etiam atque etiam vale. Prid. Kal. Jun. MDLXXV.

M. AN-

M. ANTONII MURETI JUVENILIA.

COMES ALSINOUS LECTORI:

Vis, lector, Tragici ſonum cothurni,
Vis, lector, numeros Catullianos,
Vis, lector, numeros Tibullianos,
Vis, lector, numeros Horatianos?
En, libro tibi dat Muretus uno.

JOANNIS AURATI

IN

M. ANTONII MURETI JUVENILIA.

TAM bona posse putas cuiquam juvenilia credi
Carmina, digna viro, digna, Murete, sene?
Quae tibi tam tenuis limae solertia rasit,
Quam quod Praxiteles ungue polivit ebur.
Ipse suum titulum nimia liber arte refutat,
Auctorisque annos inficiatur opus.
Tu licet affirmes, licet omnia numina jures,
Contra te facit ars, ingeniumque tuum.
Deme igitur titulum libro, vel deme nitorem:
Aetatem nitidus debet habere liber.

(*) GEORGII BUCHANANI SCOTI.

QUANTA in magnanimi consedit pectore Bruti,
Pro patria virtus cum pia tela daret;
Tanta animo, Murete, tuo sese intulit, ore
Altiloquo Bruti dum pia facta canis.
Ergo, licet claris raro non invida coeptis
Fortuna Emathio sparserit ossa solo,
Ille iterum surgit per te post funera major,
Crescit & ingenio laus rediviva tuo;
Et magis illustri gaudet decorata tropaeo,
Quam si Pyramidum contegat ossa labor.

ΕΙΣ ΤΗΝ ΒΙΒΛΟΝ

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΤΟΥ ΜΟΥΡΗΤΟΥ.

Τίς, πόθεν, ὦ Μύρητ', ἔρχῃ νέῳ Ἰταλίδεσσι
Κόσμῳ ἀοιδοπόλοις, σῆς ἕνεκ' ἀντίης;
Ἢ νίδ' ὅσον μολπαί σε ἀποσίλβουσιν ἔρωτι,
Παντοθι παντοίων βεβδύεναι χαρίτων;

Ἢ νίδ'

(*) Videtur Epigramma scriptum de Caesare, Tragoedia Mureti, in qua Bruti primae sunt partes. *Checcot.*

Ἢ νιφὰ ὅσην Κυθέρειαν ἀποπνείουσιν ἀοιδαὶ.
Αἱ σέο, κηληθμῶν πληρέες ἀβρομελῶν;
Ἢ φλογὶ σῶν μελέων φλογερὰν χάριν ἵμερος ἧψεν,
Ἢ δὲ Κύπρις μελίθρεν ὅπασεν ἀβροσύνην.

I. A. ANTONIOY BAIΦIOY

ΤΟΥΤ ΑΥΤΟΥ ΕΙΣ ΤΗΝ ΑΤΤΗΝ.

Σῶν, Μύρτ', ἐπίων ποσὸν τόδε; φράζε λέοντα
Οἷον ἔφυ, μεγάλων τ' μέγαν ἐξ ὀνύχων.

IN M. ANTONIUM MURETUM
JANI ANTONII BAIFII.

SEU *visum est tibi diis laudes aequasse virorum,*
Haud pudeat Flacci sic cecinisse lyram:
Julia seu Tragico defleris funera versu,
Marce, Sophocleo tu pede digna tonas:
Seu fers Margaridem lepido super aethera cantu,
Cantas, quo invideat Lesbia Margaridi.
Quis tibi cedet honos pro tali carmine? cingat
Lauro, hedera, myrto texta corona caput.

COMES ALSINOUS.

MUSAE, *noster amor, meum Muretum,*
Vestrum & candidum & optimum Muretum,
Qui vos usque adeo canit canendas,
Qui vos usque adeo colit colendas,
Quo nil cultius, elegantiusve,
Quo nil candidius, venustiusve,
Seu regum Tragico neces cothurno,
Seu scribat, posita severitate,
Venustas Veneres, jocos, lepores,
Et molles Elegos decente versu,
Facundo, lepido, aureoque versu:
Musae, inquam, Aonides, meum Muretum,
Vestrum & candidum & optimum Muretum
Vatem dicite, & approbate vatem.
In otio negotium.

STE-

STEPHANI JODELLI PARISINI.

QUAM *Marcus, caeſo Cicerone, Antonius urbem*
Laeſerat, eloquii dum cadit enſe pater;
Infando Marcus levat hanc Antonius ictu,
Reſtituit priſcum qui tibi, Roma, decus.
Nam quantum linguae debebat Martia Marci
Roma, tuae debet, Marce poëta, lyrae.
Aeternum vives igitur, Murete, nec ullus,
Qui Marcum poſſit laedere, Marcus erit.

EJUSDEM.

CAESAR, *Amor, teſtudo; movet, delenit, ineſcat;*
Fletum, elegos, aures; ſanguine, melle, ſonis.

JOHANNIS VERMELIANI USSELLICI.

QUID *decipis nos, aut quid huic Tragoediae,*
Murete, nomen, quaeſo, praeponis tuum?
Quis te, relictis tam diu poëticis,
Totum Platoni, totum Ariſtoteli datum,
Tam culta credat condidiſſe carmina?
Ego, hercle, vera, quanquam amicus, eloquar:
Dum tu ſophorum ſcripta volvis pertinax,
Nec avocari eorum ab amplexu potes,
Muſae hic vices, Murete, obiverunt tuas.

L. MEMMII FREMIOTI

IN M. ANTONIUM MURETUM,

PRAECEPTOREM OPTIMUM ET CARISSIMUM.

MURETE *eximio inter celebrande poëtas,*
Cui numerat paucos Gallia tota pares,
Cui pater ipſe lyram & plectrum tranſcribit Apollo,
Quem ſibi Pierides ſpemque metumque putant:
Hos per te exculti primos cape ruris honores,
Quos tibi dat tremula noſtra Thalia manu.
Scilicet aurifluae numeroſo verbere linguae
Dum tu corda loquens obſtupefacta quatis,

Pectore & a docto gemmarum projicis imbrem,
Quem rapiat celeri lecta juventa manu;
Per tua ego ingressus timido vestigia passu,
Sedulus, haec tandem qualiacunque dedi:
Quae tibi dum placeant, aliorum haud puncta morabor:
Judicio tutus despiciam illa tuo.

EJUSDEM.

DICEBAM: *Mihi, Pierides, praesto este canenti,*
Et mihi tu, vatum doctor Apollo, fave.
Aure meas surda Musae sprevere querelas:
Aure meas surda sprevit Apollo preces.
Verum ubi Mureti me sum de gente professus,
Et dixi: Marcus me quoque vester amat;
Mureti audito accurrerunt nomine Musae,
Sponte & opem Phoebus detulit ipse suam.

EJUSDEM

IN IMAGINEM MURETI E VIVO EXPRESSAM.

Atqui te Aonias dicebas velle sorores
Pingere: solve datam, pictor amice, fidem.
Plus etiam feci: namque hac sub imagine, lector,
Cum Phoebo Aonidum turba diserta latet.

M. ANTONII MURETI

IN LIBRUM

JUVENILIUM

AD CLARISS. VIRUM,

JANUM BRINONEM,

IN SENATU PARISIENSI

CONSILIARIUM REGIUM,

PRAEFATIO.

Saepenumero ſum admiratus, Jane Brino, vir illuſtriſſime, quo tandem fato contigerit, ut, cum e Gallia noſtra paene innumerabiles exſtiterint in omni genere ſcientiae praeſtantes viri, poëtarum tamen magna ſemper a nobis fuerit inopia laboratum. Idque eo admirabilius videri poteſt, quod quae ad poëtas efficiendos plurimum valere dicuntur, ingenii bonitas, linguarum peritia, & multarum magnarumque rerum comprehenſa cognitio, ea in perplurimis noſtrorum hominum, nihilo ceteris nationibus, ne quid arrogantius dicam, inferiora reperiri queunt. Neque vero illud dicere poſſumus, graviorum artium ſcientiae addictos homines Gallos operam ponere in his levioris operae ſtudiis noluiſſe: eorum enim qui ad ver-

ſus faciendos animum adjecerunt, quaedam prope infinita vis facile non tam voluntatem eis, quam eventum defuisſe declarat. Quodſi id nobis Graeco tantum aut Latino ſermone contigisſet, forte cauſſam illius paucitatis in earum linguarum peregrinitatem rejicere liceret: nunc vero cum idem in eo contigerit, quem a nutricibus, una cum ipſo, ut dicitur, lacte combibimus, aliam omnino cauſſam neceſſario cogimur ſuſpicari. Scio, hoc quod dicturus ſum, quantopere nonnullorum animos mordeat: ſed tamen & veriſimum eſt, & mehercule jam notius, quam ut negari amplius poſſit. Qui ſe vernaculo noſtro ſermone poëtas perhiberi volebant, perdiu ea ſcripſere, quae delectare modo otioſas mulierculas, non etiam eruditorum hominum ſtudia tenere poſſent. Primus, ut arbitror, Petrus Ronſardus, cum ſe eruditiſſimo viro, Joanni Aurato in diſciplinam dediſſet, eoque duce veterum utriusque linguae poëtarum ſcripta, multa & diligenti lectione trivisſet, transmarinis illis opibus ſua ſcripta exornare aggreſſus eſt: cujus poſtea exemplum inſecuti J. Antonius Baifius, J. Bellajus, aliique permulti, brevi tempore tantos fecere progreſſus, ut res vel ad ſummum pervenisſe jam, vel certe haud ita multo poſt perventura eſſe videatur. Idem in lingua Latina, multum abeſt, ut dicere liceat: in qua cum ex veteribus ab Auſonio, ex recentioribus a Salmonio, & aliis duobus forte, aut ſummum tribus discesſeris; ut Graeci proverbio dicunt, eſſe multos quidem qui boves ſtimulent, ſed raros aratores; ita dicas, licebit, multos quidem eſſe qui verſus faciant, ſed raros, planeque διαμυρίους poëtas. De iis loquor, qui ſcripta ſua in publicum edidere. Scio enim & alios eſſe ſat multos, & inprimis eum, quem ſupra nominavi, Joannem Auratum, qui vel ſolus, vel praecipue, ſi quando ſua emiſerit, effecturus eſt, ne ulterius ſuos Jovianos, Actios, Molſas, Flaminios Italiae invideat Gallia. Cum igitur, ut ad inſtitutum redeam, in tanta ingeniorum bonitate, in tanto doctiſſimorum virorum proventu, in tanta adoleſcentum poëtices ſtudioſorum aemulatione, quaſique rivalitate, tantam poëtarum raritatem animadverto, nihil fere aliud comminiſci poſſum, niſi eſſe quandam, ut ceterarum rerum, ita ſtudiorum quoque tempeſtivitatem: ſtatisque quodammodo caeli converſionibus fieri, ut modo in hac, mo-

modo in illa facultate certi homines praestantes & egregii existant. Quod si est, bona spes me tenet, fore, ut sub Henrico, Rege Christianissimo, tanquam olim sub Augusto, poëtarum ingenia excitentur. At de his quidem satis. Nunc tempus est, ut de me ipso tibi dicere aliquid incipiam: qui, cum etiam puerulus, & a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis, admirabili quodam poëtices amore flagrassem, multa etiam in omni genere carminis, veteres, quoad per vires licuerat, imitatus, conscripseram: quorum, paullo grandior factus, nonnulla tardipedi, ut ait Catullus, deo dicaram, nonnulla projeceram, nonnulla etiam, ut fit, penes me retinueram. Ea igitur cum haud ita pridem amicis (*) quibusdam meis, quibus ego plurimum in hoc genere tribuo, communicassem, non eis solum illi calculum suum adjecere, verum etiam auctores mihi fuerunt, ut edenda eorum saltem aliqua parte judicia hominum experirer. Assensus sum, ut, quod verum est, ingenue fatear, non admodum gravate: tum quod res non magni periculi videretur: tum quod facile confiderem, fore me, si non, ut ait Horatius, extremum primorum, at certe extremis usque priorem. Subsecivis igitur horis aliquod mihi tempusculum a philosophiae & juris civilis praelectionibus, quibus assidue occupatus distineor, ad haec exscribenda, & in ordinem utcunque redigenda sumsi: nam perpolire & limare accuratius neque magnopere libebat, neque per eas, quas modo dixi, occupationes licebat. Feci autem, quod locupletes interdum oenopolae solent, qui multa hospitibus vini genera gustanda proponunt, electuris quod ad palatum maxime fecerit: nam ita & nos multa poëmation genera proposuimus, ut si forte in aliquo lectoribus fecisemus satis, in eo plura porro emittere pergeremus. Hoc autem quicquid erat libelli, Juvenilia inscribere placuit, ut, si quid forte interdum lascivius dictum esset, ipsa nos apud severiores excusaret inscriptio. Ac initio quidem decreveram, eum nemini cuiquam dicare, ut qui tanti esse non ducerem: quod consilium cur postea mutaverim, intelliges. Cum jam in eo excudendo

(*) Muretus cum aliis deceptus est corrupta lectione Caesaris de B. C. III. 18. *quibus communicare*, ubi viri docti dudum restituerunt, *quibuscum communicare*.

do librarii esſent, forte die quodam accidit, ut ex ſtudiorum laboribus pejuſcule me haberem. Venere ad me, pro noſtra familiaritate, Comes Alſinous, J. Antonius Baifius, Stephanus Jodellus, ut alloquio ſuo & partem meae moleſtiae allevarent, & paullatim eximerent diem. Ibi multis ultro citroque habitis verbis, tandem de his etiam nugis injectus eſt ſermo: primusque Baifius rogavit ex me, eccuinam librum meum dicare meditarer. Tum ego, id quod res erat, nemini. Ibi tum Comes valde hortari me coepit, tibi ut eum inſcriberem: pergratum id tibi, perque acceptum fore: ſimulque nactus dicendi campum, cum alia multa de te honorificentiſſime commemorare coepit, tum ea quae tu in Ludovicum Querculum, hominem optimum & doctiſſimum, inſtitutorem olim tuum, benigniſſime & feciſti, & quotidie facis. Quae etſi omnes optime noveramus, nemo tamen erat, qui non in Comitis de tua laude dicentis oratione libenter acquieſceret. Quid quaeris? Cum aliquandiu reluctatus fuiſſem, veritus, ne parum decorum videretur iſta tam puſilla in tuo tanti viri nomine apparere, ad extremum tamen me (*) perſuaderi paſſus ſum: quod eo dico, ut, ſi forte mea tibi parum probabitur audacia, Comes ipſe mecum culpae ſuſtineat partem. Valde autem te oro, vir illuſtriſſime, ut, dum tibi alia graviora molimur, hoc, qualecunque tandem eſt, aequi bonique conſulas. Tibi quidem integrum eſt, hujus veluti glebae apprehenſione totum agrum, uti optimus maximusque eſt, ſi collibuerit, vindicare. Quod ut facias, vehementer te etiam atque etiam rogo. Vale. Lutetiae. 8. Calend. Decembr. 1552.

(*) Imo, *mihi*.

JU-

JULIUS CAESAR,

TRAGOEDIA.

PERSONAE DRAMATIS.

C. JULIUS CAESAR. M. BRUTUS.
C. CASSIUS. DECIMUS BRUTUS.
CALPURNIA. NUTRIX.
CHORUS CIVIUM ROMANORUM.

ACTUS PRIMUS.

CAESAR.

Jam tota pene terra Romanos timet,
Et qua resurgens aureis Phoebus comis
Indos propinqua subditos tingit face,
Et qua cadentes pronus inflectens equos
Gratae sorori cedit alternas vices,
Patruique lasso stagna crispat lumine.
Quacunque Nereus margines terrae premit,
Reges vel ipsi Caesaris nomen timent.
Numerent triumphos, cum volent, alii suos,
Seque a subactis nominent provinciis:
Plus est vocari Caesarem. Quisquis novos
Aliunde titulos quaerit, is jam detrahit.
Numerare ductu vis meo victas plagas?
Percurrito omnes. Ipsa victrix gentium
Mihi Roma cessit. Ille tam magnus gener,
Ut pene nomen duceret jam impar sibi,
Terra marique fusus agnovit meas
Praestare vires: quemque noluerat parem,
Tulit priorem. Thessali caede hostium
Maduere campi; principum membris canes,
Avesque pastae; ductor ipse exterritus,
Fugare suetus, fugit, & notos petens,

Senſit manere raram in aerumnis fidem.
Quid ergo reſtat, quidve dignum Caeſare
Subacta tellus exhibere ultra poteſt?
Caelum petendum eſt: terra jam vilet mihi.
Supreme Rector, qui verendo fulmine,
Iratus, orbis utrumque perterres polum,
Si verus eſſe ſanguis Aſcanii putor,
Generisque noſtri tu ipſe princeps auctor es:
Regni me in aliquam recipito partem tui,
Avos ut inter ſplendidum ſidus meos,
Matris Dionei proximam aſpiciam facem.
Jam vel mihi, vel patriae vixi ſatis:
Quid teneor ultra? jam mihi exactum eſt, geri
Sago togaque quidquid eximium poteſt.
Hoſtes perempti, civibus leges datae,
Digeſtus annus, redditus ſacris nitor,
Compoſtus orbis: cogitari nec queunt
Majora cuiquam, nec minora a me geri.
Vivam otioſus? at id quidem vix vivere eſt,
Nec ſol quietem, nec bonus princeps capit.
Cum vita partes muneris functa eſt ſui,
Mors propera nunquam, ſera nonnunquam venit.
Mihi multa vates dira minitantur quidem,
Suadentque, amicis ut meum ſtipem latus:
At enim timere Caeſaris nunquam fuit.
Ignava mens rebusque non exercita
Vereatur atrae mortis incertum diem:
Generoſus animus, quique ſe nullo videt
Scelere impiatum, ſemper eſt liber metu.

CHORUS.

Sors rerum domina omnium
Non usquam ſtabili fixa manet pede,
Sed vultum aſſidue innavans,
Incertisque rotans omnia flexibus,
Alternas variat vices.
Seu mitis faveat, ſive premat nocens,
Vento mobilior volat.
Illam ſi nitida fronte reliquerit
Abdens lampada Delius,
Idem flammivomos cum moderans equos

Mu-

Mundo reſtituet diem,
Sub vultu poterit cernere nubilo,
Queis praeſens erat, abditam.
Nec ſolum exiguis rebus inaeſtuans
Privatas agitat domos:
Ipſis imperiis, dum libuit, novam
Inducit faciem ferox.
Haec regum arbitrio nos voluit regi,
Donec Tarquinii furor
Commovit proceres, tam rigidum ut ſemel
Cervice excuterent jugum.
Hinc nos cura Patrum, curaque Conſulum
Tutos ſemper ab exteris
Jam per longa ſatis tempora praeſtitit;
Non a ſeditionibus,
Quas pene aſſiduas exitialiter
Fervens imperii ſitis
Nonnullorum animis infita commovet.
Haec Gracchis animos dedit:
Haec Syllas, Mariosque in patriae luem
Armavit Sed opus quid eſt
Priſca exempla referre? Haec quoque Caeſarem
Commiſit genero: neque
Impoſtus prius eſt horum odiis modus,
Quam Mars ſanguine civium
Campos Pharſalicos undique tinxerit.
Tunc, Pompei, caput in tuum
Belli terrificus detonuit fragor.
Nunc Caeſar ſolio inſidens
Optatis fruitur, proque libidine
Solus temperat omnia.
Sic jam nomine ſub novo,
Regni forma redit vetus.
Atque hoc ſcilicet efficit
Non usquam ſtabili fixa manens pede
Sors rerum domina omnium.

ACTUS SECUNDUS.

M. BRUTUS.

Quousque tandem, Brute, virtutem tuam
Dormire pateris otiosam degener?
Quousque differs, civitatem liberam
Tua videre vindicatam dextera?
Nihilne te virtus tuorum commovet,
Nomenque Bruti? nihil gementis patriae,
Pressae a tyranno, opemque poscentis tuam
Conditio dura? nil libelli supplices,
Queis Brutum abesse civitatis vindicem
Cives queruntur? Haec parum si te movent,
Tua jam, vir ut sis, te satis conjux monet,
Fidem cruore quae tibi obstrinxit suam,
Testata sic se avunculi prolem tui.
Si ab exequendis te avocat coeptis timor,
Animusque pigro torpet ignavus gelu,
Ex femina perdisce, quid deceat virum.
An vero stirpis auctor, & princeps tuae,
Dominatione civitatem regia
Quod liberarit, post honores maximos
Complexus astra est; Servilius, a quo tua est
Deducta mater, Maelium in caussa pari
Peremit: num exempla te per talia
Pigebit ire, & gloriam adipisci parem?
Mucrone salvo, atque artubus adhuc integris,
Videre Brutus, & pati regem potest?
Imo audeamus magnum aliquid & nos quoque;
Mactatus hacce dextera tandem cadat,
Qui quandocunque ceciderit, sero cadet.
Pro patria confligere, augurium optimum est.
Generosiores frena detrectant equi:
Nec nisi coacti perferunt tauri jugum:
Roma patietur, quod recusant belluae?
Reges adorent barbarae gentes suos,
Non Roma mundi terror, & mundi stupor.
Vivente Bruto, Roma reges nesciet.
At vero non rex iste, sed dictator est.
Dum res sit una, quid aliud nomen juvat?
At nomen illud refugit, & oblatas sibi

Re-

Rejicit coronas. Fingere hoc, & ludere eſt.
Nam cur Tribunos igitur amovit loco?
At mihi & honores, & ſemel vitam dedit.
Plus patria illis omnibus apud me poteſt.
Qui ſe tyranno in patriam gratum exhibet,
Dum vult inepte gratus eſſe, ingratus eſt.
O rem pudendam! mollis & vix vir ſatis,
Regit Quirites Martis ortos ſanguine,
Totumque nutu pathicus orbem temperat.
Accingere, & vim, Brute, nunc profer tuam.
Accommoda orſis venit implendis dies.
Phoebus renaſcens ſubditos cives jugo,
Servosque vidit: liberos videat cadens.

CASSIUS. BRUTUS.

O cujus alto nixa virtus pectore
Sperare Romam ſola depreſſam jubet,
Magnanime Brute, Phoebus aurato diem
Adduxit ore, tam diu optatam mihi,
Qua patria noſtra libera evadat manu.
Ita fauſta votis ſors meis reſpondeat,
Ut haec tyranni virulentum ſanguinem
Haurire dextra geſtit & vix ſe tenet:
Utque haec nihil me cogitantem praeter haec
Nox tota vidit. Sic in illum me feram,
Sic involabo, ſic mucronem pectore
Condam ſceleſto: fors & ipſis dentibus,
Cervice dira noxium abſcindam caput:
Cruento ut ore prodiens in publicum
Clamare poſſim: Roma tandem libera eſt.
Ferus ille animus, & publici invaſor boni,
Tenues in auras diſſipatus vanuit.
Tunc ſi vel atra morte ſit pariter mihi
Mutanda vita, laetus atque alacer cadam.
Bene moritur, qui patriam moriens juvat.
Quid tu? quid alta mente tecum muſitas?
Annon eodem prorſus affectu cales?
Effare: nam quamvis legi in vultu poteſt,
Orationis ſum tamen cupidus tuae.
BRU. Quid me plura loqui opus eſt, Caſſi?
Num mea tibi conſtantia nota eſt?

Se-

Semel inter nos ſtetit, aut vitam
Pectore forti ſimul abjicere,
Aut patriam transdere in antiquam
Libertatem. Semel hoc dictum eſt.
Aut hoc neceſſe eſt perfici, aut Brutum mori.
CASS. O Romuleae gloria gentis,
Quam tibi vere rigido incoctum eſt
Pectus honeſto: quam tua me animi
Oratio ſecurum eſſe jubet!
Unus mihi nunc ſcrupulus reſtat:
Unane opera confodiendum
Cum Caeſare ipſo cenſeas Antonium?
BRU. Jam ſaepe dixi, id eſſe conſilium mihi,
Salvis perimere civibus tyrannida.
CASS. Perimatur ergo ab infimis radicibus,
Ne quando poſthac caeſa rurſum pullulet.
BRU. Latet ſub uno tota radix corpore.
CASS. Itan' videtur? amplius nil proloquar.
Tibi pareatur: te ſequimur omnes ducem.
Vide modo, ut, cum opus erit, adſis. BRU. videro.
CASS. Ego interim meque & meos paravero.

CHORUS.

Quicunque forti pectore, patriam
Praeferre vitae non dubitat ſuae,
Ut vel per enſes, propter illam,
Oppoſitosque feratur ignes:
Non ſummus illi rerum opifex Deus
Pigro revinxit pectora frigore,
Sed ſpiritus ceſſit ſuperbos,
Indomitamque timore mentem:
Et bullienti plurima ſanguine
Caeleſtis aurae ſemina condidit,
Et dixit: I, plebem prementes
Contere, nil veritus, tyrannos.
Hac arte praeſtans Harmodius ſuos
Servavit, uno nixus amiculo:
Nunc utriusque excelſa florent
Nomina non tribuenda ſervis.
Quos ſi otioſos tuta ſequens timor
Forte avocaſſet rebus ab arduis,

Qui

Qui mortuos consumpsit ignis,
Nomina non minus obruisset.
Caret severus crimine Carnabas,
Et laude dignus creditur, haud probro,
Quamvis ferocem caede dextram
Tingere nil veritus paterna.
Odit tyrannos Jupiter, & favet,
Cum quisquam in illos consilium parat:
Illosque natis saepe tradit,
Conjugibusve suis necandos.
O quot, quibusque est plena periculis
Sors imperantum! praecipue quibus
Non civium concors voluntas,
Sed regimen peperere vires.
Plebem timeto, qui solio insidens,
Plebi timeris. Fons odii timor
Audere jussit multa multos.
Saepe gelu calor excitatur.
Rarus tyrannus morte perit sua:
Illos veneno cauta necat manus,
Hos plebis iratae tumultus,
Hos rigidus gladio satelles.
Multo ille vitam tutius exigit,
Quicunque parvis privus in aedibus,
Nullum timens, nulli timendus,
Pelle sub exigua quiescit.

ACTUS TERTIUS.

CALPURNIA. NUTRIX.

Odi! molestis tollite omen somniis,
Nec sinite, quaeso, pondus ullum tam malis
Inesse visis! Horror artus concutit,
Corpusque totum frigidus sudor lavat,
Quoties recordor: mensque nescio quod malum
Praesagit ipsa. NUT. Alumna, quidnam esse hoc putem,
Moesto quod ore, & lacrymis manantibus,
Secreta quaeris, teque nobis subtrahis?
Quae causa fletus? quisve tam subitus dolor
Turbare mentem tam cito potuit tuam?

Poteſtne flendum quippiam contingere
Nuptae viro, qui pene fortunam regit?
CAL. Dilecta nutrix, quid mihi inſtet, neſcio:
Sed me miſellam mirus invaſit timor.
NUT. Conceptus unde? CAL. Nil tibi, velſi velim,
Celare poſſum, viſa noctis proximae
Me terruerunt. Victa nam postquam dies
Heſterna ceſſit, noxque nigro tegmine
Involvit omnem caeca telluris globum:
Amplexa blandum Caeſaris collum mei,
Placida quiete vix reſolvi coeperam,
Cum mihi repente viſus: heu, nutrix mea,
Retine labantem. NUT. Alumna, habeto animum bonum.
Sopor timores ſaepe vanos objicit.
Narrare perge cuncta, velut octoeperas.
CAL. Caeſar meus, nutrix mea, heu, Caeſar meus,
Meus ille Caeſar, quo mea innixa eſt ſalus,
Mihi viſus ulnas inter effuſus meas,
Jacere multo ſanguine & tabo fluens,
Multisque plagis pulcra foſſus pectora.
Tum mihi quietem ſubitus excuſſit timor.
Miſera arctius repente complector virum,
Pectusque lento, quaeque ſomnus finxerat,
Vix falſa credo: vix habeo manibus fidem.
Heu quid deorum, talibus viſis, mihi
Minatur ira, quidve portendit mali?
NUT. Omitte queſtus, neve nondum urgens malum
Celerare perge. Qui malum timet imminens,
Geminat timendo. Sive nihil inſtat mali,
Fallaxque mentem imago turbavit tuam,
Cur vana veros cauſſa producet metus?
Seu (quod repellant ſancta divum numina!)
Mutata Romae fata quid gravius parant,
Tamen haud timendum eſt. Rite conceptis deos
Mollire votis, thuraque aris omnibus
Adolere praeſtat. Non inexorabilis
Mens eſt deorum: ſaepe flectuntur prece.
Quamquam equidem, alumna, inſtare nil exiſtimo:
Sed vana mentes ſaepe ludunt ſomnia.
Quam ſaepe inanis eſt mihi objectus timor,
Sic ſomnianti? nulla inest ſomno fides.

Quis

Quis tam vel audax, Caesarem ut petere audeat?
Vel tam impius, petere ut velit patriae patrem?
Quotquot vel error, vel voluntas pertinax,
Vel invidia Caesari inimicarat tuo,
Partim verendus perculit Martis furor,
Miranda partim Caesaris clementia
Servavit, & servando amicos reddidit.
An ullus ingenio esse tam immani queat,
Debere vitam ut cui suam se intelligat,
Illius ipse tentet insidiis caput?
Omitte questus: abjice ex animo metum.
Venti leves tua dissipabunt somnia.
CAL. Ita di velint! Utcunque sit, saltem virum
Precabor, ut se contineat hodie domi.
Ubi quid timetur, cautio nunquam nocet.

CHORUS.

Jam dies Annae rediit Perennae:
O quot in laetis, Tyberine, ripis,
Senties lusus hodie venustos?
Quot puellarum pedibus premeris?
Candidi quot te juvenes revisent,
Quot senes? qui dehinc titubante gressu,
Saepe siccatis madidi cululis,
Nare de crispa tremulum vibrisent,
Et vacillantes agitent choreas.
DI! procul laevum teneatis omen,
Neu mali quicquam sinite evenire,
Quo minus vultu populus sereno
Possit antiquos celebrare ritus:
Tuta sed vestro assidue perennet
Roma favore.
Nil in humanis stabile est putandum:
Saepe securos inimica lusus
Horrido turbat Nemesis flagello,
Grataque in luctus, gemitusque amaros
Gaudia vertit.
Absline, ô densa fata nocte virgo,
Virgo, quae voces reprimis superbas,
Et feris sceptro nimium potenti
Magna locutos.
Romuli te gens colit, & veretur:

Cur

Cur premis, qui te venerantur, & qui
Debito addicti tua prosequuntur
Numina cultu?

ACTUS QUARTUS.

CAESAR. CALPURNIA. D. BRUTUS.

Ne deprecare: turpe me fractum metu
Desistere esset. CAL. tam nihil apud te valent
Uxoris (eheu!) pene jam exanimis preces?
CAES Quid? somniis me credere tuis postulas?
CAL. Non: sed timori ut non nihil tribuas meo.
CAES. At iste solis nititur somniis timor.
CAL. Finge esse vanum: tribuito aliquid conjugi.
CAES. Etiam petenti, quod decus laedat meum?
CAL. Non: sed petenti, quod caput servet tuum.
CAES. Desine timere. CAL. Audere desine tu prius.
Tuaeque si adeo spernis uxoris metum,
Movere vatum oraculis minacibus,
Periculosam qui tibi hanc lucem admonent.
Si spectra, si te auspicia, si fibrae monent
Cavere, & hunc meum timorem comprobant:
Quid in paratam pertinax mortem ruis?
CAES. Quando timorem ponere aliter non potes,
Ne nos tibi queraris omnino nihil
Tribuere, mittatur Senatus in hunc diem.
D. BRU. Magnanime Caesar, quod tibi verbum excidit?
Tene potuisse Barbarorum copias,
Nil mente mota, fortiter contemnere,
Non posse nunc temnere mulieris somnia?
Ubi pectoris vis illa praecellens tui est,
Quam sensit olim, quique septeno videt
Nilum per arva profluentem gurgite,
Quique glaciali colla suppositus polo,
Concreta pigro maria sulcat marmore,
Et quos rapaci Rhodanus unda verberat,
Galli feroces? ô statum deterrimum,
Si Caesar orbem, Caesarem mulier regit!
Conscende currus, laeta victrix, aureos,

Ge-

Gemmantibusque pervehitor urbem rotis:
Totius orbis sola domitorem domas.
Veteres triumphos Roma nunc fileat suos,
Et militaris conticescat gloria:
Invictus armis Caesar hodie vincitur.
Quid, Caesar, animi patribus credis fore,
Si te jubente convocatos jusseris
Abire nunc, redire, cum Calpurniae
Meliora sese objecerint insomnia?
Vade potius constanter, & nomen cape
Parthis timendum: aut, hoc minus si te juvat,
Prodito saltem, atque ipse patres mittito:
Ne negligi se, aut ludibrio haberi putent.
CAES. Incertus animi, & huc & illuc distrahor:
Qualis per aequor concitum bacchantibus
Deprensa ventis fertur incerto ratis
Agitata cursu. Pellit illinc Africus
Creber procellis, Eurus hinc, illinc Notus.
Sic me hinc tuae, Calpurnia, inflectunt preces,
Hinc dicta Bruti. Sed tamen quando semel
Vel cadere praestat, quam metu longo premi:
Non si trecentis vocibus vatum avocer,
Non si ipse voce propria praesens Deus
Moneat pericli, atque hic manendum suadeat,
Me continebo. Desine, uxor, conqueri.
Eamus: omnis jacta nobis alea est.
CAL. Abiit, mea nil dicta moratus.
Di, qui Romae geritis curam,
Quo vos fas est cumque vocari
Nomine, si vos manibus puris,
Menteque casta semper colui,
Servate meo in Caesare Romam.

CHORUS.

Creditur vulgus muliebre nunquam,
Consili micam dare profuturi,
Sed rapi affectu, penitusque sana
Mente carere:
Sed tamen si quis bonus aestimator
Rem putet recta ratione totam,
Dicet in multis micuisse magnam

Consilii vim.
Ilion nunquam cecidisset olim,
Imo adhuc arces Priami manerent,
Si Deo plenae Paris audiisset
Dicta sororis.
Illa, cum laeta tumidus rapina
Raptor ad sedes patrias rediret,
Dicitur totam, resoluta crines,
Isse per urbem,
Clamitans: turpem procul ire moecham
Cogite, o Teucri, gerit illa secum
Moenibus vestris, Phrygiaeque fata
Ultima pubi.
Caede jam campos video madentes:
Jam ferox gnatus Thetidos marinae
Hinc & hinc strages geminat, tremenda
Cuspide pugnax.
Jamque mutato Simois colore
Inficit ripas, galeasque secum
Volvit, & fortis madidas juventae
Sanguine cetras.
Ah dolor! sanctas etiamne ad aras,
Exuis vitam, genitor, senilem?
Nec vel Herceus cohibet furentem
Jupiter iram?
Haec, & his multo cecinisse plura,
Dicitur quondam furibunda vates:
Sed dolor Phoebi vetuit superbos
Credere Troas.
Pertinax quisquis sibi credit uni,
Ceteros spernens melius monentes:
Ille, si coeptis pereat sub ipsis,
Jure peribit.

ACTUS QUINTUS.

BRUTUS ET CASSIUS.

Spirate cives! Caesar interfectus est;
Ille, ille Caesar, patriae terror suae,
Hostis senatus, innocentum carnifex,
Legum ruina, publici juris lues:

Cujus rapinas nuper, & libidines
Agnovit orbis totus, & perpessus est.
In curia, quam oppresserat, oppressus jacet.
CASS. En, Roma, gladium adhuc tepentem sanguine:
En dignitatis vindicem dextram tuae.
Impurus ille, qui furore nefario,
Rabieque caeca, te, & tuos vexaverat,
Hac, hac manu, atque hoc, hocce gladio, quem vides,
Consauciatus, & omnibus membris lacer,
Undam cruoris, & animam evomuit simul.
BRU. Ite, ite, cives, convolate in curiam:
Mentem novo saturate jam spectaculo.
Immanis ille latro, qui regnum sua
Jam spe vorarat, patriae oppressae incubans,
Anima probris plena omnibus spoliatus est.
Ite, & cadaver illud obscoenum feris
Date laniandum, quo feram absumant ferae.
CASS. Erymanthium perculerit Alcides aprum,
Hydramque flammis pertinacem extinxerit,
Lapsumque caelo, iterumque caelo redditum
Consecerit leonem: in uno corpore
Sexcenta nobis monstra debellata sunt.
Si strenuis justus datur factis honos,
Tua, Brute, fastos ampliabit gloria.
BRU. Quicunque mente patriam saeva premit,
Suosque cives subdit, ut servos, sibi,
Dum blandientis jam tenet summum rotae,
Ipsosque pene temnit aequalis deos:
Simul atque versus cessat astrorum favor,
Et constitutas tempus adduxit vices,
Cadit, suoque ceteros casu monet,
Virtute dempta, ne quid aeternum putent.
CASS. Sic, sic tyranni debitas poenas luant;
Nunquamque sicca finiant vitam nece.
Eamus hinc, & editam Capitolii
Scandamus arcem. Roma tandem libera est.

CALPURNIA. CHORUS.

Eheu, quis aures nuncius tetigit meas,
Cecidisse dira Caesarem Bruti manu?
O somniorum jam nimis veram fidem!

Sic miſera quondam Troici conjux ſenis,
Quam ſomniarat, tulit, & experta eſt facem.
O, quae dolori verba ſufficiant meo?
Dehiſce terra, meque miſerandam abripe,
Aut vos nefandi parricidae, huc, huc cito
Venite greſſu, quoque ferro conjugem
Meum necaſtis, me, me eodem tollite.
Secunda veſtras hoſtia exſpecto manus.
Cupide madentem conjugali ſanguine
Jugulo mucronem, aut pectore excipiam meo.
Nondum litaſti, Brute, perficito ſacrum.
Nondum peremptus Caeſar eſt: pars illius
Maneo ſuperſtes. Non meus vitam tibi
Vir denegarat: ne mihi mortem nega.
Moriar ſemel, quo deſinam toties mori.
Aut tu, doloris turba noſtri particeps,
Dum languidus paullatim animus abſumitur,
Et membra linquens tabida, petit Caeſarem,
Adjunge moeſtam fletibus vocem meis.
CHO. Aetheris alti lugeat orbis:
Tuque o radiis incincte caput,
Volucris ſplendens arbiter anni,
Propera pulcros abdere vultus.
Tu quoque ſalſae dominator aquae,
Valido terram concute ſceptro.
Omnia moerorem patefaciant.
Ille ſubactae gloria terrae,
Nunc repetiti gloria caeli,
Uno Caeſar Jove patre minor
Liquit terras.
O impuri! o illaudati!
Quorum ſacrilega manus potuit
Tantum mundi extinguere lumen,
Quae vobis ſint ſupplicia ſatis?
Quis taurus, quae rota, quis gladius,
Poſſit veſtrum aequare furorem?
Vobis tellus, vobis aether,
Vobis deneget unda quietem:
Vos ultrices agitent furiae:
Una cruentis agitet flagris;
Altera tetro coquat igne genas;
Triſtes alia objiciat colubras,

Quae

Quae se vestro sanguine pascant:
Stygia donec sede receptos
Laniet rostro vultur adunco.
Vexet iniquum Aeolidae pondus,
Et supplicii quidquid acerbi
Sceleratos exagitat manes.
At tu, nostri caussa doloris,
Multum flete, & multum flende,
Hos bene planctus accipe, Caesar.

CAESAR.

Quid caelitum me fletis adjunctum choro?
Non luridi me stagna Cocyti tenent,
Sed templa caeli; non malignae me furor
Tetigit cohortis; ipsa jam genitrix manu
Me collocarat inter astrorum globos.
Simulacra tantum nuda dilaniata sunt:
Nec ipse cecidi: umbra cecidit tantum mea.
Desinite flere: lacrymae miseros decent.
Qui me furenti, (vera praemoneo Indiges,)
Sunt animo adorti, non inultum illud feren.
Heres meae virtutis, ut sceptri mei,
Nepos sororis, arbitratu pro suo
Poenas reposcet. Ponite modum luctibus.
Ego ad alta caeli tecta stellantis feror.

CALPURNIA.

Unde, quaeso, vox ad aures ista pervenit meas?
En, sonum, marite, dulcem vocis agnosco tuae.
Non iniqua te peremit parricidarum manus:
Vivis, & receptus astris, laetus assides Jovi.
Quo soles, bonus, favore perge complecti tuos.

CHORUS.

Sunt manes aliquid: cumque diem ultimum
Adduxit fera mors, est aliquid tamen,
Quod vitat Libitinam,
Exstructosque fugit rogos.
Id si, dum vegetat membra, datum sibi

Vitae curriculum puriter egerit,
Nec se turpificarit
Impuris scelerum notis.
Mox, ut corporeo carcere liberum est,
Rursus sidereas convolat in domos,
Qua Saturnia lacte
Signavit proprio viam:
Atque illic, numero caelicolum additum,
Caelesti ambrosiae gramine vescitur,
Et carchesia sacri
Plena nectaris bibit.
Haec olim haud dubie praemia vos manent,
Quicunque innocuo pectore simplices
Virtutemque tenetis,
Et canam colitis fidem.

M. ANTONIII MURETI ELEGIARUM LIBELLUS.

ELEGIA PRIMA.

Non ego Cadmeos meditor committere fratres,
Quorum inimicitias ipsa locuta pyra est:
Non veteris Trojae lacrymosa reponere bella,
Bella canenda aliis, bella cavenda mihi.
Hoc aliis per me liceat decurrere campo,
Illa meis non est versibus apta seges.
Me Venus, & Veneris certo puer improbus arcu
Enervant, numeros attenuantque meos,
Nec praeter dominae blandum ridentis ocellos
Carmine me quidquam concelebrare sinunt.
Forsitan ista senes culpabunt scripta severi:
Quid faciam? Res est imperiosa decor.
Quem non ille hominum, quem non movet ille deorum?
Saepe etiam caelo diripit ille Jovem.
Me quoque Margaridos decor admirabilis urit,
Et sibi devinctum magna sonare vetat.
Nec vero, Aonides, vestro me excludite coetu,
Si qua ego virginibus non satis apta canam.
Nempe etiam e vobis juvenili capta decore
Oeagro tenerum subdidit una latus.
Si nulla e vobis ullum sensisset amorem,
Unde foret, quaeso, dicite, natus Hymen?
Sanctus Hymen, qui seductas a matre puellas
Abripit, inque viri collocat ipse sinu.
At tu, quae in me oculis nimium violentibus usa,
Nunc spolia e nostro sanguine opima refers,
Hos numeros hilari (quid enim vetat?) accipe vultu,
Et vide, ut in speculo, quid tua forma queat.

ELEGIA SECUNDA.

Prima meae quisquis deliramenta juventae,
Et specimen tenuis respicis ingenii,
Sic tibi, si quid amas, semper contingat amari,
Invidia vacuus, si legis ista, legas:
Nec tibi sit duros acuisse in carmina dentes,
Carmina quae propriis scripsit Amor manibus.
Seu sunt grata tibi, qua fronte placentia culpes?
Seu minus, ecquis te cogit ut illa legas?
Seria si quaeris, non sunt hic seria, lector:
Scribere amatorem seria posse putas?
Nos ignes canimus, pueri nos tela volantis,
Omine non fausto cognita tela mihi,
Et dominam, cujus sub amoena fronte relucent
Lumina, fidereis aemula luminibus,
Lumina materies ardoris maxima nostri,
Lumina, quae mentem surripuere mihi:
Haec ego sola canam, dum florida ver aget aetas:
Sit procul hinc tragico syrmate Musa tumens.
Post, mea cum multi distinguent tempora cani,
Venerit & tremulo curva senecta gradu,
Tunc mihi sit curae Solis perdiscere cursum,
An ne, & quae noceant sidera, quaeque juvent,
Quot caelum teneant zonae, quot partibus orbis
Constet, & unde cadant fulmina, curve cadant.
Utamur, dum fata sinunt, melioribus annis,
Et tota nobis mente colatur Amor:
Dum decet & postes nocturna frangere rixa,
Nec pudor est vernis frons redimita rosis:
Dum decet & mentem leni vincire Lyaeo,
Et dominae clausas ante jacere fores.
Auferet haec secum, velut aufert omnia, tempus:
Cernis, ut hora, dies, mensis, & annus eunt?
Qui modo vagibat, nunc est puer, inde repente
De puero juvenis, mox vir, & inde senex.
Quare florentes, aptosque caloribus annos
Quisquis agis, Veneris vive sub imperio,
Ne frustra aetatis meliori parte peracta,
Vivere tunc cupias, vivere cum nequeas.

ELEGIA TERTIA.

Scire cupis, quae ſit votorum ſumma meorum,
Et qua praecipue vivere ſorte velim?
Non ego tecta mihi Phrygiis innixa columnis,
Divitis aut auri pondera mille petam,
Non ab Erythraeo repetendas littore conchas,
Aut quae centenus jugera taurus aret,
Sed tecum longae traducere tempora vitae,
Securumque tuo ſemper amore frui.
Tunc ego purpureos poſſim contemnere reges,
Praeque mea ſors eſt, dicere, veſtra nihil,
Si me candidulis incinctum, vita, lacertis
In tepido teneas, confoveasque ſinu,
Me nunc mellitis mulcens ſermonibus, & nunc
Continuo fixis impete baſiolis,
Semotum ſtrepitu, dominaeque tumultibus urbis,
Verſantem valido pinguia rura bove.
Sic tecum, mea lux, vitae traductus inerti
Vivere ſi poſſim, nil prius eſſe putem.
Tecum ego per montes, tecum per devia tesqua,
Et curram nullo per loca tacta pede:
Poſt ubi currendo fuerit laſſatus uterque,
Feſſa in graminea membra reponet humo,
Et rurſum certamen erit linguisque labrisque,
Quod vel Chaonias vincere poſſit aves.
Forſitan & quiddam poſt baſia multa ſequetur,
Multo illis quod ſit dulcius & melius.
Non ego tunc loculi metuam gravioris amantes.
Servandae bona ſunt rura pudicitiae:
Balnea non illic, non ſunt populoſa theatra,
Non quidquid mentes ſollicitare poteſt,
Sed nemora, & placido currentes murmure rivi,
Demulcensque rudi carmine paſtor oves.
Porro deterior nobis cum venerit aetas,
Sparſerit & cana tempora noſtra nive,
Tunc curare cutem, genioque litare decebit,
Dum fuerint vitae ſtamina rupta meae.
Nam mea tu, ſed non longum manſura ſuperſtes,
In tumulo condes oſſa minuta brevi:
Deinde ubi te pariter ſaeva mors impia falce
Laeſerit, & juris juſſerit eſſe ſui,

Quo nos, te poni tumulo mandabis eodem:
Inſcriptum lapidi carmen & iſtud erit:
Cor fuerat binis unum, mens una, viator,
Quorum nunc unus contegit oſſa lapis.

ELEGIA QUARTA.

Virgo oculis ipſis merito mihi carior, ac non
Solum oculis ipſis, quin etiam ipſa anima,
Quam niveus morum candor, mens neſcia fraudis,
Plus quam majorum ſtemmata nobilitant,
Nobilitent licet ipſa, liceatque a ſanguine claro,
Et non obſcura ſit tibi ſtirpe genus,
Quanta, putas, noſtram vexarunt taedia mentem,
Ex quo diverſis coepimus eſſe locis?
Mitius, hoſtili ruerent cum Pergama dextra,
Laomedontiadas indoluiſſe puto:
Mitius Electran, falſas cum triſtis ad aures
Venit Oreſteae nuntia fama necis.
Scilicet haud alius campis errabat Aleis
Excuſſus patrio munere Bellerophon.
O quoties aegro ſuſpiria pectore duxi,
Atque ignis, dixi, quam procul hinc meus eſt!
O quoties quavis libuit mihi morte paciſci,
Poſſemus paucos ut ſimul eſſe dies!
Occurrunt animo ridentia lumina noſtro,
Occurrit fuſco blandus in ore lepos:
Nunc molles ſubeunt riſus, nunc gratia fandi,
Nunc ſubeunt sciti, ſed ſine dente, ſales,
Verbaque, amareſcunt mihi prae quibus omnia mella.
Ah! me his tam longum poſſe carere bonis?
Improba, Perſephones educta ex carcere peſtis,
Vix tua plus ulli, quam mihi, tela nocent;
Falx tua non paucos leto multavit amaro,
Falx tua corde meo me jubet eſſe procul.
Illis finis adeſt vitae, finisque dolorum:
At mea perpetuus pectora languor habet.
Hem! nunquamne ego te poſthac, mea cura, reviſam!
Nunquamne os iſtud ſuaviloquum aſpiciam?
Nunquam erit, ut veteri Sol nos de more jocantes
Conſpiciat ſurgens, conſpiciatque cadens?

Cer-

Certe equidem veniet. Viden', ut jam fulgure laevo
Firmarit noſtras Jupiter ipſe preces?
Spes fovet in medio jactatos aequore nautas,
Spes fovet armatos, ſpes fovet agricolas,
Spes fovet incluſos tenebroſo carcere fontes,
Et nos in vita ſpes quoque ſola tenet:
Haec modo ne quando temere concepta putetur,
Fac, fiat ſcriptis certior usque tuis.

ELEGIA QUINTA.

Non ego Cumaei peragam ſi pulveris annos,
Vivere Margaridos liber amore queam:
Nec ſi ſe lecto Venus offerat aurea noſtro,
Margaridem Veneri poſtpoſuiſſe velim:
Tam mihi confixit jaculo praecordia certo
Idalius cornu notus & igne puer.
Haec quoque naſcenti cecinerunt fata ſorores,
Quas nox antiquo ſuſtulit ex Erebo.
At Paris Oenonen quamvis ardenter amarat,
Suſtinuit viſa linquere Tyndaride:
Dixerat & Theſeus: ego te, Minoi, relinquam?
O ea ſit leto tardior hora meo.
Vix bene vectus erat ſpumoſa ad littora Diae,
In viduo conjux ſola relicta thoro eſt.
Submergi, dum per Neptunia prata vagatur,
Dignus & iſte fuit, dignus & ille fuit,
Qui potuere ſuos alio transferre calores,
Et vitas vita deſeruere prius.
Tale ego ſi faciam facinus, mihi terra dehiſcat,
Et rapiar Siculae vivus in antra deae:
Illic me Tragicae vexetis Erinnyes, illic
Omnia cunctorum ſolus acerba feram.
Sed neque tam dubius, neque ſum tam fictus amator:
Una dies vitam finiet, una fidem.
Quandocunque igitur fatalia tempora menſus,
Ad vacuas lucis cogar adire domos,
Margaris ipſa mihi natitantes claudat ocellos,
Vitamque ore ſuo carpat ab ore meo:
Poſt, effuſa comas, noſtrum fleat ante ſepulcrum,
Serta ferens lacrymis humida facta ſuis,

Et

Et dicat: Vates nuper, Murete, fuisti
Non bonus, at certe fidus amator eras.

ELEGIA SEXTA.

Margari, quis mihi te reddat deus, aut tibi quis nos,
Aspectu ut grato possit uterque frui?
Nec solum aspectu, sed & oscula ferre citato
Impete, quae nullus dinumerare queat:
Ut colludentes jucundo murmure linguae
Committant avidas per patula ora animas.
Non ita laeta fuit quondam Icariotis, Ulysses
Cum vidit salvum post duo lustra suum:
Nec tam iterum accepta Lyrnesside laetus Achilles,
Qua quondam abducta fleverat ipse diu,
Quam te conspecta scis me, mea vita, futurum:
Quam me conspecto te scio, vita, fore.
O quam avide, o quoties, o quot, formosa, figuris
Isti ori roseo basia pressa darem!
Non hedera annosas complectitur arctius alnos,
Non ulmum vitis pressius ulla tenet.
Tunc mea turgidulas tractaret dextra papillas,
Tractarent avidae lactea colla manus.
Longa vetant, eheu, spatia interjecta viarum,
Quanta Hypanin vix sunt inter & Eridanum:
Nam te Pictonicae retinent felicia terrae
Oppida, qua Clanus pinguia culta secat,
Me vero invidiae procul a te dentibus actum
Fortia lunatae moenia Burdigalae,
Pocula qua veteri non inferiora Falerno
Ducit ab innumeris glarea trita rotis:
Et tamen, heu, sine te mihi jam nec dulcia vina,
Tristia nec quidquid corda levare solet:
Ipsa mihi est invisa dies, Sol ipse videtur
Oppositia vultus abdere nube suos.
Et merito, quid enim sine te non triste putandum est,
Qua sine vel vita est ipsa molesta mihi?
O di, si miseros vestrum fovet ullus amantes,
Vos tandem faciles in mea vota date:
Reddite me dominae, vel si id per fata negatur,
Finiat angores nex inopina meos.

ELE-

ELEGIA SEPTIMA.

AD

P. CRUSELIUM MEDICUM.

Dum tu conaris Parcarum extendere fila,
Semineces luci reſtituisque viros,
Conclamata novam mittens in corpora vitam,
Atque Charonta levi currere nave jubens,
Interea quo me, Cruſeli docte, putares
Ducendos ſine te fallere more dies?
Scilicet, ut ſemper, noſtros agitamus amores,
Quae vitae nobis ſola terenda via eſt:
Et modo damnamus, toties quem ſenſimus, arcum,
Nunc de crudeli conquerimur domina,
Nunc, qua placari poſſit ratione, rogamus:
Omnia quae quivis tactus amore ſolet.
Haec mea laus, haec ſint famae praeconia noſtrae:
Non alio ad manes nomine notus eam:
Ut quondam juvenis telo percuſſus eodem,
Quo nos, aſſidue carmina noſtra legat,
Agnoſcatque ſuos noſtris in verſibus ignes,
Reddaturque meis cautior ipſe malis.
Tu cui fatipotens artem conceſſit Apollo,
Morborum pelli qua genus omne queat,
Perge ſalutifera miſeris ſuccurrere dextra,
Regnaque Perſephones fac populoſa minus:
Ut tibi laeta viro gratetur ſoſpite conjux,
Et pene amiſſo turba minuta patre:
Ut te fama ferat candentibus aurea pennis
Hippocrati Coo, Phillyridaeque parem.
At ſine me, qui ſum ſectando natus Amori,
Inter inexhauſtas vivere nequitias:
Me diſperdat Amor, ſemper me torqueat, inque
Corde meo accenſas ventilet usque faces:
Qui ſi te pariter certo concuſſerit arcu,
Hei mihi, quot curas perpetiere miſer?
Tunc tandem diſces, quid ſit ſervire puellis,
Tunc tandem, excludi quid ſit, amice, ſcies.

Nil

Nil tibi multiplices cognoscere proderit herbas;
Hunc etenim morbum pharmaca nulla juvant.
Quippe etiam Phoebum virgo Peneia torsit,
Profuit auctori nec medicina suo.
O quam saepe mihi, mallem carissime, dices,
In gelidis Scythiae montibus esse lapis.
Haec te, & plura manent: sed quae tua cunque futura est,
Ingenio saltem digna sit illa tuo.

ELEGIA OCTAVA.

Basiolum blando tetulit mihi Margaris ore,
Ambrosia, & dulci nectare dulce magis,
Quale thymo aut casiae, verni sub primula Solis
Lumina, cum blando murmure libat apis:
Inde fugit propere pedibus lasciva protervis,
Dum sese in tenebris posse latere putat.
Sed nihil est: non sivit eam latuisse Cupido:
Erranti faculas praetulit ille mihi.
Jam te igitur rursus teneo formosula, jam te
(Quid trepidas?) teneo, jam, rosa, te teneo.
Da mihi pro grata sumpti mercede laboris
Ter tria, terque tribus basia ducta modis.
Dic age, num sentis animos concurrere nostros,
Dum sibi dimidium quaerit uterque sui?
Sic age, sic, mea vita, animos jungamus utrinque,
Nulla ut eos possit dissociare dies,
Quin tandem ambiguae post jura precaria lucis
Unicus e gemino spiritus ore fluat.

ELEGIA NONA.

Margari, flammeolis quae me comburis ocellis,
Per quos in cineres, hei mihi, vivus eo,
Dic mihi, qui facias tam multa incendia, cum sis
Candidior prima frigidiorque nive:
Namque ea quae molles exest mihi flamma medullas,
A te, si qua fides, non aliunde venit:
Tu tamen, heu, tanquam glacie circumdata pectus,
Edure nostras respuis usque preces.

Est

Esse quid hoc dicam? neque enim potis est in eodem
Cum summo summus frigore inesse calor.
Scilicet & quae nos fieri non posse putamus,
Cum libet, & quoties, perficit unus Amor.
Is tibi cor misto circundedit igne geluque:
Quae possent ferri singula, juncta necant.
O igitur glacies quovis ardentior igni,
O ignis quavis frigidior glacie,
Aut ne me perdant tua frigora, mitius ure:
Aut ne flamma, gelu projice, Diva, tuum.

ELEGIA DECIMA.

AD

F. VERUM LOMENIUM.

Hei mihi, cur genio vis me pugnare, Lomeni,
Naturaeque jubes vertere jura meae?
Curve parum gratas impellis durus ad artes,
Musica cui solum sacra placere vides?
Nam nec acris miles fieri, nec idoneus armis,
Cui semel arrisit rustica vita, potest,
Nec si quem placido nascentem lumine Clio
Viderit, admota contigeritque manu,
Aut bonus hostiles unquam foedare catervas,
Aut ad saeva fori jurgia promptus erit:
Omnia sed fugiens tranquillae inimica quieti,
Exiget aetatis mollia fila suae,
Magnarum securus opum, securus honorum,
Omnia despiciens, quae leve vulgus amat:
Ille etiam summos audax contemnere reges,
Praeque sua miseros conditione putans.
Castra juvent alios, bellique inamabile murmur,
Missaque non siccae corpora multa neci,
Queis rapiat primae teneros lanuginis annos,
Acceleretque suum Parca severa diem:
Gaudeat hic miseros inter clamare clientes,
Et pavidos duro terreat ore reos:
Hic adeat terras alio sub Sole calentes,
Littoraque instructa plurima classe legat,

Seu

Seu ferat Herculeas animus ſpectare columnas,
Seu ferat annoſos ire ad Hyperboreos,
Durus, qui fragili vitam committere ligno
Audet, & ignotas aequoris ire vias,
Nec timet inverſo decumanos marmore fluctus,
Securusque animi ſquamea monſtra videt.
Non ſic divini, mitiſſima pectora, vates,
Aethereo quorum flamine corda calent,
Otia ſectantur ſed enim, tacitosque receſſus,
Et ſua neglectis urbibus arva colunt,
Splendidaque & multo ſpectanda palatia luxu
Contemnunt, humiles anteferuntque caſas:
Illic & ſiccant generoſo plena Lyaeo
Pocula, Biſtonia frigidiora nive,
Et ſi neſcio quid ſeu vultu ancilla ſereno,
Seu non informis villica pollicita eſt,
Protinus ut capta reduces ex urbe triumphant.
O hominum felix terque quaterque genus!
Sic ego ſim: liceatque mihi, mea Margari, tecum
Non alia vitam ducere ſorte meam.
At tu, quantum in te eſt, alio nos ducere tentas,
Aſtraeaeque ſequi numina, Vere, jubes:
Et, quid, ais, quaeſo, molli tibi carmine quondam
Proderit aut homines, aut cecinisſe deos?
Scilicet ut toti fueris cum fabula vulgo,
Cumque erit in vultu plurima ruga tuo,
Fortiter eſurias, ut te mala cogat egeſtas
Multa pati forti non patienda viro,
Sectari menſas, blande appellare potentes,
Tollere mentitis laudibus aſtra ſuper.
Quod niſi deſiperes, poteras in luce forenſi
Verſari, & laudem quaerere, opesque tibi.
Excute decepta blandum de mente furorem,
Qui tibi, ni caveas, perniciosus erit.
Advertit tardas qui recta monentibus aures,
Exitium demens fabricat ipſe ſibi.
Ergo ego ut hirſuti verboſa volumina Baldi,
Ut diſcam leges, Juſtiniane, tuas,
Dediſcam teneri modulamina blanda Properti,
Dediſcam numeros, culte Tibulle, tuos?
Ah peream prius, & ſaevo me fulmine tactum
Trudat in obſcuras Jupiter ipſe domos.

Quem

Quam melius dulces dominae in complexibus annos
Ponere, & in caro ſaepe jacere ſinu!
Diſpeream, ſi quidquid opum, ſi quidquid honorum eſt,
A genere hoc vitae me revocare poteſt.

M. ANTONII MURETI

AD

PETRUM RUFUM DRUYDAM,

CONSILIARIUM REGIUM, SATYRARUM LIBELLUS.

SATYRA PRIMA.

Jam dudum tumido mihi bilis in hepate fervet,
Et rumpi metuo, niſi te, Auruncane, ſecutus,
Inſiciam tenues mordaci carmine chartas.
Tune auſis ſatyram conſcribere, tot tibi rerum
Conſcius, ut ſatyrae poſſis ſatis eſſe vel unus?
Quidni autem? nunquid par eſt audacia Balbo,
Balbo, Stentorea Chriſtum qui voce profeſſus,
Deinde domi cevet, tremulum criſſante Lycinna?
Et tamen hunc torvis oculis, & fronte ſevera,
Flammatisque genis, atque horrifico ululatu,
Dum docet, & jactat ſatuae ſua dogmata turbae,
In mores clamare malos ſi videris olim,
Eſſe putes ſupero demiſſum ex limine Paulum.
O mihi ſi effoſſa liceat ſcrobe dicere, quod mox
Efferat in vulgum foliis vocalibus arbor,
Quaenam ego, vel potius quae non ego crimina dicam,
Concitus? optari ſed enim quia talia poſſunt,
Non etiam fieri, dicam tibi, Rufe, ſed uni,
(Σοὶ γὰρ ῥηϊὰ λέγειν, οἳ ἰθέλεις ἀΐειν licebit)
Quae mihi ſive furor, ſive haec ſuggeſſerit ira.
Nam quis enim eſt adeo patiens (niſi forte Torannus,
Deprenſis ſolitus blandiri in conjuge moechis,
Et piperis multo ſaturas offerre placentas,

Dum refugit rixas, vitandaque jurgia censet)
Quisnam, inquam, est usquam, qui si saecli semel hujus
Vividius paullo faciem consideret, ira
Abstineat? cum jam, oppresso virtutis honore,
Regnet in humanis vitiorum infamia rebus.
Improba ques ludi fecit fortuna choragos,
Visceribus reliquorum, & sanguine plebis aluntur:
Praeficiuntque suis saevi rationibus, haud quos
Longa fides vitae, vel constans fama probarit,
Verum aquilas, & vulturios, qui rodere norint
Ad vivum, atque unum ex membris augere lienem.
Ringitur interea populus miser, & prece multa
Nequidquam surdas divorum verberat aures.
Audisne haec, inquam, magni pater Herculis? audis?
Audisne, an dormis, an nectaris ebrius hausiu,
Exerces positis genialia tempora curis?
Non aliter nostri. Similes fortasse tueris.
Haec aliquis, sacro cernens qui sulphura quercus
Nil meritas, non monstra illa exitiosa feriri,
In rabiem versus, furiisque agitatus amaris,
Insequitur veteris non sanum dogma Lucreti.
Sic alia ex aliis incommoda. Quomodo enim plebs
Ipsa colat divos, cum vos, qui fulmine bruto
Stringitis in vestras ausos mutire tiaras,
Conspiciat divis ipsique oppedere Christo?
Anne libet mecum rationum evolvere libros?
Centum lenoni sestertia, mille Corinnae.
Hui! mille infami scortillo? desine: pulcra est,
Et bene sub domino lumbos vibrare perita:
Quin etiam fessus si quando elanguit, ipsa
Instillit, & blande super illum palpitat: id tu
Quanti esse, aut potius quanti non esse putabis?
Perge, age. In accipitres triginta expensa, canesque:
(Hos domini potius pasci decuisset omaso)
Eripuit fallax plus millibus alea binis:
Unguenta, exoticique tulerunt cetera odores,
Fartoresque, coquique, & rari opsonia luxus.
Interea quantum in viduas, quantum in peregrinos?
Quotnam inopes pavit domini quadra? quos studiosos?
Inscius est morum, quisquis nunc talia quaerit.
Haec fuerant sub rege Numa, sub consule Bruto.
Nunc alia est aetas. Nugalibus hisce relictis,

Cu-

Curant magnanimi ventrem, caudamque nepotes.
Nec gratus quisquam eſt, niſi cui perfricta pudorem
Frons omnem abſtulerit, ſic ut probet omnia, ſitque
Et bene ructanti poſt coenam applaudere porco,
Et bene pedenti blandum arridere paratus.
Sed ſatis eſt. Si forte furor Phoebeius olim
Mentem, Ruſe, meam ſimili concuſſerit oeſtro,
Bilem aliis, uni riſum tibi, Ruſe, movebo.

M. ANTONII MURETI

AD

DANIELEM SLEICHERUM,

ULMENSEM, ADOLESCENTEM OMNIBUS ET FORTUNAE, ET CORPORIS, ET ANIMI BONIS CUMULATISSIMUM,

SATYRA SECUNDA.

Rumpe Lycambea numeros de caede madentes,
Muſa ferox, rabieque nova flammata malignos
Fige hominum mores, damnataque ſaecula culpae.
At tua quis poterit patienti volvere vultu
Scripta? quotus tandem feret haec convicia lector?
Men' curare putas, mea quis laudetve, legatve,
Rideat, aut damnet? quaſi haec ſint juſta laboris
Praemia, poſt centum vigilatas ordine noctes,
Et pene eroſos repetitis morſibus ungues,
Inſani & ſemper deterrima quaeque probantis
Plus aliis populi ſuffragia caeca tulisſe.
Tu modo, quem nondum ſaecli contagio vertit,
Tu legito haec, Daniel, primaeque a flore juventae
Diſce, quot humana lateant ſub imagine peſtes.
Hunccine tu, cui laena humeros hyacinthina velat,
Lucentem hinc illinc auro, gemmisque ſuperbum,
Vinoſa facie, vaſti qui pondere ventris
Sudantis mulae cedentia terga fatigat,

Aſpicis? hic primo abjecta de ſtirpe creatus,
Vilisque, ignotusque, & terrae denique proles,
Non aut virtute, ingenuis aut artibus (illas
Ipſe ſua ex aequo cum mula novit) at aſtu,
Senſim ſubducens fatuis fundosque, laresque,
Tandem huc pervenit: rabidi nunc more leonis
Ventrem adipe inſontum & miſerorum ſanguine farcit.
Aſpice & hunc, qui diducto, ceu ſimia, rictu
Putris gingivae viduata ſedilia pandit.
Quotidie hunc videas nitidi ſub primula Solis
Lumina, cum trepidus poſtico limine furtim
Emittit tota vexatam nocte ſacerdos,
Repere paullatim per delubra omnia, & illic
Obſtipo capite, & trepidantibus usque labellis
Nunc has, nunc illas provolvi cernuum ad aras.
Hinc rediens non ille inopes fraudare recuſet,
Non delatori perſuria vendere Cordo,
Non facere omnia, quae vel dicere vix ſit honeſtum.
Vim putat hanc demens eſſe in luſtralibus undis,
Perque globos precibus diſtracta mente volutis,
Ut ſi vel cani jugulum patris enſe reſolvat,
Dummodo mortales oculos effugerit, ipſe
Conſcia ſecurus contemnere numina poſſit.
O ſimulatores, tetrum pecus, ut mihi ſaepe
Bile jecur vitrea diffinditur iſta tuenti!
Creditis, eſſe deum caelo, qui talia curet?
Exprimite hoc factis. non creditis? abjicite ergo
Hunc fucum, & vultu ruite in ſcelus omne retecto.
Hoc ego larvarum genus exitialiter odi.
Sed quid ego enumerans nequidquam ſingula conor?
Res caret illa modo: genera ipſa evolvere longum eſt.
Stupra, doli, fraudes, perjuria, furta, rapinae,
Crimina erant olim: noſtro ſunt tempore luſus,
Quos pueri teneris meditantur ab unguibus, & quos
Ipſe docet natos genitor, materque puellas.
Venimus ad ſummum: ruptis & prorſus habenis
Oppreſſa rerum potitur virtute libido.

M. ANTONII MURETI EPIGRAMMATA.

DIVO JULIO CAESARI SCALIGERO, PATRI MEO.

In tenues numeros, primi monumenta furoris,
Quo mea non ſimplex corda ſubegit Amor,
Dirige ſiderei radiantia lumina vultus,
Caeſar, & haec nati ludicra noſce tui.
Neu pigeat ſtudiis aliquot gravioribus horas
Subtrahere: interdum deſerere illa leve eſt.
Nempe ducum haud quisquam, licet imperterrita geſtet
Corda ferox, gladios ſemper & arma terit.
Qui populos juſtisque reguni, nutuque coërcent,
Et retinent ſorti regia ſceptra manu,
Non renuunt animos rerum moderamine preſſos
Interdum teneris exhilarare jocis:
Saepe etiam vaſti mens unica Jupiter orbis
Flectere ſe a magnis ad leviora ſolet.
Inſequere exemplum regumque, ducumque, Deique,
Dux olim, & princeps: nunc mihi pene Deus.

ANTONIO GOVEANO.

Summe poëtarum, quos ſaecula noſtra tulerunt,
Cui ſacra Caſtalii fluminis unda ſubeſt,
Accipe non tetrica juvenilia carmina fronte,
A domino limam juſſa ſubire tuam,
Ut tibi ſi (quod vix auſim ſperare) probentur,
Olim ſe lucem poſſe videre putent:
Sin minus, aeterna damnentur, ut omnia, nocte,
Aſpectu tanti facta beata viri.

AD

NOCTEM, SIDERA, ET AURORAM DE DOMINAE PULCRITUDINE.

Nox furva, atque alis horrenda nigrantibus, & tu
Fixa meae vultu saepius astra deae,
Audite haec: tu primum Erebi centumplicis uxor,
Quae veniens uno cuncta colore notas.
Non pudor est, ubi flammeolo te Margaris ore
Pellit, & invitum cogit adesse diem?
Vos quoque lucentes Aethrae radiantis ocelli,
Quorum alta assiduo templa canore sonant,
Non pudor est, oculis ubi scintillantibus illa
Cedere tot vestras lampadas una jubet?
Et tu Dardanii conjux formosa mariti,
Tangere Sol cujus nil nisi terga potest,
Nunquid ubi aspexti, quam te procul illa relinquat,
Nativus roseo crescit in ore rubor?
Non, puto: quin illi ultro omnes concedite, in qua
Miratur vires Jupiter ipse suas.

VENTIS FURENTIBUS.

Aeolidae celeres, dominae Junonis alumni,
Caerula velivoli quos timet unda maris,
Altisremi, alipedes, caeli, terraeque tetrarchae,
Dirigite in pectus flamina vestra meum:
Ut mea vel vestro pereant incendia flatu,
Vel me etiam vestris viribus aucta necent.

AD

ANIMUM SUUM.

Quonam abiit mi animus? num quo solet? augurer illuc:
Pectore se dominae condidit ille meae.
Siccine me tandem miserum, fugitive, relinquis?
Siccine, desertor, castra inimica petis?
O saltem flammata tuo vel ab igne calescat,
Frigore vel flammas enecet ipsa tuas.

MAR-

MARGARIDI.

Dicere dum conor noſtros tibi, vita, dolores,
Ah miſero ex ipſis verba labris abeunt:
Dum tegere, & clauſo meditor ſub corde tenere,
Ingeminat vires abdita flamma ſuas.
Quid faciam? ex aequo magnum diſcrimen utrinque eſt,
Sive loqui coner, ſive tacere velim.
O quae ſola meo jam dudum in pectore regnas,
Tute tibi caſus, diva, referto meos.

SOMNIUM.

Euge, an te teneo, mea lux, an ſomnia demens
Fingo mihi? certe, lux mea, te teneo.
Somnia non haec ſunt. oculis nonne intuor hiſce
Flammeolosque oculos, purpureasque genas,
Lacteolasque manus, & eburnae frontis honorem,
Collaque non tacta candidiora nive?
Dulcia collatis ineamus praelia ſignis,
Dum tuta alternis luſibus hora datur.
Me miſerum! nusquam es. fallax me luſit imago.
O dolor! o animi gaudia vana mei!
Quid queror? exacta ſi rem ratione putemus,
Umbra eſt in miſero quidquid amore boni eſt.

MARGARIDI.

Dum te, Margari, baſiare conor,
Labris protinus invident ocelli,
Aſpectuque tui carere noluntˑ
Quod ſi contuitu beare ocellos
Tentarim, labra protinus repugnant,
Quae ad ſeſe iſte tuus vocat, trahitque
Candor, purpureo natans in ore,
Ut ferrum Herculeus trahit lapillas.
O vis eximiae ſuperba formae,
Quae me vel mihi diſſidere cogit.

EIDEM.

Sic age, pugnando teneri paſcuntur amores,
Invade inſanis unguibus ora mihi:
Et turba noſtros, audax, laceraque capillos,
Atque interjecta gaudia veſte nega.
Illa etenim o quanto magis eſt perfecta voluptas,
Quae cupiente quidem, ſed renuente venit!

EIDEM.

Ludamus, mea Margari, & jocemur:
Nos & cum roſeum diem reducet,
Et cum ſe Heſperiis recondet undis,
Deprendat radiatus ora Phoebus
Ludentes ſimul, & ſimul jocantes.
Appellabo ego te meam columbam,
Tu me, blandula, paſſerem vocabis.
Cum dicam tibi percitus furore,
Da mi baſiolum unicum, columba:
Tu collo injiciens meo lacertos,
Porges mi oſcula delicata mille,
Et mille altera, & altera usque mille,
Vibrans improbulam ſubinde linguam, &
Os morſu tenero meum laceſſens.
Dehinc dices mihi, mi tenelle paſſer,
Annon ipſa tibi una ſum columba?
Tua una ex animo columbulilla?
Tuum mel, tua ſuavitas, tuum cor?
En me (nam tua ſum) ſuaviare,
En haec ubera jam retecta cerne,
Quae per te mihi primulum tumeſcunt,
Objectam & ſibi faſciam repellunt.
Quo tu, quo modo, delicate, pergis?
Quo trudis digitos nimis ſalaces?
Sic nos, ſic age, dum viremus ambo,
Dum res ad Veneris valemus ambo,
Ne fruſtra melior teratur aetas,
Ludamus, mea Margari, & jocemur.
Tergo debilis imminet ſenectus.
Quae cum venerit, ah dolor, columba,
Nos tuſſis mala, viriumque languor
Pro ludisque jocisque conſequentur.

AD

AD PAULAM.

Basia quod libas cupidis luctantia linguis,
Res satis ardori non facit ista meo.
Quod mea colla tenens blandis, resupina, lacertis,
Me dicis vitam, deliciasque tuas,
Hoc nihil est. Dulci Veneris de nectare, Paula,
Aut nulla, aut quinta da mihi parte frui.

AB AMICA PROCUL POSITUS, OB IDQUE NOCTU QUIESCERE NON VALENS, MORTEM PRECATUR.

Jam tacitis caelo volvuntur tractibus ignes,
Altaque rorantes Delia flectit equos.
Jam pecudumque, atque alituum genus omne, ferarumque,
Et quotquot liquido marmore monstra silent,
Somnus habet, dubioque natans per inane volatu,
Membra papavereis illinit unguinibus.
Te solum, Murete, fugit: tibi cura recursans
Ire jubet lento tempora moesta gradu.
O caelum! o certis agitati legibus orbes,
Cuilibet ex ortu qui sua fata datis!
Extinctum toties sit fas occumbere. Jam sum
Non ego, sed tantum corporis umbra mei.

IN VENEREM.

Si Venus, ut mendax docuerunt turba, poëtae,
De mediis vere nata putatur aquis,
Qui fieri potis est, mediis ut fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne jecur?
O dolor! o quid jam miseri speretis amantes!
E media vobis nascitur ignis aqua.

AD MARGARIN.

Quem tu cunque semel blando aspectaris ocello,
Ni subita exiliat laetitia, lapis est.
Cui vero haec etiam dederis libanda labella,
Hunc ego felicem terque quaterque voco.

At si quem complexa tuo dignare cubili,
Is non jam felix, Margari, sed deus est.

LUSUS CUM AMICA.

Pande oculos, pande stellatae frontis honorem,
Queis doleat visis, invideatque Venus.
Pande, agedum, lasciva. quid, o, quidnam occultis illud,
Quo mea versantur corda, supercilium?
Saltem ebur hoc manuum interea spectare licebit:
Ah, etiamne manus? saeva, etiamne manus?
En, jam igitur posthac nihil amplius ipse videbo:
Claudo etiam ipse meos, en tibi, claudo meos.
Jam, formose dies, jam, lux formosa, valeto:
Nam vos, nec dominam cernere supplicium est.
Audiit, inque sinum jecit mea diva meum se,
Recluditque oculos applicito ore meos.

EIDEM.

Cum pluit, & radios Phoebus cum subtrahit orbi,
Tum sane moestus quilibet esse solet:
Ne mirere igitur, si sim, mea Margari, tristis:
Ecce pluo lacrymas, tu mihi Phoebus abes.

AD GALLAM.

Novi pro verbis ego sola rependere verba,
Et pro blanditiis reddere blanditias.
Oscula si qua dabit, sola auferet oscula de me:
Pro solis nutus nutibus eripiet.
Haec aliquid praeter tibi me si vis dare, fas est,
Haec aliquid praeter, te mihi, Galla, dare.

JULIO CAESARI SCALIGERO.

Scaliger Aoniae decus immortale cohortis,
Qui, quae alios ornant singula, solus habes,
Altera Veronae, major sed fama priori,
Cui Clarii munus cessit utrunque dei,
Cui tot se debent animarum millia, per quem
Saepius est Stygii cymba quieta senis,

Qui

Quod tantum auguſta de majeſtate remiſti,
Ut placido verſus videris ore meos,
Praemia quae tandem tibi digna reponere poſſim?
Devoveam ſi me, vix ſatis eſſe putem.
Tune meos verſus voce ut laudaveris illa,
Quam ſtupet, & qua nil grandius orbis habet?
Praemia quaenam igitur reddam tibi digna? ſed erro:
Praemia non debent reddier ulla deis.
Anne tuas igitur deſcribam carmine laudes?
(Laudari humana numina voce volunt)
Deficient humeri tanto ſub pondere, nec jam
Tuta erit in tanto noſtra carina mari.
Quidnam igitur? taceo. ſatis hunc dixiſſe putandum eſt,
Se quicumque ſatis dicere poſſe negat.

IN EUNDEM.

Dic, dea, quod poſſim ſtripturus fingere nomen,
Scaligeri quod par laudibus eſſe queat?
Cur petis imprudens, quod habes? dic, Scaliger: illud
Omnia virtutum nomina nomen habet.

IN EUNDEM.

Dicite mi, Muſae, cultiſſima numina nobis,
Quonam Scaligeri paſcitis ora cibo?
Sic ego, ſic Muſae: quam te ſententia fallit!
Nectare quo potius nos alat ipſe, roga.

AD PHYLLIDEM.

Cum ducenda mihi ſine te ſunt tempora, Phylli,
Longior eſt anno menſis, & hora die.
At tecum ſi quando datur mihi vivere, rurſus
Eſſe diem credo, qui modo menſis erat.
Te ſine vel Tauri cum luſtrat cornua Titan,
Semper adeſſe mihi moeſta videtur hyems.
At tecum medio gelidae ſub tempore brumae,
Ire tamen veris tempora laeta puto.
Te ſine nox mihi fit, medio cum Phoebus in axe eſt:
At tecum in media fit mihi nocte dies.

Quan-

Quantum in me miserum juris tibi fata dedere!
Quae mihi vel caeli vertere jura potes.

IN CAROLUM CALIANTHEUM.

Philosophum te dicis, & hoc te nomine jactas,
Prae te omnes reliquos ut nihil esse putes:
Nec tamen aut rerum causas & pondera nosti,
Aut aliud, nomen quo mereare sophi.
Una tuis titulis addenda est littera, Carle:
Nec mihi philosophus, sed philosomphus eris.

RODOLPHO CONDOMIO,

A QUO AD COENAM INVITATUS FUERAT.

Ad coenam tibi me quoniam condicere cogis,
(Si modo quis cogi, quo cupit ipse, potest)
Accipier qua me cupiam ratione, Rodolphe,
Cognosce, & coenae quid caput esse putem.
Non me praecipue vel avis Junonia ducit,
Vel quae de Scythico flumine nomen habet.
Ista decent reges: nobis coenantibus una,
Sustineat parcas sobria mensa dapes.
Sit vini tibi cura prior: nisi nobile vinum est,
Et jocus a mensis, & lepor omnis abest.
Tunc cibus invito lentescens crescit in ore,
Et levius ferre est, quam recreare sitim.
Sin contra adfuerit generosi copia Bacchi,
Vix capit undantes vel domus ipsa jocos:
Tunc & convivae per mutua pocula certant:
Hic annos dominae condit, at ille suos:
Et veteres memorant flammas, & carmina dicunt,
Et laudant coenae concelebrantque patrem.
Quare agedum memori primum hoc sub mente teneto:
Si tibi cura mei, fit tibi cura meri.

IN LYGDUM.

Laudem Lygdus teneris dum discit ab annis,
Est simul & Chiron factus, & Eurytion.

IN

IN EUNDEM.

Lygdus blandulus eſt, venuſtulusque,
Formoſusque ſupra modum, & benignus
Non aeris modo, ſed ſui & ſuorum:
His multos parat artibus ſodales.
Unum eſt quod nequit approbare multis
Naſutis nimium, dicacibusque,
Mureto, Crucioque, Memmioque,
Quod ſe frugibus unicus repertis,
Multa paſcere glande perſeverat.

DE PORNA AD MEMMIUM.

Porna ſuis tantum, Memmi, ſubſternit amicis:
Verum: at nulli unquam Porna inimica fuit.

IN EANDEM, QUAE SE ETIAM FAMULIS SUBIGENDAM PRAEBEBAT, CUM TAMEN MIRE ARROGANS ESSET.

Quam malus eſt, quisquis dicit te, Porna, ſuperbam!
Quid? tu te pueris ſubjicis ipſa tuis.

F. GRATO LOMENIO.

Dicere te tactum nullius amore puellae,
Laſcivique ſoles ſpernere tela dei.
Quid ſibi, Grate, volunt igitur, quae ſaepe notavi,
Tot data ab arguto ſigna ſupercilio?
Quid riſus, quid verba, manusque, oculique loquaces,
Et quae ſummoto baſia teſte capis?
Fingo, inquis. Celare tuum cur niteris ignem?
Quisquis tam belle talia fingit, amat.

GUILELMO MOMBASIO, EPISCOPO LECTORENSI.

Quod tam censeris generoso sanguine, Praesul,
Quodque es tam multis clarus imaginibus,
Illa quidem certe laus est non infima, sed quae
Tota ad majores sit referenda tuos.
Quod superas opibus multos, quod honoribus anteis,
Fortunae haec dici munera posse vides.
Quod sis augusto spectandus corpore, forsan
Natura hanc dotem vindicet ipsa sibi.
At quod tam multis fulges virtutibus, atque
Eximiis rari dotibus ingenii,
Quodque tuis lucem praeferre nepotibus illam,
Quam tibi majores ante tulere, potes:
Haec demum est tua laus: haec, Praesul, laus tua demum est:
Una haec te superis inserit ordinibus.

IN PONTICUM.

Saepius hinc illinc video tibi, Pontice, mitti
Carmina judicio subjicienda tuo,
Idque a divitibus: neque enim tua, Pontice, quisquam
Emendaturus limina pauper adit.
Quid mirum? neque enim posfit dare munera pauper:
Nec te, quae veniunt carmina sola, juvant:
Mittit at hic gemmas, alius cum versibus aurum,
Ut consent operae praemia digna tuae.
Tu, quia muneribus caperis, mala carmina laudas,
Altera mentita retia laude paras.
Quid correctoris falso te nomine jactas?
Id non corrigere est, Pontice, colligere est.

IN EUNDEM.

Aurea non vana jactas tua carmina voce:
Purgari solo nempe quod igne queunt.

FRAN-

FRANCISCO MONCAUDO, BURDIGALENSI.

Moncaude optime, cui novem sorores
Sertis tempora laureis coronant,
Quem vatem geminus suum Cupido,
Quem vatem genitrix suum Dione,
Spretis omnibus, unicum salutat,
Illos versiculos perelegantes,
Illos versiculos perimpudicos,
Nec castos nimis, & nimis venustos,
Molles, improbulos, libidinosos,
Effrontes, pathicos, Catullianos,
Per ludum mihi quos heri dedisti,
Jam, credo hercule, millies relegi.
Ut sunt molliculi! ut fluunt decenter!
Ut spirant Venerem undiquaque totam!
Ut vincunt Sybariticos poëtas!
Ut, quod pruriat, incitare possunt,
Non dico senibus modo his pilosis,
Verum decrepitisque, mortuisque,
Si quidquam pote mortuos movere est.
Atqui dicere te tamen solebas
Ludorum, & Cypriae rudem palaestrae,
Meque illa imbueras opinione,
Nil te ut virgineum magis putarem:
Quin & versibus, impudens, in ipsis
Semper dissimulas, adhucque sumis
Tironis tibi nomen imperator.
Ohe define: ten' ego ut pudicum
Posthac arbitrer, ampliusve fallar?
Imo mehercule virginemque Cyprin,
Castratumque putem prius Priapum.

DIVINO INGENIO CAES. SCALIGERI.

Eminus aetherii collucens luminis aura,
Quae radios toto disjicis orbe tuos,
Certague cognati retinens commercia caeli,
Tunc etiam, cum te deprimis, astra vides:
Haec tibi pauca tui mirator maximus offert
Carmina, at indocta non bene ducta manu,

Si

Si liceat, tibi templa simul posituras, & aras:
Usque adeo numen suspicit ille tuum.
At tibi pro templo caelum est: humus, ara: nec ipse
Jam renuit, quin sit victima sacra tibi.

PRO CAROLO MONTAUSERIO AD MARGARITAM REGINAM NAVARRAE.

Mens regni, sexus lumen, stupor orbis, in uno
Munera quae divûm corpore cuncta tenes,
Conspicere in qua una veteres licet heroinas,
Et quidquid veteri laudis in orbe fuit:
Delicium caeli, terrae decus, accipe, quae se
Advolvunt pedibus carmina pauca tuis.
Nam quamvis tibi nulla dari, nisi magna decebat,
Parva tamen laeta sumere fronte soles.
Illa tibi cum diis communis, ut omnia, virtus,
Vili etiam placant quos data thura manu.
Fors olim majora tibi, & meliora dicabo,
Si modo me solita, diva, fovebis ope.
Te sine nil, sed multa tuo cum numine possum:
Nititur auxilio spes mihi tota tuo.
Ipse quidem prorsus nihil hoc sum tempore: sed tu
Ex nihilo me aliquid reddere, diva, potes.

CAES. SCALIGERO.

Cum mea tantopere placeant tibi carmina, Caesar,
Vel si non bona sint, jam bona facta puto.

F. GRATO LOMENIO.

Quisquis te Gratum primus, Franciſce, vocavit,
Omen, non nomen tradidit ille tibi.

IN QUENDAM.

Mulciber incessu, capite Aeolus, ore Lyaeus,
Tres uno divos corpore solus habes.

IN RUFINUM.

Inter Latinos forte ſicubi aſſedit
Pulcellus iſte, fuſculo ore, Rufinus,
Qui ſericatus gaudet ire per vicos,
Tria verba molli Graeca voce τραυλίζει.
Graece ſed adſit eruditior quisquam,
Silentur illa: proferuntur Hebraea,
Quae lividis praemanſa dentibus latrans,
Nil prae ſe Apellas jurat eſſe Rabbinos,
Suaeque ita objicit imperitiae velum.
At ſcis, apud nos aſtus iſte quid proſit,
Doctor trilinguis, architecte verborum?
Scis, inquam, apud nos aſtus iſte quid proſit,
Qui vera fucis judicamus abſterſis?
Dum vis videri habere tres ſimul linguas,
Unaque tentas anteire ſerpentes,
Quod credimus te haud aliud eſſe, quam linguam.

IN NOALLIUM.

Nil immundius eſt tuis libellis,
Nil obſcoenius, impudiciusque:
Et vis te tamen ut putemus eſſe
Numa, Fabricioque ſanctiorem.
At ſententia noſtra ea eſt, Noalli,
Quisquis verſibus exprimit Catullum,
Raro moribus exprimit Catonem.

IN VIRGILIUM.

VIRGILIUS IPSE LOQUITUR.

Cor Phoebi, Phoebus Latii, vatum pater, & rex,
Fons ex quo Aoniae profilit humor aquae,
Par volui primum, major ſed factus Homero,
In Graecos Romae jura ſecunda dedi:
Ad caelos tandem raptus, Jove judice, dicor
Nectarea illorum vincere voce ſonos.

IN LYGDUM.

Quod sis tam facilis, quod sis tam, Lygde, benignus,
Quam nova nupta suo cum parat ire viro,
Hoc cave te credas nobisve, aliisve molestum
Nomine: quin etiam nos magis ista juvant.
Displicet hoc, quod non tantummodo, Lygde, benignus,
Verum etiam, ut fama est, officiosus homo es.

IN APOLLINEM.

Cum timidam cupidus Daphnen sequeretur Apollo,
Currentem celeri per juga summa pede,
Improbe, narratur tristis dixisse, Cupido,
Incaluit pectus cujus ab igne meum,
Aut concede tuas, quibus istam persequar, alas,
Aut tua de nostro pectore tela move.

IN PONTICUM.

Saepe, velut ridens, Epicuri dogmata laudas,
Et, quasi per lusum, rejicienda negas:
Saepe, velut ridens, dicis tibi vera videri:
Quin etiam vultus signa probantis habet:
Sic etiam vivis, quasi non alienus ab illo,
Omnia quae juras te simulare tamen.
Tolle tuas artes: nihil haec mendacia prosunt:
Qui semper simulat, Pontice, non simulat.

NEQUE AVAROS, NEQUE PRODIGOS PROBANDOS ESSE.

Improba quem partis cumulandi plura libido
Detinet, & juris non sinit esse sui,
Quem vexat damnosa modis insomnia miris,
Dum sua sub tacita pondera nocte putat,
Qui queritur tardas non saepius ire Calendas,
Quique nihil pensi, dummodo quaerat, habet,
Omnia prae lucro contemnere jura paratus,
Nec mihi, nec cuiquam, credo, placere potest.

&c.

Sed neque qui ternis decies centena diebus
Fundit, & in sumptu nil putat esse nimis:
Quique etiam noctu, posita cum luserit arca,
Non alio ritu tempora lucis agit:
Quem Sol si primo locupletem viderit ortu,
Redditus ex Croeso protinus Irus erit:
Qualis apud Stygiam torquet rimosa paludem
Vano virgineas urna labore manus.
Quisnam igitur? qui se cauta sic temperat arte,
Ut medium servans, vitet utrunque latus:
Providus, at facilis: parcus sibi, largus amicis,
Atque etiam largus, cum petit hora, sibi:
Qui nec opes terra furtim componere, sed nec
Perdere discincti more nepotis amat.

IN GELLIAM.

Quod nimio faciem cultu tibi, Gellia, quaeris,
Et suffis multo corpus odore tuum,
Hac ratione mihi credis te posse placere,
Conarisque illa me retinere via.
Quaere alios, isto qui delectentur amore:
Personata mihi nulla puella placet.

CLAUDIO COLETO CAMPANO.

Cum det Rufa rosas, cum det tibi lilia, Claudi,
Cum det serta tibi crine ligata suo,
Cum te respiciens suspiret pectore ab imo,
Annuat argutis cum tibi luminibus,
Denique cum quovis solum te sola sequatur,
Conjicere hinc quis non ulteriora queat?

IN ROMANUM.

Cum somnus pigris vix dum est excussus ocellis,
Atque recens orto pluma relicta die,
Inclamas multo puerum, Romane, boatu;
Ora lavaturas qui tibi portet aquas:
Tunc & gingivas multo sale sesquipedales
Proluis, & guttur terque quaterque tuum.

Esse quid hoc dicam, quod cum tam saepe lavetur,
Nunquam non tamen est sordida lingua tibi?

F. LACCIO CAIRIECHIO.

Tune meo elabi possis de pectore, Lacci,
Aut ego, dum vivam, non meminisse tui?
Ante vel istius mundi compage soluta,
Tetras in antiquum sit reditura Chaos.
Quin mihi, cum Lachesis summos perneverit annos,
Nostra sonum referent nominis ossa tui.

IN GRANNIUM.

Jambicos sine lege Grannius facit:
Miraris? ipse lege Grannius caret.
Fraudem suis idem inserit poëmatis:
Miraris? ipse fraude sine facit nihil:
Adeoque si quid fraude vacuum unquam facit,
Ut fraudet exspectatione alios, facit.

JOHANNI COSTECAUDO.

Ni quantum pote quisquam amare quenquam,
Tantum te ipse amo, Costecaude, ni te
Totum non oculis fero jam in ipsis,
Verum in pectore & intimis medullis:
Contingant mihi cuncta, quae timentur,
Et multo graviora, quam timentur:
Tanto ut sim ipse miserrimus malorum,
Quanto tu unus es optimus bonorum.

JOCOSUM.

Membra sacerdotes si nunc sua caedere moris
Esset, ut in prisca relligione fuit,
Crebra minus ferret spuriorum examina tellus,
Fraudaret sociam femina rara fidem.
Vera quidem sunt haec: sed si lex illa feratur,
Quaere alium, quam me, qui tibi sacra canat.

IN MALOS PRINCIPES.

Jupiter in faciem, propter ſua probra, lupinam
Mutavit regem, Maenalis ora, tuum.
Ille quidem regum ſolus, mihi credite, non eſt,
De ſe qui dici promereatur idem.

IN CORELLIUM.

Sutor es, & piſtor, lanius, lenoque, coquusque,
Mercatorque bonus, causſidicusque bonus:
Te tamen in tota non eſt mendiſior urbe,
Nec quem paupertas arctius aegra premat.
Dic, agedum, qui ſit (nam res eſt mira, Corelli,)
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas?

IN LYGDUM.

Cur tibi cauta dedit corpus natura puſillum?
Viderat hoc ipſo plus ſatis eſſe mali.

DE MONACHO QUODAM.

Cordigerum abjecto deprendit forte cucullo
Hoſpita non ſegnem, nec ſine mente virum,
Cui tota interior (velut omnia plena dolorum)
Serica ſub vili tegmine veſtis erat:
Hoſpita quod mirata, quid, o pater optime, nunquid
Veſtis, ait, ſorti convenit iſta tuae?
Ille nihil cunctatus, eho, quidnam vetat? inquit:
Quippe meo ſunt haec parta labore mihi:
Quoque magis credas, (grandi mutone retecto)
Hoc mihi, ait, ſuſum talia nere ſolet.

IN CONVIVATOREM NIMIUM PROLIXUM.

Quonam ſcriblitas, quonam iſta ſophismata plenis?
Vis bene convivas paſcere? pone famem.

Esse quid hoc dicam, quod cum tam saepe lavetur,
Nunquam non tamen est sordida lingua tibi?

F. LACCIO CAIRIECHIO.

Tune meo elabi possis de pectore, Lacci,
Aut ego, dum vivam, non meminisse tui?
Ante vel istius mundi compage soluta,
Tetras in antiquum sit reditura Chaos.
Quin mihi, cum Lachesis summos perneverit annos,
Nostra sonum referent nominis ossa tui.

IN GRANNIUM.

Jambicos sine lege Grannius facit:
Miraris? ipse lege Grannius caret.
Fraudem suis idem inserit poëmatis:
Miraris? ipse fraude sine facit nihil:
Adeoque si quid fraude vacuum unquam facit,
Ut fraudet exspectatione alios, facit.

JOHANNI COSTECAUDO.

Ni quantum pote quisquam amare quenquam,
Tantum te ipse amo, Costecaude, ni te
Totum non oculis fero jam in ipsis,
Verum in pectore & intimis medullis:
Contingant mihi cuncta, quae timentur,
Et multo graviora, quam timentur:
Tanto ut sim ipse miserrimus malorum,
Quanto tu unus es optimus bonorum.

JOCOSUM.

Membra sacerdotes si nunc sua caedere moris
Esset, ut in prisca relligione fuit,
Crebra minus ferret spuriorum examina tellus,
Fraudaret sociam femina rara fidem.
Vera quidem sunt haec: sed si lex illa feratur,
Quaere alium, quam me, qui tibi sacra canat.

IN MALOS PRINCIPES.

Jupiter in faciem, propter ſua probra, lupinam
Mutavit regem, Maenalis ora, tuum.
Ille quidem regum ſolus, mihi credite, non eſt,
De ſe qui dici promereatur idem.

IN CORELLIUM.

Sutor es, & piſtor, lanius, lenoque, coquusque,
Mercatorque bonus, causſidicusque bonus:
Te tamen in tota non eſt mendicior urbe,
Nec quem paupertas arctius aegra premat.
Dic, agedum, qui ſit (nam res eſt mira, Corelli,)
Cum tot res facias, rem facere ut nequeas?

IN LYGDUM.

Cur tibi cauta dedit corpus natura puſillum?
Viderat hoc ipſo plus ſatis eſſe mali.

DE MONACHO QUODAM.

Cordigerum abjecto deprendit forte cucullo
Hoſpita non ſegnem, nec ſine mente virum,
Cui tota interior (velut omnia plena dolorum)
Serica ſub vili tegmine veſtis erat:
Hoſpita quod mirata, quid, o pater optime, nunquid
Veſtis, ait, ſorti convenit iſta tuae?
Ille nihil cunctatus, eho, quidnam vetat? inquit:
Quippe meo ſunt haec parta labore mihi:
Quoque magis credas, (grandi mutone retecto)
Hoc mihi, ait, ſuſum talia nere ſolet.

IN CONVIVATOREM NIMIUM PROLIXUM.

Quonam ſcriblitas, quonam iſta ſophismata plenis?
Vis bene convivas paſcere? pone famem.

ANNAE OGERIAE NEAPOLITANAE.

Aurea caesariem, praedulci argentea voce,
Hei mihi, cur duro ferrea corde manes?

JOHANNI DELIANO.

Si sacer aetherio furor excitat igne poëtas,
Eosdemque assidua lampade torret Amor;
Miraris, solidos cur nam exhaurire trientes,
Donaque Lenaei sumere patris ament?
Ante diem geminus miseros extingueret ardor,
Ni daret assiduus frigora grata latex.

STEPHANO ALISIO, BURDIGALENSI.

Si mea se faciles dederint in vota Camoenae,
Ut per plura meum saecula carmen eat,
Tu pariter mecum memori celebraberis aevo,
Et tibi scripta vetus per mea nomen erit:
Sin (sed enim verbis & pondus & omen abesto)
Non seneant domino longius illa suo,
Non tamen idcirco tibi displicitura putabam
Haec magni in te animi pignora parva mei.

MARIO CRUCIO.

Forma aetate perit: vires aetate fatiscunt:
Casibus innumeris eripiuntur opes:
Una, Mari, est virtus, quam non vis temporis aufert,
Non premit indigno sors inimica pede.
Una suos invicta perennibus inserit astris,
Fortunae imperio liberat una suos.
Hanc sequere. Insani est postponere firma caducis,
Veraque quae bona sunt, spernere, falsa sequi.

IN PONTICUM.

Ponticus eximium dum se ait esse poëtam,
Hoc solo dici jure poëta potest.

IN LAIDEM.

Non toto eſt mulier, quam Lais, juſtior orbe:
Cur ita? nam rectum ſemper amare ſolet.

IN AVITUM.

Cum ſubigat ſterilem, nihil illi donat Avitus:
Sic fit, ut ille oleum perdat, & illa operam.

IN PONTILIANUM.

Cur tua vix unquam ſint ſalſa epigrammata, quaeris?
Diluis haec nimio, Pontiliane, mero.

DE VIRTUTE ET GLORIA.

Virtus, ut ſolidum quiddam eſt, & corpore conſtans:
Aequa ſed eſt umbrae gloria fluxa levi.
Hanc igitur quisquis neglecta amplectitur illa,
Huic mage quam corpus, corporis umbra placet.

DE LUCII CUJUSDAM MEMORIA.

Eſſe aliquam ſi quis memorandi perneget artem,
Hanc qui confirmet, Lucius unus erit:
Ille etenim nuper curaque adjutus & arte,
Tres verſus totidem noctibus edidicit.

IN PAULUM.

Lecto ſurgens ad menſam accedere Paulus,
E menſa ad lectum rurſus abire ſolet:
Interea attingit libros, ut vina catelli,
Et queritur, ſeſe diſcere poſſe nihil.

FATIS PARENDUM.

Obſequitor fatis: ducent te fata volentem:
Sin minus, invitum te tamen illa trahent.

DE POMPILII NASO.

Pompilio eſt naſus cubitos tres longus, & unum
Latus, & hunc murus cingit utrinque triplex:
Adſunt & turres, Bacchus quas condidit ipſe,
Et minio tinctis usque rubere dedit.
Huic etiam naſo vis admiranda tributa eſt:
Nam calices ſiccos illius umbra facit:
Imo etiam longe diſtans ſi ſenſerit usquam,
Ut magnes ferrum, ſic trahit iſte merum.
Nuper eram in menſa, ſitiens, potare paratus:
Pompilius clauſas aſtitit ante fores:
(Mira canam, ſed vera) merum mihi forte paratum
Attraxit naſo protinus ille ſuo.

IN PAULI NASUM.

Exiguum ſi quis naſum vidiſſe laborat,
Paulum adeat, Paulo ſi modo naſus ineſt:
Non etenim eſt naſus, ſed pars centeſima naſi,
Et quo quis viſo dicere poſſit, ubi eſt?
Talis ineſt naſus muſcis, ſed & his quoque major,
Et melius naſi nomine dignus ineſt.
Quam quae per radios volitant corpuſcula ſolis,
Majorem naſum vix, puto, Paulus habet.

SUB EXORTUM DIEI.

Roſcida purpureos effert Aurora jugales,
Et nitidum Soli praevia ſternit iter:
Noctis aves dudum rupere ſilentia cantu,
Nullaque jam caelo, rara vel aſtra micant.
Exit flammivomo Phoebus ſpectabilis ore,
Et tenebras denſae noctis abire jubet.
Chriſte, patris ſplendor, vero me lumine reple,
Atque meo tenebras pectore pelle procul.

IN GAURUM.

Effundas verſus una cum luce ducentos,
Ferie poëtaſtris annumerandus eras:

Sed

Sed cum te eximium jactas tam saepe poëtam,
Id quoque quod paullum est, incipit esse nihil.

IN PAMPHAGUM.

Pamphagus in patulam tam multa ingesserat alvum,
Quam poterant denis plus satis esse viris:
Ecce venit caupo, pretiumque expostulat: ille
Ebria terribili lumina more rotans,
Evomit in patinam vinumque, cibosque receptos,
Atque ait, En, merces tu tibi habeto tuas.

IN GALLONIUM.

Stertit ad octavam Gallonius: inde cubili
Paullatim assurgens languida membra levat.
Objicitur perdix, quam protinus ille calentem
Devorat: hac nulli cesserit arte libens.
Spumantis temeti cyathos octove, novemve
Adjicit, & sacris sic operatus, ait:
Di, date mi constantem animum, mentemque quietam:
Quam multis vita est nostra referta malis!

SESTIO.

Multa quidem, fateor, confers mihi munera, Sesti,
Devinctum tibi me nec tamen esse reor.
Cur ita? quod quae das, tristi dare mente videris:
Sic ego quae data sunt, vendita dona voco.

DE VOLUPTATE, ET RATIONE.

Cum, velut excelsa residens in puppe, Voluptas
Arbitrio mentem pellit agitque suo,
Horrida bacchantes ineunt certamina venti,
Navemque in Syrtes & vada caeca trahunt:
Illinc Ambitio, Dolus hinc consurgit, & atrox
Ira cruentatas sanguine tincta manus.
At ratio regimen navis si sumpserit, ecce,
Compositis undis aequora tuta silent:

Ipsa ratis nullo ventorum exterrita flatu
In portum certo tramite flectit iter.

SANSONI CRUCIO.

Et bonus, & dives, Sanso, simul esse laboras:
Id fieri nulla sed ratione potest:
Sic utrunque petens, perdes utrunque: necesse est,
Alterutrum tollas, alterutrumque petas.

TUMULUS OTTHONIS, HOMINIS VORACISSIMI.

Conditus hac sub humo est gurges vastissimus, Otho,
Cui nunc officium justa rependit humus.
Condidit in ventrem tetrae tot jugera vivus:
Hunc sub ventre suo nunc quoque terra tenet.

IN VIRRONEM.

Quod totam Virro furiosi more per urbem
Discurrit noctu, quod loca sola petit,
Nescio quid secum solus quod musitat: illo
Quod nemo est tota sordidus urbe magis,
Hac ratione parat nomen famamque poëtae,
Et reperit fatuos, sic quibus esse probet.
O valeant calami, pereat genus omne librorum,
Reddere si vates mens male sana potest.

IN PAULUM.

Quae tu condideras, inspexi carmina nuper,
Lectaque sunt, fateor, terque quaterque mihi:
Nec tamen evalui cognoscere, quid sibi vellent:
Usque adeo obscure scribere, Paule, soles:
Nam tu verba, puto, ex libris accepta Sibyllae,
Quaeque Catonis erant tempore prisca nimis,
Versibus infercis, gaudesque obscurus haberi,
Et velut inducta singula nube tegis:
Erraste hoc tantum, quod mittens carmina, Paule,
Debueras una mittere grammaticum.

AD

AD AMORES.

Carnifices curae, miseraeque incendia mentis,
Et tu cum pharetra, saeve, Cupido, tua,
Tuque, Erycina ferox, longum, aeternumque valete,
Ferte alio vestras, noxia tela, faces:
Praeteriti vobis nimium concessimus aevi:
Jamque dies mores postulat ista novos:
Nunc juvat & rerum caussas tentare latentes,
Inviaque ignavis per loca ferre pedem,
Induere & mores, contracta fronte, severos,
Atque puellares spernere blanditias.
Haec loquor: at si me placidis spectarit ocellis,
Quae fugat aspectu nubila cuncta suo,
Quam vereor, ne mox mihi multa & magna locuto
Omnia cum fastu fortia verba cadant!

IN PONTILIANUM.

Cum rapidus medio desaevit in aequore Titan,
Fer, puer, huc cyathos, Pontilianus ait:
Cum pluit, en, inquit, deus admonet esse bibendum,
Qui nunc tam multo proluit imbre solum:
Sic vacua a potu non unquam tempora ducit,
Curque bibat, semper Pontilianus habet.

PETRO QUINTIO.

Si dea, quae dubiis huc illuc passibus errat,
Et regit humanas, lumine capta, vices,
Quem Labyrintheis erroribus egit, Ulysses
Ad patrios esset passa senere focos:
Membraque lausque viri tumulo caperentur eodem,
Et tegeret nomen, qui tegit ossa, lapis.
At quoniam fatis varie crudelibus actus,
Dura tulit terra plurima, plura mari:
Vivit, & evectus rutilis super aethera pennis,
Maeonio clarum carmine nomen habet.
Macte animo, Quinti: dum te fors invida vexat,
A patriisque procul finibus esse jubet,
Virtutem illa tuam toto disseminat orbe,
Dumque nocere cupit, sic quoque saeva juvat.

CLAU.

CLAUDIO BURGO.

Perpetuo moeres, nec frontem exporrigis unquam,
Hoccine tu, quaeso, vivere, Burge, vocas?
Is demum vere vivit, qui mente serena,
Et nitido laetos exigit ore dies:
At qui perpetuis torquet se angoribus, hunc non
Vivere, sed lenta morte perire puto.

IN DIVAM CATHARINAM.

Quo te praecipue commendem nomine, Virgo?
Laus etenim quae te non minor esse queat?
Magnum erat errores veterum liquisse parentum,
Majus at imperium deseruisse fuit.
Magnum erat immanis rabiem previsse tyranni,
Supplicia at majus sponte subire fuit.
Magnum erat his vitam sponte objecisse periclis:
Majus nunquam animo succubuisse fuit.
O decus eximium patriae, sexusque, polique,
Dicere te merito nullus honore potest.

EADEM DE SE IPSA LOQUITUR.

Illecebras inter medias educta virago,
Re princeps, mulier corpore, mente dea,
Nixa deo, mundi spernens mala gaudia, vici
Tum tormenta animo, tum ratione sophos.
Non rota, non gladii, non ipsi horrenda tyranno
Mors potuit mentem sede movere meam.
Scilicet haud quidquam mens Christo afflata veretur:
Ille meae vires, & mea vita fuit.
Quid, fuit? estque, fuitque, atque est sine fine futura:
Principium vitae mors dedit ipsa mihi.
Qui legis haec, sic tu te etiam compone, viator;
Mors tibi pro Christo vita perennis erit.

IN QUENDAM.

Quidam jejunum me clamitat esse poëtam,
Et mihi, ficta nimis carmina condis, ait:

Ipse

Ipſe nota ſed enim carpi ne poſſit eadem,
Egregia prudens calliditate cavet:
Nunquam jejunus, nunquam ut qui ſcribere ſiccus,
Sed ſatur, & vino ſemiſepultus amet.

IN CRASSUM.

Quod ruri maneo ſtudiis addictus honeſtis,
Ruſticus hoc videor nomine, Craſſe, tibi.
Ruſticus ille quidem non eſt, qui rura pererrans,
Ingenium rerum cognitione colit:
At tu, qui nullam noſti ſtultiſſimus artem,
Eſſe vel in media ruſticus urbe potes.

IN GAURUM.

Fama eſt, hoc anno morituros eſſe poëtas:
Quid metuis? nil te, Gaure, timere decet.

IN RUFINUM.

Cum coenet nemo tota te lautius urbe,
Ad tua cur rarus prandia, quaeris, eam?
Accubui ſimulac tecum, Rufine, monetque
Primus in appoſitas impetus ire dapes:
Mox onerare meas inſulſis verſibus aures
Incipis, & nugas ingeminare tuas:
Nec retices unquam, ſed ab ovo ad mala recenſes
Vix, puto, per centum carmina facta dies.
Quae ſi quis ſanus patienti combibat aure,
Illum adamantini pectoris eſſe putem.
Miraris, cur te non poſſim ferre canentem?
Menſa ipſa inſipido carmine preſſa gemit.

IN FORTUNAM.

Fortuna inconſtans, & neutro certa paratu,
Vel fautura premit, vel nocitura fovet.

IN

IN COMMENTARIOS JURIS CIVILIS FRANCISCI CONNANI, VIRI CLARISSIMI.

LIBER IPSE LECTOREM ALLOQUITUR.

Dum tua nil praeter, curantis, commoda, lector,
Me patris assiduo cura labore potit,
Dumque diebus amat totas ex ordine noctes,
Noctibus & totos continuare dies,
Ipse (fatebor enim infelix) dominoque, patrique,
Ipse necis properae maxima causa fui.
Verum etiam sine me, fatalia tempora mensus,
Serius ut paullo, tandem obiturus erat
Faxo ego, ut aeternum per me nunc vivat: eroque
Illi auctor vitae, cui necis ante fui.

DE SE IPSO.

Dicebam Euterpae, coeptis in versibus haerens,
Auxilium fratri porrige, diva, tuo.
Fraterno mota est in risum nomine virgo,
Et nitido sudum reddidit ore diem:
Tunc ego subridens, mirari define: nam mi
Si pater est Caesar, tu soror esse potes.

IN IMPORTUNOS RECITARTORES.

Hei mihi, quantum res invisa est, nimis esse potest
Quantum odii morbus colligit ille suis!
Nil genere hoc hominum est usquam importunius: illos
Et cane, qui sapiunt, pejus & angue cavent.
Nec locus est, nec tempus, ab his subducere quo te,
Non si mille modis aggrediare, queas:
In fora te, in thermas, & balnea in ipsa sequentur:
Quodsi in templa gradum ferre parabis, & huc.
Si notos forte aegrotos invisis, & illuc:
Spectatum ludos forsitan ibis? & huc.
Pergis eo, nullum quo ducere quaeris? & illuc:
Pergis eo, comitem quo tibi poscis? & huc.
Denique, ut exoneres alvum, discedis? & illuc:
Ut somnum capias, fessus abibis? & huc.

Interea iuſulſis onerabunt verſibus aures,
Auribus ut te tunc ipſe carere velis:
Verſibus inſulſis, queis cantîo gratior illa eſt,
Quam geminat putri condita rana lacu.
Ex genere hoc, miſerum nuper me prenderat unus:
(O lux infelix quam fuit illa mihi!)
Feſſus ego, inſuavis mihi jam ut vita eſſet, apud me
Fundebam ſurdo talia vota Jovi:
Summe deûm, te ſi qua mei miſeratio tangit,
(Nam qua ſim poſitus conditione, vides)
Aut abige hunc tandem, aut mihi da ſurdeſcere, vel jam
Alterutrum noſtrum, vel neca utrunque ſimul.
Venerat ad primae damnata crepuſcula lucis:
Vix abiit vates, ſole cadente, meus.

PAULO.

Das mihi lactucas, centum ſed mutua poſcis:
Deſine: lactucas, Paule, minoris emo.

IN COLLINAM ANUM.

Diſpeream, niſi te aſpicio, Collina, libenter,
Nique etiqm tecum ſaepius eſſe velim:
Tum quoniam anguicomas ſic exprimis ore ſorores,
Terriculi ut facile munus obire queas,
Tum quoniam inprimis potas lepide, atque decenter:
Crede mihi, hic demum gratia magna tua eſt.
Nam tu aliquot, quæ ſint reliquae praeludia pompae,
Suaviter immiſſis ructibus in cyathum,
Sic bibis, ut dulcis labiis pendentibus humor
Aſſidue alternis influat, & refluat.
Expers interea ne ſit pars ulla decoris,
Labitur in pinguem ſpurca ſaliva ſinum.
Crede mihi, id pulcrum eſt, dentes cum alliſus ad atros
Sic patulo geminus ludit in ore liquor.
Macte age, macte animo, Furiarum ſola voluptas,
Delicium Stygii ſola futura canis:
Perge, citosque bibens Maeandri redde reflexus:
Id, feſtiva, ſimul & bibere, & vomere eſt.

AN-

ANTONIO COLLAEO.

Unquamne, Antoni, locupletem te fore credis?
Et caelo, & tota falleris hercle via.
Non es adulator, non fur, non denique leno,
Non bonus insontes voce onerare reos.
Innocuus vivis, fraudisque, & criminis expers,
Semper in antiqua simplicitate manes.
Evades unquam dives rationibus istis:
Esse bonum nostro tempore stultitia est.

PAULO.

Qui capit, inferior: major, qui donat, habetur:
Inferior sic te, Paule, libenter ero.

CUIDAM.

Hos tibi quid juras factos ex tempore versus?
Pagina, si taceas, id satis ipsa probat.

IN PHAEDRAM.

Cum Phaedra Hippolyti disjectos cerneret artus,
Membraque tam multis sanguinolenta locis,
Postquam non potui vivum te inflectere, dixit,
Persequar ad Stygios te tamen usque lacus.
Dixit, & incumbens gladio, terram ore momordit.
Saepe amor insanus talia monstra parit.

DE MORTE M. BRUTI.

Brutus ut Augusto belli succedere palmam,
Et paullum a victis vidit abesse suos,
Amplexus gladium multa jam caede madentem,
Ergone te, dixit, sospite, servus ero?
Quin potius fatis id quod praecluſa malignis
Non potuit patriae, dextra datura mihi est.
Haec fatus, rutilum ver costas exigit ensem,
Magnanimoque cadens pectore pulsat humum.
Sic quoque, dum moritur, labris dum spiritus errat,
Nunc, ait, invito Caesare, liber ero.

IN QUENDAM.

Quidam Margaridem meam ſalutat,
Morboſus, capularis, eviratus,
Ficoſus, tecutitus, herniоſus,
Calvaſter, podager, cadaveroſus,
Orci victima, pabulum Charontis,
Cui jam oris, puto, foetido in receſſu
Dentes quinque, nec amplius, ſuperſunt:
Cui centum ſcabies petita luſtris
Artus depopulatur ulceroſos.
Idem, quod magis ac magis pudendum eſt,
Pauper, diruitus, expeculiatus,
Qui noctu omnia fana pervagatur,
Si quid, perditus, harpagare poſſit,
A ſe quo miſeram famem repellat.
Atqui ſurripiat, clepat: quid ad me?
Quidquid fecerit, haud movebor unquam,
Dum ne Margaridem meam ſalutet.

DE MORTE CICERONIS.

Cum ferus aſtaret ſtricto mucrone ſatelles,
Sumere ſupplicium de Cicerone paratus,
Immoto vultu, atque oculis conſtantibus ille
Praebens inſanda colla ſecanda manu,
Publica libertas vita mihi carior, inquit.
Me quoque, me fas eſt, te moriente, mori.

CALENDIS JANUARIIS, JOCOSUM, AD MICHAELEM LOCHIANUM.

Non tibi pro xeniis, fulvi pretioſa metalli
Pondera, non docta ſigna polita manu,
Non lana Aſſyrio tincta & ſaturata veneno,
Non gravis argenti lamina munus erit.
Talia non capiunt generoſas munera mentes,
Talia magnanimi ſpernere dona ſolent.
Cum te igitur, quam ſis excelſo pectore, norim,
Non mittam iſta tibi dona: quid ergo? nihil.

AD JANUM VERMELIANUM.

Divitias hodie plena depromere ab arca,
Thesaurosque meos jam referare placet,
Ut te muneribus donem, mi Jane, superbis,
Jane, inquam, ex animo nunquam abolende meo.
Dona paro tibi ferre, quibus, si dicere fas est,
Attalicae possunt nil dare majus opes:
Munera, Persarum gazas quae vincere possint:
Munera, Pactoli est prae quibus unda nihil.
Quidnam post tantos feret hic promissor hiatus,
Qui sua tam elata munera voce canit?
Sic tecum: & quae sint ea tandem dona, requiris:
Atqui jam dudum, quae tibi poscis, habes.
Hui! dices, hoc tu breve chartae & inutile frustum
Persarum gazis amplius esse putas?
Quid facias? nil possideo, nisi carmina, Jane?
Quare ea thesauros divitiasque voco.
Tu quoque, si natura mihi tua cognita recte est,
Carmina divitiis pluris habenda probas.

CURANDAM ESSE HIEMIS TEMPORE CUTICULAM.

Ingere ligna foco: vis frigoris aspera saevit:
Eia age, quid dubitas? ingere ligna foco.
Non audis, quanto Boreas bacchetur hiatu?
Nonne vides, multa ut jam nive canet humus?
Aspicis, ut veteres viduentur frondibus orni?
Cernis, ut amissas silva queratur opes?
Cernis &, ut pigro lentescant marmore rivi?
Me gelidus totis artubus horror habet.
Ferto, age, ferto huc vina, puer, cyathosque capaces,
Ante focum mensas explicuisse juvat.
Jam tristi caelum est facie, jam nubilus aër
Omnia concutiens, nos vetat ire foras.
Ergo domi inclusos genio indulgere necesse est,
Mos datus a priscis ut teneatur avis.

LO-

LODOICO VALESIO, ADOLESCENTI HONESTISSIMO.

Miraris, tanto cum te complectar amore,
Cur tamen extremum hic te, Lodoice, locem?
Pectore nempe mihi penitus defixus in imo es:
Ultimus, hinc factum eſt, pectore ut exieris.

M. ANTONII MURETI EPISTOLARUM LIBELLUS.

AD

NICOLAUM VIENNENSEM EPISTOLA.

Inclyta nobilium ſoboles, Nicolae, parentum,
Qui jam nunc ipſo ex aetatis limine ſigna
Virtutis praebes nobis manifeſta futurae,
Nimirum ſapis, & ren. recte intelligis unus,
Qui licet antiquis ortus natalibus, haud te
Ante tamen ponis reliquis, ſed fronte modeſta
Alloqueris cunctos, vultuque humanus amico,
Non ulli renuis dextram praebere fidelem.
At quidam contra nullis majoribus orti,
Ore tamen tumido voces efflare ſuperbas,
Aequalesque ſuos audent contemnere, tanquam
Indignos queis ſeſe aequali foedere jungant:
Quos tu deridens, inter nihil eſſe, parente
Quo ſit quisque creatus, ais, dum ſit modo verae
Virtutis ſtudioſus, ametque in rebus honeſtis
Ponere labentis fatalia tempora vitae.
Cui non Sicaniae notus dominator opimae,
Qui de figlina eſt ad regni evectus habenas?
At contra Perſei, qui claram rexerat olim
Pallenen, natus, fortunae ludibrium, amplos
Inflabat folles, & regis filius, unco

M. ANTONII MURETI

ODAE

AD

JOHANNEM AURATUM,

VIRUM UTRAQUE LINGUA ERUDITISSIMUM.

Aurate, gentis grande decus meae,
Qui tenſa docta fila legens manu,
Saeclis inexpertum vetuſtis
Ambroſio jacis ore nectar,
Quid eſſe cauſſae ſuſpicer, invida
Suis quod ortos Gallia finibus
Aut odit, aut ſpernit poëtas,
Usque favens peregrinitati?
Atqui vetuſtis temporibus ſuos
Et fovit Hellas, & Latium ſuos.
Quae pravitas nos mentis unos,
Ne faciamus idem, coërcet?
Nihil daturum me auribus hic tuis
Velim arbitreris, ſim licet & fide
Pridem tibi, & communitate
Sanguinis & patriae alligatus:
Nil iſta ſed me commoveant tamen,
Aurate, palpo percutere inſcium,
Ut laudibus te ornare pergam,
Ni tua me prope ſingularis
Virtus moveret. Nil faciles tibi
Muſae negarunt: ſeu libeat fide
Sacrare Graeca, ſeu Latina
Nobilium inclyta facta regum.
Hac arte quondam quas ſibi copias
Dirces alumnus, quod peperit decus?
Contra, tuos mercede juſta
Quisnam hodie decorat labores?
Praejudicatae quod niſi nos premat

Auc-

Auctoritatis pondus, erit nihil,
Cur non, metu plane remoto,
Cedere te inficiemur illi.
Sed nempe virtus temporibus jacet
Depressa nostris: hinc fit, ut unici
Virtutis altores poëtae
Clade etiam simili premantur.

IN DISCESSU DANIELIS SCHLEICHERI, FILII LONGE DULCISSIMI.

Descende caelo, & jam mihi lugubres
Regina dicta Calliope modos,
Quibus furentem, eheu, sub imis
Visceribus retegam dolorem.
Dic, diva, carmen, quale per herbidi
Ripas Caystri, candidulum caput
Trajectus immiti sagitta
Voce canit moriente cycnus:
Aut qualia olim conjuge Thracius
Rapta sacerdos dixerat, ad sonum
Quorum & ferae immanes quierunt,
Et rabidi posuere venti.
Ah! unde questus incipiam meos?
Quae prima se vox pectore proferet,
Iterque laxabit querelis?
Nam meus hinc Daniel recedit.
Nunquamne posthac, o juvenum decus,
Quotquot jugales dum citat aureos,
Terramque collustrat jacentem,
Ignivomo videt ore Phoebus,
Nunquamne posthac conspiciam tuos,
Schleichere, vultus? cur igitur moror,
Nec tristis invisaeque vitae
Fila ferox inimica rumpo?
Jam jam valete o gaudia, & o joci.
Et quidquid antehac dulce fuit mihi;
Venite jam fletus perennes,
Perpetuique venite planctus.
Innixa ramis Daulias ut novis,
Cui cautus auceps, furtifica manu

Pullos tenellos involàvit,
Moesta sedet, geminatque questus,
Et se doloris vulnere conficit:
Sic ipse postquam desiero tui
Aspectu amato atque expetito
Posse animum exsatiare vultus,
Eheu, quibus tunc fluctibus opprimar!
Quantas dolorum perpetiar faces!
Quam saepe, te ut spectare possim,
Morte mea cupiam pacisci!
Lenito crebris haec mala litteris,
O nate, saltem, neve animo patrem
Depone, qui, dum vivet, unum
Pectore te retinebit arcto.

AD CLAUDIUM VOESIUM.

Claudi, integello pectore amabilis,
Qui mente solus disjicis a mea
Acerba curarum, benignis
Vocibus, alloquioque dulci;
Non sic timenda est, in Libyae jugis
Quae, matre rupta, vipera nascitur,
Non scorpii cauda minaces,
Non geniti sub aquis chelydri:
Non herba tetro noxia gramine,
Quamcunque tellus Thessalis educat,
Non illa, quam stillante rictu
Spuma canis genuit triformis,
Dira ut latentis tela Calumniae,
Quam Dite tellus sustulit ex patre,
Nefariam, insontesque fictis
Criminibus premere efficacem.
Haec conglobatis suspicionibus
Beli nepotem perdidit, haec malae
Adegit ad potum cicutae
Innocuum sophiae parentem.
Dum Phoebus Indos exoriens novo
Afflabit igni, Beticolas cadens,
Non ulla Thesidae modesti
Saecla pudicitiam tacebunt.

Aggressa blandis hunc sua fraudibus
Noverca pellax, quid, juvenum decus,
Labentis istud ver juventae
Perdis, ait, tenerumque florem?
Cur editorum per juga montium,
Antris latentes persequeris feras?
Tibi absque telis, retibusque
Praeda domi melior parata est.
Accede, neu te poeniteat mei
Fructus pudoris carpere primulos:
Non me ore natura indecoro
Protulit, immeritamve amari.
Quid vana legum vincula te movent?
Natura nullos concubitus vetat,
Sed compedes vanissima istas
Cura hominum sibi fabricata est.
Nil ille motus, desine vocibus
Tentare mentem spurcidicis meam,
O spurca, & in tauros furenti
Progenies genitrice digna.
Haec fatus in tesqua, & nemorum abditos
Abit recessus, gesa manu rotans:
Vadentem odora & vis sagacium
Anteit, & sequitur Laconum.
Quid innocenti sed juveni tamen
Servasse tanto a crimine profuit
Mentem, si apud patrem reversum
Impia plus potuit noverca?
Cujus querelis ille adeo integer
Per vota patris filius occidit,
Cautes & elisо marinas
Imbuit emoriens cerebro.
Nec me venenis non petiit suis
Illa ipsa mendax anguipedum soror,
Mendaciorum procreatrix,
Perpetua & scelerum architecta:
Sed dexter illi me eripuit deus,
Umbone tanquam me triplici tegens:
Cujus memor, nunquam canoris
Versibus hunc celebrare mittam.

AD PETRUM RONSARDUM,

GALLICORUM POETARUM FACILE PRINCIPEM.

Ronsarde, Aonii pectinis arbiter,
Qui princeps resonum sollicitas ebur,
Ventorumque minas, & celeres potens
Lapsus sistere fluminum,
Quando te reducem Vindocino ex agro
Cernemus, veterum turba sodalium?
Quis te, quis niveo vellere conditus
Nobis restituet dies?
Qui desiderio perpete nunc tui,
Heu quae non facimus vota? quibus sacros
Postes muneribus cingere parcimus?
Quas non concipimus preces?
O saltem interea, quidquid agis, memor
Nostri vive: ita te curribus aureis
Rumor per liquidum gemmeus aëra,
Spectandum populis vehat.

AD NICOLAUM DENISOTUM, COMITEM ALSINOUM.

Bacchus poëtas & facit, & fovet,
Bacchus poëtarum ingenia excitat:
Bacchus novem praestat puellis,
Et melior, potiorque Phoebo est.
Ter terna quisquis pocula sumpserit
Dulcis Falerni, sentiet hic sibi
Calere divino furore,
Carmina ad ejicienda, mentem.
Sic laetus olim vixit Anacreon
Cinctus virenti tempora pampino,
Sic Ennius semper madenti
Gutture carmina fundebat.
Algentis at quos potus aquae juvat,
Frigent eorum carmina, nec ferunt
Aetatem Ades, mecumque plenis
Hic cyathis, Nicolae, certa.

Miranda ſeris carmina poſteris
Uterque loto gutture concinet.
O dulce tormentum, o gravatis
Certa quies animis, Lyaee!
Quaenam, imperiti, pocula quaerimus
Vocalis undae? quoà bifidi duplex
Montis cacumen ſomniamus?
Quam petimus, fatui, Hippocrenen?
Haec Hippocrene eſt: unicus hic liquor
Vates ſtupendos efficere evalet.
En, par pari gratus repende:
Hoc ego te cyatho ſaluto.

AD JANUM TILIUM PARAENETICON.

Modus tenellis quis tibi ab unguibus
Vitae tenendus, Jane, ſit, accipe,
Benigna quem Natura finxit
Ingenio puerum ſequaci.
Primum ergo amorem numinis intimo
Serva usque fixum pectore, & illius
Ad juſſa te compone: nulla eſt
Sors nocitura deum colenti.
Fac &, parentes ſis pius in tuos,
Honore & illos promerito colas:
Impune nunquam ſprevit ullus,
A quibus ortus erat, parentes.
Fas & magiſtris, ſint licet aſperi
Nonnunquam, honorem reddere debitum.
Si quando te objurgent, id illos,
Te quod ament, facere arbitrator.
Nam primula aetas innumeris rapi
Affectionum turbinibus ſolet:
Frenari eam quare & magiſtri
Aſſiduo imperio neceſſe eſt.
Nil turpe factu dicere fas puta:
Quae quisque gaudet dicere, eis quoque
Gaudere patrandis putatur.
Indicium ſua cuique lingua eſt.
Diſce, & ſodales quos tibi debeas
Parare: nam omnes conſimiles fere

Eva-

Evadere illis asfolemus,
Queiscum agimus: neque peftilenti
Si quis frequenter vixerit in domo,
Nec fi in malorum coetibus, ut fibi
Contagio nil obfit, unquam
Arte cavere valebit ulla.
Vide ergo, ut illos, Jane, pares tibi,
Queis èsfe te olim eonfimilem voles:
At immodeftos quos videbis,
Et cane pejus, & angue vita.
Laborem amato, dum juvenis viges,
Ut otieris, cum fenium premet:
Laboris ofores nec ulla
Laus fequitur, neque fplendor ullus.
Haec fi fub imo pectore clauferis
Praecepta, Tili, fpes bona nos tenet,
Tuis, fore, ut majoribus te
Perfimilem videamus olim.

M. ANTONII MURETI

POEMATA VARIA,

DUOBUS LIBRIS DISTINCTA.

M. ANTONII MURETI POEMATUM VARIORUM

LIBER PRIMUS.

PSAL. XIV. (al. XV.)

Quisnam, o Rex aeterne, tuam admittetur in aulam,
Cui dabitur montis culmen adire tui:
Perpetua ut tecum compoſtus pace fruatur,
Carpens nota unis gaudia caelitibus?
Qui nulla ingreditur macula ſuffuſus, amatque
Ex animo rectum, juſtitiamque colit:
Cui neque cor fraudes agitat, neque ſubdola lingua eſt:
A quo ſe laeſum dicere nemo poteſt.
Quem fugiunt injuſti, & quo praeſente liqueſcunt:
Quo viſo, juſtis mens animusque redit.
Quem mutare fidem nunquam jactura coëgit:
Foenore qui partas odit & horret opes.
Nullo unquam judex potuit qui munere vinci,
Ut duro inſontes laederet ore reos.
Qui facit haec, is demum in caeli templa receptus,
Tecum una dempto fine beatus erit.

PSAL.

PSAL. XLVI. (al. XLVII.)

O populi, lato quoscunque alit uberè tellus,
Ingeminate alacres plausum, luctuque fugato,
Laeta triumphali resonent, facite, omnia cantu.
Ille etenim regum ter maximus, ille tremendus,
Quem sola terrarum, caeli quem templa verentur,
Subjecit nobis populos, fastuque represso,
Ferre jugum, admota pedibus cervice, coëgit.
Ipsemet elegit clemens patrimonia, nobis
Quae daret, aeterno Isacidae succensus amore.
Euge pater, pater euge, tuum haec sunt omnia munus.
Ascendente Deo, litui sonuere, tubaeque.
Prodidit ipse novis sua gaudia vocibus aether.
Psallite nunc pia corda Deo, nunc psallite regi,
Psallite, qui terras omnes ditione coërcet:
Et mulcete pias doctis concentibus aures.
Imperium sine fine Deus toto obtinet orbe,
Et sancto innixus solio regit omnia solus:
Ductores populorum illius signa sequuntur.
Namque Abrahami alios longe Deus anteit omnes;
Scuta sua extulit ipse alte super ardua terrae.

PSAL. LI. (al. LII.)

Quid gloriaris, perfide, quid tumes?
An ista verum nescia proloqui
Te ceteros supra ferocem
Lingua bonis inimica reddit?
Cura una & unum est id studium tibi.
Noctes diesque hanc, ut potes, asperas
Novaculae in morem: & latentes
Insidias struis huic & illi.
Te laeta damnis improbitas juvat,
Egensque semper pluris iniquitas.
Tu foeda facta & fraudulenta
Usque novis cumulare gaudes.
Queiscunque verbis, o scelerum artifex,
Posse in ruinam praecipites agi
Confidis insontes amicos,
Illa tibi didicisse melli est.

Qui-

Quapropter ultor, ne dubita, Deus
Tandem a merenti ſupplicium exiget:
Radicibusque evulſum ab imis
Sedibus ejiciet tuis te.
At haec videntes, artubus intimis
Juſti intremiſcent: & magis ac magis,
Ne provocent in ſe quoque iram
Numinis, admoniti cavebunt.
Tu riſus illis interea miſer
Jocusque fies. En, ſibi qui Deum
Temnebat adjutorem, & in ſe
Sat ſibi praeſidii putabat!
Quid nunc, quid illum per ſcelera & dolos
Exſtructae in altum divitiae juvant?
In pulverem omnia & favillam
Et tenues abiere fumos.
Ego autem, in uno ſpem mihi qui Deo
Omnem locavi, liber agam metu,
Florens olivae inſtar nitentis,
Quam Domini ſtudium tuetur.
Semperque, regum maxime, te canam:
Nec me ſonoris deficiet tuum,
Plaudente juſtorum corona,
Carminibus celebrare nomen.

PSAL. CXIV. (al. CXVI.)

Summus amor Domini medio mi in pectore fervet,
Namque meas clemens audiit ille preces,
Excepitque meas facili bonus aure querelas.
Illum igitur, fuerit dum mihi vita, colam.
Letiferi haerebam vinctus quaſi fune doloris:
Nec procul a durae limine mortis eram.
Summe Deus, dixi, ſolo te vindice fretum
Eripiat tantis me tua dextra malis.
Ut bonus eſt! ut opem cito rite vocantibus adfert!
Juſtus ut, & nitidae ſimplicitatis amans!
Attritus prope eram, cum me conſurgere juſſit,
Depulit & capiti cuncta pericla meo.
Quid trepidas, anima? Ad ſolitam te verte quietem,
Plurima ſupremi munera regis habes.

Ille a morte animam hanc, a triſti lumina fletu,
A lapſu infirmos eripuitque pedes.
Vivam igitur poſthac illo duce & auſpice tutus:
Et mea ſemper erit cura placere Deo.

HYMNI SACRI.

SERENISSIMO PRINCIPI,

GUILIELMO GONZAGAE,

DUCI MANTUAE, MONTISFERRATI, ETC.

Magne Ducum, faetam populis cui fortibus urbem
Pulcher odorifero Mincius amne lavat:
Sume datis a te ſcriptos mihi legibus hymnos,
Neve parum culti deſpice vatis opus.
Illi etiam, quorum hic meriti celebrantur honores,
Lucida quos conſtans vexit ad aſtra fides,
Non indignantur parvo ſibi thure litari:
Atque animum magni muneris inſtar habent.
Forſitan his olim juvenis meliora dediſſem,
Et mulcere aures dulcius apta tuas:
Sed veniens etiam ingenio eſt damnoſa ſenectus,
Nec tantum vires corporis imminuit.
Cum mihi turgerent meliori ſanguine venae,
Nec curarum animum pondera deprimerent:
Sponte ſua numeris carmen mihi mollibus ibat,
Et ſubito verſus fundere ludus erat.
Nunc & corpus hebet ſenio, & mens ipſa pigreſcit,
Quodque habuit ludo, nunc onus eſſe putat.
Dulce onus hoc tamen eſt, quod te mandante ſubitur,
Et leviora facit juſſa jubentis amor.
Atque utinam haec roſeo legat & Vincentius ore,
Phoebi & Muſarum maxima cura, puer:
Qui floreſcenti paullatim attollitur aevo,
Ut ſata ſe ad fluvii ſubjicit alnus aquas.

Ft

Felix, cui tenèrit Helicon luſtratur ab annis,
Et bibitur volucris fons pede factus equi!
Quem jam ipſa Uranie blandis complexa lacertis,
Stellatas ſuperùm vexit ad usqe domos,
Oſtenditque aſtrorum ignes, caelique meatus,
Queisque ſuos peragant legibus illa choros.
Quis ſcit, an & caelo dum ſingula deſpicit, inter
Cetera majores viderit aſtra ſuos:
Et quos purpureo contexit Roma galero:
Et qui regali ſceptra tulere manu?
Fortunate puer, magnum patris incrementum,
Cui Lacheſis net plena aurea fila colo,
Vive diu, utque dati poſcit tibi nominis omen,
Tende atavos omni vincere laude tuos.
Neu grave ſit, dum dona tibi graviora parantur,
Interea partem carminis eſſe mei.

IN ADVENTU.

Verbum, quo omnipotens condidit omnia,
Summi praevalidum conſilii Angelum,
Vatum plena Deo pectora dixerant,
Venturum, ut fieret caro;
Primi quo maculam dilueret patris,
Serpentisque vafri contereret capat:
Praecluſamque homini morte recluderet
In caelum propria viam.
Ergo turba patrum, carcere liberos
Qui longo per eum ſe fore viderant,
Caelum ſuſpiciens, luctiſonis dabat
Carmen lugubre vocibus:
O qui pollicitis applicitos tuis,
Quamvis cuncta potes, fallere non potes,
Longas tolle moras, & cito, quem tibi
Certum eſt mittere, mittito.
Simplex aetherii numinis Unitas,
Quae diſtincta eadem eſt veraque Trinitas,
Aeternis vigeat ſemper honoribus,
Et terra ſimul & polo.

IN DIE S. BARBARAE.

Qualis, nulla polum nubila cum tegunt,
Inter clara nitet ſidera Phoſphorus:
Talis martyrio conſpicuas micat
Inter Barbara virgines.
Cui ſolus teneris Chriſtus ab unguibus
Uſit cor nitidum perpetua face,
Cui deſiderium, cui fuit unicus
Spretis Chriſtus amor procis:
Quamvis imperio barbarus aſpero
Terreret genitor; quem furor, & male
Perduxit rabies, ut gladio caput
Natae demeteret ſuae.
Vinclis illa quidem libera corporis,
Felix ad ſuperos protinus evolat:
Sed Chriſtus ſceleratum in Stygias patrem
Sedes fulmine dejicit.
Simplex &c.

AD LAUDES.

Sanctae triumphum virginis
Laeti canamus Barbarae,
Palmaeque honorem duplicis,
Quam virgo martyr obtinet.
Non ſtirpis illam regiae
Splendor ſuperbam reddidit,
Quin ſe a tenellis unguibus
Chriſto regendam traderet.
Inſanus infremit pater,
Omnesque poenas admovet,
Tandemque ſacrum filiae
Caput cruentus amputat.
At virgo caſti corporis
Soluta vinclis emicat,
Volatque ſtipata Angelis
Ad expetitum conjugem.
Aeterne cunctorum Pater,
Aeterne Fili, par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Soli tibi ſit gloria.

IN NATALI DOMINI.

O nox vel medio ſplendidior die,
Cujus per tenebras virginis integrae
Ex alvo nitida Sol novus emicat,
Complens omnia lumine.
Aeterno imperio qui regit omnia,
Humanumque Deo conciliat genus,
Is nunc ſub tugurî vilis operculo
Naſcens, pauperiem docet.
Paſtores ovium, dum gregibus ſuis
Intenti vigiles excubias agunt,
Primi hunc angelico carmine nuncium
Laetis auribus hauriunt.
Grata eſt haud dubie ſimplicitas Deo,
Grata eſt vita, dolis quae procul omnibus
Rectum ſponte ſua perpetuo colit,
Et priſcam retinet fidem.
Simplex &c.

IN DIE S. STEPHANI.

Levitae juvenis fortia pectora
Ornari ſolitis tempus honoribus,
Primus martyrii qui ſibi lauream
Vitae prodigus induit.
Tundebat lapidum, grandinis in modum,
Denſo turba fremens imbre ſacrum caput:
Nunquam mota ſuo ſed tamen eſt loco
Mens ſancto ebria Spiritu:
Sed ſeſe in mediis ictibus erigens,
Ad caelum penetrans, en, ait, en eum,
Pro quo dulce mori eſt, jam video patris
Ad dextram poſitum Dei.
At tu, Chriſte, ſinu ſuſcipe me tuo,
Atque his, qui tenebris turpibus obruti,
Quo ſeſe impediant crimine, non vident,
Quaeſo te, veniam dato.
Simplex &c.

IN DIE S. JOHANNIS EUANGELISTAE.

Christo prae reliquis carus Apostolis,
Qui supra Domini pectus in ultimis
Discumbens epulis composuit caput,
Festa luce canendus est.
Felix, cui Dominus jam rigida in cruce
Pendens, jamque neci proximus, & Patri
Sanctam sancto animam tradere cogitans,
Matrem credìderit suam!
Felix, qui se aquilae more super polos
Tollens, & nitida in luce Deum videns,
Divino eloquit flumine filium
Aequalem docuit Patri!
Felix, quì senio jam gravis, & sacra
Multa canitie tempora consitus,
Ut si membra levis corriperet sopor,
In Christi redìit sinum!
Simplex &c.

IN DIE SS. INNOCENTIUM.

Cantemus tenerorum agmina Martyrum,
Quos regis rabies abstulit impii,
Cunas innocuo sanguine proluens,
Christum perdere dum furit.
O nullis feritas cognita saeculis,
Materno pueros e gremio rapi,
Perfossa ut rutilis corda mucronibus
Lac cum sanguine funderent.
Heu quis, cum solito raptus ab ubere,
Districtumque pavens ad gladium puer,
Blandas carnifici porrigeret manus,
Siccis adspiceret genis?
Augent angelicos nunc pueri choros,
Et Christum liquido gutture concinunt:
Herodem meritis debita talibus
Poena in perpetuum premit.
Simplex &c.

IN FESTO S. SYLVESTRI.

Priscos, Roma, duces desine laudibus
Efferre immodicis, qui valido manu
Fines imperii protulerunt tui,
Quacunque Oceanus patet.
His solus tibi plus contulit omnibus
Sanctorum eximium Pontificum decus,
Sylvester, dominam qui prius urbium
Christi suppositit jugo.
Multo te ille prius sanguine Martyrum
Respersam docuit parcere caedibus,
Et quos mille modis saeva peremeras,
Illorum monitus sequi.
Romam idem precibus nunc quoque, caelitum
Adscriptus numero, perpetuis juvet,
Et, tanti ossa suo quae gremio viri
Servat condita, Mantuam.
Simplex &c.

IN DIE CIRCUMCISIONIS.

Circumciso agitur lux Domino sacra,
Quae jam, si Dominum rite licet sequi,
Impura e tumidis omnia nos monet
Circumcidere cordibus.
Umbra Euangelii lex fuerat vetus.
Sed Sol exoriens ut tenebras fugat:
Sic Sol justitiae legitimis suum
Finem ritibus attulit.
Nobis corporeo nil gladio est opus:
Sermo quippe Dei vivus & efficax,
Sese instar gladii mentibus inferens,
Ad vivum omnia persecat.
Quae semper vitii germina pullulant,
E nostris utinam cordibus amputet!
Anni principium sit simul ut novi
Vitae principium novae.
Simplex &c.

IN DIE EPIPHANIAE.

Quae vos causſa, Magi, dicite, perpulit
E veſtris iter huc carpere finibus?
Quem tanto ſtudio quaeritis anxii?
Quove haec munera pertinent?
Nos ſtella inſoliti luminis huc trahit,
Et dux certa viam perpetuo praeit,
Judaeae populis quae cupientibus
Regem ſignificat datum.
Auri iſthaec ſed enim quid ſibi pondera,
Myrrhae mirificus quid ſibi vult odor?
Aut quae, cum populus ſacra Deo facit,
Aris thura ſolent dari?
Rex auro colitur: thura Deum decent:
Noſtri myrrha homines poſt obitum linunt.
Huic ergo haec pariter munera congruunt,
Qui & Rex eſt, & Homo, & Deus.
Simplex &c.

A SEPTUAGESIMA AD CINERES.

Eheu quam ſcelerum non tolerabilis
Nos urget miſeros ſarcina, quae Dei
Noſtris principio mentibus inditam
Obſcuravit imaginem.
Si nos pro meritis accipiat Deus,
Cauſſae nil fuerit, quo minus agmine
In triſtes tenebris perpetuis domos
Uno praecipites agat.
Sed ſemper facilis flecti in eos fuit,
Quos culpae ex animo poenituit ſuae.
Nunquam horum lacrumis & gemitu tulit
Se fruſtra veniam peti.
Hac ſpe, quam ipſe dedit, poſtimus ut gravi
Preſſos exoneret pondere, neve ſe
In noſtro rigidum crimine judicem,
Sed mitem exhibeat patrem.
Simplex &c.

A DIE

A DIE CINERUM.

Multis tenſa epulis viſcera dum tument,
Mens oppreſſa nihil cogitat arduum,
Et more indomiti luxurians equi
Pugnat ſpiritui caro.
Sed ſubtracto eadem comprimitur cibo,
Et ſe ſpiritui morigeram exhibet:
Qui cum nulla gravant pondera ſordium,
In caelum celer evolat.
Primus corporeo legiſer a cibo
Bis binos decies abſtinuit dies:
Quem Chriſtus numerum nos itidem ſequi
Exemplo docuit ſuo.
Sed fruſtra vetitis os tenet a cibis,
Qui factis animum turpibus inquinat.
Jejuno aſſiduae conveniunt preces,
Cumque his munificae manus.
Simplex &c.

IN DOMINICA PASSIONIS.

Aequaeva ingenito progenies Patri,
Vitam morte ſuis redderet ut ſua,
Se Chriſtus nivei velleris hoſtiam
Ultro ſupplicio obtulit.
O erga immeritos mirus amor Dei!
Natum, quae pietas, tradidit unicum,
Ut pro mortifera fraude nocentium
Poenas ſolveret innocens.
O non viſum alias ſacrifici genus,
In quo aeterna Deo ſacra facit Deus,
Et mortem moriens opprimit, & ſibi
Ipſe eſt victima Pontifex.
O crux tincta ſacri flumine ſanguinis,
Olim ſupplicium mancipiis grave,
Nunc Regum capiti praecipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Simplex &c.

IN DOMINICA IN RAMIS PALMARUM.

Regem pacificum, moenia dum subit
Urbis celsa suae, turba manu ferens
Palmarum gravidos obvia termites,
Faustis vocibus excipit.
Hic laetas spoliat frondibus arbores;
Hic serta ante pedes florea projicit;
Supplex ille manus porrigit; hic suis
Terram vestibus obtegit.
Heu mentes hominum! Quis fore crederet,
Quem tantis studiis exciperet frequens,
Post paucos ut eum turba eadem dies
Suffixum adspiceret cruci?
Nil in vita homini perpetuum datur.
Rebus ne nimium fidite prosperis.
Plerumque hic lacrumis gaudia temperat
Certo consilio Deus,
Simplex &c.

IN DIE PASCHAE.

Ponatur lacrumis jam modus, & novis
Templorum resonent atria canticis.
In vitam reduci nam Domino sacer
Poscit laetitiam dies.
Lux post Christi obitum tertia venerat,
Cum spes sancta, moraeque impatiens amor
Matronas parili nomine nobiles
Visendum ad tumulum vocat.
Tum motum lapidem, tum lapidi videns
Innixum niveis vestibus Angelum:
Qui, quo sollicitis eximeret metum,
Pauca & certa locutus est.
Non hoc amplius est, quem petitis, loco,
In vitam rediit Christus ab inferis.
Ite, & discipulis haec eadem date
Summi nuncia gaudii.
Simplex &c.

IN DIE ANNUNCIATIONIS B. VIRGINIS.

Ad te fidereis missus ab arcibus
Cum venit Gabriel, virgo, renuncians,
Te summo ante alias complacitam patri,
Mox matrem Domini fore:
Turbata tibi nunc purpureus genas
Sparsit mente pudor, nescia quod viri,
Casto, sponsa licet, pectore virginem
Semper te fore voveras.
Verum idem subito nuncius addidit:
Istos pone metus. nam tibi jam datum est,
Ut virgo maneas, & tua compleat
Sanctus viscera Spiritus.
Tunc ore ex roseo vox tibi prodiit;
Testis mirificae certa modestiae:
Ecce ancilla Deo subdita, nil moror:
Fiat, quod Dominus jubet.
Simplex &c.

IN FESTIVITATIBUS S. CRUCIS.

Gentes, nulla quibus notitia est Dei,
Armis, imperio, prole superbiant:
Nobis, queis melior Spiritus obtigit,
Sola est in Cruce gloria.
Lignum prima homini pernicies fuit,
Cum primus vetitam contigit arborem
Captus femineis illecebris parens,
Quo se perdidit ac suos.
Sed post, lignum homini certa salus fuit,
Cum scandens patulam Christus in arborem.
(Aeternus fieri sic voluit parens)
Vitae restituit suos.
Crux hostes hominum sola procul fugat;
Crux sola insidiis munit ab omnibus:
Adversa intrepidus despiciat, licet,
Cujus spes Cruce nititur.
Simplex &c.

IN DIE ASCENSIONIS.

Victae in perpetuum mortis & inferûm
Insignis spoliis, luce nitens nova,
Primusque insolitum Christus iter secans,
Arces in patrias redit.
Natus nasci iterum nos quoque dum cupit,
Mundo, mortuus est, nos cupiens mori,
Surgens & repetens aethera, nos quoque
Ut possimus idem, dedit.
Christo nunc igitur vivere nos decet,
Ut Christo pariter detur inemori.
Surgentes eadem nos quoque gloria
Puro lumine vestiet.
O per qui te, hominum conditor, ingredi
Castae adduxit amor viscera Virginis,
Nos dignare, tuis artubus insitos,
Voti reddere compotes.
Simplex &c.

IN DIE PENTECOSTES.

Lustra nostra tua pectora lampade,
Qui quondam, altisono Spiritus a Patre
Lustrasti unanimes missus Apostolos,
Linguis dititus igneis.
Confirma dubios, dirige devios.
Consolare tui muneris indigos,
Letalique animos frigore torpidos
Sanctis ignibus excita.
Mens doctrinam avide nostra bibat tuam,
Perstetque assidue tota Deo calens,
Et, spem firmam in eo constituens sibi,
Terram pro nihilo putet.
O rerum alme sator, certe homines sumus,
Quanquam indigna, tuae plasmata dexterae,
Ne fer, quos tua vis ex nihilo extulit,
Aeterno exitio obrui.
Simplex &c.

IN DIE SS. TRINITATIS.

O nullis hominum pervia ſenſibus,
Naturae penitus ſola capax tuae,
Cujus condita ſunt omnia numine,
Aeterna & monas & trias.
Nato aequaeve Pater, Nateque par Patri,
Et manans ab utroque inclyte Spiritus,
Circumfuſa tuo nubila lumine
Noſtro diſcute pectori.
Da, mens per ſpeculum cernere te queat
Noſtra, & poſthabitis te petat omnibus,
E juſſisque tuis pendeat, & tibi
Soli dedita ſerviat.
Tu clemens miſeris da veniam, Pater.
Tu, Fili, miſeris ſterne iter ad Patrem.
Tu ſanctum miſeris Pneuma vagantibus
Praefer conſpicuam facem.
Simplex &c.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Caeleſtes epulae, certa piis ſalus,
Quas apponit amor, pura capit fides,
In queis ipſe cibi perpetui loco
Caenae ſe Pater exhibet.
Hic verbum Domini fallere neſcii
Caecis judicium ſenſibus abrogat;
Quod non eſt, oculi cernere ſe putant,
Nec, praeſens quod adeſt, vident.
Sub panis ſpecie viva latet caro,
Sub vini ſpecie ſanguis: & utraque,
Seu tantum ſpecies ſumitur altera,
Chriſtus ſumitur integer.
Felix, qui Dominum ſedulus hoſpitem
Abſterſis animi ſordibus, excipit!
Qui contra facere id negligit, ah miſer,
Ipſe eſt exitio ſibi.
Simplex &c.

IN NATIVITATE S. JOHANNIS BAPTISTAE.

Sanctorum soboles sera parentium,
Solis perpetui prodrome, Lucifer,
Qui nascens hilaras omnia; dum tuum
Natalem colimus, fave.
Nondum natus eras, cum dominum tamen
Nondum castae utero virginis editum
Agnosti exiliens, & quatiens novo
Matris viscera gaudio.
Mox & magnanimus tesqua petis puer,
Et victu populos horridus admones,
Factis abstineant turpibus, & viam
Adventante parent Deo.
O cui voce sua maximus arbiter
Laudem supra homines egregiam dedit,
E caelo assiduis, quaesumus, adjuva
Cultores precibus tuos.
Simplex &c.

IN DIE TRANSFIGURATIONIS.

Quam crebro dederat discipulis fidem,
Confirmare modis dum studet omnibus,
Tres secum comites montis in ardui
Adsumpsit Dominus jugum.
Illic frons radiis cincta micantibus
Solaris nituit lampadis in modum:
Tum, qua tectus erat, protinus est nivi
Vestis reddita concolor.
Cum Christo gemini visi etiam senes,
Et jussa ad populum cui dederat Deus,
Et qui sidereas visus erat domos
Quadrigis petere igneis.
E nubis nitidae quin etiam sinu
Haec dicta omnipotens intonuit Pater:
Hic est, quem eximie diligo, Filius,
Hujus jussa capessite.
Simplex &c.

IN DIE S. LAURENTII.

Laurenti canimus nobile praelium,
Qui cum viſceribus flammam aleret ſuis,
Et cratem roſeo ſanguine ſpargeret,
Subjectis ruber ignibus:
Conſtanter Domini perſtitit in fide,
Ambuſtumque latus carnifici exhibens,
En, iſtam rabiem quo magis expleas,
Hoc jam coctum, ait, eſt; vora.
Tanto corporeis ignibus acrior
Chriſti ardebat amor pectore in intimo:
Sic mens tota Dei fervida ſpiritu
Senſum corporis hauſerat.
Nunc nobis ſolito more rogandus eſt,
Iratum ut merito conciliet Deum:
Et quos mirifici roboris inſtruit
Exemplo, precibus juvet.
Simplex &c.

IN DIE ASSUMPTIONIS B. MARIAE.

Regnator ſuperûm quo nitidam die
Matrem ſidereis arcibus intulit,
Et ſupra angelicos conſpicuam choros
Stellanti ſtatuit throno:
Quae caelo fuerint jubila, qui ſonus,
Quae ſanctis animis gaudia, non modo
Humanis nequeat vocibus exprimi,
Sed nec pectore concipi.
Illa eſt arca novi conſcia foederis,
Concluſus, Domini deliciae, hortulus,
Raſtro intactus ager, ſidere pulcrior
Et ſponſa & genitrix Dei.
Felix, quisquis eam ſuppliciter colit,
Rebusque in dubiis ſedulus invocat!
Nunquam, hoc qui ſtatuit praeſidium ſibi,
Spe luſus doluit ſua.
Simplex &c.

IN

IN FESTO SANCTI HADRIANI.

Christi in militiam nomina ne darent,
Multos impediit supplicii metus:
Multos qui dederant, vis cruciatuum
Illam deserere impulit.
Non sic ille, hodie quem colimus, fuit,
Qui nomen tumido duxit ab Hadria:
Quin constantem animum Christicolûm videns
Horum se ad numerum appulit.
Prudenter reputans, non sine numine
Tales cuncta viros aspera perpeti,
Nec se illos temere sponte sua ratus
Poenis objicere omnibus.
Ergo his se agglometans, credidit: & simul
Index ipse sui, supplicium appetens,
Quae mente imbiberat, mox eadem suo
Sanxit dogmata sanguine.
Simplex &c.

IN DIE S. MICHAELIS.

Caelestis canimus militiae ducem,
Qui perjura bonus dissipat agmina,
Et dejecta locis non sibi debitis
Sedes trudit ad inferas.
Horrendo imbiberat pectore septiceps
Bis quinisque ferox bellua cornibus,
Intactae sobolem Virginis unicam
Saevis mandere dentibus.
Aeterni imperio sed Michaël Patris
Conatus Satanae reddidit irritos:
Et monstrum innumeris fraudibus obsitum
Victor stravit humi potens.
Idem deposito pondere corporis
Exsortes animas criminis excipit,
In caelumque alacres tollit, & in loco
Lucis perpetuae locat.
Simplex &c.

COMMUNE B. VIRGINIS.

O Solis nitido lumine pulcrior
Virgo, conſtituit quam Deus unicam
Expertem maculis omnibus, ut foret
Nato digna parens ſuo;
Te quondam Gedeon vellere in uvido,
Intactaque novis imbribus area;
Te cinctò innocuis Legiſer ignibus
Agnorat prius in rubo.
Rebus principium qui dedit omnibus,
A te, dum ſe hominum cauſſa hominem facit,
Sumpſit principium, quique alit omnia,
Paſtus lacte tuo eſt puer.
Per te, quod mulier perdiderat vetus,
Humano generi redditur auctius.
Tu clauſas miſeris, heu nimium diu,
Caeli prima aperis fores.
Simplex &c.

COMMUNE ANGELORUM.

Mentes beatae, lumine
Quas ambit aeterno Pater;
Sacroque luſtrans Spiritu,
In ſe intuentes perficit:
O queis ſupremus omnium
Primis Creator inſidet:
Quos luce complet aurea
Amoris ac ſcientiae:
O qui potentis dexterae
Virtute cuncta vincitis,
Dei regentis omnia
Fortiſſimi ſatellites:
O ter beati principes
Archangelique & Angeli,
Nos rite vobis ſupplices
Hinc in ſuperna tollite.
Aeterne cunctorum &c. ut ſupra Carm. 8.

COMMUNE UNIUS CONFESSORIS PONTIFICIS.

Pastor beate, qui tuae
Concreditum curae gregem
Saevis luporum faucibus
Patere nunquam passus es:
Tu laeta dux ad pascua,
Fontes recludens limpidos,
Oves videbas florido
Semper nitentes vellere.
Quodsi quae forsan tabido
Languere morbo coeperat,
Salubria, ut mitis pater,
Illi admovebas pharmaca.
Cujus laboris nunc tui
Digna asecutus praemia,
Favore, nam potes, tuo,
Qui te precantur, adjuva.
Aeterne cunctorum &c.

COMMUNE UNIUS VIRGINIS.

O Virgo, pectus cui sacrum,
Amoris expers improbi,
Divini amoris lampade
Sanctus perusit Spiritus.
Non te voluptas dulcibus
Fallax venenis molliit,
Solas amantem persequi
Caelestis agni nuptias.
Sic ille natus Virgine
Suo decore ceperat,
Amore ut ardens illius
Mundana cuncta temneres.
Beata, cui caelestibus
Templis receptae nunc licet
Inter canentes Angelos
Tuis potiri amoribus!
Aeterne cunctorum &c.

IN FESTO S. AMBROSII.

Qualis periclitantibus,
Totoque jactatis mari,
Tranquillitatis nuncia
Se ſtella nautis objicit:
Talem, procellis Arii
Eccleſiam turbantibus,
Qui lumen orbi redderet,
Elegit Ambroſium Deus.
Nondum renatus flumine,
Sed jam renatus flamine,
Concordibus ſuffragiis
Epiſcopus delectus eſt:
Ut ex miniſtro Caeſaris
Miniſter effectus Dei,
Humana linquens ceteris,
Divina jura panderet.
Non alligatur tempore
Divina certo gratia:
Sed dum libet, quidquid libet
Puncto vel uno perficit.
Hunc ipſe Caeſar horruit,
Contra nec auſus hiſcere eſt,
Caedes ob admiſſas ſacrae
Excluſus aedis limine.
Magnam ſuis fiduciam
Benignus inſpirat Deus;
Semperque paſtoris boni
Multum poteſt auctoritas.
Salve, bonorum maxima
Epiſcoporum gloria:
Plebemque devotam tibi
Caelo receptus adjuva.
Aeterne cunctorum &c.

AD BEATISSIMAM VIRGINEM, DEI MATREM, QUAE RELIGIOSISSIME COLITUR IN AEDE LAURETANA.

Unde mihi insolitus praecordia concutit horror,
Et perfusa metu trepidat, velut icta Deo, mens?
Fallor: an hoc facit ipse locus, stimulosque paventi
Subjicit, atque animum praesentia numinis urget?
O caelo dilecta domus, pastesque beati,
Quos ego jam pridem tota mihi mente cupitos,
Nunc primum, veteris voti reus, advena viso,
Salvete, adspectique mihi feliciter este!
Vosne per aetherias Judaeae a finibus oras
Aligerum, mandante Deo, vexere manipli?
Hic Virgo genitura Deum, genitricis ab alvo
Prodiit, & blandis mulsit vagitibus auras:
Hic quoque, virginei servata laude pudoris,
Sancta salutifero tumuerunt viscera foetu?
Ille opifex cunctorum, illa aeterna unica proles,
Aequa Patri, ille homini primaeva ab origine lapso
Spem caelo vitamque ferens, hac lusit in aula
Parvulus, & sanctae blanda obtulit oscula matri?
Quaenam igitur regum sedes, quae templa per orbem,
Huic se ausint conferre loco? ter & amplius omnes
Ante alias felix Piceni littoris ora:
Cui Solymos spectare domi, cui munere divum.
Fas calcare domi est pedibus vestigia Christi.
En ego jam supplex procumbam, atque oscula figam
Parietibus sanctis, spargamque hoc pulvere crines.
Adspice me superis e sedibus, adspice, Virgo,
Prostratum, atque imo gemitus ex corde cientem,
Et pectus tundentem, & fletibus ora rigantem:
Neu, quanquam culpis adopertum turpibus, arce
Adspectu me, Diva, tuo: si pectore toto
Te veneror, si te, dubiis in rebus, ad unam
Confugio, teque auxilium, sanctissima, posco.
Poenitet ex animo vitae me, Diva, prioris,
Poenitet, & meritas horret mens conscia poenas.
Quod nisi tu casto pendentem ex ubere natum
Concilias, placasque mihi, quo tendere cursum,

Quo

Quove malis fessam tentabo advertere puppim?
At tu, namque soles, placida dignare querelas
Aure meas, & ades lapsis, mitissima, rebus.
Certe equidem tota pendentes aede tabellas
Adspicio, quae te miseris praesto esse loquuntur.
Hic, te animo spectans, torrentem viscera febrim
Depulit: ille hyadas tristes, hoedumque cadentem
Spectavit tutus, vertentibus aequora ventis,
Et duce te patrias enavit salvus ad oras;
Criminis ille reus falsi, sub judice duro,
Dum mortem exspectat, tenebroso carcere clausus,
Munere, Diva, tuo detecta fraude, revisit
Uxorem & natos, exoptatumque parentem.
O ego nunc morbis multo gravioribus aeger,
Naufragiumque timens longe exitiosius illo,
Et jam pridem animum peccati compede vinctus,
Si possim morbis liber, vinclisque solutus,
Fluctibus & ventis laceram subducere puppim:
Quas tibi laetus agam grates, dum vita manebit!
Te, cum luce nova sparget Sol aureus orbem,
Te recinam, quoties abscondet opaca polum nox;
Et tua praecipuo venerabor numina cultu.

IN D. BARBARAM.

Barbara, qui laudes speret se aequare canendo
Posse tuas, idem pulsantes littora fluctus,
Et Libycas numero comprendere tentet arenas.
Te pater insanus turri concluserat alta:
Sed veram Danaen verus te Jupiter illuc
Despondit sibi Christus, & arcto foedere junxit.
Illo & tu triplices fieri inspirante fenestras
Mandasti, & niveo sculpsisti in marmore signum,
Quo reparata salus, &, deficiente ministro,
Ipsa tuos mersisti undis lustralibus artus.
Quid memorem, ut tibi mons fugienti cesserit, aut quae
Ceperit indicii vesanus praemia pastor?
Qui dum miratur pecudes in marmora versas,
Ipse suum pariter sensit lapidescere corpus.
Non tu carnifices, non tu tormenta timebas,
Non gladios, animosa & Christo plena virago;
Qui te ad caelestem meritis pro talibus aulam

Evexit, regnique libens in parte locavit.
At tu, Diva, graves hominum miserata labores,
Pacem illis, veniamque ora, & nocitura repelle.
Praecipue antiquo prognatum ex sanguine regum
Gonzagam, felix quo se duce Mantua jactat,
Qui virides Minci ad ripas tibi, Diva, sacravit
Templum augustum ingens, cura quod & ipse tuetur
Pervigili, & flammam late spargentibus aris
Saepe manu propria meritos imponit honores.
Hunc tu, Diva, tuo protectum numine sancto
Conserva, populumque simul, qui sacra, secutus
Principis exemplum, puro tua corde frequentat.

DE S. ANDREA APOSTOLO.

Dic mihi, Musa, virum, Geticas qui primus in urb
Intulit aeternae fulgentia signa salutis:
Mox se regna ferens alacris per Achaica victor,
Dum parat usque novos antiquo ex hoste triumphos,
Sacravit veteres generoso sanguine patres.
Tu modo, tot saevis quo tempestatibus actae
Se tamen, ut possunt, solantur praesule Senae,
Huc adhibe, Franciſce, animum, mecumque revolve
Egregii Andreae laudes, dignataque caelo
Facta libens. Aram tu illi statuamque dicasti,
Quae Vaticana insignis spectatur in aede:
Nos dabimus vena ductos e paupere versus.
Quod poterit, det quisque: est & sua gratia parvis.
Sustulerat caelo victor se Christus, opimis
Insignis spoliis princeps, Acheronte recluso,
Clara triumphatae referens insignia mortis:
Lustraratque suos sancta cum matre sodales
Munere linguarum & promissi flaminis aura.
Conveniunt paucis post illa expleta diebus
Magnanimi heroës, Petro indicente senatum.
Tum, monstrante Deo, quae sit provincia cuique
Demandanda, agitant, sacri quam semine verbi
Conferat, atque viam populis praepandat Olympo:
Et sparso intrepidus tesletur sanguine Christum.
Ergo alias alii: Thraciam, Illyricumque, Getasque,
Perpetuis nivibus glacieque informia regna,
Suscipit Andreas; quanquam illi plurima frontem

Rugæ

Ruga arat, & feros canum caput indicat annos.
Sed ſtimulat, viresque ſuas amor ipſe miniſtrat.
Vade, ait, & lacrymis vultum illiusque ſuumque
Irrorat Petrus, vade, o cariſſime, qui me
Duxiſti ad Chriſtum primus, germane, meique
Vive memor, memor usque tui vivam ipſe viciſſim.
Qui tibi cauſſa viae eſt, idem tua coepta ſecundet.
Ingeminant eadem haec alii, fletuque madentes
Amplexi inter ſe, felicia cuncta precantur.
Ii ſenior, Chriſtumque unum, quacunque gradum fert,
Praedicat: hunc unum cunctis in vota vocandum,
Exitio mentita ſuis cultoribus eſſe
Numina: ab uno hominum Chriſto pendere ſalutem.
Irrident alii, motaque haec mente putantes
Delirare ſenem, ſputo ſaxisque ſequuntur;
Sunt etiam, qui vincla parent, poenasque minentur
Turbanti veterum cultus & ſacra Deorum:
Sunt tamen &, quorum tetigit praecordia Chriſtus,
Qui veterum foeda errorum caligine pulſa,
Attentas monitis praebent caeleſtibus aures.
Ille fidei primum, ſine qua nil cetera proſunt,
Summa docet capita, & ſancto connectit amore.
Tum juſſos ſperare, ſalubribus abluit undis,
Imponitque manus, & ſancto flamine firmat.
Accedunt extemplo alii, & ſocia agmina jungunt.
Sic quondam latis Cerealia ſemina campis
Cum ſpargit, plenaque manu diffundit arator,
Pars cadit in cautes ſuccoque carentia ſaxa;
Pars leviter terrae nullis radicibus haeret,
Atque illam volucres roſtris populantur acutis,
Pars etiam in ſulcos, atque ipſa in viſcera ſertur
Telluris, gremioque illic concepta tenaci
Fruge nova dominos opulentat, & horrea complet.
Odryſios tandem in fines, adoperta pruinis
Arva, bipennifero quondam regnata Lycurgo,
Pervenit, & torvae puriſſima pectora gentis
Inſoliti tamen eloquii dulcedine mulcet.
Conveniunt flavique Getae, pictique Geloni,
Quosque impoſta vagis agitat domus annua plauſtris,
Cornipedisque ſui ſolitus potare cruorem
Sarmata, quasque alias ſinuoſa binominis Iſtri
Ripa vehit gentes, rigidis corda obſita ſetis,

Paullatimque truces animos, eduraque ponunt
Corda volente Deo, & moniti meliora capesſunt.
Editus his ipſis olim regionibus Orpheus
Creditus eſt cantu liquido, fidibusque ſonoris
Et rabiem demſiſſe feris, &, ſiſtere juſſis
Fluminibus, ſilvas poſt ſe traxiſſe ſequentes.
Verior hic Orpheus; homines qui, vivere rapto
Aſſuetos ſolisque ſibi jus ponere in armis,
Quosdam etiam caeſis, feritas horrenda relatu,
Hoſpitibus veſci, & ſectos in grandia fruſta
Aut torrere veru, aut mollire tepentibus undis,
Taliaque obſcoenis imponere ſercula menſis,
Impulerit ſando ritus abolere nefandos,
Et prius efferâ colla jugo ſubmittere Chriſti.
Jamque Boryſthenios fluctus nitidumque Dyraſpen,
Quique Europaeis Aſiam diſterminat arvis,
Multifidum Tanain, teque, o ſaxoſe Cynapos,
Quaeque alia ex alta ſpectat piger arce Bootes,
Plurima nunc ratibus, nunc pervia flumina plauſtris,
Illa ſacrum Chriſti pervaſerat omnia nomen:
Unum omnes Chriſtum ripae, unumque antra ſonabant.
Cum ſenior, ſat jam his, inquit, regionibus actum.
Perficiet, quod deeſt, qui perficit omnia, Chriſtus.
Quaeramus nova regna, odit victoria ſegnes.
Subſtitit haec fatus paullum; dein lumina caelo
Attollens, ſequor, ecce, ſequor, quocunque vocaris:
Tu modo praeſenti mentem mihi numine firma.
Sic fatur, greſſumque ad Achaica dirigit arva,
Multa movens animo, ſanctus comitatur euntem
Spiritus, & robur ſeſſis ſenio artubus addit.

Reliqua deſiderantur.

Mente Deum pura quisquis veneratur amatque,
Vis illi exterior nulla nocere poteſt.
Non ſi illum obſideant hoſtiles undique turmae,
Quas ſitis innocui ſanguinis exagitet:
Non toto coëat ſi quidquid in orbe ferarum eſt,
Et quot in Oceani gurgite monſtra natant.
Ille, licet triſtes agitent maria alta procellae,
Undarum in medio vertice tutus erit.

Ille interque feras atque agmina saeva latronum,
Noctu etiam in medio tutus erit nemore.
Non quaecunque truces adhibent tormenta tyranni,
Illius unquam animum terrificare queant.
Pix, rota, robur, equus, candentis lamina ferri,
Omnia pro Christi nomine ludus erunt.
Felices, quorum ille imis amor ossibus haesit!
Quanta illos obita praemia morte manent!
O si me quondam numero Deus aggreget illi!
Quae tunc sors melior sorte futura mea est?
Ah Christe, ure meum tandem face pectus amica,
Eque pigro invisum discute corde gelu!
Ut nec avarus opes sector, neque vanus honores,
Sed flagrem solo totus amore tui.

AD GREGORIUM XIII.

PONT. MAX.

Qui tibi ab Eoo repetitas littore conchas,
Divitis aut auri pondera multa ferat:
Illum ego scire negem, quae tu, Pater optime, dona
Longe auro & gemmis anteferenda putes.
Una tibi virtus, virtus in amoribus una est,
Verae & virtutis gloria vera comes.
Ergo ut amans tabulis dominae referentibus ora
Gaudet, & ante oculos semper habere cupit:
Sic te expressa juvat verae virtutis imago,
Nec tabula est oculis gratior ulla tuis.
Tale igitur munus tibi nunc Picolominus offert,
Senensis praesul gloria prima soli:
Bisseno Aeneae concluſa volumine facta
Pontificis vere nomine reque Pii.
Qui virtute olim sedem provectus ad istam,
Ad quam eadem virtus te, Pater alme, tulit,
Ingentes toto compescuit orbe tumultus,
Et placido reges foedere composuit,
Hortatus bellum Christi convertere in hostes,
Atque Asiam illorum faucibus eripere:
Ad quae se accingens magno molimine coepta,
Multa bonis frustra flentibus, occubuit.

Forſan & hanc Chriſtus, Princeps ter maxime, laudem
Servatam in tempus diſtulit usque tuum.
Thracius ut tandem poſita feritate tyrannus
Colla tuis ultro ſubjiciat pedibus.
O ita ſit: cumuletque tuas haec gloria laudes;
Gregorii hic titulis adjiciatur honos!
Interea haec placido vultu cape munera, eique,
Qui tibi ſummiſſus porrigit illa, fave.
Ille Pii, ut noſti, genus alto e ſanguine ducit;
Nec vixit priſcis inficiandus avis:
Plurima ſed tractans & maxima munera, ſemper
Se culpis expertem omnibus exhibuit.
Nunc exacta aetate illud ſibi poſtulat unum,
Ut ſe haud ingratum ſentiat eſſe tibi.

AD DOMINUM ZAMOSCIUM,

POLONIAE CANCELL.

Bina mihi artifici caelata nomismata dextra
Magnus ab Arctoo miſit Zamoſcius orbe
Aurea, non vani memorabile pignus amoris,
Saepe meo optatos animo referentia vultus,
Magnanimi primum Regis, quo Martia gaudet,
Quoque caput caelo ductore Polonia tollit.
Aſpicis, ut late veneranda coruſcat imago,
Cunctaque diffuſo circum loca lumine complet?
Non ea vis auro: nec per ſe lamina lucet,
Nec radiat rutili nativa luce metalli:
Majus ab impreſſa ſed ducit imagine fulgur,
Atque ipſum Stephani ſacer aurum vultus inaurat.
Contemplare acresque oculos, frontemque verendam,
Et dignam imperio faciem, dignamque triumphis:
Ut ſeſe omni ex parte animi vis vivida proferi,
Degenerem luxum mollesque exoſa paratus!
Ut ſpirat generoſum, ipſoque videtur in auro
Regales agitare imo ſub pectore curas,
Exitium Turcis meditari & vincula Moſcho!
Hic vir, hic eſt natus virtuti & fortibus auſis:
Cui duos tota pares alios ſi Europa tuliſſet,
Thracius haud ultra nobis illuderet hoſtis,

Sa

Sed profugus tato latebras sibi quaereret orbe.
Altera lamna loco pariter mihi grata secundo,
Subjicit ante oculos auctorem muneris ipsum,
Cujus conveniens meritis imponere nomen
Qui velit, invicti Regis vocitarit Achaten.
Hinc te igitur, tua mi propius quando ora tueri
Non licuit, cupidumque isthaec invisere regna,
Pontificis tenuit non detrectanda potestas,
Zamosci magne, adspiciam, & persaepe nitenti
In te defixam solabor imagine mentem.
Zamosci, per quem Marti sociatus Apollo est,
Qui decora heroum accumulans, & Nestora dulci
Eloquio exaequas, & forti pectore Achillem:
Et leges armis firmans, & legibus arma,
Victricem laurum pacatae intexis olivae,
Arbiter idem almae pacis, bellique minister
Impavidus, laus egregii propria Utraque Civis.
Salvete, o animae fortes, incoctaque honesto
Pectora, & ignavo non pervia corda timori.
Vos ego, quantum aevi dabitur, super ardua cantu
Astra feram, nunquam reticens vestra inclyta facta;
Facta aliis, queis nomen idem, sed non eadem est mens,
Aut animos factura, aut incussura pudorem.

AD ANT. MONTECATINUM.

Tandem querelis pone modum tuis,
Et fata moestis invida vocibus
Clamare, crudelesque Divos,
Cum gemitu lacrymisque, parce.
Nam, quid Lycei juverit avios
Lustrasse saltus, fontibus ac sitim
Ex vulgo inaccessis levasse,
Ingenioque adiisse Divos:
Si mentis istud praesidium tuae
Perrumpit, & sese intus agit dolor,
Imisque fervens in medullis,
Te quasi perdomito triumphat?
Magnam doloris fata quidem tibi
Causam obtulerunt, qui tibi cognitum,
Longoque carum usu sodalem
Hannibalem ante diem abstulerunt.

Qui

Qui quanquam avitis ſat titulis domi
Foriſque clarus, non tamen id ſibi
Satis fore ornando putavit,
Ni proprios etiam ipſe honores
Labore magno quaereret impiger,
Comamque lauro duplice necteret,
Et qua ferox Gradivus, & qua
Pulcer Apollo ſuos coronat.
Heu, quis Deorum mentibus addidit
Famae illam honeſtis immodicam ſitim?
Quam ſaepe multis illa triſtem
Funeris acceleravit horam!
Sed, quorſum inanes jam querimoniae?
Ille ipſe, quem urges queſtibus, Hannibal,
Felix, & inſertus Deorum
Concilio, mala noſtra ridet.

AD P. FULVIUM CARDULUM.

Saepe transactos mea mens per annos
It retro, & vitae relegit prioris,
Qua poteſt, curſum, veteres revolvens
Ordine culpas:
Quid puer, quid dein juvenis, quid autem
Temporis jam vir male collocarim,
Dulcibus dum me furiat venenis
Dira voluptas.
Quas mihi imprudens maculas inuſi?
Quo modo, ah demens! animum inquinavi,
Quem ſalutaris nitidum lavacri
Fecerat unda?
Corporis nec pars vacat ulla probro:
Os, manus, aures, oculique turpe,
Heu, jugum infamis dominae tot olim
Luſtra tulerunt.
Paullulum hoc ſaltem fugientis aevi,
Viribus caſſae reliquum ſenectae,
Quantulum Chriſtus ſuperesſe vult mi,
Vindicet ipſe.
Ipſe me pridem Veneris peruſtum
Improbe flammis rapiat, novoque

Fl

Flaminis ſancti jecur & medullas
Igne pererret.
Tu tui inſtilla mihi, Chriſte, amorem:
Unicum mens te mea concupiſcat:
Te nihil praeter ſibi perſequendum
Judicet unquam.
Nil opes, nil me capiant honores:
Exulet luxus ſimul & libido:
Vana deluſae procul hinc faceſſant
Gaudia mentis.
Quique florenti male ſanus aevo
Nil niſi obſcoenum, piget heu, canebam,
Nunc tuum tantum repetam ſenili.
Carmine nomen.
Tu quoque, hunc votis precibusque, Fulvi,
Adjuva ardorem: quotiesque ſumis
Myſticum Chriſti trepidus nitentem
Corpus ad aram:
Mente tunc tecum memori volutans
Trade me Chriſto! mea vota nam ſi
Negligat, certe tibi nil petenti
Tale negabit.
Hoc idem cari mihi praeſtet, oro,
Cura Maffaei, & mea dicta quondam
Qui nimis forſan cupida bibebat
Bentius aure.
Bentius, quem rectum iter evagantem,
Et parum cauta calidum juventa,
Contigit virga Deus, in ſuumque
Duxit ovile.
Nunc, ubi expletus meliore mentem
Pabulo, currit per iter ſalutis,
Heu, procul ſegnem ſua poſt relinquens
Terga magiſtrum.

P. FRANCISCO BENTIO.

Benti, nihil me, ſicut antea, juvat
Pervigili ſtudio nil profutura quaerere;
Nec quas per urbes cautus, exciſo Ilio,
Saxa Ithacae repetens, Laërtis errarit puer;

Nec

Nec quot Ithacenſes pharmacis Circe petens,
Vultu hominum poſito, grunnire porcos juſſerit.
Curae magis mi eſt, luſtra jam decem miſer
Qualibus in vitiis defixus ipſe erraverim:
Cum me, Dei vix jam manente imagine,
Mortifera induerat foedam voluptas in ſuem.
Quis me ſequetur fructus, ubi pernovero,
Quot mala Grajugenis Achillis ira invexerit:
Si nejciam veſanus, in quae me mala
Praecipitem ira Dei, niſi reſipiſcam, actura ſit?
Hei mi laboris, heu dierum ac noctium,
Quas memini in ſtudiis me talibus conſumere;
Male metuentem, ne quis usquam aequalium
Certius ac melius plures teneret fabulas.
Et tamen ab aequis non gravate improvida
Judicibus veniam fortaſſis aetas impetret.
Sed nunc columbis concolor cum ſim caput,
Et mihi ſarcinulas brevi legendas ſentiam:
Niſi meliora mente tota cogitem,
Bis puerum merito, Franciſce, me vocaveris.
Beatus ille, quem juventae in limine
Abſtrahit a vitiis ipſe & ſibi adſtringit Deus!
Nec tamen habendus ille in infelicibus,
Ad meliora, Deo vocante, qui venit ſenex.
Verum eſt poëtae nobilis verbum vetus:
Si bene quid facias, ſero licet, prodeſt tamen.
Communi uterque gratias agat patri:
Sors tibi prima data eſt, mihi ſecunda contigit.

MURETO FRANCISCUS BENTIUS.

RESPONDET CARMINI PRAECEDENTI.

Murete, me nunc, ſicut antea, juvat
Quae mihi, quaeque aliis das, profutura carmina,
Expreſſa ſancti Spiritus molimine,
His avidis oculis & tale quaeritantibus
Et lectitare & lectitando ediſcere.
Labitur inde mihi furtim humor udas in genas,
Palam arguens quae pectus intrant gaudia,
Pectoris exigui majora clauſtris gaudia,

Con-

Converſa ſtudia quando utriusque refricas.
(Grata utriusque Deo & mortalibus converſio)
Nam uterque nigro noctis e ſilentio
Coepimus aſpicere Chriſti benigna lumina.
Uterque noctis tum relictis artibus,
Depoſitis tenebris & arma lucis induit.
De te ſed ipſe multa deploras, modis
Flebilibus lacrymans, & ad gemendum me vocas.
Eheu dolor, quid ulcus antiquum novas?
Jam memini, miſer, heu, quod poenitet, piget, pudet,
Cum, vilis ancillae expaveſcens voculas,
Immemor officii Chriſtum negavi ſaepius.
Gallo at canente, cum me amico lumine
Intuitus Deus eſt, prior mihi tunc mens redit.
Ad me ipſe tandem triſte poſt tempus redii,
Exiliensque foras, laxavi habenas fletui.
Abſterſit inde lacrymas Chriſtus meas,
Speque data veniae, perduxit in gregem ſuum.
Eduxit idem, quod fateris, improbae
Servitio dominae, & vindicavit te ſibi.
Quid reſtat ergo? hortetur alter alterum.
Nunc ſi aliquis gravior fortaſſe ſe offeret labor,
Feramus hunc, Murete, mente qua decet,
Atque ducem Dominum forti ſequamur pectore.
Quodſi una utrumque ad vineam hora non vocat,
Unus utrique tamen promittitur denarius.

AD CLAUDIUM QUENDAM.

Quidquid agam, Claudi, ſeu quo me vertere tentem,
Seu nihil, ut ſoleo, deſidioſus agam:
Ante oculos tua mi aſſidue obverſatur imago,
Unaque triſtitiam gignit & una levat.
Angor enim infelix, quod te, (quo ſoſpite ſolum
Eſſe velim ſoſpes, quo moriente mori,)
Nunc, ubi ſis, quid agas, veterem tibi cura medentum,
An nondum, morbum pectore depulerit:
Nec ſcio, nec jam ſcire ulla ratione potis ſum;
Quae me res angore unica pene necat.
At rurſus nihil eſt, quo me ipſe hoc tempore ſoler,
Quodque oculos triſti tergeat imbre graves,

Te

Te nisi cum vana sibi mens sub imagine fingit,
Seu vigilem, dulci sive sopore premar.
Hoc mihi nepenthes curas dissolvere promptum est;
Luctibus haec una est apta medela meis.
Tecum ego nunc videor teneros percurrere versus,
Sive, Catulle, tuos, sive, Tibulle, tuos:
Nunc etiam rerum causas tentare latentes,
Discere & unde fluant omnia, quoque fluant.
Nunc herba in viridi, latae porrectus ad umbram
Arboris, & rivum molle strepentis aquae,
Aurasque & dulces avium captare susurros,
Perque vices tecum multa jocosa loqui.
Gratia Dis, qui mentem homini celeremque dederunt,
Et quaevis habilem fingere spectra sibi.
Illa & plumipedem superarit Persea cursu,
Et celerem invicti Bellerophontis equum.
Nec mihi, se cujus rerum natura creatrix
Expressam in tabulis cernit, ut in speculo,
Tam bene te docto Titianus pollice pingat,
Quam mens te assidue pingere pronta mea est.
Atque utinam tibi sit de nobis mutua cura!
Nec quin sit, dubito: sed tamen esse precor.
Non ego vulgari te, Claudi, amplector amore,
(Hac face rara Deus tangere corda solet:)
Me, me ipse odissem, nisi tu me gratus amares:
Nec nisi me, quoniam sum tibi carus, ama.
Denique cum fuero nulli credenda locutus,
Pars tamen illa mei parvula amoris erit.
Di faciant, longos producere detur in annos,
A pueris coeptae foedus amicitiae!

RAPHAELIS URBINATIS, PICTORIS EXIMII, TUMULUS.

IPSE LOQUITUR.

Sic mea naturam manus est imitata, videri
Posset ut ipsa meas esse imitata manus.
Saepe meis tabulis ipsa est delusa, suumque
Credidit esse, meae quod fuit artis, opus.

Miraris, dubitasque? audito nomine credes.
Sum Raphael. hei mi, quid loquor? immo fui.
Et tamen, his dictis, quid opus fuit addere nomen?
Alterutrum poterat cuilibet esse satis.
Nam mea & audito est notissima nomine virtus,
Et praestare vicem nominis ipsa potest.

AD PETRUM GERARDIUM.

O delicati blanda ruris otia,
Curis & ambitu procul!
O dulce murmur limpidorum fontium!
O grata nemorum opacitas!
O sibilantes arborum ingentum comae!
O prata vere gemmea!
O solitudo amica cogitantibus!
O horror, o silentium!
Cui nunc canoro gutture obstrepunt aves,
Nunc canna pastoris vagi;
Seu mane oves in laeta ducit pascua,
Seu vespere reducit domum.
O mensa nec luxu affluens, nec sordida,
Dapibus parata rusticis!
Quas non, heri languentem ut irritet gulam,
Doctus saporavit coquus,
Sed filiis juvenibus & seni viro
Severa coxit villica.
O bibliotheca nota paucis! o libri,
Quos rara contrectat manus!
O cella tantum lectuli unius capax!
O somne liber, & levis!
O ad beatam tuta vitam semita,
Ignota vulgi sensibus!
Ut vos requiro, ut mente vos tota expeto,
Alia perosus omnia!
Ut laetus ad vos tendit, & gazis libens
Vos anteponit Persicis,
Quicumque puro pectus Olmeo lavit,
Frondemque mordet Delphicam.
Quid tu, Gerardi, cui profanis inviis
Adire fontes contigit,

Partesne easdem sequeris, an siti mala
Opum aut perustus gloriae,
Amoenitati ruris & dulci otio
Vitam anteponis aulicam?
O per Lycei cognitos paucis specus,
Quos saepe lustrasti puer,
Ne sperne amicus consili, quod dat senex,
Quodque sibi, sed sero, capit.
A literato te otio avocantibus
Occludito aures, & fuge,
Canora monstra ut auribus cera oblitis
Laërtis effugit puer.
Beata vita non metallo aut Indici
Spoliis paratur aequoris.
Animo appetenti pauca, quod sat est, sat est:
Avido atque inexpleto, nihil.
Cum tibi sit, unde liber, & plane tuus
Vitam quiete transfigas:
Quis, heu, furor te, quis, rogo, impellit furor,
Vincla ultro ut induas tibi,
Et more pulcrum vivere alieno putes,
Nutus timentem divitis?
Age, rumpe nexus, & jugum collo excute,
Vindexque & asfertor tui,
Aude esse felix, & procul cuncta amovens,
Quae mentem humo adfixam tenent,
Per liquida puri spatia decurre aetheris,
Aeterna tantum cogitans:
Et ista sortis lubricae ludibria
Miranda vulgo defere.
Utinam mihi olim, flore cum primo rudes
Juventa opacaret genas,
Amicus aliquis ista monstrasset senex,
Quae nunc tibi ipse cantito!
Non ego perisse lustra tot in aula mihi
Vanis dolerem questibus.

TIBUR.

Quicunque Herculei spectabit Tiburis arces,
Qua pater Hippolytus, sacri pars magna senatus,

C

Cura Deûm, loca perpetuo prius aspera saxo
Mollîit, & leni jussit mitescere clivo;
Omnia deprendet longe superantia famam,
Nec tam regifico constructa palatia sumtu,
Auroque illusas aedes, radiataque tecta,
Quam semper virides mecum admirabitur hortos,
Et gelidos fontes, & aquam in sublime volantem,
Seque in multiplices vertentem, ut Protea, formas.
Praecipue tamen illi animum novitate movebit
Excisus, res mira! silex, rupesque cavatae,
Et via facta manu longi per viscera montis:
Qua se Anio pater insueto pervolveret alveo.
Qui longum per iter tenebroso tramite lapsus,
Exit, & arboribus gelidae non invidet undae.
Stant habiles propter Nymphae, lymphasque paratis
Exceptas urnis in vasa capacia fundunt.
Parte alia ipse suis altricibus adstat Iacchus,
Maternique memor casus, flammaeque paternae,
Gaudet aquis, illisque libens sua munera miscet.
Dum stupeo, tam multa videns miracula rerum:
Ecce novus procul alituum concentus ad aures
Fertur, & insolita mentem dulcedine tangit.
Aspicio, & gressum propius fero; corpora cerno
Parva ex aere avium, aeratis nitentia ramis,
Daedala queis variam tribuit sollertia vocem.
Quamcunque adspicias, delusus imagine, veram
Esse putes volucrem: nisi quod non evolat usquam:
Sed ramis affixa suis cantu aethera mulcet.
At verae mirantur aves, & cedere dum se,
Turpe putant, liquidis late omnia questibus implent.
Hic Lucae egregius labor est, quem Sequana partu
Ediderat, Siculi renovantem inventa magistri:
Quid? quem non moveat cygnum mentitus adulter,
Illudens simili spirantem e marmore Ledam,
Deliciisque suis, & aquarum murmure laetus?
Multaque praeterea veterum simulacra Deorum,
Artis opus priscae. Cunctos verum arduus inter
Eminet Alcides: qui spectans omnia circum,
Hesperidum veteres hortos prae Tibure lemnit.
Sed quid ego haec versu nequidquam includere tento?
Jam pridem exiguum praescripti carminis orbem
Excessi: & dictis semper majora supersunt.

IDEM.

Deliciae veterum, Tibur, volventibus annis,
Conciderat, priſcum perdideratque decus:
Et nusquam rivi, nusquam pomaria, nusquam
Ulla ſuper tanti ſigna decoris erant.
Illa loca, antiquis toties celebrata poëtis,
Horrebant turpi ſqualida facta ſitu:
Moerebant erepta ſibi ſua gaudia Nymphae,
Languentes Anio moeſtus agebat aquas.
Omnia tempus edax ita deformarat, ut hoſpes
Quaereret in medio Tibure: Tibur ubi eſt?
Non tulit hanc ſpeciem divini pectoris heros,
Hippolytus, ſacri gloria magna chori.
Ille loco ſenium abſterſit, vultusque priores
Reddidit, & ſolito juſſit honore frui.
Illius imperio juſſae revireſcere ſilvae
Coeperunt ſparſis luxuriare comis.
Ille novos paſſim fontes emergere juſſit.
Nec mora fit: fontes proſiluere novi:
Quos circum ſtatuit priſcis egeſta ruinis
Plurima Phidiaca ſigna polita manu.
Ipſe Anio frontem pallenti cinctus oliva
Affluit, & proprias conſociavit opes.
Jure igitur fontesque ſacri, ſilvaeque virentes
Certatim Hippolyti nomen ad aſtra ferunt:
Et quoties molli intrepuit levis aura ſuſurro,
Hippolytum alternis vocibus ingeminant.

DEDICATIO HORTORUM TIBURTINORUM.

Nec labor Alciden fregit, nec blanda voluptas
Unquam animum caſti molliit Hippolyti.
Ambarum hos hortos virtutum accenſus amore,
Herculi & Hippolyto dedicat Hippolytus.

IDEM.

Aurea ſopito raputt quae mala Dracone
Alcides, eadem nunc tenet Hippolytus.
Qui memor accepti, quos hic conſeverat hortos,
Auctori voluit muneris eſſe ſacros.

BAC

BACCHUS FONTI IMPOSITUS.

Nondum natus eram, cum me prope perdidit ignis.
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

IDEM EX ADVERSO RESPICIENS FONTEM NYMPHARUM.

Qui colitis Bacchum, comites simul addite Nymphas.
Nam sine ope illarum munera nostra nocent.

IN TABULAM TANTALI.

Si quando admittant sua te ad secreta potentes,
Quisquis es, exemplo disce tacere meo.

IN TABULAM JASONIS NAVIGANTIS, ET HERCULIS RAPTUM HYLAM QUAERENTIS.

Viribus auferres, quod fraude parabis Iason:
Eripit Alciden sed tibi raptus Hylas.

PROLOGUS IN PHORMIONEM TERENTII,

CUM EAM ALIQUOT NOBILES ADOLESCENTULI, HIPPOLYTI CARDINALIS FERRARIENSIS JUSSU, ACTURI ESSENT.

Etsi scio esse hic neminem, qui nesciat,
Quid apparatus noster hic velit sibi,
Tamen mearum partium esse existimo,
Interea dum se mei sodales comparant,
Bona cum venia vestra, pauca dicere,
Quae scire vos, & vestra, & ipsorum interest.
Comoediam Terentii acturi sumus,
Cui Phormioni nomen ipsus indidit,
Quod Parasitus in ea Phormio primas agit.
Neque hoc videri debet aut mirum, aut novum,
Quandoquidem in omni vita, nedum in fabulis,
Parasiti, scurrae, sycophantae, omne id genus,
Bonis repulsis, ipsi jam primas agunt.
Quodsi quis est, parum decorum qui putet,

Juvenes ingenuos personatos conspici in
Scenam prodire, & quasi facere histrioniam:
Is sibi responsum hoc habeat, nulla re magis
Dijudicari omnia, quae mortales agunt,
Quam fine, quem is, qui quid agit, proponit sibi.
Qui scenicam artem victus caussa factitant,
Et, ut coquis ac laniis risum excitent,
Distorquent ora, insulsa dicta dictitant,
Contundunt pugnis se invicem, atque horum omnium
A plebe viles exigunt mercedulas,
Merito histrionum nomen & famam ferunt.
Nil simile nostrum est. Nos, ut nostram industriam
Vobis probemus omnibus, ut communi hero
Hilaremus animum, cui debemus omnia,
Unum id petentes, hunc laborem cepimus.
Quanquam, o supremi caelites, quem jam omnium
Pudere debet personatum conspici,
Cum id omnis aetas, omnis ordo factitet?
Sed nolo nunc ulcera cujusquam tangere,
Ne quis satyram hanc esse dicat, non comoediam.
Nunc unum a vobis, priusquam hinc abeam, postulo.
Si vos, quod vestri honoris caussa fit, juvat,
Favete, & vigilate animis, vigilate auribus,
Dormite linguis. Qui tacere non queunt,
Bene fecerint, si cesserint iis, qui queunt,
Ne & turbent alios, & morbum prodant suum.
Facite, ad conanda in posterum nos talia
Bonitas ut vestra, atque aequanimitas excitet.

E GRAECO CALLIMACHI.

Namque & ego nitido capiti, flavisque capillis
Serta olim Assyrio sparsa liquore dedi,
Et bona in ingratum congessi plurima ventrem:
Cuncta sed in ventos illa abiere leves.
Servarunt solae commissa fideliter aures.
Corporis hac una est parte reperta fides.

AFFICTA ATTIO.

Nam si lamentis allevaretur dolor,
Longoque fletu minueretur miseria,

Tum

Tum turpe lacrumis indulgere non foret,
Fractaque voce divûm obteſtari fidem,
Tabifica donec pectore exceſſet lues.
Nunc haec neque hilum de dolore detrahunt,
Potiusque cumulum miſeris adjiciunt mali,
Et indecoram mentis mollitiam arguunt.

AFFICTA TRABEAE. (*)

Here, ſi querelis, ejulatu, fletibus
Medicina fieret miſeriis mortalium,

Au-

(*) Q. Trabeae nomen celebre eſt in Comicis veteribus. De ipſo vide P. Crinit. c. 15. de Poët. Latin. & Gyrald. Dial. 8 de Poët. Hiſt. f. 306. Ejus autem non niſi fragmenta quaedam ad nos pervenere. Hos ergo ſuos ſex verſus, ſane quam elegantes, (quo nomine laudat eos Bongarſ epiſt. 119. ad Joach. Cam. p. 292.) & id vetuſtatis imaginem compoſitos, (quales neſcio an & ſequentes non habendi ſint,) Trabeae Muretus affinxit, & in ea re quibusdam eruditis impoſuit. Unde & in Lexico Buchneriano voce *Praefica f.* 1128. Trabeae adſcriptos reperias. Sed hanc fraudem Joſ. Scaliger adeo tulit indigne, ut aculeato admodum dicticho ulciſcendam puaverit, quod in ſilva carminum ejus legitur *in Rumetum* (i. e. Muretum) *qui ſuos verſus pro antiquis ſuppoſuerat.* Ceterum eodem fere ſenſu legitur fragmentum quoddam Philemonis, Graeci Comici, (apud Hertelium in ſententiis Comic. p. 176) cujus initium: εἰ τὰ δάκρυ' ἡμῶν κακῶν ἦν φάρμακον. *Thomaſius.* Jac. Thomaſius, cum ignoraret ſequentium verſuum Attio & Trabeae affictorum Aldinam editionem anni 1575. quae exſtat in calce Mureti Orationum XXIII. illorum ſedem mutavit, & neceſſarium iis ab eodem praemiſſum monitum omnino neglexit; id autem hujusmodi eſt, Ald. edit. p. 56. „ Cum veteris Comici Graeci, Philemonis nobilem ſententiam, a Plutarcho & a Stobaco acceptam, animi cauſa exprimere tentaſſem & dicendi genere & numero veterum Latinorum Tragicorum ſimillimo, placuit etiam experiri, numquid eandem comice explicare poſſem. Viſum eſt utrumque non infeliciter ſucceſſiſſe. Per jocum igitur prioribus verſibus, *Attii*, poſterioribus, *Trabeae* nomen adſcripſi, ut experirer aliorum judicia, & viderem, num quis in eis ineſſet vetuſtatis ſapor. Nemo repertus eſt, qui non ea pro veteribus acceperit. Unus etiam & eruditione minime vulgari & judicio acerrimo praeditus repertus eſt, qui ea a me accepta pro veteribus publicaret. Ne quis igitur amplius fallatur, & rem totam detegendam, & carmina ipſa huc ſubjicienda duxi." *Checcot.*

Auro parandae lacrumae contra forent:
Nunc haec ad minuenda mala non magis valent,
Quam naenia praeficae ad excitandos mortuos.
Res turbidae consilium, non fletum, expetunt.

Ut imbre tellus, sic riganda mens mero:
Ut illa fruges, haec bona consilia efferat.

Gustanda vita, non fruenda, homini datur.
Nam, cum fruendi tempus est, tum deserit:
Felicius maritus, an caelebs agat;
Privata vita sine regno dulcior:
An vita regia solium attingat Jovis;
Peregre morari suavius sit, an domi;
Qui, quamque multi, & quo parandi more sint,
Quo habendi amici, nullus haec curat puer:
Rarus adolescens: nec senex omnis videt.
Et haec tamen vitam prope omnem continent.
Quae si quis acri cura & usu pervigil
Longo notarit, jamque secum statuerit,
Quid fugere, quid contemnere, & quid persequi
Expediat homini; vix eam ingressa viam,
Quam maxime unam ex omnibus probaverit,
Obstat senectus invida, & cursum impedit:
Mox avida tristes Lachesis injicit manus.
Sic vivere meditantibus vita evolat.

Si exspectes, Pamphile, ipsa dum negotia
Te accersant ultro, & dormientem excusitent:
Vehementer erras; taciti discedunt dies:
Nec oblivioso officii admonent sui.
Superba res est rei gerendae occasio:
Semel contemta, nunquam postidea redit.
Vigiles oportet, & tua accures memor.
Nam, si ipse rem curare negligas tuam,
Fugit illa, & facile, qui se curet, invenit.
Tu rem, quam cures, postea haud facile invenis.

Memini, magistrum puero mi olim hoc dicere:
Summum Jovem facere item, ut caupones solent,

Qui

Qui vina, ut vendant, turbant, miſcent, diluunt,
Nec cuiquam vini ſimplicis danunt cadum.
Itidem illum, ajebat, in vita mortalium
Nunquam fortunam ſimplicem quoiquam dare,
Sed temperare fata laetis triſtia.

O lingua, lingua, ut magna eges cuſtodia!
Quae & aliis ſaepe, & ſaepius domino noces.
Multum aſſecutu'ſt, qui bene didicit loqui:
Qui bene tacere, non minus aſſecutus eſt.

Nivibus hiems exuberat, ver floribus,
Aeſtas ariſtis affluit, lacrumis amor.

Si mihi lacerti, quales olim, nunc forent:
Non lingua potius tibi opem ferrem, quam manu.
Nunc tarda membra, & ſanguis adſtrictus gelu
Conſerere in acie cum hoſtibus manum vetant:
Prodeſſe patriae voce & conſilio ſinunt.
Corpus abit annis: conſilio animus viget:
Viresque ſenibus defluunt, verba affluunt.

M. ANTONII MURETI POEMATUM VARIORUM

LIBER SECUNDUS.

PSAL. XXVI. (al. XXVII.)

Clara meae ipſe Deus praepandit lumina menti,
Ipſe mihi Deus eſt indubitata ſalus.
Quem metuam? vitam ecce meam Deus ipſe tuetur.
Cur paveam, varios concipiamque metus?
Cum fera me vallo cinctum propiore teneret,
Et fureret carnes turba vorare meas:
Ipſemet impegit, qui me prope ceperat hoſtis,
Ipſe cadens vaſto corpore preſſit humum.
Ergo inimica necem mihi jam ſi caſtra minentur,
Nullus erit, pulſet qui mea corda, pavor.
Praelia ſi ingruerint, expers terroris abibo,
Spe fidens una praeſidioque Dei.
Unum concedi petii mihi munus ab ipſo,
Idque unum ſummis usque petam precibus,
Exigere ut tanti ſpecioſa regis in aula
Fas mihi ſit vitae tempora tota meae:
Ut colluſtrem oculis nulli loca nota profano,
Et Domini aſpectu, deliciisque fruar.

Cetera deſunt.

PSAL. L. (al. LI.)

Miſerere clemens, obſecro, mei, Deus,
Illamque magnam plane & admirabilem

Oſſen-

Oſtende culpis in meis clementiam.
Immenſa miſericordiae illa vis tuae
Iniquitatem deleat, quaeſo, meam.
Lava amplius me, & elue maculas, Pater,
Quas tetra labes ſceleris aſperſit mihi,
Ut lotus a te, mundus iterum appaream.
Namque ipſe culpas, hei mihi, agnoſco meas.
Et usque quoquo lumina obvertam miſer,
Armata tanquam facibus, & torvum intuens.
Peccati imago animum paventem territat.
Tibi heu, tibi uni, ſumme cunctorum arbiter,
Cujus vereri maxime iram par fuit,
Veſanus illo meque implevi crimine:
Perpetua dictis conſtet ut fides tuis,
Vincasque, de te ſi quis aliter judicet.
Ne, quaeſo, ſaevi; namque ab ipſa origine,
Genitricis alvo adhuc tepente conditum
Maculavit, heu, me foeda peccati lues.
Et tu tamen, cui cara ſumme eſt veritas,
Sapientiae mi arcana detexti tuae.
Aſpergar abs te, aſpergar hyſſopo, Pater,
Mundusque fiam; tu benignus me ablues.
Ero ipſe tunc nitidior intacta nive.
Tunc aure laeta nuncios optabiles
Accipiam, ubi eſſe mitigatum te audiam.
Tunc & meorum obtrita compago oſſium
Exiliet illo delibuta gaudio.
Averte culpis a meis vultum, precor,
Iniquitates & bonus dele meas.
Supreme, mundum cor creato in me, Deus,
Rectumque rurſus ſpiritum intra me innova.
Noli tuo me arcere ab aſpectu procul,
Tuum nec a me Spiritum Sanctum auferas.
Tuae ſalutis redde laetitiam mihi,
Et principali ſpiritu fulcito me.
Vias docebo ſedulus iniquos tuas,
Et mente verſa ad te redibunt impii.
Turpi inquinatum caede me expia, Deus,
Deus ſalutis auctor & princeps meae.
Lingua ut moleſtis impedita nexibus
Soluta laudes cantet exultim tuas.
Tu, Domine, labra, qui potes, aperi mea,

Et

Et patere laudis me esse praeconem tuae.
Nam victimarum duceret si te cruor,
Magnam obtulissem victimarum vim tibi.
Sed tibi holocausta ingrata & injucunda sunt.
Sacrificium tibi omnium gratissimum est,
Mens, criminis quam vexat admissi dolor:
Contritum, & abjectum ad pedes tuos, Deus,
Cor poenitentis spernere haudquaquam tuum est.
Domine, Sioni jam benefacito libens:
Excelsa surgant magna & urbis moenia.
Tunc justa sacra & vera faciemus tibi:
Tunc tibi holocausta, qualia ipse vis, cadent:
Tunc, quod tenello te juvet vitulo magis,
Tuis sonabit omnis ara laudibus.

AD SACRAM CHRISTI CRUCEM.

O una ante alias omnes venerabilis arbor,
Quae roseo Domini tincta cruore mades!
Ter felix o spina, sacro quae in vertice fixa
Divinum aeterno cingis honore caput!
Felices clavi, felicia vulnera, felix
Hasta, sacrum licuit cui reserare latus,
Ut manans geminus sanctis ex artubus imber
Humani maculas elueret generis!
O mihi si detur fel illud, & illud acetum,
Dulcia quod Domini contigit ora mei!
Quidni utrumque mihi sit nectare dulcius? ille
Dempsit eis omnem tactus amaritiem.
Sed maneat potius felli nativus amaror,
Immodicus fauces & mihi radat acor,
Ut tormentorum fas, o bone Christe, tuorum
Degustare aliquam sit mihi particulam.
Heu miserum me, Christe, ego te hoc in stipite fixi,
Debita erant culpis supplicia ista meis:
Pro me tam lato tibi vulnere pectus apertum est,
Imposita & capiti spinea serta tuo.
Perque manus ego, perque pedes ferrum istud adegi,
Haec te cuncta mei ferre subegit amor:
Quod pro me indueras, pro me est lacerum undique corpus,
Vulneribus nec jam pars patet ulla novis.

Et

Et ceſſo in lacrymas? quae me tigris aſpera, quae me
Urſa ferox, ſilvas inter & antra tulit?
Fundite largifluos immitia lumina fletus,
Tundite nil veritae pectora dura manus.
Ante crucem te, Chriſte, tuam projectus adoro,
Ac licet indigno te tamen ore precor,
Ut, quando generis laviſti crimina noſtri,
Quod ſine te inferni praeda latronis erat,
Sordentem vitiis me, & probris undique opertam,
Et nimis illecebris corporis implicitum,
Quanquam obluctantem tua per veſtigia ducas,
Participemque tui muneris eſſe velis.

AD EANDEM.

O crux tincta ſacri flumine ſanguinis,
Olim ſupplicium mancipiis grave,
Nunc regum capiti praecipuum decus,
Te flexo colimus genu.
Crux hoſtes hominum ſola procul fugat,
Crux ſola inſidiis munit ab omnibus.
Adverſa intrepidus deſpiciat, licet,
Cujus ſpes cruce nititur.

AD B. VIRGINEM, TEMPLI AD NIVES, SEU MAJORIS ROMAE.

Nox nondum exacta eſt, criſtata ſed ales acuto
Significat cantu, non procul eſſe diem.
Et mihi jam precibus placata ex more diurnis
Numina; quid, dum ſe lux nova prodit, agam?
Quid potius, quam jacta novi fundamina templi,
Illa etenim feſti eſt hujus origo, canam?
Virgo fave ter ſancta, tuo haec meditamur honori,
Et quanquam incultos excipe blanda ſonos.
Liberius triplici cinctus diademate frontem
Romuleae cuſtos urbis, & orbis erat.
Patricii per idem tempus florebat honore
Joannes, atavis, reque fideque nitens.
Par erat huic opibusque locoque, & moribus uxor
Ut prorſus tali nubere digna viro:

Sed

Sed ſterilem illius Dominus concluſerat alvum:
Nec jam anui prolis ſpes erat ulla ſuper.
Nec quisquam ejusdem, quem lex Praetorve vocaret,
Gentis erat, ipſi gens ſibi tota duo.
Saepe ſibi heredem precibus poſcebat uterque:
Non exauditas flebat uterque preces.
Venerat aſſuetis ſuccincta caloribus aeſtas,
Torrebat fiſſos Sirius acer agros.
Compoſiti lecto cara cum conjuge tandem
Lumina Patricii vinxerat alma quies,
Cum Virgo frontem ſtellis redimita coruſcis
Per thalami clauſas viſa ſubire fores,
Stansque toro ſupra: Quid te tam ſaepe fatigas,
Heredem certum dum tibi poſcis? ait.
Ipſa ego, quam cernis, jam nunc tibi deſtinor heres,
Quae pedibus lunam, lucidaque aſtra premo.
Tu modo, quae dicam, memori fac mente recondas,
Non tibi fas verbis indubitare meis.
Proxima cum radiis aurora retexerit orbem,
Conſcende excelſas impiger Exquilias:
Quaque ſolum late nivibus candere videbis,
Hic claranda meo nomine Templa loca.
Dixit, & in caelum multa cum luce reverſa eſt:
Ima ſeni gelidus concutit oſſa pavor.
Surgit, & extemplo Lateranas tendit in aedes,
Cunctaque Pontifici voce tremente refert.
Ille quoque objectam ſpeciem ſibi narrat eandem,
Viſaque res cura dignior eſſe gravi.
Pontificis juſſis clerus populusque vocatur;
Monſtratique ſimul per juga montis eunt.
Devenere locos, ubi ſe nix plurima caelo
Fuderat, & latam ſparſa tegebat humum.
Attoniti una omnes praeſentia numina clamant,
Pacemque & veniam ſupplice voce petunt.
Nec mora, ſignatur Templo area lata futuro:
Liberius ſancto conſecrat ore locum.
Hinc Nonis adjectus honos Sextilibus ille eſt:
Hinc agitur feſtus nunc tibi, Roma, dies.
Nos quoque jam ad Templum, quoniam diluxit, eamus,
Virginis ut ſanctae rite precemur opem.

EC-

ECCLESIA GENTIUM.

Fusca quidem, (neque enim pudor est mihi vera fateri,)
Sum, fateor, vultu fusca, decora tamen.
Me fuscam genitrix in luminis edidit oras,
Et vitii sparsam multiplici macula.
Gratia sed nitidis ubi me semel abluit undis,
Tota fui subito candida, tota decens.
Hinc me pulcer amat sponsus super omnia rerum,
Datque animi assidue pignora certa sui.
Ipsa quoque, ut par est, ipsius amore liquesco:
Pro quo dulce mihi est vivere, dulce mori.
Quam jucunda exest animae mihi flamma medullam!
Quam suave in medio pectore vulnus hiat!
Nec meus hic ullo minuetur tempore languor:
In bona nil juris talia tempus habet.
Quin etiam cum mors anima seduxerit artus,
Tum demum aeternus nos sociabit amor.

IN INSIGNIA LUCAE SEMBRONII,

STELLAM VIDELICET CUM ROSA.

Esse rosas caeli merito quis dixerit astra:
Astra sed & terrae dixeris esse rosas.

PAULO MANUTIO. (*)

Abdita qui tenebris veterum monumenta, Manuti,
Et pridem indigno paene sepulta situ,
Eruis in lucem miserando e carcere vindex,
Dasque iterum vita liberiore frui:
Idemque Arpinis audes contendere chartis,
Palmaeque ambiguus perficis ut sit honos:

Non,

(*) Qui sequuntur Versus adhuc non sunt editi, sed ii quidem inter elegantissima M. Ant. Mureti censendi sunt. Prodeunt ex Schedis manu ipsius exaratis, quae exstant apud virum eruditissimum & nobis amicissimum, Antonium Fridericum Seghetium, Venetum. *Checcat.*

Non, tua Cecropio manat si lingua liquore,
Nata movere homines, nata movere Deos:
Non, tibi si notum est quidquid novere priores,
Quosque tulit Latium, Graecia quosque tulit:
Non, si Roma vetus per te rediviva (*) resurgit,
Et recipit priscum per tua scripta decus,
Me tamen iccirco tenuem aversaris amicum;
Sed recipis clemens, annumerasque tuis.
Ut nova procerae vitis sese applicat ulmo,
Ut sequitur magnam parvula cymba ratem:
Sic tua ego relegens timido vestigia gressu,
Effero me, & sensim linquere conor humum.
Forsitan & quondam non sit tibi nostra pudori
Musa. quis esse aliquid nos quoque posse negat?
Haec, modo quae ramis porrecta comantibus arbor
Luxuriat, nuper planta tenella fuit.
Qui tenui primum parvus fluit agmine rivus,
Picta soporifero murmure prata secans,
Idem collectis paullatim exaestuat undis,
Et fremitu horrifico littora vasta quatit.
Nos quoque, qui gracili canimus leve carmen avena,
Indoctoque rudes mittimus ore sonos,
Olim aliquod fortasse decus nomenque geremus,
Atque erimus vestri pars quotacunque chori.
Sin minus; at certe non est sperasse pudendum.
Vana licet crebro, spes tamen ipsa juvat.
Ipsa juvat, multosque, aliter qui saepe laterent,
Exerit e tenebris, & nihili esse vetat.
Non ego sum, ingenio tibi qui contendere certem,
Quive tuos titulos praeripuisse velim.
Mi satis & super est, si nos vicisse sodales,
Fama anus in sera posteritate canat.
Quid tum, si tibi Di plura & majora dederunt?
Non soli coëunt foedera in ista pares.
Si tibi, Musarum nisi qui te dotibus aequet,
Nullus amicus erit; nullus amicus erit.
Perge, & amicitias igitur ne temne minores.
Non etenim est, magnis jungere parva, nefas.

(*) Rectius, *recidiva*. Vide Gronovium ad Senec. Troad. 470.

IN JOANNEM BAPTISTAM AMALTHEUM.

Ergone Amaltheus luce hac venturus ad Urbem eſt?
O ſignande nota condidiore dies!
Hunccine ego, noſtro qui carmina tempore ſolus
Mulcendis divorum auribus apta canit,
Aſpiciam, alloquioque viri tam ſaepe cupito
Perfruar? ah tandem vivere dulce mihi eſt.
Ite procul, curaeque graves, & triſtia verba.
Haec, volo, laetitia lux mihi tota fluat.
Et tu jam dudum ſolis aſſueta querelis,
Nunc hilaris vultus indue, Muſa, novos:
Indue; quamque potes, hodie comtiſſima prodi:
Qualis poſt imbrem Lucifer ire ſolet.
Salve, o Muſarum os, proles certiſſima Phoebi:
Neu cantus dura deſpuito aure meos.
Non tibi ſe Oeagrius certet componere vates:
Ille feras quamvis, dum canit, & fluvios
Moverit, & Siculas ſuperarit voce ſorores.
Qui ſi Taenarios, te comitante, lacus
Ingreſſus foret, haud dubie lege ipſe ſoluta,
Eurydicen victor duxet ad aſtra ſuam.
Nec tantum Eurydicen, ſed & inferni quoque regis
Ipſius ex ipſo Perſephonen gremio.
Tale tibi aurata canitur teſtudine carmen,
Quale ſuperba inter prandia caelicolum
Formoſus tereti modulatur Delius ore,
Sparſus dividuis lactea colla comis:
Seu libuit fidibus patrios aptare triumphos,
Oppreſſosque ſuis molibus anguipedes,
Seu mage furtificos aquilae memorare volatus,
Et raptum praedulcem Idalii juvenis:
Cum pater Idaeo pronum ſe vertice miſit,
Ut puerum e mediis abriperet gregibus,
Luctantem primo, & ſocios clamore vocantem,
Et pulcris foedantem os roſeum manibus:
Donec in aetherias ſedes, templa aurea, ventum eſt,
Qua via Junonis candida lacte patet.
Illic & lacrymas blandus deterſit amator,
Et dedit optatis oſcula mille genis,
Et pueri mentem blando ſermone reſecit,
Gauderet raptu laetus ut ipſe ſuo.

Talia dum docto perſtrictis pollice nervis
Pulcer Latonae filius exſequitur,
Stant victi modulis omnes, domus alta remugit
Divorum, dulces ingeminatque ſonos.
Ipſe pater ponit digitis ſua tela remiſſis,
Ipſa aquila, ut molli capta ſopore, jacet.
Vis ea Phoebeo eſt cantu. quem tu unus amoenis
Inter mortales verſibus aequiparas.
Ergo tuum nomen terris ſublime relictis,
Praepetibus pennis carpit ad aſtra viam:
Teque inter noſtrae primos aetatis honores,
Invito licet ore, Invidia ipſa locat.

L. MEMMIO FREMIOTO.

Quae mihi jam, quae te tellus, Memmi optime, ſan
Qui mihi vitali es lumine amabilior?
Nos ſine te Venetúm pulcra verſamur in urbe,
Quam tumidus rapidis Adria cingit aquis:
Et modo miramur celeres decurrere lintres,
Mercibus aut gravidas ſegnius ire rates:
Et modo conſtructas immenſis ſumtibus aedes,
Quas totidem regum dixeris eſſe domos.
Templa etiam radiata auro, radiata lapillis,
Huc trabe quos multa prodiga mittit Eos.
Nec nulla eſt ritus varios ſpectare voluptas,
Atque hominum cultus usque videre novos:
Cernere nunc taeniis vinctos capita ardua Turcas,
Miſcentes Italis Perſica verba ſonis:
Nunc quos palmarum fecunda huc miſit Idume,
Fraudibus & turpi dedita corda lucro:
Nunc uſta Mauros facie, intortoque capillo,
Quique bibunt Gangen, quique bibunt Tonſ
Denique ſpectari rerum audirive novarum
Quidquid in orbe poteſt, hac quoque in urbe po
Quid tibi jam auguſta illuſtrem gravitate ſenatum,
Purpureosque canam, pectora ſancta, patres?
Salvete, o lecti proceres, ſanctiſſima turba.
Fas mihi ſit numeris vos celebrare meis.
Vos pater ipſe deúm, qui temperat omnia nutu,
Conſortes voluit muneris eſſe ſui.

Vestrum est, impositis populi frenare furorem
Legibus, ut ne exlex in scelus omne ruat.
Vos premitis poena surgentem vindice culpam,
Nec finitis mores luxuriare malos.
Per vos tuta Ceres domini flavescit in agro:
Pascuntur tuti tuta per arva boves.
Muneris est vestri, media quod nocte viator
Nil metuit longum carpere solus iter.
Vos datis, ut simili laudentur prole maritae;
Utque sit in nati plurimus ore pater.
Publica res vestris humeris innixa recumbit,
Sospitibus vobis, nec timet ipsa sibi.
Jure igitur toto Venetum praesignis in orbe
Gloria & Eoos transit, & Hesperios.
Floreat, ut merita est, volucres dum silva ferasque;
Dumque aequor phocas pascet, & astra polus.
Haec ego dum blando meditor tibi carmine, Memmi,
Ut te suaviloquis versibus exhilarem;
Me miserum! veteris forsan tu oblitus amici,
Noscere jam, qui sim, negligis, aut ubi sim:
Omnis & in ventos nostri tibi cura recessit,
Fumus ut, aut nubes acta aquilone solet.
Hoc si ita sit, credam lapsuraque sidera caelo,
Inque suum retro flumina itura caput.
Sed neque praecipiti labentur sidera caelo,
Nec sunt in proprium flumina itura caput;
Nec te deficiet Mureti nomen amare.
O prius immiti pollice Parca ferox
Imperfecta meae discerpat stamina vitae,
Stamina fatali tam male ducta colo.
Ecquod erit tempus, juvenum doctissime, quo te
Post varios casus incolumem aspiciam?
Quo tibi praesenti denarrem haec omnia praesens;
Laërtae ut diti filius Alcinoo?
Tum mea solventur diuturnis pectora curis,
Et mens triste suum fessa reponet onus.
Post imbrem caeli facies mutata serescit,
Post hiemem verni temporis hora venit.
Me quoque post multos olim fortuna labores
Forsitan haud torvo lumine respiciet.

EIDEM.

Si te unum ex animo posſem deponere, Memmi,
Sors mea diis ipſis invidioſa foret.
Quippe alias omnes facile e pulmone revellam:
Unam hanc mi curam tollere nemo poteſt.
Non ſi & carminibus Circe, & Medea venenis
Me juvet, & Lethes flumina tota bibam.
Nominis oblitus proprii, ut Meſſalla, jacerem,
Effluere animo quam prius ipſe meo.
Tu mihi, tu nunc usque locis ades omnibus unus,
Sive dies umbram, ſeu fuget umbra diem.
Nec potis eſt mens ullam usquam reperire quietem.
Quodſi te posſem unum ex animo ejicere,
Eadem opera triſtes posſem depellere curas,
Quae prope jam vitae me ſaturum efficiunt.
Quid loquor infelix? quae me dementia vexat?
Excidit inſano quod ſcelus ore mihi?
Tene ego posſe velim, Memmi, Memmi, optime rerum,
Ingrato delere impius ex animo?
Tunc ego & Hyrcanis agnoſcar tigribus altus,
Et vinctus triplici cor rigidum chalybe.
Ante meum tundat Tityi jecur ales, & ante
Siſyphii pondus ferre adigar lapidis.
Di, facite, ut junctas tam ſancto foedere mentes
Nulla, o nulla, unquam tempora diſſoluant.
Neu veniens, annis paullatim abeuntibus, aetas
Noſtra ſub obſcura nomina nube tegat:
Sed rarum ambo exemplum usque a lanugine primae
Perductae ad canos ſimus amicitiae.

FRAGMENTUM EX ELEGIA QUADAM M. ANTONII MURETI. (*)

Illa ſuis fraudat reſolutos viribus artus,
Illa veternoſos, invalidosque facit.
Quid loquar, ut podagram Veneris commercia ducunt
Ante ſuam canos accelerentque diem?
Quod multos, nitidae medio ſub flore juventae,

Ex

(*) Haec Elegiarum Fragmenta ſumſimus e ſchedis MSS. quae ſunt in libris Voſſianis Bibliothecae Leidenſis.

Elumbes dubiis passibus ire vides,
Tardosque, fractosque, & nullis usibus aptos.
Languorem hunc miseris attulit una Venus.
Sed levia haec aliquis, quamvis sunt magna, putarit,
Quantum animo noceat si Venus ipsa, notet.
Ingenium Veneris repetito obtunditur usu,
Et fit hebes sensim, quod prius acre fuit.
Religio, integritas, probitas, pietasque, fidesque,
Cumque sua ingenuus simplicitate pudor,
Haec simul, oppressa potitur cum mente libido,
Ut boreae nubes flatibus acta, cadunt
Ipsa Venus prolis maculavit sanguine matrem,
Armavitque feras in sua damna manus.
Illa patri natas incesto foedere junxit,
Unius ut genitrix Myrrha, sororque foret.
Illa & Pasiphaen docuit succumbere tauro,
Armenti pellex esset ut ipsa sui.
Quid memorem, Alciden Furia haec ut adegerit ipsum
Mollia robusta carpere pensa manu?
Quique peragratum monstris purgaverat orbem,
Imbellis dominae mollia jussa pati?
Nam urbes ut totas ima ab radice revellat,
Materies vatum, Troja docere potest.

ALIUD FRAGMENTUM EJUSDEM.

Nescis, quo humanas conjungant foedere mentes
Ignea quae superis sedibus astra micant.
Inde fit, ut studio quicunque tententur eodem,
Illorum tacitus pectora nectat amor.
Qui fragili gaudet fluctus sulcare carina,
Ejusdem socios conditionis amat.
Durus agri cultor reliquos colit arva colentes,
Armaque tractanti, qui terit arma, favet.
Haec vis Parrhasium magno conjunxit Apelli,
Haec eadem celeri Patroclon Aeacidae.
Quidnam erat, Aegiden (*) Jocasta ut natus amaret,
Ni quod & hic bello fortis, & ille fuit?
Nos quoque, qui colimus divas Helicone morantes,
Capta pari studio pectora amare decet.

MO-

(*) Mss. *Aeneidem*, quod nihili est. Scripsi, *Aegiden*, i. e. Theseum. Res nota e Sophoclis Oedipo Coloneo

MONODIA

IN OBITUM CLARISSIMI AC PRAESTANTISSIMI VIRI,

CHRISTOPHORI TUANI,

Primi ſummae Pariſienſis Curiae Praeſidis,

ET IN EAM

ANTONII CONSTANTINI(*)

NOTAE.

OCTAVIO BANDINO, S. D. N.

Utriusque Signaturae Referendario, V. C.

ANTONIUS CONSTANTINUS

S. D.

Vixi fere biennium cum M. Antonio Mureto, & ſi quid in litteris promovi, illius domeſticae conſuetudini tuae acceptum fero. Scio autem, & illi te amicum eſſe, & illum ſtudioſiſſimum tui. Ego autem utrumque veſtrum, ut debeo, obſervo. Cum igitur ille nuper poëma quoddam de Chriſtophori Tuani, Praeſidis Pariſienſis, mortui laudes ſcripſiſſet, idque ego & ab aliis mirifice probari audirem, & a te laudari viderem; & intelligerem tamen, nonnihil eſſe in eo, quae admonitionem aliquam deſiderarent: breves quasdam notas ſcripſi, quibus & loca quaedam veterum poëtarum, quae ille mihi imitatus videbatur, & alia nonnulla, quae ab ipſo inter loquendum acceperam, indicem. Quamvis autem videbam munuſculum hoc longe eſſe inferiorem tuam dignitatem: tamen cum aliquid omnino tibi hoc tempore offerre ſtatuiſſem, putavi, non tam, quid tu mererere, quam quid ego praeſtare poſſem, cogitandum. Accipies igitur honoris Galli lucubratiunculam, valde, ut mihi videtur, pertinentem ad gloriam Gallici nominis, cujus te ſtudioſiſſimum eſſe ſcio: & voluntatem tui modis omnibus demerendi meam hoc conſules. Vale. Ex paternis aedibus tuis, VI. Kal. Januar. MDLXXXIII. Fe

(*) In his, *A. Conſtantini* nomine ſcriptis, facile ipſius Mureti ingenium agnoſcitur. Idem di endum de tribus Conſtantini epiſtolis quae ſunt inter Muretinas p. 601.

Formidata diu, qua Sol oriturque caditque,
Gallia, praestantum genitrix fecunda virorum,
Felix, o nimium felix, dum' te una voluntas,
Una fides junctam concordi pace ligabat;
Nunc toties, miseranda, tuo madefacta cruore,
Inque tuos saevire coacta immaniter artus,
Adde novos solitis questus, asuetaque pridem
Infelix lamenta novis ululatibus auge.

FORMIDATA DIU. Nulla gens antiquis temporibus bellicosior, aut formidabilior, quam gens Gallorum fuit. Aristoteles 3. *Ethic. ait*, Gallos neque terrae motus, neque fluctus tuere. *De eisdem Aelian. lib.* 12. *de varia historia narrat*, s periculorum amantissimos esse; carminum, quae lingua i scribunt, unam eis materiam esse laudes eorum, qui for- er ceciderunt in bello; pugnare coronatos, tropaea exci- re; quae & virtutis suae monumenta sint, & posteris ad eam itandam incitamenta; fugam ita turpem ducere, ut ne ex mnibus quidem corruentibus, aut incendio correptis fugere s putent; in ipsum etiam mare armatos insilire, tanquam ud quoque aut perterrefacere, aut vulnerare possint. *Quàm m pridem Muretus ipse collegit ad illum Horatii versum;*
Te non paventis vulnera Galliae.
i, Brenno duce, opulentissimum Delphicum templum depraedati nt: quae tamen res eis infeliciter cesserit. Utinamque vel hinc scerent, quanto majori scelere ac periculo veri Dei templa violntur. Illi jam ante Romam ceperant, tantumque fecerant terrem sui, ut eis bellum moventibus, vacationes non valerent, a postea formidabiles fuerunt etiam remotissimis Graecorum genbus, ut proverbio diceretur: τὸ Φρύγιον φίλον ἴχει, γείτονα δ' οὐκ ἴχει.

QUA SOL ORITURQUE CADITQUE. In Oriente Cyprum, udneam, alia; in Occidente Hispaniam ipsam devicerunt.

GENITRIX. Sic Homerus Idam matrem leonum: *sic Pindaus urbem Syracusanam* matrem virorum fortium *vocat.*

FELIX, O NIMIUM FELIX. *Hemistichium Virgilii.*

INQUE TUOS SAEVIRE. Alludere videtur ad fabulam Pisichthonis; de quo Ovid. in octavo:
Ipse suos artus lacero divellere morsu
Coepit, & infelix minuendo corpus alebat.

ULULATIBUS. Tanquam de muliere dixit Virgilius: femineo ululatu. *Homerus:*

Αἱ δ' ὀλολυγῇ πᾶσαι Ἀθήνη χεῖρας ἀνέσχον.

Ille, tui nuper juris tutela, Tuanus,
Quo se praecipue jactabant vindice leges,
Cujus ab omnigena purum mercede tribunal
Certus erat portusque bono, scopulusque nocenti,
Defecit terras. Illa, heu, sacra ora quierunt,
Quae merito juris poterant oracla vocari.
Heu quonam illa abiit blando condita decore
Majestas vultus? quo vis, quo copia fandi?
Quo fugit illa viri, qua nunc vel maxime egebas,
Spectata in dubiis toties prudentia rebus?
Omnia praeteriere, his omnibus orba relicta es.

TUTELA TUANUS. Quasi nomen ipsum Tuani a tuendo ductum sit.

AB OMNIGENA PURUM MERCEDE TRIBUNAL ἀδωροδόκητον *bene PURUM Nam & judices dona respuunt, dicuntur* καθαρεύειν καὶ ἁγνεύειν πᾶς χεῖρας. *Et notus est jocus in eum, qui provinciam compilarat:* Lava manus, & coena. *Et etiam MERCEDE: nam & venales judices dicuntur* μισθωτοί.

PORTUSQUE BONO. Sic Cicero senatum, nationum portum *esse dicit. Portus igitur, quia nullum periculum, Tum judicium exercente, innocenti metuendum erat.*

SCOPULUSQUE NOCENTI. Sumtum ex historia: L. Cassius tribunal, propter judicandi severitatem, scopulum reorum *vocabat.*

ORACLA. Elegantia quaesita ex vocum similitudine, ut, oracla.

IN DUBIIS. Ut enim navis, ita Reip. gubernator in tempestate dubia optime cognoscitur.

TOTIES. Quod semel, bis, terve factum est, casu factum videri potest. At quod saepe, ex habitu est.

Aspice pullata moerentem in veste senatum;
Aspice primores populi: queis vulnere tanto
Confusis, ferrique videntibus omnia pesum,
Et sua cuique movent, & publica damna dolorem.
Quid populum, proceresve loquor? Fluit humor ab illis
Ecce oculis, quos flere nefas, si vota valerent
Publica: flet juvenis, sceptro qui duplice clarus

Cae-

Caelum ipſum aſpectu ſolet exhilarare ſereno:
Nunc alio populi transfigit pectora telo.
Quin etiam ipſa comas capitis laniata verendi,
Turbidaque & ſciſſa incedens miſerabile palla,
Sancta ſui exequias lacrymis Themis urget alumni.
Scilicet humanis nulla eſt fiducia rebus.
Quid falſis fluxisque bonis confidimus? uni
Certa fides caelo, fragili ſtant cetera ſorte.

FLUIT HUMOR. Regem ipſum flere ait.
IN VOTA VALENT PUBLICA. Univerſus enim populus facit, ne regi quidquam flebile contingat.
SCEPTRO DUPLICE. Galliae & Poloniae.
NUNC ALIO. Fit enim quaedam acceſſio doloris publici ex alio dolore.
QUIN ETIAM IPSA COMAS. Themis juſtitiae dea putatur. Eam igitur miniſtri ſui morte moeſtam eſſe fingit.
LACRYMIS THEMIS URGET. Propertianum:

Deſine, Paule, meum lacrymis urgere ſepulcrum.

autem uſitatum poëtis, ut quibus quisque virtutibus praecipue uit, eas in funere ipſius lamentari fingant: quomodo hic Themis, quae eadem & Juſtitia eſt, in funere Tuani, qui juri dicundo ſtiſſime praefuerat, lamentantem facit.
SCILICET HUMANIS. Gnome.

Omnia quae votis homines communibus optant,
Contigerant uni: generis numeroſa vetuſti
Stemmata, avûm virtus, & opes ſine crimine partae,
Forma decens, miſtumque notans gravitate pudorem:
Non vaſti membrorum artus: ſed firma potensque
Compages vigilem crebro traducere noctem, &
Aſſiduos ſtudiorum innoxia ferre labores.

OMNIA QUAE VOTIS. Propoſitio generalis, quam poſtea partes exſequitur.
GENERIS NUMEROSA VETUSTI STEMMATA. Nobilitas.
AVUM VIRTUS ET OPES. Expreſſit Ariſtoteleam nobilitatis tionem, qui in Politicis ait, eam eſſe ἀρχαίου πλοῦτον καὶ ἀρετήν.
VIRTUS ET OPES. Utrumque enim ſine altero imbecillum eſt.

Οὔτ' ἀρετῆς ἄτερ ὄλβῳ ἐπίσταλαι ἄνδρας ἀέξειν,
Οὔτ' ἀρετὴ ἀφένοιο.

OPES SINE CRIMINE PARTAE. Commendatur hoc in re ſcolio, πλοῦτος ἀδόλως.

FORMA DECENS. Euripides:
Ἴδοιμι δ' αὐτὰς ἵκνου' ἄρρεν' ἄρρένων.
Πρῶτον μὲν εἶδος ἀξίας τυραννίδος.
INNOXIA. πεφηνώς, ut apud Virgilium: Omnes innocuae,

Vix ſignabat adhuc terrae ſola fat pede firmo;
Vix poterat certas audire & reddere voces:
Cum ſtudiis illum ingenuis pia cura parentum
Tradidit. Ille animum diſcendi incenſus amore,
Impiger & curam doctorum, & praevenit annos,
Ingenio monitus non exſpectante regentum.
Qualis Theſſalici pecoris generoſa propago,
Materno nuper depulſus ab ubere pullus,
Nunc campis inſultat ovans, nunc flumina tranat,
Jamque ad Olympiacos audax proludit honores.

VIX SIGNABAT. Horatianum:
Reddere qui voces jam ſcit puer, & pede certo
Signat humum.
QUALIS THESSALICI. Elegans comparatio. Theſſalia autem optimos equos ferre putabatur.
DEPULSUS AB UBERE. Virgilius:
Depulſos a lacte domi quae clauderet agnos.
JAMQUE AD OLYMPIACOS. Virgilius:
—— & ſparſa ad pugnam proludit arena.

Ergo illum Aonides bifidi per culmina montis
Apprenſum duxere manu, tum vertice ab uno
Monſtrarunt puero veteris decora ardua Romae:
Et tenera Arpinis lavere liquoribus ora
Non ſemel: atque avidas luſtrarunt ſaepius aures
Mantoaque tuba, & Venuſini crusmate plectri,
Et quos praeterea tulit Itala terra poëtas.
Inde aliud ſacri montis petiere cacumen
Tramite non trito, liberrimus unde patebat
In Grajos proſpectus agros, quos larga perenni
Copia veſtitos & fruge & flore coronat.

BIFIDI MONTIS. Parnaſi. Eleganter autem duos illos vertices, duas linguas facit, Latinam & Graecam.
LUSTRARUNT. κατέχυσαν.
CRUSMATE. Ita vocant Graeci lyrae ſonum.

TRA-

TRAMITE NON TRITO. Propter eorum, qui Graecarum litterarum ſtudio dediti ſunt, paucitatem.

ET FRUGE ET FLORE. Significat ſummam Graecae linguae utilitatem pari amoenitate conjunctam.

CORONAT. Implet, exornat Homerus:

Ἀλλὰ θεὸς μορφὴν ἔπεσι πρέπει.

Idem:

Κῦρος ὁ πρηκτῆρας ἐπισπόμενος στρατοῖο.

Hic plena Hyblaeo (*) populans alvearia melle,
Condidicit miram magni Demoſthenis artem;
Miratus tonitrus, & non imitabile fulmen:
Miratus patrias cingentem moenibus arces,
Et cum Pellaeo ducentem bella tyranno.

HIC PLENA HYBLAEO. Evolvens ſcripta Graecorum. ἀλληγορία.

MIRATUS TONITRUS. Reſpicere videtur ad illud Ariſtophanis de Pericle: ἤστραπτε, βρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα. *Cicero:* Pericles ab Ariſtophane poëta fulgurare, tonare, permiſcere Graeciam dictus eſt. *Idem:* Demoſthenis non tam vibrarent fulmina illa, niſi numeris contorta ferrentur.

MIRATUS PATRIAS. Cum urbis Athenienſis moenia multis ex partibus labarent, delecti ſunt homines decem, qui ea ſumtibus publicis reficienda curarent, e ſingulis tribubus ſinguli. In hoc numero fuit Demoſthenes, qui ſumtibus ſuis partem ſibi attributam refecit, ob idque publice corona aurea donatus eſt. Vide illius Orationem nobiliſſimam περὶ στεφάνου.

ET CUM PELLAEO. Philippum dicit Macedonum regem. Pella enim urbs Macedoniae. Sic & Juvenalis Alexandrum Pellaeum juvenem vocat:

Unus Pellaeo juveni non ſufficit orbis.

DUCENTEM BELLA. Aſſidue enim orationibus ſuis Athenienſium animos acuebat adverſus Philippum, neque cum eo pacem fieri patiebatur. Itaque eum vel maxime Philippus ipſe metuebat. Plutarchus.

TYRANNO. Nomen hoc Homeri temporibus incognitum, poſtea coepit injuſte imperantibus tribui. At poëtae etiam reges interdum tyrannos vocant. Virgilius:

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Te

(*) In Attica ſuavitate laudanda *Hymettium mel*, non *Hyblaeum*, commemorandum erat. Sic etiam judicat Checcotius Indice v. *Hyblaeum*.

Te quoque, Maeonide, grandi audiit ore canentem,
Pelidaeque iram, reditumque ſagacis Ulixi,
Veraque ſub ſpecie miſcentem plurima fałſi.
Addidit his quoscunque alios vetus extulit Hellas,
Qui ſimul & jucunda docent, & idonea vitae.

TE QUOQUE MAEONIDE. Homerum dicit.

PELIDAEQUE IRAM. Argumentum utriusque poëmatis Homerici unico verſu complexus eſt.

SAGACIS. πολυτρόπου, πολυμήτιος.

ULIXI. Genitivus antiquus. Ulixes *autem Latine ſcribi debet, non, ut vulgo,* Ulyſſes, *etſi Graece* Ὀδυσσεύς.

VERAQUE SUB SPECIE. Hac de re extat libellus Heraclidae Pontici, & multa ſunt apud Proclum in libros Platonis de republica.

HELLAS. Graecia.

QUI SIMUL ET JUCUNDA. Horatianum:
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitae.

Mox majora agitans, Academi inviſere ſilvas
Inſtituit, celſique ſimul ſpatia alta Lycei:
Non ut quae tenebris mundi ſator abdidit altis,
Fruſtra ea conquirens, ſtudio indulgeret inani:
Verum ut quae ſcriptis vitae praecepta regendae
Mandaſſent illi, quorum ſapientia clara eſt,
Fontibus haec nitida & ſincera hauriret ab ipſis.

MOX MAJORA AGITANS. Exercitatus in ſtudiis poëticis & eloquentiae, adjecit animum ad Philoſophiam.

ACADEMI. Heros nomen eſt, ex cujus ſepulcro Academia nomen accepit. Platonicam autem Philoſophiam ſignificat.

SILVAS. Horatius: Atque inter ſilvas Academi quaerere verum.

SPATIA ALTA LYCEI. Ariſtoteleam Philoſophiam dicit. Recte autem ſpatia. Ambulans enim docebat. Unde Peripatetici. Recte alta, *erat enim ſuperior ambulatio.*

NON UT QUAE TENEBRIS. Non ut Phyſicam diſceret: ſed ut Politicen.

TENEBRIS. Ita Cicero, res naturae obſcuritate involutas: *& ideo Democritus veritatem in altiſſimo puteo demerſam latitare dicebat.*

FRUSTRA EA CONQUIRENS. Hoc de Socratis ſententia

Eum eſt, qui operam ludere dicebat eos, qui unde fulgura, tonitrua, imbres fierent, exquirebant. Auctor Xenophon in Commentariis. Omnem autem veram Philoſophiam, aut certe ejus ummam uno Homerico verſu dicebat contineri:

Ὅτλι τοι ὃ μεγάρσισι κακὸν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.

STUDIO INDULGERET INANI. Non damnat univerſum Philoſophiae naturalis ſtudium: ſed ea parte inane illud vocat, quae inuerunt Phyſici acumine ſuo ad ea penetrare, quae naturali lumine cognoſci non queunt, de quibus dum inaniter diſputant, in durimos & graviſſimos errores incidunt. Cujusmodi ſunt: Materiam primam creatam non eſſe, Mundum fuiſſe ex omni aeternitate, Deum non cognoſcere ſingularia, Animos humanos aut immortales non eſſe, aut ita eſſe immortales, ut tamen nihil cujusquam proprium maneat; & multa ejusmodi impia & nefaria dogmata, propter quae Tertullianus adverſus Hermogenem Philoſophos haereticorum Patriarchas *vocat. Et de talibus videtur intellexiſſe S. Paulus in Epiſtola ad Coloſſenſes his verbis:* Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.

Prima juventa genas jam flore umbrabat opaco,
Cum ſignata legens patriis veſtigia plantis,
Sic praecultum animum gravioribus applicat orſis,
Et Romanarum ſinuoſa volumina legum,
Spisſum opus, aggreditur vigili pervolvere cura.
Quod per iter cum alii longis ambagibus errent,
Et labyrintheis anfractibus impediantur:
Hic quaſi per planum directo tramite currens,
Antevolat comites: nec tantum aequalia tranſit
Agmina, ſed canos linquit poſt terga magiſtros.
Talem Graeca obiiſſe olim certamina Ladan
Fama refert, primo qui vix e carcere miſſus
Fallebat ſpectantum oculos, metamque tenebat.

JAM FLORE UMBRABAT. Ex Mureto ipſo ſaepe audivi, genus hoc loquendi ab Archilocho ſumtum eſſe.

SIC PRAECULTUM ANIMUM. Cicero in Hortenſio: Uti qui combibi purpuram volunt, ſufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam: ſic litteris talibusque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, ac praeparari decet.

LA.

LADAN. Cursor hic admirabilis fuit, de quo extat hoc epigramma:

Λάδας τὸ ταῦρον εἶδ' ἅλματο, εἶτα δίπλᾳ,
Δικμόνιον τὸ πάχος, ἐδὲ φεύγοντ' ἐνάτευ.

Solinus cap. 6. Polybistoris: Ladas ita supra cavum pulverem cursitavit, ut arenis pendentibus nulla indicia relinqueret vestigiorum. *Mentio illius & apud Catullum, & apud Ciceronem. Vide & Pausaniam in Laconicis.*

CARCERE ἔκπληγος.

FALLEBANT SPECTANTUM OCULOS. Magnum est, oculos fallere. Nullus enim sensus acrior; sed multo majus, fallere oculos spectantium, qui hoc unum agunt, ut omnia plane pervideant.

Postquam aetas matura viro, jamque ardua tempus
Munera tractare, & doctrinam ostendere factis:
Ad defendendas primum hunc facundia causfas
Deduxit, clypeumque reis insontibus unum,
Mortiferae jussit fera bella repellere linguae.

POSTQUAM AETAS. Confecto studiorum curriculo, ad res agendas transiit.

ET DOCTRINAM OSTENDERE FACTIS. Vere enim hoc Aristoteles dicit, finem Politices esse, non cognitionem, sed actionem.

AD DEFENDENDAS. Praeclare. Oratorum enim virtus in defendendo, non in accusando posita est. Idcoque Cicero labores suos forenses, defensionum labores *vocat, principio Tusculanarum: & in Verrem dicturus, summo studio conatur efficere, ut non tam Verrem accusare, quam Siculos defendere videatur.*

CLYPEUMQUE. Illustribus oratoribus post mortem clypeus sacrari, & in curia appendi solebat. Auctor Tacitus.

Semper sponte sua petit ulteriora, sibique
Ipse viam meritis facit ad sublimia virtus.
Ante alias, quascunque opulenta amplectitur urbes
Gallia, tam longe caput una Lutetia tollit,
Ardua quam superant humiles pineta genistas;
Nec vero indecores aliae; sed luna minores
Obruit ut stellas, fraterna ut lumina lunam:
Sic decus omne aliarum haec collata unica delet.

SEM-

EMPER SPONTE SUA. Expositurus, quemadmodum Tua- ad sublimiores honoris gradus pervenerit, praemittit sententi- : Virtutem ambitione non egere, ipsamque suapte vi semper is provehi. Plautus:

'irtute ambire oportet, non favitoribus.
at habet favitorum semper, qui recte facit.

INTE ALIAS. Prima urbs Galliae Lutetia, primus in Gal- senatus Parisiensis, primus in senatu Parisiensi Tuanus.

:APUT. Imitatio Virgilii:

Verum haec ante alias tantum caput extulit urbes,
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

VEC VERO INDECORES ALIAE. Non magnum est ellere: sed inter pulcra excellere, id demum magnum est.

'ED LUNA MINORES. Horatius:

—— micat in er omnes
Julium sidus, velut inter ignes
Luna minores.

Hic sibi jam pridem sedes Astraea locavit:
Marmoreum hic illi templum, laqueataque tecta
Sumtibus inmensis reges statuere vetusti:
Quo bis centeni, lectissima pectora, patres
Conveniunt, quot eunt soles, mactantque verendis
Rite deam sacris, & certo fasque nefasque
Fine regunt, ipsaque afflante oracula reddunt,
Consilioque suo regni moderantur habenas.

HIC SIBI JAM PRIDEM. Astraeam veteres vocabant itiam, aut justitiae deam, quam Jovis & Themidis filiam dixerunt. Ovidius:

Ultima caelestum terras Astraea reliquit.

ic igitur dicit quasi domicilium quoddam elegisse Lutetiae, pro- summam Parisiensis senatus justitiam & dignitatem. Omnino m Astraeae nomine per allegoriam intelligit justitiam divinam: e eadem est cum ipso Deo.

MARMOREUM HIC ILLI. Palatium intelligit, in quo ctiae jus redditur.

QUO BIS CENTENI. Non sunt plane ducenti: neque ta- longe ab eo numero absunt. Sed hic numerum rotundare vo- , more poëtarum.

LECTISSIMA PECTORA. Neque enim assumuntur in eum rem, nisi qui & eruditione, & justitiae opinione praestant, ita onsensus ille fios sit totius Galliae.

QUO

QUOT EUNT SOLES. Quotidie. Sic Horatius:

Quotquot eunt dies.

MACTANTQUE. Non tantum mactare hostias *dicimus ut Virgilius:*

Caelicolum regi mactabam in littore taurum.

sed & mactare Deum hostiis. *Plautus Amphitruone:*

Quia enim te macto.

Cicero in Vatinium: Cum puerorum extis deos manes mactare soleas. *Sic igitur & hoc loco,* mactare deam sacris.

VERENDIS. Ita loquutus est, ut veteres de mysteriis & sacris loquebantur.

RITE. Verbum sacrorum.

DEAM. Deum ipsum intelligit, sed femipino genere utitur propter nomen Astraeae.

SACRIS. Sacrificare Deo videntur, qui jus suum cuique reddunt.

FINE REGUNT. Verbum juris; inde enim actio finium regundorum. Ovidius:

Cum sua quisque regat diverso flumina tractu.

Tibullus:

Qui regeret certis finibus arma, lapis.

ORACULA. Ita vocat decreta ipsius senatus.

Hos inter primo ipsa loco Dea magna Tuanum
Collocat: &, Nostri princeps, ait, ordinis esto.
Ille Deae imperium, solio sublimis eburno,
Exsequitur, poenasque viris & praemia ponit.
Nec mora: diffugiunt fraudes, fugit improba longe
Gratia, quaeque avidas pervertunt munera mentes.
Nil odium, nil ira potest; discrimine nullo,
Nobilis, an plebejus, inops, an divite censu,
Solus, an hinc illinc magnis stipatus amicis,
Consequitur jus quisque suum: trutina omnibus aequa est.

PRIMO IPSA LOCO. A justitia ipsa Tuanum principem senatus constitutum esse dicit, ut ostendat, neque ambitu, neque pecunia in eum locum pervenisse.

POENASQUE VIRIS ET PRAEMIA PONIT. Democritus iis duabus rebus omnem rempublicam contineri putabat, poena & praemio.

DIFFUGIUNT FRAUDES. Ita quasi de animatis loquitur, quam Aristoteles unam de praecipuis elocutionis virtutibus ait dicit.

Ve

Viginti totos ita juri praefuit annos,
Ut nulla interea macula violaverit oſtrum,
Quod ſemel induerat: non tantum criminis expers,
Sed neque ſuſpectus cuiquam, tactusve querela.

UT NULLA INTEREA MACULA. Purpura induuntur ſides ſenatus Pariſienſis. Allegorice autem dicit, eum ſemper ere & incorrupte judicaſſe.
NON TANIUM CRIMINIS EXPERS. Reſpicit ad dictum aris, qui dicebat: domum ſuam non tantum crimine, ſed m ſuſpicione criminis carere oportere.

Non talem patiens ſortita eſt Sparta Lycurgum:
Quanquam illum, ambiguus divumne hominemne vocaret,
Nox potius divos inter numeravit Apollo:
Neu noſtro ante ſuum ferat Attica terra Solonem,
Neve ſuum Minoa, tui quae Juppiter una eſt
Conſcia vagitus, & conſcia Creta ſepulcri.

LYCURGUM Cum Lycurgus, vir inter Spartanas nobilis, Delſ ad oraculum veniſſet, ingredienti ei redditum eſt reſponſum Apolline, quo Apollo ipſe dubitare ſe fatebatur, Deum illum, an inem diceret: ſed ſtatim addidit, ſe eum diis potius annumeſtum praedicare. Hiſtoria extat apud Herodotum lib. 1.
UUM. Quaſi Tuanus Gallus Solo quidam fuerit.
OLONEM. Hic, ut notum eſt leges Athenienſibus dedit.
VEVE SUUM MINOA Hic Cretenſibus leges tulit, ut eſt l Platonem 1. lib. de legibus. Homerus eum novem annos is auditorem fuiſſe dicit. Propter ſummam juſtitiam creatus judex inferorum
ONSCIA VAGITUS In Creta Jovem natum eſſe dicebant: Creta etiam ſepulcrum ipſius oſtendebant. Sed hoc nomine imacibus Cretenſes ut mendaces accuſat.

Obtigit has inter, dictu mirabile, curas
Firma valetudo, & nullis obnoxia morbis,
Atque inconcuſſo decurrens vita tenore:
Non vulgare Dei munus ſimul, & ſimul ingens
Compoſiti argumentum animi. Nam turpiter acta
Ut celeres ducit canos florentior aetas,
Et parit informes morbos, aegramque ſenectam:
Sic ſenium juvenile ſeniliter acta juventus.

OBTIGIT HAS INTER. Tuanum dicit, cum diu admodum vixerit, perpetuo firma valetudine inter multos labores usum esse: quod & maximum Dei munus est, & argumentum temperantiae. Nam Hippocrates quoque affirmat, intemperantiam quasi fontem quendam morborum esse.

NON VULGARE. Nam etiam in versibus, qui pro foribus templi Delphici legebantur, bona valetudo, ut optimum quidque commendatur: λῆστον δ' ὑγιαίνειν.

Sed nihil in terris stabile aeternumve putandum est.
Omnes incerto nos ordine certa manet mors,
Aeternum aut miseros aut effectura beatos.
Ut matrem annosam jam mitia poma relinquunt
Sub finem autumni, contractaque frigore primo
Sponte petunt terram; nitidi ut flos aureus ignis
Deserit arentem, consumta Pallade, lychnum:
Sic agros senio, & vitali humore carentes
Deseruit mens sancta artus, caelumque petivit.

SED NIHIL IN TERRIS. Euripides: Οὐκέτι δὲ θνητὸν ἀλλ' ἀθάνατον.

UT MATREM ANNOSAM. Duabus comparationibus in genere ostendit, mortem naturalem, minimeque violentam. Ut quae autem ex Cicerone est, cujus haec sunt in Catone Majore: Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, ut cum aqua multitudine vis flammae opprimitur; senes autem, sicut ita sponte, nulla adhibita vi, consumtus ignis extinguitur. Et quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi avelluntur; si matura & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis auferet, senibus maturitas.

FLOS AUREUS IGNIS. Sic Aeschylus αὐθὸς πυρὶ.

CONSUMTA PALLADE. Oleo. Ovidius:

Ut vigil infusa Pallade flamma solet.

Verte, age, Musa, modos, vultusque resume priores.
Dicamus bona verba, nefas lugere beatos,
Mitte supervacuo contundere pectora planctu,
Et lacrymarum imbrem populosa Lutetia siste.
Ille tuus praeses flammantibus additus astris
Credita jam cernit, sperataque gaudia carpit,
Nec veterem tamen erga te deponit amorem.

Il

VERTE, AGE. *Hucusque Tuani mortem deploravit, nunc ei ut in caelum evecto gratulatur.*

DICAMUS BONA VERBA. Εὐφημεῖν χρή.

NEFAS LUGERE BEATOS. *Ex philosophorum sententia dubium non est, quin Tuanus beatus vocari queat; nam & usque a puero virtuti deditus fuit; & eam perpetuo exercuit; & diu vixit; & prospera valetudine usus est; summis honoribus functus: & uxorem ac filios habuit ex animi sententia; & cum eos, tum ceteros propinquos atque affines summis honoribus florentes vidit; & discessus a vita ipsi vitae conveniens fuit. Sed & Christiane loquendo, eum, cujus, quantum quidem homines judicare possunt, vita integra & inculpata fuerit, qui a catholica religione nunquam defecerit, & privatim, & publice, quantum in ipso erat, omnium commodis servierit, nihil denique praetermiserit eorum, quae Christianum hominem decent, sperare debemus, in locum piis a Deo destinatum pervenisse: etiamsi id pro certo & explorato affirmare non possumus. Quare haec ita accipienda sunt, ut ex spe & voto potius dicta, quam ex certa & explorata scientia. Sic & S Ambrosius in oratione de obitu Valentiniani Imperatoris, non veretur eum ita alloqui:* Prospicis nos igitur, sancta anima, de loco superiore tanquam inferiora respiciens. Existi de tenebris istius saeculi, & ut luna resplendes, ut sol refulges. *Sed & de Gratiano & de Theodosio eodem modo loquitur, & tacuerit, ut cetera taceantur, Valentinianus sine baptismo decesserat. Non igitur arroganter affirmare vult Muretus, Tuanum caelo receptum esse: sed id scribit, quod & cupit verum esse, & verisimiliter de tali viro sperari potest.*

MITTE SUPERVACUO. *Sic Horatius:*

—— & sepulcri
Mitte supervacuos honores.

CREDITA JAM CERNIT. *In beatis fides amplius non est. Vident enim quod crediderant. Ne spes quidem: Fruunt enim quod sperarant. Sola caritas perpetuo durat.*

Nec vero est, quod te desertam orbamve queraris.
Quid dubitas? viden, ut patrios renovarit honores
Crudus adhuc aevi, primoque in flore juventae
Augustus, tanti spirans genitoris imago?
Hoc tu unquam incolumi, tibi fas lugere putabis?
Cerne duos etiam generos, duo sidera regni,
Conspicuum cunctis excelsa e sede Philippum,
Regia firmantem impresso decreta sigillo,

Aut reſcindentem, ſi quid vel gratia pellax
Elicuit, tantove oppreſſum pondere rerum
Effugit Regem, juſto quod pugnet & aequo.
Quique meis olim fecit ſtipendia caſtris,
Dum ſaltus ſequitur Muſarum, Harlaeus Achilles:
(Nec levis a tali mihi gloria ſurgit alumno)
Qui patris & ſoceri veſtigia pone ſecutus,
Aequatos titulis, prope jam virtutibus aequat,
Majora aſſidue ſpondens: tantum inſtar in illo eſt.
Muretus dominae jam non novus incola Romae,
Haec, Auguſte, tibi moeſtae ſolamina mentis
Dum meditor: nomenque tuum, nomenque parentis
Saepe tui grato reddit mihi murmure Tibris,
Et ſeptem gemini reſonant mea carmina colles.

AUGUSTUS. Jacobus Auguſtus Tuanus, Chriſtophori filius, conſiliarius regius in ſenatu Pariſienſi.

DUO SIDERA REGNI. Imitatum ex illo Virgilii:

—— duo fulmina belli.

PHILIPPUM. Philippum Huraltum, magnum hodie Galliae Cancellarium.

REGIA FIRMANTEM. Notandum eſt in his verſibus, quanta ſit in Gallia Cancellarii auctoritas.

HARLAEUS ACHILLES. Hic nunc ſucceſſit in locum Tuani, ſoceri ſui. Muretum autem olim Lutetiae docentem ipſe audiit.

QUI PATRIS. Nam patrem quoque habuit in eadem urbe praeſidem.

PROPE JAM. Nondum enim ad eam ſenectutem perveneque tam diu in illo munere verſatus eſt.

INSTITUTIO PUERILIS

AD

M. ANTONIUM FRATRIS F.

ET IN EAM

ANTONII CONSTANTINI

NOTAE.

M. ANTONIUS MURETUS

M. ANTONIO FRATRIS F.

S. D.

Utinam tibi eveniant, fili, quae me adduxerunt, ut te statim post obitum patris tui, fratris mihi longe carissimi, ad me huc adduci, & in sinu ac complexu meo educari voluerim. Volui autem illud praecipue, ut, quando florentissimum regnum, in quo uterque nati sumus, Deo justas poenas eorum, quae a nobis peccata sunt, exigente, saevis iam pridem tempestatibus agitatur, tu in hanc Christianae religionis metropolin, tanquam in tutissimum portum, subductus, vera pietate adhuc tener imbuare, & iis moribus assuefias, qui Christianum hominem decent. Cupio quidem & alia tibi contingere, quibus vita & tranquillior & honoratior redditur: sed id, quod dixi, primum mihi ac praecipuum votum est; cetera sunt quaedam quasi appendices & accessiones. Ut igitur voti compos fiam, debeo quidem id quotidianis precibus, ut facio, a Deo petere: neque tamen interea cessare, sed omnia studiose facere ac procurare, quibus te meliorem & virtutis amantiorem posse fieri putem. Ea me causa impulit, ut praecepta

quaedam ad formandos mores pertinentia versibus, qui potui maxime ad aetatis tuae captum accommodatis conscripserim, quae legens, & in primis litterarum rudimenta exerceare, & paullatim discas, quae tibi in omni vita servanda sint. Accipe hoc primum a me munusculum, fili, & ut eo te dignum praestes, pro virium tuarum modulo jam nunc operam dato Romae. Kal. Januar. MDLXXVIII.

Dum tener es, Murete, avidis haec auribus hauri:
Nec memori modo conde animo, sed & exprime factis.

DUM TENER ES. Praeceptis ad honestatem pertinentibus imbuendi sunt molles adhuc & teneri puerorum animi: tenacissime enim haerent ea, quae tunc combibuntur. Adeo in teneris consuescere multum est, *ait Virgilius; & huc pertinet illud Horatii:*

Quo semel est imbuta recens, servabit odorem
Testa diu

Sed nihil profuerit ea tradi suo tempore, nisi avide hauriantur: nihil avide hauriri, si statim effluant; nihil memoria contineri, nisi exerceantur. Haec igitur omnia praecipiuntur his duobus versibus.

Inprimis venerare Deum: venerare parentes:
Et quos ipsa loco tibi dat natura parentum.

INPRIMIS. Imitatum ex illo Virgiliano: Inprimis venerare Deos. *Constat autem & semper inter omnes sapientes constitit, pietatem in Deum fundamentum esse omnium virtutum.*

VENERARE PARENTES Proxime Deum colendi sunt parentes, quos etiam Iamblichus ait esse θεοὺς ἐγγενεῖς.

ET QUOS IPSA. Qui pueruli patre orbati sunt, quod contigit ei, ad quem haec scribuntur, honorem parentibus debitum transferre debent in eos, a quibus educantur; quique sunt eis parentum loco.

Mentiri noli, nunquam mendacia prosunt.
Si quid peccaris, venia est tibi prompta fatenti.

MENTIRI NOLI. Pythagoras dicebat, nulla re propius accedere homines ad Deum, quam veritate. Herodotus a quo

mo aetatis usque ad vicesimum ait Persarum pueros haec tria ntum discere: equitare, jaculari, & verum dicere; idemque : nihil a Persis mendacio turpius judicari. Magna igitur laus , quam tribuit Attico Cornelius Nepos, *quem ait* neque men. cium dixisse, neque pati potuisse dicentes *Recte igitur t praeceptum de cultu divino, adjectum est praeceptum de amanveritate, cum Deus ipse sit veritas. Quoniam autem utilitatis cujus specie plerumque adducuntur homines ad mentiendum: idco statim caussa illa removetur his verbis: NUNQUAM MENACIA PROSUNT. Quod idem dici potest de toto genere imobarum actionum, juxta illud Homericum,* οὐκ ἀρητὸς κακὸ ἔργα. *SI QUID PECCARIS. Nulla res est, quae facilius puerulos ducat ad mentiendum, quam cum aliqua in re peccasse se vident. oc igitur ut amoveat, ait confitenti paratam esse veniam. Ne e dubium est, quin facilius ignosci debeat ei, qui peccatum suum genue fatetur, quam ei, qui mentiens, peccatum peccato cumu- . Aristoteles quoque in Rhetoricis ait,* confessionem erroris icacem esse ad veniam consequendam.

Disce libens, quid dulcius est quam discere multa?
Discentem comitantur opes, comitantur honores.

DISCE LIBENS. Quod quisque libenter facit, idem etiam imie facit. Nam, ut verissime ait Aristoteles libro septimo hicorum; ea quidem voluptas, quae, cum quid agimus, unde percipitur, impedit, & avocat nos ab eo, quod agis, ejusque perfectioni impedimento est: at ea, quae ex o, quod agimus, capitur, adjumento est ad id melius & rfectius exequendum. *Itaque qui libenter discit, multa etiam cit; quemadmodum ab Isocrate juniore dictum est,* ἐὰν ἦς φιλοθὴς, ἔσῃ πολυμαθής.

QUID DULCIUS EST. Naturale hoc quoddam quasi pabun esse animorum & ingeniorum, ait Cicero in Academicis; & istoteles lib. 2. Rhetor. ait: Nihil esse dulcius, quam multa ile discere. *Ostendunt id exempla Archytae Tarentini, Soclis, Archimedis, & aliorum, quae a Mureto ipso collecta t in Oratione de studiis litterarum Et a Pomponio Jurisconto in l. apud Julianum, ff. de fideicom. libert. refertur sententia cujusdam, qui ait,* se, etiamsi alterum pedem in sepulcro beret, ad aliquid amplius discendum paratum fore. *Dulcisum quidem est scire omnia, ut ait Sophocles: sed quoniam id nini contingere non potest, sequitur, ut homini nihil suavius sit, m multa discere.*

DISCENTEM COMITANTUR OPES. Esne igitur dig dum spe opum aut bonorum? non. Sed pueri nondum intellig possunt, cognitionem rerum per se. etiam detractis talibus praem expetendam esse. Itaque excitandi sunt etiam talibus praemiis:

— Ut pueris olim dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

Si quis te objurget, male cum quid feceris, illi
Gratiam habe, & ne iterum queat objurgare, caveto

SI QUIS TE OBJURGET. Molestè plerumque ferre so pueri, cum objurgantur; & eos tamen, cum saepe peccent, sa etiam objurgari necesse est. Monet igitur, ut non modo non si censeat eis, a quibus objurgabitur, cum male aliquid fecerit; s etiam id in beneficii loco accipiat, detque operam, ne iterum t nomine objurgari queat.

Ne temere hunc credas, tibi qui blanditur, amicum:
Peccantem puerum quisquis non corrigit, odit.

NE TEMERE. Ut abhorrent ab iis, a quibus objurgan ita libenter audiunt eos, qui sibi blandiuntur: neque enim aliu per aetatem possunt blandidicos & assentatores ab amicis dign nere. At nihil est, quo deteriores pueri fiant, quam si qui e etiam peccantibus blandiatur. Praeclare instituerat Lycurgu ut Spartae quisquis ex civibus quemcunque puerum indecor quid facientem vidisset, eadem libertate & auctoritate cum o jurgare ac verberare posset, qua liberos suos: quin etiam ver baebatur, si quis puer apud patrem suum questus esset, quod a alio verberatus fuerit, nisi pater eum duplo amplius verberas.

Qui semel incautum blando sermone fefellit,
Ille idem, dabitur quoties occasio, fallet.

QUI SEMEL. Semel falli, humanum est; at a quo fal fallus sis, ei denuo credere stultitia est. Quem enim semel m livioſum experti sumus, eum semper pro malitioso habendum, etiam Jurisconsulti monent.

Nec cuivis sapiens, nec nulli credere debet.
Fallitur alter saepe, fidem sibi detrahit alter.

MU

NEC CUIVIS. *Qui nemini fidem habet, indignus eſt, cui quisquam fidem habeat; qui temere omnibus credit, effugere non poteſt, quin ſaepe fallatur. Utrumque igitur fugiendum eſt. Verum enim eſt illud Heſiodi*, utrumque perniciosum esse hominibus, & nimis credere, & nimis diffidere.

Πίστις δ' οὔτε ἀπιστίη ἀμείνων ἀνθρώποις.

Muretus quoque ipſe in ſententiis Graecis (v. 144. 145.) *ait, nimiam quidem diffidentiam esſe morbum improborum, nimiam autem credulitatem morbum vecordium.*

Si quid forte mali aut facias, aut mente volutes,
Ut lateas homines, certe Deus omnia cernit.

SI QUID FORTE MALI. *Spes latendi, maxima peccandi illecebra eſt. Nullum igitur potentius frenum eſt, quam ſi perpetuo cogitemus, Deum ea omnia, quae a nobis & fiunt, & cogitantur, praeſentem intueri: & fieri quidem poſſe, ut quis in maleficiis hominum conſcientiam effugiat; Deo nuda & aperta esſe omnia, eumque, ut de Sole ait Homerus,* πάντ' ἐφορᾷ, καὶ πάντ' ἐπακούει. *Praeclarus eſt Senecae locus in hanc ſententiam, Epiſt.* LXXXIV. Sic certe vivendum eſt, tanquam in conſpectu vivamus: ſic cogitandum, tanquam aliquis in pectus intimum inſpicere poſſit. Et poteſt Quid enim prodeſt, ab homine aliquid esſe ſecretum? nihil Deo cluſum eſt: intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit *Sunt & in ſententiis Graecis duo verſus* (71. & 72.) *qui eandem ſententiam continent; ſed eas ipſas aliquando explicabo.*

Non niſi ſpectatis arcana ſodalibus effer.
Quodque tacere voles alios, prior ipſe taceto.

NON NISI SPECTATIS. *Qui ſecreta ſua temere vulgant, injuſte ab aliis taciturnitatem poſtulant quam ipſi ſibi praeſtare non poſſunt. Merito igitur laudatur Metellus ſenior, qui rogatus, ut ſecretum quoddam ſuum panderet*, Si ſcirem, *inquit*, tunicam meam ſecretorum meorum conſciam esſe, exuerem illam ſtatim, & comburerem. *Convenit hoc praeceptum cum his verſibus Theognidis:*

Πρῆξιν μηδὶ φίλοισιν ἅλις ἀνακοίνεο πᾶσιν.
Παυρίδιοι δὲ τοὶ πιστὸν ἐπὶ φρεσὶν ἔχουσι νόον.

SPECTATIS, δοκιμασθῶσι. *Tacitus*: Tiberium Neronem maturum annis, ſpectatum bello. *Multi autem modii ſalis edendi ſunt cum aliquo, antequam eum ſpectatum nobis dicere liceat. Vere enim Theognis, improbos etiam exiguo tempore, at bonos viros non niſi longa conſuetudine & diligenti obſervatione poſſe cognosci:*

Χρόνῳ τὸν ἀγαθὸν ἄνδρα δείκνυσι μόνῳ.

Nil cupide ſpecta, niſi quod feciſſe decorum eſt:
Turpia corrumpunt teneras ſpectacula mentes.

NIL CUPIDE SPECTA. Non temere Plato in libris de Rep. & Comoedos, & Tragoedos excludit ab ea civitate quam inſtituit, quod alteri libidinem, alteri cupiditatem & impia facinora in animos civium inferant. Merito eosdem ſeveriſſima Lacedaemoniorum civitas nunquam admittendos putavit. Eadem de causa Solon, cum Theſpin fabulas ſuas ex antiqua conſuetudine recitantem vidiſſet, baculo, quem manu geſtabat, terram percutiens, cito futurum eſſe dixit, ut, quibus in theatro ſpectandis aſſuescerent homines, iisdem etiam in ſeriorum negotiorum tractatione uterentur. Male igitur conſulunt liberis ſuis, qui eos adhuc puerulos, & , ut Plato loquitur, cereos ad ejusmodi ſpectacula admittunt.

Averte impuris procul a ſermonibus aures:
Et qui illis gaudent, horum conſortia vita.

AVERTE IMPURIS. Vetus eſt Menandri verſus, quo citato S. Paulus in prima ad Corinthios Epiſtola uti dedignatus non eſt:

Ἤθη καλὰ φθείρουσιν ὁμιλίαι κακαί,
id eſt,
Mores bonos colloquia corrumpunt mala.

Vereque ſcriptum eſt a S. Baſilio, τὴν ἕξιν τὴν φαύλην ἐκ λόγων συνήθειαν, ὁδὸν πρὸς αὐτὴν ἐκ τῶν πεφυκέναι. Socrates, tales fere eſſe dicebat cujusque mores eſſe, qualis eſſet oratio. *Meritoque commendatur illa ſive lex, ſive conſuetudo Perſarum, qua, ut ait Herodotus lib. 1. quidquid facere turpe eſt, idem etiam dicere turpe eſſe ducebant.*

HORUM CONSORTIA VITA. Praeclare enim dixit Theognis, bonorum conſuetudine bona condiſci, malorum autem familiaritate, etiam ſi quid in nobis prius boni erat, amitti:

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ διδάξεαι, ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμίσχῃς, ἀπολεῖς καὶ τὸ παρ' ἐσθλὸν νόον.

Prin-

Principio ſtudii radix inamoena videtur,
Sed profert dulces parvo poſt tempore fructus.

PRINCIPIO STUDII RADIX. Diſtichon hoc expreſſum eſt nobili ſententia Iſocratis, quam ita expoſuit Aphthonius. Ἰσοκράτης τὰ παιδείας τῆς ῥίζας πικρὰν ἔφη, γλυκείας δὲ τοὺς καρπούς. *Eam autem fuſius explicatam videre ſi quis velit, ex Aphthonio ipſo petat licet.*

Ludo indulſiſti? ſubito evolat illa voluptas.
Legiſti? utilitas ſtudio percepta manebit.

LUDO INDULSISTI? Videntur hi duo verſus efficti ex enthymemate Muſonii, quod exprimam Latine, etſi metuo ne longe futurus ſim infra Graecae orationis ſuavitatem. Eſt igitur hoc: Si pulcri quid cum labore feceris, labor quidem praeterit, pulcritudo autem manet Sin quid turpe per voluptatem, evolat voluptas, manet turpitudo. *Marcus Cato hoc antea dixerat his verbis:* Cogitate cum animis veſtris, ſi quid vos per laborem recte feceritis, labor ille a vobis cito recedet; bene factum. dum vivitis, non abſcedet. Sed ſi qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit; nequiter factum illud apud vos ſemper manebit, *Gellius lib. 16. cap. 1.*

Ut moderata quies prodeſt, viresque miniſtrat:
Sic hebetat corpus nimia, ingeniumque retundit.

UT MODERATA QUIES. Somno moderato egent pueri. Sed immodico ſomno nihil perniciouſius; nam & obtuſiores atque hebetiores facit, & corporis proceritatem impedit. Vide Gellium cap. 19. lib. 4.

Si prodeſſe aliis ſtudeas, tibi proderis ipſi.
At niſi ames alios, & te quoque nullus amabit.

SI PRODESSE ALIIS. Qui ſtudium ſuum confert ad alios adjuvandos, multo plus ſibimet ipſi prodeſt, quam aliis. Primum enim, quo nihil melius eſt, aſſuefacit ſe ad benefaciendum; deinde multos ſibi amicos adjungit, quo nihil eſt neque in rebus proſperis jucundius, neque in adverſis utilius. At qui ſuam tantum, ut dicitur, rem agit, &, ut Epicurei ſapientem facere dicebant, nihil curat praeter ſemet ipſum, & ipſo quotidie deterior fit, &

ami-

amicis caret, sine quibus vita vitalis esse non potest. Quisque igitur, quantum in ipso est, aliorum commodo procurat, & quam plurimis bene mereri satagit, is vel maxime utilitatibus suis servit. Videtur haec sententia sumta ex Seneca, cujus haec sunt in lib. 11. *epistolarum:* Nemo non, cum alteri prodest, sibi prosuit.

Successus faustos nunquam admirare malorum:
Sera licet, tamen olim illos sua poena sequetur.

SUCCESSUS FAUSTOS. Ad hoc distichum illustrandum legendus est Plutarchi liber de iis, qui sero a numine puniuntur: aut potius Psalmi aliquot in eandem sententiam a Davide divinitus scripti. Nota est & Valerii Maximi sententia: Lento quidem gradu ad vindictam divina procedit ira, tarditatemque supplicii gravitate compensat; *& illud Homeri ex* 8. *lib. Odysseae:*

Οὐκ ἀρετᾷ κακὰ ἔργα· κιχάνει τοι βραδὺς αἰνύς.

& illud Tibulli:

Ah miser, etsi quis primo perjuria celat,
Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

quod & ipsum ex Homero sumtum est, qui Aten mollibus actoris pedibus esse ait Horatius:

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede poena claudo.

Si tibi grata quies, juvenis ne parce labori:
Dux ad honoratam est homini labor ipse quietem.

SI TIBI GRATA QUIES. Laborandum est in juventute, ut senibus cum dignitate quiescere liceat. Qui enim laborem juvenes fugiunt, plerumque senes laborare coguntur. Et hoc significat versus ille Epicharmi, quem Socrates, ut est apud Xenophontem, crebro in ore habebat:

Ὦ πανῥᾳδίη, μὴ πὰ μαλακὰ μάθω, μὴ πὰ σκληρὰ ἔχῃς.

Inspice te in speculo: & bona seu tibi forma videtur,
Moribus obscoenis illam foedare caveto:
Seu tibi subtraxit vultus natura decorem,
Ingenio ut formae compenses damna, labora.

*INSPICE TE IN SPECULO. Hoc quoque praeceptum Socraticum est, celebratum a Xenophonte, Plutarcho; & aliis. Extat & ab ipso Mureto quinque versibus (*176. *seqq.) expressum in sententiis Graecis.*

Nil facito, quod turpe putes fecisse videri:
Et cura, ut multis tibi sis pro testibus ipse.

NIL FACITO. Natura comparatum est, ut qui quid turpe facturi sunt, tenebras & solitudinem quaerant, aspectum & concientiam omnium, quoad ejus fieri potest, refugiant. Si quis igitur hoc a se obtinere possit, ne minus semet ipsum, quam alios revereatur, etiom solus verebitur ea facere, quae praesentibus aliis non auderet. Sapientissimum igitur praeceptum est, quod his versibus continetur, ut maxime vereatur quisque se, & cujus alios conscios esse nollet, ejus ne se quidem sibi conscium esse patiatur. Est autem praeceptum Pythagorae in iis carminibus, quae aurea vocantur.

—— πρῆξαι δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου,
Μήτ' ἰδίῃ, πάντων δ' μάλιστ' αἰσχύνεο σαυτόν.

Ut nos pauca loqui, plura autem audire moneret,
Linguam unam natura, duas dedit omnibus aures.

UT NOS PAUCA LOQUI. Ad Aesopum Phrygem refertur. Constat autem utrumque in laude poni, & parce loqui, & cupide audire: meritoque laudatur veteris poëtae versus:

Σιγᾶν δ' ὥρα δοῖ, τὸ λέγειν δὲ κλίσιον.

Praecipue autem hoc in juvenibus locum habet: multa enim discere necesse habent. Et Aristoteles auditum ait esse sensum disciplinae. Et sapientissimus Hebraeorum, etiam eum qui sapiens sit, si libenter audiat, sapientiorem fore. Neque injuria Pythagoras quinquennium tacere jubebat adolescentes, qui se ei in disciplinam dabant.

Ἡ γὰρ σιωπὴ κόσμῳ ἀσφαλὴς νέῳ.

Vide Plutarchum in commentario de audiendo.

Quae servare voles, ne crebro invisere parce.
Namque minus furem metuunt quae saepe videntur.

QUAE SERVARE VOLES Negligentia dominorum nihil est in re familiari pernicioſius. Est autem praeceptum M. Varronis quod hic ponitur, cap. 22. lib. 1. de re rustica: Quae res quotidie videntur, minus metuunt furem.

Blanditur primo, sed perdit inertia famam:
Aspera res primo est, sed fert industria laudem.

BLANDITUR PRIMO. Ad hoc distichon illustrandum vide

poë-

poëma Auſonii, quod falſo Virgilio tribuitur, de littera Pythagorae. Vide etiam colloquium voluptatis & virtutis cum Hercule quod ex Prodico refert Socrates apud Xenophontem lib. 2. commentariorum; quem totum locum Latine reddidit Budaeus in libro de ſtudio inſtituendo. Et tale quiddam fingit Silius contigiſſe Africano. Vide etiam Philoſtratum lib. 6. de vita Apollonii.

Aut vinum ne tange, aut multa prolue lympha.
Cum vino indulges, igni puer adjicis ignem.

AUT VINUM NE TANGE. Plato lib. 2. de legibus, pueris negat permittendum eſſe uſum vini ante annum decimum octavum, & ait eos qui aliter faciunt πῦρ ἐπὶ πῦρ ἐχτιθέναι: Et praematuro vini uſu furorem quendam ingenerari hominibus. *Idem narrat*, apud Carthaginienſes legem fuiſſe, ne quis in exercitu vinum guſtaret, ſed toto expeditionis tempore ſolius aquae potu in caſtris uterentur. *Item*, ut in urbe neque ſervi, neque ancillae vinum unquam guſtarent: ac ne magiſtratus quidem toto illo anno, quo jus dicebant, neque gubernatores navium, neque judices, quam diu illo munere fungerentur. *Praeterea*, ne ii quidem, qui in conſilio de rebus gravibus ſententiam dicturi eſſent. *Item*, ut de die nemo in urbe vinum biberet, niſi aut exercitationis, aut morbi cauſa: ac ne noctu quidem ii patresfamilias, matronaeque ipſorum, qui ea nocte liberis operam daturi eſſent. *Romae quoque mulieribus perdiu vinum bibere non licuit: inſtitutumque ob eam rem, ut cognatos oſcula ſalutarent, ut anhelitus ipſe fidem faceret, eas abſtemias eſſe. Hodie illa tanta ſeveritas remiſſa eſt.*

Fac tibi ſit vultus comis, ſermoque modeſtus,
Sic multos facile tibi conciliabis amicos.

FAC TIBI SIT VULTUS COMIS. Multi ſunt, qui truculentia quadam & feritate aſpectus, odium ſibi conciliant: quod Caligulam etiam adhibito ſtudio feciſſe traditum eſt; quin & Druſillam non alio firmiore indicio ſui ſeminis eſſe credebat, quam feritatis, quae illi tanta ſtatim ab infantia fuiſſe dicitur, ut infeſtis digitis ora & oculos ſimul ludentium infantium inceſſeret. Contra autem comitas vultus primo ſtatim aſpectu omnium ſibi amores conciliat: praeſertim ſi eam ſermonis etiam modeſtia ſubſequatur. Ita autem hic dicitur vultus comis, *ut apud Livium*, frons comis, *libro* 1. Excepti hoſpitio ab Tullo blande ac benigne, co-

omi fronte, comiter regis convivium celebrant· *quem locum citare volui, ut emendarem, nam in omnibus vulgatis libris uae illae voces*, comi fronte, *deſiderantur, quae tamen legun- ur & in aliis veteribus, & in uno, qui apud Muretum eſt.*

Pauperiem ne cui miſero exprobaveris unquam:
Cujus munus opes, ejusdem eſt munus egeſtas.

PAUPERIEM NE CUI. Ut corporis morbos cuiquam ex- robrare ſtultum eſt, praeterquam ei, qui per ignaviam aut per in- emperantiam eos contraxerit, quod praeclare Ariſtoteles monet: :a pauperies nemini probro eſt, niſi qui aut inertia & deſidia in am inciderit, aut patrimonium in honeſtis artibus diſſiparit. Paupertas quidem ipſa per ſe tam longe abeſt ab omni turpitudine, t praeſtantiſſimi quique ex omni antiquitate pauperes fuerint. Pauper fuit Phocion, pauper Miltiades, pauper Socrates. Ex Romanis Poplicolae, Menenii, Curii, Fabricii, Camilli, aliique raeſtantiſſimi viri pauperes fuerunt. Immo vero non magis de- ecori erat ex opibus in paupertatem incidiſſe, quam in patria & vita paupertate non perſtitiſſe. Notum eſt quid M. Craſſo ob- ectum fuerit: Tu ſi vir bonus eſſes, tam cito ad tantas divi- ias non pervenisſes? Nulli igitur exprobranda paupertas eſt; raeſertim cum ita fundatas ac conſtabilitas opes ſuas habeat nemo, uin puncto temporis ad mendicitatem redigi poſſit. Eſt autem oc quoque praeceptum Theognidis:

Μή ποτέ μοι πενίην δυσμοφίην ἀνδρὶ χαλιφθῇς,
Μηδ' ἀχρημοσύνην Κύρνε κακὸν ἀσάφιην.
Ζᾶδς γάρ τοι τὸ πλοῦτον ἐπιρρέπει ἄλλοτε ἄλλῳ,
Ἄλλοτε μὲν πλουτεῖν, ἄλλοτε δ' ἐδὲν ἔχειν.

Similis eſt & Iſocratis ſententia: nulli exprobrandam calamita- em: Fortunam enim communem eſſe, neque poſſe, quid uturum ſit, provideri *Μηδενὶ συμφορὰν ὀνειδίζης, κοινὴ γὰρ ἡ τύχη, καὶ τὸ μέλλον ἄδηλον.*

CUJUS MUNUS OPES. Sumtum ex 11. *cap. Eccleſ. ubi ta ſcriptum eſt: πλοῦτος καὶ πλοῦτος ἐπὶ πᾶσι κτίσις ἐστί.*

Semper opum ſtudio praefer virtutis amorem.
Non opibus virtus, ſed opes virtute parantur.

SEMPER OPUM STUDIO. Plato omne aurum, quod ſu- ra, quodque infra terram eſt, cum virtute comparandum negat. t Theognis, cum dixiſſet, multos improbos divites eſſe, mul-

multos autem viros bonos pauperes; *statim subjicit*, multi pluris tamen faciendam esse virtutem, quod haec firmum quiddam & stabile sit; pecuniae autem modo ad hos, modo ad illos transeant. *Socratis autem est, quod statim subjicit*, Virtutem opibus parari non posse, at opes virtute parari esse. *Neque non huc pertinet, quod Pericles dixisse fertur. Qui cum generum virum bonum & industrium, opulento, sed ignavo antepositset, causam ejus rei rogatus*, malle se, respondit, virum sine opibus, quam opes sine viro. *Facile autem ipse vir bono & erudito opes, si velit parare: argumento est vel id, quod de Thalete Milesio ab Aristotele in Politicis, & a Plat narratur.*

NON OPIBUS VIRTUS. Quod hic de virtute dicitur, ita dicit de gloria Isocrates. Δόξῃ μὲν χρήσασθε πᾶσι, δοξα δ' οὐχ ἁπλῶν ἀλλ' ἀνδρῶν.

Disce, & quae discis, memori sub pectore conde,
Aut facies tantundem, ac si cribro hauseris undam.

DISCE, ET QUAE DISCIS. Ut cibus, nisi continuatur in ventriculo, inutilis est: ita quidquid discitur, si statim excidat, inutile. Vereque Fabius lib. XI. *cap.* 2. frustra doceri nos si quidquid audimus, praeterfluat. *Videtur autem secundus eorum suos respicere ad fabulam Danaidum, quae plenis rimarum vasis aquam haurire, eamque in dolium, quod ipsum quoque pertusum est, apud inferos congerere dicuntur. Neque enim unquam illorum dolium expletur, neque animus ejus, qui eorum, quae didicit, statim oblivisciturus. In pueris autem praecipue exercendam esse memoriam, & Quintilianus, & alii tradiderunt.*

Dulcia sint quamvis, nunquam tamen appete, quae sint
Aut damnum allatura, aut incusura pudorem.

DULCIA SINT QUAMVIS. Nihil est quod magis homines invitet ad peccandum, quam voluptas: ideoque eam Plato escam malorum vocabat. Monet igitur, ut cum aliqua nobis suavitatis illecebra objecta est, ne statim nos abripi finamus, sed prius recognitemus ipsi nobiscum, nunquid ea res, quae nos ad se allicit, ad damno, aut probro futura sit: ut si vel alterutrum, vel etiam utrumque ex ea impendere videamus, ab ea suscipienda deterreamur.

Ita

Irasci noli temere, nil foedius ira:
Quam quaecunque movere solent, ea temnere laus est.

IRASCI NOLI TEMERE. Non omnino vetat irasci: etenim qui omnino non irascitur, stupidus videtur, *ut ait Aristoteles quarto Ethicorum. Et* iracundiam in pueris non ferendam modo, sed & laudandam, ut quae ingenii signum sit, *Politianus integro libello docere conatus est. Non igitur omnino irasci vetat, sed temere irasci.*

NIL FOEDIUS IRA. Seneca: Ut scias insanos esse, quos ira possedit, ipsum illorum habitum intuere. Nam ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquietae manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria; ita irascentium eadem signa sunt. Nescias, utrum magis detestabile vitium sit, an deforme.

QUAM QUAECUNQUE. Levia plerumque & contemnenda sunt, quae nos ad iram commovent. Seneca: Frivolis turbamur & inanibus. Taurum color rubicundus excitat; ad umbram aspis exsurgit; ursos, leonesque mappa prorsitat; Omnia, quae natura fera, ac rabida sunt, consternantur ad minima. Idem inquietis ac stolidis ingeniis evenit, rerum suspicione feriuntur.

Venti agitant celsis positas in montibus ornos,
A quibus in media tuta est arbuscula valle:
Sic & opes agitant majora pericula magnas,
Tutior angustos comitatur vita penates.

VENTI AGITANT. Eleganti comparatione docet, tutiorem esse vitam eorum, qui mediocribus opibus instructi sunt, quam eorum, quos magna opum copia, & magna potentia invidiosos facit. Potentes invidiae expositi sunt; tenues contemtui; optima mediocrium conditio. Recteque Solon:

Πολλὰ μέσοισιν ἄρηται, μέσοις δίλω ἐν πόλει εἶναι.

Horatius:

Saepius ventis agitatur ingens
Quercus, & celsae graviore lapsu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.
Auream quisquis mediocritatem
Diligit, tutus caret obsoleti
Sordibus tecti, caret invidenda
Sobrius aula.

Pauca loqui puero, ſed tempeſtiva, decorum eſt:
Haec etenim ingenium res judicat, illa pudorem.

PAUCA LOQUI PUERO. Pueros ornat ſilentium, eſt eni argumentum modeſtiae: ſed qui nimis taciturni ſunt, bebetes p rumque & obtuſi eſſe conſueverunt. Contra autem qui natura g ruli ſunt, oblectamento quidem eſſe ſolent audientibus: ſed niſi peſtive coërceantur, procaces ac petulantes evadunt. Optanda i tur in puero eſt ea indoles, ut & taceat ipſe, loquentibus ma grandioribus, avideque illos diſcendi ſtudio audiat: & interro tus, argute atque ingenioſe reſpondeat. Nam & modeſtum eju oſtendet, & ſolertem atque acutum. Tale quiddam in Lacedæm niorum pueris à Xenophonte laudatur.

Scire cupis, quae ſit famae via certa parandae?
Talem te praeſta, qualem te poſcis haberi.

SCIRE CUPIS. Socrates tutiſſimam & quaſi compendiariam viam ad famam eſſe dicebat, ſi quis talis eſſe ſtuderet, qualem haberi vellet. Xenophon lib. 2. commentariorum. Cicero de o ciis lib. 2.

Verbera non metuet, metuet qui juſſa magiſtri:
Haec qui contemnet, merito miſer illa timebit.

VERBERA NON METUET. Ut in viris, qui leges max me metuunt, ſecuriſſime vivunt; contra autem, qui non metu leges, in perpetuo verſantur accuſatorum & judicum metu: ita pueris, qui maxime magiſtrorum juſſa metuunt, minime metuu verbera. Similis ſententia eſt Syneſii in Epiſtolis: ἀφοβία γὰρ τὸ φοβᾶσθαι τοὺς νόμους.

Quam felix puer eſt, virtus in quo anteit annos!
Illum omnes meritis certatim laudibus ornant,
Et ſpectant cupide, & felicia cuncta precantur.
At contra nemo alloquio dignatur inertes.
Spernuntur cunctis & vulgi fabula fiunt:
Vix oculis pater ipſe illos ſatis aſpicit aequis.

QUAM FELIX PUER. Hi ſex verſus ſatis per ſe perſpic ſunt

Non tantum in praeſens obſunt peccata: ſed hoc plus
Ad mala quod proclivem animum aſſuetudine reddunt.

NON TANTUM. Socratica sententia est. Constat autem ex Aristotele lib. 2. & 3. Ethicorum, frequentatis ejusdem generis actionibus habitum effici. Quanquam autem in potestate nostra est, quid agamus: ubi tamen saepe & diu agendo vitium contraximus, difficile est abducere se a diuturna & inveterata consuetudine. Quare magno studio cavere debemus, ne peccemus: propterea quod saepe peccando contrahimus habitum, qui ubi semel radices in animo egit, non nisi maxima cum difficultate evelli & extirpari potest.

Quae bona sunt, sectare, etiam si dura videntur
Principio: longus paullatim ea molliet usus.

QUAE BONA SUNT. Hoc quoque Socratis est: deligendam esse a principio eam vivendi rationem ac vitam, non quae jucundissima sit sed quae honestissima. Adhibita enim consuetudine, eam ipsam jucundissimam fore. *Verum est, quod ait Lucretius* — consuetudo concinnat amorem. *Pertinet huc dictum Lacedaemonii cujusdam, qui captivus cum interrogaretur a domino*, qui ei praeteriturus esset, si eum liberis suis praefecisset? ut ea, *inquit*, quae pulcerrima sunt, fiant ipsis etiam jucundissima. *Hanc ipsam sententiam graviter, ut solet, expressit S. Basilius his verbis: Δεῖ βίον αἱρεῖσθαι μὲν ἥκιστα αἰρετὸν, ἡδὺ δὲ ἀποδοκεῖν τῇ συνηθείᾳ βιάζεσθαι.*

Acceptum officium memora atque extolle: sed abs te
Collatum extenua, & potius sine praedicet alter.

ACCEPTUM OFFICIUM. Celebrata est a sapientibus sententia, beneficii, eum qui dedit, statim; eum, qui accepit, nunquam oblivisci oportere *Qui autem beneficia, quae in alios contulerunt, ipsimet praedicant, detrahunt illis omnem gratiam, & efficiunt, ut iis, qui acceperunt, de illis tacere liceat: cum ipsi partes eorum occupent. Extat in hanc sententiam elegantissimum epigramma Martialis*:

Quae mihi praestiteris, memini, semperque tenebo.
Cur igitur taceo, Postume? tu loqueris.
Incipio quoties alicui tua dona referre,
Protinus exclamat: Dixerat ipse mihi.
Non belle quaedam faciunt duo, sufficit unus
Huic operi. Si vis ut loquar ipse, tace.
Crede mihi, quamvis ingentia, Postume, dones,
Auctoris pereunt garrulitate sui.

Utilitas quoties pugnare videtur honesto,
Ne dubitare quidem fas est, quin vincat honestas.

UTILITAS QUOTIES. *Cicero primo de legibus*: Recte Socrates eum execrari solebat, qui primus utilitatem ab honestate sejunxisset. Id enim querebatur caput esse exitiorum omnium. *Idem etiam tradit sub principium libri tertii de officiis: quo in libro toto haec quaestio ab eo copiosissime explicatur.*

Sub laceris crebro virtus latet aurea pannis,
Cum stolidas aurum pecudes & purpura velet.

SUB LACERIS. *Vulgus e vestitu, atque ornatu judicare plerumque de hominibus solet: in quo tamen saepissime fallitur, cum & a Graecis olim dictum, & a Plauto postea repetitum sit*, sub sordido palliolo saepe latere sapientiam. *In vita Terentii legimus, eum cum ab aedilibus jussus esset Andriam suam recitare Caecilio, antequam ageretur, venisse ad Caecilium coenantem, & quod tum contemtiore vestitu, initium fabulae in subsellio residentem legisse: sed post paucos versus invitatum ut accumberet, coenasse una, deinde cetera percurrisse non sine magna Caecilii admiratione. A contra, Euangelo Tarentino, cum ornatus ingentis pretii vestis, corona etiam aurea redimitus, ad laureae similitudinem confixus, cujus folia quidem ex auro erant, pro baccis autem pendebant smaragdi; citharam ferens inauratam, multisque gemmis distinctam, in Pythiis canere voluisset, magnamque sui exspectationem concitasset, ut, simul atque canere coepit, risu, clamore, sibilis explodereretur. Historiam facetissime persequitur Lucianus in libello, quo exagitat quendam, qui multis libris coëmendis doctus videri volebat. Non igitur e vestitu, sed e dictis factisque unoquoque judicandum est.*

CUM STOLIDAS AURUM. *Alludit ad dictum Diogenis, qui divites indoctos vocabat pecudes aureo vellere.*

Nil laudis causa facito: & tamen omnia, laudem
Quae tibi conciliare queunt, ea sedulus urge.

NIL LAUDIS CAUSSA. *Qui laudem sibi in rebus agendis proponunt, ventosi & ambitiosi sunt, & corpori umbram, veritati imaginem anteponere videntur. Et tamen vix est, ut sine aliquo laudis stimulo labores ad virtutem & eruditionem comparandam necessarii a juvenibus perferantur. Suadendum igitur nobis est, ut neque laudem, tanquam praecipuum quoddam bonum,*

quae

quantur: & tamen nihil praetermittant eorum, quibus vera laus conciliari poteſt.

Divitias nec amare nimis, nec ſpernere debes.
Quanquam etenim nequeunt facere ac praeſtare beatum,
Magna tamen vitae ſunt inſtrumenta gerendae.

DIVITIAS NEC AMARE NIMIS. Qui divitias nimis amant, avari ſunt; qui contemnunt, parum prudentes. Sine divitiis enim, *ut ait Ariſtoteles primo Ethicorum*, multa, quae praeclara & laudabilia ſunt, commode effici non queunt. *Itaque praeclare ſapientiſſimus ille Hebraeus a Deo ſibi neque divitias, neque paupertatem poſtulat. Eleganter autem divitiae comparantur cum inſtrumentis. Ut enim lyra, exempli cauſſa, bonum lyricinem non facit; ſed tamen bonus lyricen ſine lyra, munus ſuum exercere non poteſt: ita divitiae beatum quidem non faciunt, ſed tamen inſtrumenta ſunt ad multas res gerendas neceſſaria. Neque obſtat, quod in ſacris litteris dicitur*, pauperes beatos eſſe, & divitibus difficile eſſe ingredi in regnum Dei. *Nam illic pauperes dicuntur, qui ad divitias animum non adjiciunt, ſive illas habeant, ſive non habeant: & ita pauper eſſe aliquis etiam in maxima opum affluentia poteſt. Iis autem divitibus difficilis eſt aditus in regnum Dei, qui divitiis ſuis fidunt, & ad eas cor, ut David loquitur, apponunt.*

Fac contentus eo, quod contigit, usque fruaris:
Sic tamen, ut nunquam meliora requirere parcas.

FAC CONTENTUS. Vetus praeceptum eſt, τὰ μὲν παρόντα χρῆσθαι, τὰ δὲ κρείττω ζητεῖν. Qui praeſentibus contentus non eſt, nunquam quieto animo eſt; qui meliora non quaerit, nunquam emergit.

Quam ſint cuncta hominum varia atque incerta, notato:
Ne te unquam aut adverſa premant, aut proſpera tollant.

QUAM SINT CUNCTA. Imprudentis eſt, cum res proſperae ſunt, confidere eas ſemper tales fore: rectèque Iſocrates in Areopagitico, tunc maxime metuendum eſſe *ait*, cum res noſtrae ita eunt, ut volumus. *Eademque ratione nemini quamlibet duris & adverſis in rebus abjicienda ſpes eſt. Horum incommodorum utrumque facile vitabit is, qui diu ac diligenter rerum humanarum inconſtantiam & inſtabilitatem notaverit.*

Pauca quidem haec: sed quae studio servata perenni
Mirificos fructus progressu temporis edent.
Adspiret tantum coeptis Deus: omnia cujus
Consilio aeterno & certa ratione reguntur.
Quem tu & luce puer prima, cum strata relinquis
Impiger, & dulcem repetis cum vespere somnum,
Supplicibus facito places ante omnia votis.
Ille tibi ingeniumque sagax, corpusque salubre,
Et multo melibra dabit. Diffidere noli:
Tu modo ad illius semper refer omnia laudem.

PAUCA QUIDEM HAEC. Coronis haec quaedam est hujus opusculi, qua ei animum addit: & quemadmodum orsus erat a cultu divino, ita in eundem desinit, quod & ab eo, tanquam principio, ducenda sint omnia, & ad eundem, tanquam ad finem, dirigenda, secundum illud Theocriti:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, καὶ εἰς Δία λήγετε Μοῦσαι.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΜΟΥΡΗΤΟΥ

τὸ πρεσβυτέρου, πρὸς

ΜΑΡΚΟΝ ΑΝΤΩΝΙΟΝ,

τὸν Ἀδελφιδῆν, παῖδα ἐνναέτη, γνώμαι.

HOC EST,

M. ANTONII MURETI,

PRESBYTERI,

AD

M. ANTONIUM,

Fratris F. puerum novennem,

SENTENTIAE GRAECAE,

CUM INTERPRETATIONE LATINA

INNOCENTII GISCAFERII (*).

Quae ut plurimum verbum verbo, nonnunquam tamen & versum versu reddit.

M. ANTONIUS MURETUS FRATRIS F. S. D.

Biennium jam est, fili, cum tibi, prima elementa Latinae linguae percepturo, libellum confeci, praecepta quaedam ad vitam utilia versibus continentem, in quo primis illis Grammaticorum exercitationibus defungereris. Quod cum utrique nostrum, praepotentis Dei beneficio, non prorsus infeliciter cesserit: idem in Graeca lingua experiri vo-

(*) Haec quoque interpretatio, una cum epistola, quae Giscaferii nomine scripta est, ipsius Mureti esse videtur.

volo: sine qua, saepe audis ex me, Latinam mancam ac mutilam esse: nec satis uberes ex ea fructus percipi posse. Cum igitur pridie Kal. Januar. qui dies tibi natalis est, ingressurus sis, cum Deo propitio ac benevolente, in annum aetatis tuae decimum; egoque te eo ipso die Graecis litteris initiare constituerim: concinnavi tibi interea hunc alterum libellum Graece loquentem, qui tibi pro natali munusculo erit. Magnum tibi haec qualiacunque scripta mea pudorem incutient, fili, nisi omni ope nixus, ut meae de te exspectationi respondeas. Scient homines, nihil tibi a me defuisse. At mihi puero, cum alia multa, tum praeceptores defuerunt. Vere enim hoc affirmare possum, post annum aetatis meae duodecimum, nullo me ad ullam artem, neque privatim, neque publice, praeceptore usum esse. Quanquam enim Pictavii, quo me parentes ad excolendum ingenium miserant, ibam interdum ad eos, qui Jus Civile profitebantur, perraro tamen id faciebam, neque tam, ut quidquam ex eis discerem, quam ut meis animum explerem, qui me ei studio addixerant. Eveniebat id mihi indomitae quadam pervicacitate ac pervicacia ingenii, ut nullum doctorem triduum ferre possem. Cujus improbitatis valde me postea ac saepe poenituit, poenitetque. At tibi, me vivo, neque dux, hortator, monitor deerit: & quae praeterea requirunter, abunde, si Deus volet, suppetent omnia. Vide modo tu, ne, cum aliud nihil desit, ipse olim tibi defuisse dicaris. Romae, Idibus Novembr. MDLXXX.

INNOCENTIUS GISCAFERIUS, GULIELMI F. M. ANTONIO MURETO JUNIORI S.

Multa debemus, & ego & pater meus, patruo tuo. Quoties enim tulit occasio, libenter nos re, opera, consilio, auctoritate, gratia adjuvit. Sed illi quidem, quemadmodum gratiam referat, pater ipse viderit; nam meum non est, qui tanto aetate minor sum, illam cognitionem (*) suscipere. Tibi vero, qui aetate tanto fere me minor es, quanto pa-

(*) Scrib. *cogitationem.*

re meo patruus tuus, aequum eſt, ſtudere me, ut aliquid raeſtem, quo oſtendam animum beneficii memorem. Et ut li amantiſſime conjunctiſſimeque inter ſe vivunt, ſic oportet in nobis eſſe jam nunc idem mutuae benevolentiae vinculum. Nuper igitur, cum audiſſem de patre, ſcriptum ſſe a patruo tuo cauſſa tua elegantem ſane libellum, quo ultas bonas & graves ſententias verſibus Graecis complexus eſſet: egi cum eo ſummis precibus, ut illum commodato ſumeret, mihique legendi poteſtatem faceret. Quo mpetrato, plus etiam auſus ſum: nam his longioribus noctibus, addens aliquid ad ſolitas lucubrationes, expreſſi asdem ſententias, ut potui, Latine. Quidquid eſt, quod ffeci, ad te mitto, ſymbolum ſummi amoris erga te mei. Utinam veniat aliquando tempus illud, cum ea videamus, quae patrem de indole tua ſaepe vaticinantem audio. Mihi de me modica ſperare ſat eſt: te, qui ita educaris, & qui ne nomen quidem audire tuum potes, quin ad virtutem xciteris, eo perventurum eſſe confido, ut jam nunc ſperem, rebus meis aliquid in te olim praeſidii fore. Nam e majoribus ire per altum Auſpiciis, manifeſta fides. *Vale. Romae, Kal. Decembr.* MDLXXX.

Ῥίζωμ' ὀμαίμου, πῶδε θλίψητον φρενὸς,
Κἠδὺς τε πεπλὰ τε ξ γήρως ἐμφί,
Καὶ τῦτο θεῖν, Μάρκε, παῖς φίλε λαΐδος,
Σμικρὸν μὲν ὄγκον δῶρον, ἀλλ' ἔχρησαν δέ μοι,
Γνώμῃς ἐπηγὺς ὠφὸς τὸ ζῆν εὖ καὶ καλῶς,
Νεωτ τὸ σὸν νύτερπσμῆνος χάρεν.
Καὶ γὰρ νέως γέρεσι παιδεύειν ἀρίστ',
Κἀγὼ γέρων μὲν εἰμι, παιδίον δὲ σύ.
Σῶμ' ἀσθενὲς γήρᾳ πιν, ἀκμάζῃ δ' ὁ νῦς.
Νίφ δὲ σῶμα θαλερὸν, ἀσθενεῖς φρένες.
Δι' ὃ κἀ σὲ δεῖ, βυλαῖς ἐμαῖς διδύσιον,
Νῷ σωφρονίσθαι τύτ' ὑπακύειν λόγοις,
Φῶς πόσοθ' ἡμῶν λαμπρὸν ἐσάμενον γλῴ.
Πρώτιστα μὲν μάλιστα τ Θεὸν φιλεῖν,
Ὑπέρ τε γ' ἄλλα πάντα, κἀ σαυτῦ πλέον.
Ἔπειτα δ' ἄλλυς ἥδιον ἢ σεαυτὸν σέβειν,
Σπᾶνιόν πλείστυς εἰς ἓν πλεῖν' ἀνεγκτέον.
Οὐδὲν γὰρ ἄνδρα μᾶλλον εἰκάζῃ Θεῷ.
Μετὰ τ Θεὸν δὲ σεμνὸν πιμᾶν τὺς γονεῖς,
Οἳ σ', ὦ φίλ', ἔτρεψάν τε, κ' εἰς φῶς ἤγαγον.
Ζωὴς τ' ἔτ' ὄντως σέργε, κἀ κιμωκήσῃς.
Ποίησον ἄλλυς, οἵ ἂν αὐτῷ πάθοις.
Μὴ βλάψον, ἢ ποιᾷ, κἀν ὅσον ἐπ-ρυι, μηδένα.
Τ' ἀδικάτερον μὴ κλέπτε. μὴ κακηγόρει.
Μὴ χαῖρε λέξας ἄτιμα μὴ ποιῶν θέμις.
Φεύγ Δὶ φοβῦ, πᾶς γὰρ ὁ φεύδη λέγων,
Ἂν ἐκὼν, ἄπιστός ἐσν, ἂν δ' ἄκων, ἄκυς.
Νέωτερισμῶν σκυτὸν ἴσχ' ἀσπαστύ,
Νόμων δ' ἀρίστυς ἴσθι τὺς πολισπλύς.
Κενᾶς δὲ δόξης τοῦτο μὴ πρᾶξης χάριν.
Ἀλλ' ὅτι, κἀν ὄφθ, τοῦτο σεσωσμένῃ Θεός.
Ἀρετή τε δόξα τ' ἐσὶν ὦνις πόνυ.
Πονεῖ δυσάμφρ, ἵν' ἡσυχάσῃς ἀσθενής.
Νέοις ἔτ' ὄσιν ἐκπεπηθέντες πόνοι
Φιλεῖσι τοῖς γέρεσι ῥαιδίως φέρειν.
Τῶν νεθετύντων, παῖ, φιλήσεθ γένυ.
Οὐχ ἁλισκόμεν σ', ἀλλ' ὁ νεθετῶν φιλεῖ.
Μεπίδθ ὠφελίμως τοῖς πόνοις, ὧν ἔχεις.
Τὰ δεθέντ' ἐκείνοις αὐτὸς ἐκπλῇ Θεός.
Ἐπισφαλὲς πως πρᾶγμ' ὑπερπλυτῶν νέθ.

Stirps consanguinei, hujus (meae) delectatio mentis,
Curaque & oblectamentum senectutis mihi,
Hoc quoque patruo, Marce, ab amico accipe
Exiguum quidem mole donum, sed non inutile:
Sententias duces itineris ad bene honesteque vivendum,
Super tua continuatas gratia.
Nam & juvenes instituere, senibus decorum est;
Et ego quidem senex sum, tu autem puerulus.
Corpus infirmum est senibus, viget autem mens.
Juveni autem corpus robustum, imbecilla mens.
Quocirca & te oportet consiliis meis docilem
Animo accipere hos obedienti sermones,
Lumen olim nostro clarum futurum generi.
Imprimis & maxime Deum ama.
Et super omnia alia, & plusquam te ipsum.
Deinde autem alios non minus ama, quam te
Properantem plurimis ad plurima bene facere.
Nihil enim hominem magis assimilat Deo.
Post Deum autem primum venerare parentes,
Qui te, o care, & nutrierunt, & in lucem produxerunt;
Et viventes adhuc ama, & mortuos.
Facito aliis, quae ab aliis libens acciperes.
Ne laedito, o fili, quantum in te situm est, quemquam.
Alienum ne furare, ne maledicito.
Ne libenter ea loquitor, quae facere fas non est.
Mendacium autem fuge. Omnis enim qui mendacia dicit,
Si quidem sponte id faciat, infidus est: sin invitus, imprudens.
Ab innovationibus te ipsum cohibe longissime.
Et legum optimas scito esse eas, quae sunt antiquissimae.
Inanis autem gloriae causa haec ne feceris:
Sed quia, honesta cum sint, ea praecipit Deus.
Et virtus & gloria venalis est labore.
Labora, dum potes, ut, cum imbecillus eris, quiescas.
Ab iis, qui adhuc juvenes sunt, excepti labores
Solent senibus commoditatem otii adferre.
Eos qui te corripiunt, fili, libenter ausculta.
Non qui tibi adulatur, amat te, sed qui te corripit.
Participes libenter facito pauperes eorum, quae habes.
Quae dantur illis, ipse persolvet Deus.
Periculosa quodammodo res est, juvenis supra modum dives.

Nam

Καὶ γὰρ θρασὺς ὡὸς πάϊλα, κὴ νῆς ὅτα ἴσε.
Δανεισμάτων κάκιστον, ἰὸ πανῆι φίλυς.
Πλήτυ δὶ χρῆσις ἤδὶ πριωπάτη.
Ἀεὶ τὸ γειτόνημα τ̃ κακῶν πημόν.
Ἀγαθὸς δ' ἀνὴρ μόγυς ἐγγὺς εἰκᾶν ἀφιλῶ.
Ἐν νῷ τὸ νικᾶν ἐὼν, ὅτα ὸ σφαλῆι.
Βέλτιμα παιδὸς ἰν σοφὸν νικᾷ χέρυς.
Ὀλιγον ὡὸς ὀλίγῳ ὡσταθὲν, σμικρὸν πανῖ.
Ἐλεύθερῳ ζῆν μᾶλλον ἢ δέλῳ θέλες;
Καλὴν δὶ δίκαν ἀντ' αἰδοίας λαχεῖν;
Δαπάνην δὶ φεύγειν, καί τι κερδαίνειν ἀεί,
Μετ' ἀσφαλείας ῥᾴστα, κινδύνυ δ' ἄτερ;
Ἀπίχυ πονηρῶν, καὶ καλῶ ἡδονὴ ὡσοῆ.
Ὅστις ὡὸ τ̃ργυ μὴ φοβεῖται τὸ δίκαιον,
Μετὰ τ̃ργων οὐὶ σωφρονῶν φοβήσεται.
Κάλλιστόν ἐσι μάθημα γίγνώσκειν Θεόν.
Ἄνδυ δὶ τ̃ῖλι τἄλλα πάντ' ἀνωφελῆ.
Μηδὲν φρονήσης σμικρὸν, ἄθλιον γὰρ εἶ,
Μηδὶν παπαίνῃς, ἀρκυὶς γάρ τοι πάντων.
Λέξων κακῶς ἄλλον τι, σὶς σαυτὸν βλέπε,
Μηδὶ ψόγ' ἄλλυς, ὅτα ἄμεμπτον αὐτὸς ὤν.
Περὶ τ̃ κρατῆλον ἑστάναι ἐμπίσῃ λόγῳ,
Σιγᾶν ἀδηφὼν τ' ἐσὶ κ' ἀσφαλίσπλον.
Ἐλεύθερα 'σθ' ἐκείλα δυλοῦσι νόμοις.
Οἷς ὀπ' λαμπρὸν, ἴσθι λυπρὸν Θεᾷ.
Τοιῦτός ἐσθ' ἕκασῳ, οἵοις ἤθεσι
Διάκεισαι ἤθυς ἄδι δ' ἀκριβέσπάτη.
Τοῖς χρωμένοις τὰ χρήματ' ἐὺ χρήσιμα,
Ἄχρησα δ' ἄλλως κἀνόνητα κτήματα.
Μηδὲν ποιῶν πονηρὸν, ἐλπίσης λαθεῖν.
Μάταιῳ ἐλπὶς· ἐξυδρικὴς γὸ Θεός.
Πολύφιλον δύτυχ', ἄφιλοι δ' οἱ δυσυχεῖς.
Παύροις ἐνεῖσαι πίσιν ἔρρσεις βροτῶν.
Σοφὸν δ' ἔσῳ παλαιὸν, οἱ πλείες κακοί.
Οὐ συγκυρῆσι νῆς τι κὴ πλήτῳ πολύς.
Κτῆσις γὸ ἄμεσῳ τῷ φρονεῖν ἐπισκοτεῖ.
Ἀμφίβια πολλὰ, κὴ δοκῆντ' ἐξ σοφῶν,
Τὰ τ' ἄλλα γνῶναι πάντ', ἑαυτὸν δ' οὐγνοεῖν.
Νίκη, φρονήσεως ἄσπερ ἔσα συγχρὴς,
Πρὸς τὺς φρονοῦντας, ὃ ὡὸς ἰσχυρὰς ῥέπει.
Ὅπῃ 'κὶ ἔργων καιρὸς, ἄζυσοι λόγοι.

Iam & audax eſt ad omnia, & mens non ineſt.
'ulcerrimum foenus eſt, benefacere amicis.
)pum autem uſus hic eſt omnium honoratiſimus.
'emper mala eſt malorum vicinia.
Bonus autem vir, etiam ſi nihil aliud, quam prope habitet, prodeſt.
n mente conſiſtit vincendi facultas, non in corpore.
Jnum ſapiens conſilium multas vincit manus.
'arvum parvo additum efficit acervum.
.iber vis potius, quam ſervus, vivere?
Et bonam famam, non infamiam conſequi?
'umtum autem fugere, & ſemper aliquid lucrari
Tuto, facillime, & ſine periculo?
Abſtineto a rebus turpibus, etiamſi admiſta ſit voluptas.
)uicunque ante factum non timet judicium,
'oſt factum ſero ſapiens timebit.
'ulcerrima diſciplina eſt, Deum cognoſcere.
Sine hac autem aliae omnes inutiles ſunt.
Nihil ſuperbum animo agites, homo enim es:
Nihil humile, patria enim tibi eſt caelum.
Detracturus de alio quopiam, te ipſum intuere,
Neque vitupera alios, cum ipſe reprehenſione non careas.
De principibus cum inciderit ſermo,
Tacere & ſitim non facit, & tutiſſimum eſt.
d liberi eſt, ſervire ſponte legibus.
)uibus dum ſervis, ſcito, te Deo ſervire,
Talis eſt quisque, qualibus oblectatur:
Haec autem eſt certiſſima morum dijudicatio.
Jtentibus pecuniae vere ſunt pecuniae,
Aliter autem inutiles & infructuoſae poſſeſſiones.
Nil improbe feceris, ſperans fore ut lateas.
Vana ſpes eſt, acute enim videt Deus.
Amicis abundat felicitas, infelices autem amicis carent.
Paucis ineſſe hominibus invenies fidem.
'apiens autem dictum vetus: plures mali.
Non concurrunt & multa prudentia, & multae opes.
Nam immodica opum vis menti caliginem offundit.
Magna inſcitia eſt etiam ei qui videtur ſapiens,
Alia noſſe omnia, ſeipſum autem ignorare.
Victoria, ut quae prudentiae cognata ſit,
Ad conſideratos, non ad robuſtos, inclinat.
Ubi opus eſt factis, inutiles ſunt ſermones.

Καὶ γὰρ θεσμοὺς σοφὸς πόλει, καὶ νόμους ἔθετο.
Διαιτασμάτων κάθαρμα, τοῦ ποιεῖν φίλους.
Πλάτη δὲ χρῆσις ἦθος ἡμιωπότη.
Ἀεὶ τὸ γεγονὸς τῶν μελλόντων κρεῖσσον.
Ἀγαθὸς δ' ἀνὴρ μόνον ἐγγὺς εἶναι ἀφιλεῖ.
Ἐν νῷ τὸ νικᾶν ἐστιν, οὐκ ὦ σύμμαχε.
Βάλλουσι παῖδες ἐν σοφὸν νικῶντ' χέρσῳ.
Ὀλίγων σοὶς ὀλίγῳ σοφοῖσιν, σωρὸν ποιεῖ.
Ἐλεύθερόν ζῆν μᾶλλον ἢ δοῦλον θέλεις;
Καλὸν δὲ δίκαιον αἰτ' αἰδοῖας λαχεῖν;
Δαπάνην δὲ φεύγειν, καὶ τ' περιαίνεσθαι αἰεί,
Μετ' ἀσφαλείας ῥᾴστα, κινδύνου δ' ἄπερ;
Ἀπίχθ πονηρῶν, κἀγαθῶν ἡδονὴ σοφή.
Ὅστις σοῦ τύχης μὴ φοβεῖται τὸ δίκαιον,
Μετὰ τύχης σὺν σωφρονοῦν φοβήσεται.
Κάλλιστόν ἐστι μάθημα γίγνώσκειν θεόν.
Ἄνδρὸ δὲ τῶν τὰ κάλλα πάντ' ἀναφλῆ.
Μηδὲν φρονήσης σμικρὸν, ἄνθρωπος γὰρ εἶ,
Μηδὲν πεπινθὼς, ὑγρὸς γάρ τοι πάτος.
Λέξων κακὸς ἄλλον τιν', οἷς σαυτὸν βλέπε,
Μηδὲ ψέγ' ἄλλους, σὺν ἁμαρτάνων αὐτὸς ἀεί.
Περὶ τῶν κρατούντων ἐστὶν ἐμπίπτειν λόγῳ,
Σιγᾶν ἀδίκου τ' ἐστὶ κ' ἀσφαλίστατον.
Ἐλευθέρα θ' ἐκάστῃ δουλεύειν νόμοις.
Οἷς ὅτι λαμπρόν, ἴσθι λαμπρὸν καὶ θεῷ.
Τοιοῦτός ἐσθ' ἕκαστος, οἵοις ἥδεται
Διάπλασις ἦθος ἄδε δ' ἀπελαύστατη.
Τοῖς χρωμένοις τὰ χρήματ' ἐστὶ χρήματα,
Ἄχρηστα δ' ἄλλως κἀνόητα κτήματα.
Μηδὲν ποιῶν πονηρὸν, ἐλπίσης λαθεῖν.
Μάταιον ἐλπὶς· ἐξυβρικὴς γὰρ θεός.
Πολύφιλον δύσοχθ', ἄφιλοι δ' οἱ δυσκόλοις.
Παύροις ἐνῆσαν πίστις ἔρσεις βροτῶν.
Σοφὸν δ' ἔστ' παλαιὸν, οἱ πλείους κακοί.
Οὐ συγκυρῶσι νῦς τι καὶ πλὴν πολύς.
Κτῆσις γὰρ ἄμεσον τοῦ φρονεῖν ἐπισταθεῖ.
Ἀμφίβια πολλὰ, καὶ δικαίου σοῦ σοφοῦ,
Τὰ τ' ἄλλα γνῶναι πάντ', ἑαυτὸν δ' ἀγνοεῖν.
Νίκη, φρονήσεως ὥσπερ ἔστι συγγένεις,
Πρὸς τοὺς φρονοῦντας, ἢ σοφὸς ἰσχυρὸς ῥίπτ.
Ὅπου γὰρ ἔργων καιρὸς, ἄχρηστοι λόγοι.

Iam & audax est ad omnia, & mens non inest.
Ulcerrimum foenus est, benefacere amicis.
Opum autem usus hic est omnium honoratissimus.
Semper mala est malorum vicinia.
Bonus autem vir, etiam si nihil aliud, quam prope habitet, prodest.
In mente consistit vincendi facultas, non in corpore.
Unum sapiens consilium multas vincit manus.
Parvum parvo additum efficit acervum.
Liber vis potius, quam servus, vivere?
Et bonam famam, non infamiam consequi?
Lumtum autem fugere, & semper aliquid lucrari
Tuto, facillime, & sine periculo?
Abstineto a rebus turpibus, etiamsi admissa sit voluptas.
Quicunque ante factum non timet judicium,
Post factum sero sapiens timebit.
Pulcerrima disciplina est, Deum cognoscere.
Sine hac autem aliae omnes inutiles sunt.
Nihil superbum animo agites, homo enim es:
Nihil humile, patria enim tibi est caelum.
Detracturus de alio quopiam, te ipsum intuere,
Neque vitupera alios, cum ipse reprehensione non careas.
De principibus cum inciderit sermo,
Tacere & sitim non facit, & tutissimum est.
Si liberi est, servire sponte legibus.
Quibus dum servis, scito, te Deo servire,
Talis est quisque, qualibus oblectatur:
Haec autem est certissima morum dijudicatio.
Intentibus pecuniae vere sunt pecuniae,
Aliter autem inutiles & infructuosae possessiones.
Nil improbe feceris, sperans fore ut lateas.
Vana spes est, acute enim videt Deus.
Amicis abundat felicitas, infelices autem amicis carent.
Paucis inesse hominibus invenies fidem.
Sapiens autem dictum vetus: plures mali.
Non concurrunt & multa prudentia, & multae opes.
Nam immodica opum vis menti caliginem offundit.
Magna insscitia est etiam ei qui videtur sapiens,
Alia nosse omnia, seipsum autem ignorare.
Victoria, ut quae prudentiae cognata sit,
Ad consideratos, non ad robustos, inclinat.
Ubi opus est factis, inutiles sunt sermones.

Sa-

Ῥίζαν ἐρωτίδιος, κ' αὐτὸς τὰ δίοιλα πείσεσι.
Ἡ γὰρ ἀπ' ὀργυίων ταύτα πλεῖς ἀνεμώλιος ψυχή.
Λόγῳ ἐστὶ πολλοῖς κόμψος, ἔργα δ' ἀπρεπῆ.
Κακὸς δ' ὁ μίσγων μὴ λίγων, πρέπων ἢ μή.
Ἀποπαίζοντος εἰς τὸ πίνειν.
Ἰόλη δεῖ τὰ ῥάκη πλύνειν, οἶνος ἢ λάρυγξα,
Καὶ βατράχοισιν ὕδωρ, οἶνον δ' ἀνδράσι σκοπίσεις.

Ἐπανόρθωσις.

Ὑδροποτεῖν καλλίστη, ἐπὶ τόν ἔρωτα δ' αὖ
Νηφόλιον, μεθύειν δ' ὐ μᾶλλον ἢ ἀνδρὶ ἔοικε.

Εἰς τὸ αὐτό.

Πόμ' ἀνθρώποισιν οἶνος, ὕδωρ θρέμμασι.

Ἐπανόρθωσις.

Πολλὰς πεθεὶς ἀπείκαι' οἶνος θρέμμασι.
Σαυτὸν φιλεῖς, ἄνθρωπε; τὸ ψυχῶ φίλ.
Κείνη δ' εὖ σωθεῖσα συσπάζει δέμας.
Ἀμελημένη δὲ κ' τὸ σῶμ' ἅμ' οἴχεται.
Σοφοῖσιν εἰδὼς πὰρ ἑρετικῆς ἀκουσίου,
Λόγους ἐπ' ἔργοις πεσσοφίρων αἰσχροῖς καλούς.
Σοὶ φίλος αἰσχρὸς φιλῶν μήτ' εἶη, μήτε γένοιτο.
Κάλλιστος δ' ὁρτὴ δίεμβος ὁμοφροσύνης.
Πλείστους ἀεὶ φαβήσεθ' ὁ πλείστους φοβῶν.
Ἀρχομένων φιλίη, φυλακὴ τ' ἀρχοῦσι δρυτή.
Ὃν δ' ὁ λίμος μισεῖ, κείνῳ 'σ' ἐπικίνδυνος ψυχή.
Πολλοῖς ἀπεσῶν, οὐχ ἁμαρτάνεις πολύ.
Συνοδοιπόροι πατ' ἦσαν ἄνθρωποι δύο,
Ὧν ὧ βραδὺς μὲν εἰς, ὁ δ' ἄτρος ταχύς.
Χ' ὁ μὲν ταχὺς ἐβράδυνε, ὁ δὲ βραδὺς ἔτρεχε.
Ὁ ταχύς, σὺ δ' δείλιλλ γλοιόθ', ἐλείπετο.
Τὸ μὲν ἴσον ἐστὶ τῶν φίλων σπουδαῖον.
Τὸ δὲ πλεονεκτεῖν, μῖσος ἐξεργάζεται.
Καλλιστὸν ἐστι τῶν ὑπ' ἀνθρώπους δίκη.
Ὑγιὴς δ' πάντη σῶμα, θησαυρὸς μέγας.
Τοῖς δ' οὖ τεθραμμένοις ἡδυλὸν πολλὸν φέρει
Τὸ, καλῶν ἐρᾶν, τ' ἐσσθίοντων τυχεῖν.
Δόκησις ὄχλου φαῦλος ἁγεμὼν βίου.

Πλάτωνος γνώμη.

Χρυσὸς πολὺς μίγισιν σὺ πολὺ πυκνόν.
Ἐλίησιν ἄλλυς, ἵν' ἐλίης κ' αὐτὸς τύχῃς.
Καλὸν δ' τὸ πλυτεῖν, ἀλλὰ τὸ πλυτεῖν οὐ καλῶν.

acrificans caeleſtibus, etiam ipſe quae oportet facito.
Iam vota quae a ceſſantibus fiunt, plerumque irrita ſunt.
Multis comta eſt oratio, ſed facta indecora.
Malus autem eſt, qui modeſta quidem loquitur, ſed non facit.

Jocoſum de potu vini.

Aqua oportet pannos laceros abluere, vino autem guttur:
ut ranis aquam, vinum autem viris propinare.

Correctio.

Aquam bibere optimum eſt, ſi quidem mens conſtans ſemper eſt
ebriorum: ebrius autem ſuis ſimilior eſt, quam viri.

De eodem.

Potus hominibus eſt vinum, aqua pecudibus.

Correctio.

Vinum epotum multos pecudum ſimiles reddidit.
Te ipſum amas, o homo? animam ama.
Illa enim ſervata ſimul conſervat corpus.
Neglectae autem ipſi etiam corpus ſimul interit.
Apud ſapientes judices nemo audiendus eſt,
qui ſuper turpibus factis pulcros ſermones adferat.
Tibi amicus qui turpia amat, neque ſit, neque fiat.
Pulcerrimum autem concordiae vinculum virtus.
Plurimos ſemper metuet, qui plurimos terret.
Subditorum amicitia, optima principis cuſtodia eſt.
Quem autem populus odit, illius intutum eſt imperium.
Multis diffidens, non multum aberrabis.
Iter una faciebant olim homines duo,
quorum erat tardus quidem unus, alter autem celer:
at celer quidem tarde ibat: tardus autem currebat,
celer ille, antequam adveſperaſceret, relictus eſt.
Aequale quidem amicos continendi vim habet:
plus autem ſibi arrogare, inimicitias efficit.
Pulcerrimum eſt in rebus humanis juſtitia.
Corpus autem ex omni parte ſanum, magnus theſaurus eſt.
Bene autem educatis magnam voluptatem adfert
honeſta amantes, conſequi ea, quae amant.
Opinio vulgi, malus dux vitae.

Platonis ſententiae.

Multum aurum maximum malum eſt in civitate.
Miſerere aliorum, ut & tu miſericordiam conſequaris.
Non opibus affluere pulcrum eſt: ſed opes pulcris rationibus partas habere.

Vi-

Οὐτιτιλλίῳ Ϛ Ρωμαίων αὐτοκράτορι γιόμ.

Ἥλιον ὄζῃ πολίμιον νισφαγής.

Τὸ αὐτὸ ἄλλως.

Ἐ'χθρᾶ σφαγίστον δύσμην κρίας πνίῃ.

Ἐπανόρθωσις.

Ὁ συγγινώσκων δυσμενῆ, κτῆτα φίλον.

Βδελυρὸν ἢ σχᾶγμα παντοχῆ μιαιφόνον.

Μή ποτ' ἄχθος πόσον ἐμπίσοι κρεῶν,

Ὅσον δύναιτ' ἄν. κἀθετὴς πρ ἂν, φίραν.

Κακὸν πολίτης Ϛ νόμων σωτῆρον.

Ὁρατίῳ ποιητῇ Ρωμαϊκῷ γνώμη.

Νῦς, κράμον, δύγίνεια, πάντ' τὸ χρήμαπ.

Ἐπανόρθωσις.

Νῦς ἐκπορίζῃ χρήματ', ἢ νῦν χρήματα.

Πλοῦτον δὲ μήτ' ἄμορφον ἀπίδῃς εἰδίνα,

Μήτ' ἄγενῆ τὸν σφὶν ὄντα πεῖθήλιν γίνες.

Ἄχρηστον αἰδὼς χρῆμα τοῖ πιχρηστίνῳ.

Ὅρκον ἄγαν σωφρονεῖς πολλοῖς ποκὰ μορὶ ἴδια.

Φοίβε, μὴ σωφρονᾶς ὕμνοις, μήτ μήτω.

Ὦ γλῶσσα, γλῶσσ', ὡς μέζον ὕπο πέμμαμαι,

Μειζάλ', ἢν ἀπῇ χαλινὸς, ἐργάζῃ κακά.

Φωκυλίδου ποιητοῦ γνώμη.

Πράπτε πλοῦτον, εἶπε δ' ὁσεβήσεις.

Ἐπανόρθωσις.

Πρῶτ' ὁσεβῆν χρεών, εἶθ' ὁ πλοῦτος ἥκειν

Τῶν γὰρ δικαίων κρέσσον κέδετιν Ζιός.

Τὰ σοὶ τὸ θεῖον μήποτε πολυπραγμονῆς.

Ἰδὲν γὰρ οὐκ ἐφικτὰ, πισθύνει δ' ἄλις.

Εἰ τὰ παρόντ' ἀγαπᾷς, βασιλέων βασιλεύσι ἴσα,

Εἰ δὲ μὴ, δέγαλίῃ πάσιαν σὺ πενίᾳ.

Οὐ σοφὸς ἐστ οὐκεῖος, ὃς ἄλλων πλείονα οἶδε,

Ἀλλ' ὁ δ' σὺ καιρῷ χρώμενος, οἷς ἔκρηζε.

Ὦ πλείονα δεῖ, π' ἐχ ὁ παρῷ ἔχων, πένε.

Ἔλπιζε πάντ', ἄθρησπε, καὶ πάντ' ἀλαθῆ.

Τό, τ' ἄγαν ἀπιστεῖν, ἢ τὸ πισθύνειν ἄγαν,

Ἢ ῥᾳθ πονηρῶν, ἢ ἦ ἀλεῶν νόσος.

Σωτηρία πάλεως, ὃ κακὸς ποιεῖ νόμος,

Ἀλλ' ἰσχύειν τι ἢ κρατεῖν δ' πομένους.

Πᾶσ' ἐς' ἀνάγκη τοῖ μακρῷ ποτ' σὺ χρόνῳ

Vitellii Romanorum Imperatoris sententia.

Suavissime olet hostis recens interfectus.

Idem aliter.

Inimici jugulati suavem odorem spirat caro.

Correctio.

Qui ignoscit inimico, amicum parat.
Abominanda autem ubique res est homicida.
Ve cui unquam tantum malorum pondus incidat,
Quantum perferre, quantum libet imbecillus sit, queat.
Mala res est civis lege sapientior.

Horatii poëtae Romani sententia.

Prudentia, forma, nobilitas, omnia insunt in pecuniis.

Correctio.

Prudentia parat pecunias, non prudentiam pecuniae.
Opes autem neque formosum quemquam reddiderunt,
Neque nobilem, qui prius esset ignobilis.
Inutilis res est pudor homini egenti.
Pusjurandum nimis promptum ingentem vim malorum attulit multis.
Parce neque prompte jurato, neque frustra.
O lingua, lingua, ut, particula cum parva sis,
Magna, si frenum abstit; efficies mala.

Phocylidae improba sententia.

Primum omnium habeamus divitias, deinde autem pietatem colamus.

Correctio.

Primum pietatem colere oportet, deinde opes sequentur.
Pastorum enim valde magnam curam gerit Deus.
Quae ad divinum numen pertinent, nunquam curiose quaesieris.
Neque enim visu attingi possunt, credere autem satis est.
Si iis, quae adsunt, contentus es, regalior es ipsis regibus:
Sin minus, molesta contabescis in paupertate.
Non ille sapiens, qui aliis plura scit:
Sed qui bene, & opportune utitur iis, quae didicit.
Qui pluribus eget, non qui pauca habet, pauper est.
Spera omnia, o homo, & omnia metue.
Et nimis incredulum esse, & nimis credere.
Ille quidem improborum, hic autem fatuorum morbus est.
Salus civitatis non in eo consistit, ut bene positae sint leges;
Sed ut bene positae robur obtineant, & imperent.
Necesse est in longinquitate temporis

Φιλῶν ἀπ' ἀγαθῶν ὅπως συμβήσεται καλά.
Πράττοντα τὰ καλ' ἀδύνατόν ἐστι κακοπραγεῖν.
Ἀκριβῶς τὸ δίκαιον οὐχ εὑρήσεις.
Μήποτε μανθάνοις ἀεὶ θεῖν, πῶς τοῦτο φρᾷς·
Τὸ φρᾶν γὰρ αὐτὸ ταυτόν ἐστι τῷ θέλειν.
Πλούτου σχόλιον σῶμα, νοῦν δὲ σάρκινον.
Θνητὸν τὸ σῶμα πᾶσι, νοῦς δ' εἰκὼν θεοῦ.
Πῶς δή ποθ' ἕξεις τ' ἄλλα, σωτὸν οὐκ ἔχων;
Τῶν ἀδυνάτων ἓν τοῦτο τοῖς σοφοῖς δοκεῖ,
Ἅμ' ἀγαθὸν εἶναι σφόδρα, καὶ πλουτεῖν σφόδρα.
Μυρίοις λόγοις· ἐπὶ πόνῳ μισεῖ μηδὲν ἄνθρωπος.
Καὶ τόδε Μυρίοις· μηδὲν ἄπορον πόνου.
Οὐδὲν φοβήσῃ τοὺς θεοὺς φοβουμένους.
Πολλοῖς ἀρουσίμη θάρσος· ἡ μὲν ἐμπειρία.
Πέρας δ' ἔχειν τι καὶ λύειν ξύμφυτον.
Οὐκ ἔστιν οὐδεὶς πάντοθεν κίνδυνος καλός,
Ἀλλ' ἐάν τι καὶ ζημίαν κίνδυνος φέρῃ.
Τὰ λιχνεύματ' οὐ σώσει πλακοῦς φάσματος,
Ἢ μαχαιρώματ' ἐκ τῶν τοιχωρύχων,
Ἢ δειλιώντων πλάσματ', ἢ μοιχῶν ὄλοις,
Ἢ φιλοκαλούντων παίγνιατ', ἢ γραῶν ὕθλοις.
Οὐκ ἐνδιὰς ἂν, ἢ φίλοις κεῖσαι λάθρα,
Ἵν' ἐνδιᾷ σε πρόσδηλος τὸ χρῆν; μάθῃς.
Οὐκ ἀγαθὸν ἔρχου τῇ πόλει νόμῳ κρατῶν,
Ἀγαθὸν δ' ἑκόντος, ὃς νόμοις ὑπηρετεῖ.
Ποιητὴν εἶναι, τῷ θέλειν ὅμως δοκεῖν
Ἀμείνονι ἄλλων, ἰσχάτη παραφρά.
Λαβὼν ἔσωτρον, εἶθ' ὑπαίθρῳ τὸ σὸν,
Ἵν', εἴ σε μήτηρ δατρόσωπον γαίνατο,
Καλὸν πρόσωπον ἄθεσι σίψῃς κηλοῖς.
Ἐὰν δ' ἄμορφος τῷ δυσθλὸς εὖ τύχῃς,
Σπάνιος καλῷ τἄλλαμῳ' ἀνάπλαρον πρόσωπον.
Τὰ διαστοῦν ἄρρητα μὴ ζήτει μαθεῖν.
Οὐδένα τ' ἐξαπατᾷν, τῷ ὑπ' ὀθνείῳ ἐξαπατᾶσθαι.

Bonis ex falsis vera ut eveniant mala.
Qui quae honesta sunt, agit, fieri non potest, ut male rem gerat.
Egentem justum non vidi.
Ne unquam quaesieris de Deo: Quomodo hoc facit?
Nam facere & velle ipsi idem est.
Opibus pluris facito corpus, mentem autem corpore.
Mortale corpus est omnibus: mens autem imago Dei.
Qui tandem habebis alia, te ipsum non habens?
Unum hoc eorum, quae fieri non possunt, sapientibus videtur,
Simul valde bonum esse, & valde divitem.
Omnia sunt, Muretus ait, speranda labore.
Hoc quoque Mureti est: absque labore nihil.
Nihil terrebit illos, qui Deum timent.
Multos audaces facit inexperientia.
Experientiae autem tarditas & cautio cognata est.
Non est lucri bonus odor, undecunque sit,
Sed & jactura interdum potior est lucro.
Spectra illa, quae dicuntur in tenebris vagari,
Aut machinamenta sunt eorum, qui perfodiunt parietes,
Aut timidorum figmenta, aut adulterorum doli,
Aut hominum risus amantium ludicra, aut anuum fabula.
Dum non eges, amicorum periculum facito,
Ut, quid te, cum egueris, exspectare oporteat, discas.
Non bonum est civitati magistratus, qui legibus imperat,
Bonum autem ille, qui legibus subservit.
Improbum esse, & velle tamen videri
Meliorem aliis, ultima est improbitas.
Sumpto speculo, formam tuam inspice:
Ut si te mater decoro vultu genuit,
Pulcrum vultum pulcris moribus corones;
Sin autem informis, & aspectu foedus sis,
Properes bonis moribus id, quod tibi deest, supplere.
Secreta dominorum scire ne quaerito.
Nec falli a quoquam, nec quenquam fallere, pulcrum est.

Καὶ γὰρ ἐκεῖνο κακῶς, τὸ τόδε παπάκτα.
Βακάνισον μὲ βάλλουσι· ὑπ' ἐχθρῶν σοὶ δοθέν.
Τὰ γὰρ παρ' ἐχθρῶν πάντ' ὑποπτεύειν, σοφόν.
Ἀν' ἡ ἐξεπιθὼν ἀκέραβος, χρηστὸν φανῇ,
Τὸ χρηστὸν οὐ, ξὺν δίκῃ ἀμελήσας, δίκα.
Ἀβελτέρη σημεῖον, ὅστις ἀφρόνως
Ἥμερον αὐτὸς, αἰπαῖς τὴν τύχην.
Πόνῳ χολὴν ἔφυσε, καὶ χολὴ πόνον.
Ὡς βλαβερόν ἐσθ' ἡ τῶν δοκούντων ἀμοιβή.
Ἁπλῆ κρατίστη· ἔργα, καὶ μόχθον διπλοῦν.
Ὅπου τιν' ἄλλον εἰσόδης πυκνότερα,
Ἡγοῦ δύεσθαι πάντως ἐξ ἴσου πυθοῦ.
Εἰς γὰρ κυβερνᾷ πάντα σ' ἀνθρώπων νόμος·
Φίλυς μὲν αὐτὸν ἐσαν ὡς πλείστους ἔχειν·
Ὀλίγους δ' ἔχων τις, ἀλλὰ πιστούς, εὐτυχεῖ.
Εὐέλπις ἔστω· καὶ μίτρᾳ πίεσον γένυ.
Οὔτ' αὖ δύσελπις, μίτρον ὦ πᾶσι περίβλ.
Ὦ φίλτατ', εἴ σοι πολλὰ πυρεφόρα πλήθοις,
Οὐ χρυσὸν πάλαιστα κηλλείψω ἐκών,
Οὐδὲ πολὺν ἄλδον· ἀλλὰ γὰρ ὁ πατὴρ ἐμοὶ,
Ἀγαθός περ ὢν αὐτός τε, κ' ἐξ ἀγαθῶν γεγώς,
Λίθῳ δὲ πολλῷ, οἱ θεοὶ βελήσεται,
Ἐνθήσομαί σοι, καὶ πολὺν θεῖ φόβον,
Καὶ σ' ἐκδιδάξω σεσοφιλῶς ἀνυδῆς μίτρα,
Οἷς κ' αὐτὸς ὢν παῖς ἐντραφὲν, μεθήμερον
Γενόμην ἐμοὶ μὲν πατρὸς ἐφίλουν βίᾳ,
Κόσμου δὲ σοὶ γ' ἐσώφρων τὸ τέρψιν μόνον.
Οὐ γὰρ σ' ἀνάγκη, (ξὺν θεῷ δ' ὑγιαίνοντ',)
Βίᾳ σπανίζοντ' αὐτοῖς θεσσοῦ ἐδεῖν,
Λαβόντα παῖ' ἐμοῦ μίτρᾳ, κλαῖ' ἀμφιβῶν' ὄμως.
Σὺ δ' ὦ φίλον γένημα φιλτάτη πατρὸς,
Τάχιστά μοι ζήθηθι πρὸς γνῶσιν ἡλικῶν.
Ναῦφρὸς γὰρ ὕδωρ ὕδει δυσμαθὴς ἔφυς,
Δοκεῖς δ' μᾶλλον σύμφθης τε, κ' ἀγχίνους,

Ὅμ

Illud ſtultitiae, hoc improbitatis opus.
Bene explorato conſilium ab inimico tibi datum:
Omnia enim ab inimicis profecta ſuſpecta habere ſapientis eſt.
Quodſi diligenter examinatum bonum eſſe conſtiterit:
Ne curato, quis dederit, ſed quod bonum eſt capito.
Fatui ſignum eſt, eorum, quae imprudenter
Peccavit ipſe, culpam conjicere in fortunam.
Labor otium parit, & quies laborem.
Ut noxia res eſt eorum, quae fieri oportet, dilatio;
Imperfecta reddit opera, & laborem duplicem.
Quodcunque cuiquam contigiſſe videris,
Puta aeque idem poſſe omnibus contingere:
Namque una lex humana gubernat omnia.
Amicos optabile quidem eſt quam plurimos habere:
Paucos autem habens aliquis, ſed fidos, fortunatus eſt.
Neque ad ſperandum ſupra modum facilis eſto,
Neque vicisſim difficilis: modus omnibus in rebus decorus eſt.
O cariſſime, non tibi multa arvi jugera,
Non auri talenta relinquam moriens,
Neque multas opes. Nam ne mihi quidem pater;
Quamvis & bonus eſſet ipſe, & bonis prognatus,
Pudorem autem multum, ſi Deus volet,
Indam tibi, & multum Dei timorem,
Et te edocebo amanter ac ſollicite
Eas, quibus & ipſe, cum puer eſſem, innutritus ſum, diſciplinas,
Quae mihi quidem fuerunt totius viaticum vitae,
Tibi autem ornamento tantum & oblectationi futurae ſunt.
Non enim cogeris, (cum Deo autem dictum ſit,)
Victu indigens cuiquam homini ſervire,
Cum acceperis a me modica quidem, ſed tamen ſufficientia.
Tu vero, o amica proles amiciſſimi patris,
Citiſſime mihi expergiſcere ad cognitionem rerum pulcrarum.
Nullam enim ad rem natus es lentus aut indocilis,
Videris autem potius factus ad diſcendum & ingenioſus.

Ὁρᾷς ἐμὲ, ὡς κὴ παῖδες ἐκ πολλῆ χάρυν
Καὶ βηχὸς αἰεὶ κὴ κατάῤῥιψ μισὴς ὢν,
Οὐ παύομαι νύκτωρ τε κὴ μεθ' ἡμέρην
Νεανίαις σχίπτοισιν ἐξαντλῶν πόνυς;
Πρωὶ δ' ἐπ' ἠοῖ σεῶτ⊙ εἰκίζως πυλᾶ,
Λυχνῆ δεόμθ⊙, εἶτα δ' οἴκυ, βιβλίοισι
Ὡς σχοστηκὼς, σπάνι⊙ ἐκφέρω πόδα.
Παραίδειγμα τοῦτό σοι γίνοιο, παῖ φίλε;
Τᾶ μὴ ῥαθυμεῖν, ἀλλ' ἐπιτήμης τ' ἐρᾶν;
Καὶ σύμμιξ⊙ ἀφαιδρῶς φαίδιμ⊙ χρόνυ.
Ταῦτ', ὦ παῖ, ξυνίηκας, δοκᾶν σοι ὀπάσω ἔπος.
Μοίζονι δ' ἐν μείζω δίξαι ἡλικίη.

FINIS TOMI PRIMI.

Vides me, ut & edentulus a multo tempore ſenex,
Et tuſſis ſemper & pituitae plenus cum ſim,
Non deſino noctu & interdiu
Juvenibus congruentes exhaurire labores.
Mane autem ſub auroram primus famulos voco,
Lucernam petens: deinde autem domo, libris
Tanquam agglutinatus, rarus effero pedem.
Exemplum tibi hoc ſit, fili amice,
Ne dedas te ignaviae, ſed & ames ſcientiam,
Et corpori non parcens parcas tempori.
Haec, o fili, conſcripſi, putans tibi utilia fore.
In majori autem aetate majora accipies.

FINIS TOMI PRIMI.